Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

OPVSCVLA OMNIA THOMAE DE VIO CAIETANI, CARDINALIS TIT. S. XISTI, IN TRES DISTINCTA TOMOS, VARIIS QVAESTIONIBVS CVM SVIS CONCLVSIONIBUS, ac vtilissimis annotationibus appositis, recèns aucta atque locupletata.

QVIBVS ACCESSERE AD obiecta aliqua sanè quàm acutæ responsiones, aliáque permulta, quæ sequens Index indicabit.

ITEM TRACTATVS QVIDAM contra modernos Martini Lutheri sectatores, & eorum præcipuos errores, nunquam antehac impressus.

LVGDVNI,
Apud Hugonem à Porta.
M. D. LVIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX OMNIVM TRACTATVVM, QVI IN HOC OPERE CONTINENTVR, IN TRES TOMOS digestorum.

***

PRIMI TOMI tractatus.

1 De Comparatione autoritatis Papæ & Concilij.
2 De Comparata autoritate Papæ & Concilij apologiæ, Pars prima & secunda.
3 De Romani Pontificis institutione & autoritate.
4 De Attritione & contritione.
5 De Confessione.
6 De Satisfactione pœnitentiali.
7 De Ministro sacramenti pœnitentiæ.
8 De Indulgentiarum thesauro.
9 De Causa indulgentiarum.
10 De Suscipientibus indulgentias.
11 De Modo tradendi seu suscipiendi sacros ordines.
12 De Contractu matrimonij.
13 De Vsu matrimonij.
14 De Delectatione morosa.
15 De Indulgentijs.
16 De Indulgentijs quæstiones sex.
17 De Contritione quæstio unica.
18 De Confessione quæstiones quinque.
19 De Excommunicatione quæstio unica.
20 De Iniunctis pœnitentijs quæstio.
21 De Sigillo confessionis quæstio.
22 De Pollutione ex auditione confessionis proueniente Q.
23 De Purgatorio quæstiones duæ.
24 De Pœnarum timore quæstiones duæ.
25 De Obligatione & obseruatione præceptorum tam in religione, quam extra quæstiones duæ.
26 De Sacri ordinis collatione quæstio.
27 De Dispensatione matrimonij cum Occidentali ecclesia quæstio.
28 De Matrimonio quæstio.
29 De Reddendo debito inter coniuges, altero eorum existente adultero quæstio.
30 De Vsu sacrarum scripturarum ab Ecclesia.
31 De 17. Responsionibus ad diuersos factis, præcipuè ad quædam obiecta, quæ pro Martino Lutheri assertionibus facere uidebantur.

TOMI SECVNDI tractatus.

1 De Conceptione beatæ Virginis.
2 De Eucharistiæ sacramento, & erroribus in eo contingentibus.
3 De Celebratione Missæ.
4 De Valore orationum dictarum ab audientibus Missam in die festo.
5 De Præcepto Eleemosinæ.
6 De Monte Pietatis.
7 De Cambijs.
8 De Vsura.
9 De Simonia.
10 De Vsu spiritualium rerum in peccato mortali.
11 De Voto.
12 De Solutione maleficij, opera malefici ad hoc parati.
13 De Spasmo beatæ Virginis.

TOMI TERTII tractatus.

1 De Sex orationibus Romæ habitis.
2 De Dei gloriosi infinitate intensiua.
3 De Potentia neutra, & natura potentiæ receptiuæ.
4 De Subiecto naturalis Philosophiæ.
5 De Nominum Analogia.
6 De Conceptu Entis.
7 De Ente & Essentia.
8 De Solutionibus quorundam locorum sibijnuicem aduersantium in Commentarijs sancti Thomæ contentorum.
9 De Vinculo Obedientiæ.
10 De Missæ sacrificio & Ritu aduersus Lutheranos.
11 De Fide & Operibus aduersus Lutheranos.
12 De Communione sub utraque specie, de Integritate confessionis, de Valore satisfactionis, de Inuocatione sanctorum.
13 De Coniugio cum Relicta fratris.
14 De Eodem coniugio.
15 De Quibusdam Responsionibus ad quosdam articulos nomine Theologorum Parisiensium editos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD NICOLAVM A FLISCO Episcopum, Cardinalem Sabinensem, Thomæ de Vio Caietani, tunc ord. Prædic. Generalis Magistri, nunc sancti Xisti Cardinalis, in comparationem autoritatis Papæ & concilii, Præfatio.

TAMETSI PVTO, Pater amplissime Flisce, eam comparationem quã nuper de Pontificis maximi ecclesiæque totius autoritate scripsi, à multis hac tempestate, quemadmodum in diuersa studia scindũtur, ita dissimili ratione esse legendam, acceptandam, diiudicandam: omnibus tamen gratum fore puto, vel minimarum rationum, quæ ad hanc rem inusitatam, consentaneam tamen, his temporibus afferũtur, fieri certiores. Aduersariis quidem & æmulis, vt impugnent: amicis, vt ea quæ veritatis sunt, defendant: cæteris autem, vt præsto ad legendum habeãt quid de tanta, his temporibus concursatione maximaque & olim sæpe & in præsentia contentione sit constituendum. Ego Prædicatorum ordinis (Romanæ ecclesiæ veritatisque studiosissimi) generalis Magister, hanc summæ autoritatis comparationẽ, in defensionem quidem veritatis & sedis Apostolicæ, non vt hominibus placeam (quanquam si id quoque assecutus fuero, non aspernabor) sed vt Iesu Christi veritatisque seruus sim, liberè scripsi, tibique impræsentiarum & dedico quidẽ rectè, & perquam libẽter inscribo: quòd ab illa sede quam defendo, & quam Flisco rum ornatissima familia ea ornatissimis viris, Episcopis, Cardinalibus, & summis Pontificibus semper ornauit, ipse sis tandem summis honoribus exornatus. Quumque optimum Prædicantium ordinis protectorem, & conciliandæ conseruandæque ecclesiasticæ vnitatis, & veritatis amplificandæ vehementer cupidum esse sciam, nil ambigo, quin ea quæ pro veritate, & tantæ autoritatis vnitate, atque concordia ex eo ordine à me tibi inscripta dedicataque sunt, grato sis animo, & qua polles probitate & benignitate singulari suscepturus, atque habiturus inter cæteras sempiternæ voluntatis & obseruantiæ erga te meæ testimonia. In æuum vale.

TRACTATVS PRIMVS PRIMI TOMI THOMAE DE VIO CAIETANI CARDINALIS SANCTI XISTI, DE COMPARATIONE AVTORITATIS PAPAE ET CONCILII, IN VIGINTI OCTO CAPITA DIVISVS.

***

IN OCTO ET VIGINTI CAPITA DE COMPARATIONE AVTORITATIS Papæ & concilij, Summaria.

1 Quòd Papa habeat supremam potestatem in ecclesia Dei.
2 Opiniones aliorum de comparatione potestatis Petri primi Papæ & Apostolorum.
3 Rationabilis sententia, quòd Petro subiecti erant cæteri Apostoli.
4 Solutio obiectionum contra determinationem factam de Petri primatu super alios Apostolos.
5 Rationes tenentium quòd ecclesia vniuersalis, seu concilium vniuersale habet potestatem supra Papam simpliciter, ita quòd Papa est illi subiectus.
6 Quis sit sensus, quo quæstio de comparatione concilij & Papæ vertitur in dubium.
7 Quòd Papa est supra potestatem & ecclesiæ & concilij vniuersalis, vt distinguitur contra Papam.
8 Responsio ad obiectiones sumptas ex autoritate concilij Costantiensis, & Basiliensis.
9 Solutio reliquarum obiectionum contra autoritatem Papæ supra concilium factarum.
10 De noua quadam fictione, qua imaginantur aliqui concilium esse supra Papam.
11 Quod secluso Papa non est in ecclesia papatus suppletiuè, & sicut in regulante vsum illius.
12 Quòd secluso Papa, non est in ecclesia potestas legislatiua.
13 Quòd secluso Papa, non est in ecclesia potestas applicatiua ecclesiasticæ potestatis ad personam, nisi in casu.
14 Solutio rationum contra Papam ex eo quòd ecclesia est totum, & autoritas illius maior, in sex.
15 Opinio aliorum, quòd secluso Papa, in ecclesia est autoritas congregandi generale concilium.
16 Quomodo verificatur, quòd generale concilium potest, aut non potest sine Papa congregari.
17 Initium comparationis potestatis ecclesiæ & Papæ in casu hæresis: & primò de modo, quo Papa propter crimen hæresis subijcitur concilio, secundum vnam opinionem.
18 De modo, quo Papa hæreticus subijcitur concilio secundum aliam opinionem.
19 Examen illius propositionis, Papa hæreticus, est ipso facto priuatus Papatu.
20 Rationabilis sententia, quòd Papa factus hæreticus, subest potestati ministeriali ecclesiæ, & non autoritatiuè super Papam.
21 Discussio prædictæ potestatis ministerialis depositiuæ papæ hæretici.
22 Responsio ad rationes & autoritates allatas capitulo. 17. ad probandum quòd Papa hæreticus, est ipso facto depositus iure diuino.
23 Quomodo cum Papa in hæresim lapso, parato corrigi agendum est.
24 Opinio quòd Papa propter incorrigibilitatem in quocunque notorio crimine scandalizantem ecclesiam, subijcitur concilij potestati; ita quòd potest ab eo deponi.
25 Discussio & determinatio ad quam legem spectet determinare casus, in quibus Papa subest iudicio concilij.
26 Quot casus sint diuina lege statuti, vt possit concilium Papam deponere.
27 Responsio ad obiectiones factas in cap. 24. ad probandum, quòd Papa ex alio crimine quam hæresi potest deponi ab ecclesia.
28 An in euentu aliquo Papa sine culpa sua subsit ecclesiæ, ita quòd possit deponi.

CAPVT PRIMVM.

Quòd Papa habeat supremam potestatem in ecclesia Dei.

INTENDENS Resolute comparare potestatẽ Papæ potestati ecclesiæ & concilij vniuersalis, primò potestas Papæ suo loco ponenda est: deinde comparabitur specialiter Apostolorum autoritati: post ecclesiæ & concilij vniuersalis absolutè: & deinceps in casibus, primò hæresis, secundò incorrigibilitatis, & demum in euentibus, vt sic resolutè habeatur & simpliciter, & secundùm quid. Et intendo pro solis viris doctis absque vlla passione rationabilia tantùm dicere: sub iudicio tamẽ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ.

¶ Et ne quis putet ponere me falcem in messem alienã, præmitto, quòd quia autoritas Papæ immediatè est à Deo, & reuelata in sacra Scriptura, & autoritas ecclesiæ vniuersalis immediatè dicitur esse à Deo: vt Constantiensis concilium declarauit: ideo materia ista primò & principaliter est theologorum, quorum est sacram Scripturam & diuina opera scrutari. Secundariò autem, inquantum scilicet est in sacris canonibus declarata: ad Canonistas spectat. Propter quod grauiter errãt in hac re, Canonistis primò deferẽtes. Oportet ergo virum docilem, vtique Theologos & Canonistas, in re hac perspicere, & in suo quemque loco honorando theologiæ primatum dare: vt pote quæ ex proprijs potest hoc determinare. Canonicum autem ius non nisi ad theologicam recurrat autoritatem, scilicet sacræ Scripturæ: quæ vera theologia est.

A PRIMO IGITVR Inchoando dicimus, quòd certa est ista propositio, Papa habet supremam potestatem in ecclesia Dei: fundatúrque super institutione Iesu Christi, Matthæi. 16. & Ioannis vltimo. Saluator siquidem noster, rex regum & dominus dominantium, quamuis potuisset Christianam rempublicã in terris, diuersis modis regendam disponere: voluit tamẽ & statuit, vt nõ populare, non diuitiũ, non potentum, non optimatum multorũ, aut paucorũ esset regimen: sed vnius tantùm: promittens soli Petro, Matthæi decimosexto, Tibi dabo claues, &c. & eidem soli promissionem exhibens, curam omnium ouium suarum committens, Ioannis vltimo, Pasce oues meas. Comparatiua siquidem interrogatio, à qua sermo incepit dicens, Simon Ioannis diligis me plus his: cõuincit etiam proteruos, quòd Petro vt distincto ab Apostolis præsentibus, ad quos refertur comparatio, & non in persona eorum loquebatur Dominus. Et licet hic textus sufficere deberet, quoniam tunc factus est Petrus pastor vniuersalis, dum dictum est in præsenti, Pasce oues meas: non has vel illas, sed indistinctè, vt omnes comprehenderet, vt Gregorius notat. Non desunt tamẽ glossæ Chrysostomi dicentis ibidem, Præteriens alios, Petro loquitur, Præpositus loco mei esto, & caput fratrũ tuorum: & Theophili dicẽtis, quòd commissionem ouium mundi Petro commendat, non alij. Et Leo papa in capit. ita Dominus. distinctione decimanona, & in sexto de electionibus, cap. fundamenta. dicit, Ita Dominus huius muneris sacramentum ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi à quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, Et meritò, inquit diuus Thomas in quarto cõtra Gentiles capit. 76. sic Saluator noster instituit; quia regimen ecclesiæ est optimè ordinatum; optimum autem regimen est vnius, Quod ex fine regiminis apparet. est enim

Universidad de Deusto Biblioteca

finis pax, quæ in vnitate consistit: & constat quòd meliùs est causa vnitatis vnus, quàm multi: qui non nisi vt in vnum venientes, eam causant. est ergo ecclesiæ regimen institutum, vt vnus solus præsit vniuersæ reipublicæ. Et tu valde notabis assumptum, scilicet quòd Iesus Christus instituit tale regimen, vt claudas ora opponentium de regali regimine instituto à senatu, seu populo libero. non enim ecclesia, aut populus Christianus, aut concilium aliquod vniuersale, sed Christus ipse, qui viuit & regnat, instituit tale regimē: sic vt Petrus non ecclesiæ, sed Iesu Christi vicarius esset, vt ex concilio Lugdunensi in cap. vbi periculum. de electionibus, libro sexto, patet, vbi Papa dicitur Iesu Christi vicarius. Et in capitulo quamuis. distinctione vigesimaprima, Pelagius papa dicit, Sancta Romana ecclesia catholica & apostolica nullis synodicis constitutis cæteris ecclesijs prælata est, sed euangelica voce Domini & Saluatoris, primatum obtinuit. Afferuntur quoque in dicto capitulo contra Gentiles, multæ ad hoc propositum rationes, de primatu Papæ & de necessitate eiusdem vltra Iesum Christum in cœlis: quas poteris ibi videre. Firmatur autem afferta propositio autoritate Martini quinti in concilio Constantiensi: vbi diffinita est, vt patet in bulla condemnationis Ioannis VVicleff. In concilio quoque Aecumenico Florētino, sub Eugenio quarto (vbi vnio Græcorum & Armenorū cum Romana ecclesia facta est) habentur hæc verba, Diffinimus sanctam apostolicā sedem & Romanū pontificem in vniuersum orbē tenere primatū, & ipsum Romanū pontificē successorē esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiúsque ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi & gubernandi vniuersalem ecclesiā, à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. Hæc ibi. Ex quibus patet propositionem dictam non solum esse veram, sed contrariam esse erroneam, vt etiam sanctus Thomas in tractatu contra errores Græcorum, cap. 65. & tribus sequentibus, tangit: & pertinet ad errores Ioannis Huss, damnatos in concilio Constantiensi, à Martino quinto.

CAPVT II.

Opiniones aliorum de comparatione potestatis petri primi Papæ, & Apostolorum.

QVAMVIS AVTEM Papæ potestas Petro Apostolo primùm collata, ostensa sit suprema: non desunt tamen qui Apostolos reliquos parem potestatē accepisse à Christo arguāt. Et vt veritas clariùs elucescat, scito quòd in hac re duo dubia inuoluuntur: quæ si separentur, perspicuam magis sortientur veritatem. Alterum dubium est de æqualitate potestatis Petri, & aliorū Apostolorum. Alterū, de modo habendi potestatem: an scilicet omnes immediatè habuerint eam à Iesu Christo, an solus Petrus immediatè à Christo, alij verò ab eodem mediante Petro.

¶ Et quò ad vtrunque dubium, duæ sunt opiniones extremæ. Prima est dicentium, quòd omnes Apostoli parem potestatem à Iesu Christo immediatè habuerunt. Et hi vtrunque simul multipliciter probant ex sacra Scriptura. Primò ex eo, quòd Matth. 18. Saluator omnibus Apostolis replicauit quod soli Petro dixerat in cap. 16. ait enim. Quæcunque solueritis super terram, &c. Et verbum illud Ioan. vlti. dictum Petro. Pasce oues meas: omnibus Apostolis in sententia dictum est: quoniā pascere tripliciter fit, doctrina, vita, & correctione. Hæc autem omnia omnibus dicta sunt Apostolis. Primùm Matth. vltimò, Docete omnes gentes. Secundum Matth. 5. Vos æstis lux mundi: sic luceat lux vestra corā hominibus, &c. Tertium Ioan. vltimò, quorum remiseritis peccata, &c. Secundò ex 2. ca. ad Gal. vbi Paulus dicit, quòd Hierosolymis Petrus & alij Apostoli nil sibi cōtulerunt, nec doctrinæ, nec potestatis, vt ibidem bis habet sanct. Tho. sed dederunt ei dextras societatis: & quòd in Antiochia restitit Petro in faciem, quia reprehensibilis erat. Hæc enim nō sunt inter superiorem & subditos, sed potiùs inter socios. In Actibus Apostolorum, 8. capit. legimus, quòd Apostoli miserunt Petrum & Ioannem in Samariam. Constat autē, quòd maior non est qui mittitur, mittente: iuxta illud, Non est seruus maior domino suo, nec apostolus maior eo, qui misit illum, Ioan. 13. Et cōfirmatur hoc autoritate sanctorum canonum. Primò Anacleti Papæ, distin. 21. capit. in nouo. Cæteri Apostoli, inquit, cum beato Petro pari consortio præditi, & honorem & potestatem acceperunt. Secundò, Cypriani ca. loquitur Dominus. 24. quæst. prima. Hoc cæteri Apostoli erant quod Petrus fuit, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Tertio, Hieronymi super epistolam ad Galatas, & habetur 2. quæst. 7. capit. Paulus. Paulus Petrum reprehendit quod non auderet, nisi se non imparem sciret.

¶ Altera extrema opinio est, discordantium in vtroque, & dicentium, quòd nec parem potestatem, nec immediatè à Iesu Christo omnes Apostoli acceperunt potestatem: sed solus Petrus immediatè à domino Iesu Christo potestatem accepit, & omnes ei subiecti fuerunt, ab ipso potestatem habentes. Et de modo quidem habēdi potestatem, scilicet quòd solus Petrus habuit eam à domino Iesu immediatè, probant in communi quidem ex textu Anacleti, dist. 21. in nouo. Petro primo pontificatus in ecclesia Christi datus est. In speciali autem quò ad potestatē ordinis, non sacerdotalis (hanc enim constat habuisse omnes immediatè à Christo in cœna dicente, Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, quo ad actum celebrandi missas: & post resurrectionem, quo ad actum absoluendi in sacramento pœnitentiæ, dicente, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.) sed episcopalis, probant ex consecratione Iacobi & Pauli ac Barnabæ. Iacobus enim ordinatus fuit archiepiscopus Hærosolymitanus à Petro, & Iacobo, & Ioanne: vt dicitur in capitul. porro, distin. 66. Et Paulus & Barnabas ordinati ab alijs fuerunt. Dicitur enim Actuū. 13. Dixit. Spiritus sanctus, Segregate mihi Paulum & Barnabam, &c. Et subiungitur, Imponentes eis manus, dimiserunt. glossa, in modum ordinandorum. & in cap. quòd die dominico. distinct. 75. Quo ad potestatem verò iurisdictionis (cùm nullibi clariùs appareat, quàm Matth. 18. vbi Apostolis dicit dominus Iesus, quæcunque solueritis super terram, &c.) probant ex hoc, quòd Christus soli Petro dixerat, Quodcunque solueris, &c. Matth. 16. Ex ipso, inquiunt, ordine promissionum insinuat, quòd potestas ligandi & soluendi ordine quodam exhibenda erat, vt scilicet per Petrum ad alios deriuaretur: vt sanct. Tho. in 4. contra Gent. capit. 75. & in 4. senten. distinct. 24. quæstio. vlti. dicit.

Affertur quoque autoritas Leonis supra inducta ex capi. ita Dominus. distinct. 19. clarè dicentis, quòd Christus hoc disposuit, vt ab ipso Petro quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.

DE AEQVALITATE Verò potestatis apostolorum quatuor inuenio expositiones, sustinentes cū hoc Petri autoritatem super omnes. Prima distinguit potestatē ordinis & iurisdictionis: & omnes dicit esse æquales in potestate ordinis, sicut omnes episcopi sunt æquales tali potestate. Petrus autem super omnes dicitur potestate iurisdictionis. Secunda dicit, quòd omnes Apostoli fuerunt in potestate iurisdictionis pares, id est, similes. Probátque in Scriptura paritatem pro similitudine sumi, ex Leui. 18. Cauete ne vos similiter euomat, cum paria feceritis. gloss. id est, similia.

Tertia (& est sanct. Tho. in secunda secundæ. quæstio. 39. arti. 4. ad secundum) quòd fuerunt pares aliquo modo quantum ad fidei defensionem. Inquit sic, coram omnibus Paulus Petrum non reprehendisset, nisi aliquo modo par esset quantum ad fidei defensionem. Quarta est eiusdem super epistolam ad Gal. 2. capitul. quòd Apostoli fuerunt æquales, quātum ad exequutionem autoritatis. Ait enim, Apostolus, scilicet Paulus fuit par Petro in exequutione autoritatis, nō autem in autoritate regiminis.

CAPVT III.

Rationabilis sententia, quòd Petro subiecti erant cæteri Apostoli.

ABLATIS Duabus extremis opinionibus, media mihi via incedendum occurrit, & dicendum quòd, Apostoli inter se possunt comparari dupliciter. Primò, inquātum Apostoli: & sic omnes fuerunt æquales. Alio modo inquantum oues Christi, ab eo hic corporali conuersatione separate: & sic Petrus solus est pastor, & reliqui Apostoli, oues sub illius cura. Sed quia non sufficit dicere, sed oportet declarare & probare sic esse, vt dicimus, declaro primò dignitatem & potestatem apostolatus. Scribitur in primis Luc. 9. capit. quòd conuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent: & misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.

Matt. quoque vlti. legitur, quòd eisdē Dominus dixit, Euntes in mundū vniuersum, docete omnes gentes, baptizantes & docentes seruare omnia quæ mandaui vobis. In prima quoque epistola Pauli ad Corin. 12. cap. legitur. quòd Deus posuit in ecclesia primùm Apostolos. vbi gl. interlinearis in verbo, primùm, dicit dignitate & tempore. Et in verbo, Apostolos, dicit, omnium ordinatores & iudices. In decre. distinct. 68. c. quorum vices. dicitur ex Aug. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: patres missi sunt apostoli, pro Apostolis filij nati sunt & constituti Episcopi. Et in concilio Aecumenico Florentino sub Eugenio 4. inter documenta fidei de ministro confirmationis habentur hæc verba, Hanc, scilicet confirmationem non nisi episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur (quorum vicē tenent Episcopi) quòd per manus impositionem Spiritum sanctū dabant. Diuus Tho. super præallatis verbis ex prima epistola ad Cor. 12. cap. dicit hæc verba, Maiores autem ministri in ecclesia sunt Apostoli: ad quorum officium tria pertinent. Quorum primum est autoritas gubernandi fidelem populum, quæ propriè pertinet ad officium apostolatus: secundò facultas docendi: tertiò potestas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ. Hæc ille. Et postquàm subiunxit, quod tertium horum ordinatur ad secundum, & secundum ad primum, subdit, Deus posuit primum Apostolos, quorum regimini commisit ecclesiam. Et tripliciter probat. Primò per illud Luc. xxij. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Secundò, per illud Apoc. 21. Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum. Tertiò, per illud ad Roma. 8. Nos ipsi primitias Spiritus habentes, maiori enim gradui maior datur gratia.

¶ Ex his omnibus facile est videre, quòd Apostoli, inquātum Apostoli, habuerunt non solùm potestatem ordinis, sed iurisdictionis. Autoritas enim gubernandi ecclesiam, quæ est apostolatui propria, sine iurisdictionis potestate non est. Et si huic adiunxeris, quòd non habuerunt apostolatum à Christo mediāte Petro, sed immediatè ab ipso Iesu Christo, iuxta illud Ioan. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: & Matthæi 10. & Marci 3. & Luc. 6. patet, quòd ipse fecit eos apostolos. Et ad Gala. 1. Paulus probat se Apostolum: quia neque ab hominibus, neque ab homine tā mittente, quàm docente est Apostolus, Solues vtrūque dubiū, scilicet & de potestatis æqualitate, & de modo habendi: quòd scilicet Apostoli quantùm ad apostolatus autoritatem fuerunt æquales simpliciter, & quòd hāc potestatem habuerunt à Iesu Christo immediatè, sicut & apostolatum. Dixi autem simpliciter: quia secūdum quid nihil prohibet, vnum apostolum habere apostolatum digniorem altero, vt Paulus alijs: iuxta glos. interlinearem ad Galat. 1. in verbo, Qui suscitauit eum à mortuis, dicentem in persona Pauli, Et ita digniùs me constituit per immortalem Christum, quàm alios per mortalem: & gloss. marginalem ex Aug. in libro retractationum ex eadē ratione. Propter quod diuus Tho. ibidem dicit, Paulum ad dexteram, & Petrum ad sinistrā in bullis papalibus imprimi. Dignitas enim ista ex parte status vocantis, quia scilicet est immortalis, nō facit vocatum Apostolum maiorem simpliciter, sed quo ad hoc.

SI AVTEM Consideremus, quòd etiā ipsi Apostoli oues erant Christi, à quo statutum est, vt sit vnū ouile & vnus pastor, sic Petrus inuenitur ille vnus pastor, cui dictum est, Pasce oues meas, non has vel illas: sed reliqui inueniūtur vnius ouilis oues. In cuius signum Petrus statim factus pastor, curam Ioan. suscepit, interrogans de eo, Hic autem quid? vt patet Ioan. vlti. Quomodo autem verificari possunt hæc duo simul, quod scilicet omnes Apostoli fuerunt pares in autoritate gubernandi ecclesiā, atque à Iesu Christo eam immediatè habuerunt, & quòd Petrus solus fuit institutus pastor vniuersalis ecclesiæ, & maior autoritate super alios Apostolos, ita quòd ab ipso capite in totum ecclesiæ corpus potestas deriuata est: difficile apparet prima fronte: sed si subtiliter contēplati fuerimus, videbimus de facto oīa vera simul fuisse. Sciendum est nanque, quòd sicut in natura dupliciter aliqua fiunt, scilicet naturaliter, vt cum homo generat hominem, & infirmus ex virtute naturæ sanatur: & supernaturaliter sicut cum homo creatus est à Deo, & infirmus miraculo sanatur. Ita in ecclesia duplici quoque modo aliquid fit, scilicet ordinarie, vt cum seruato iuris ordine creatur Episcopus: & de speciali gratia à principe, vt si statim aliquis crearetur Episcopus: vt de Ambrosio contigit. Vtroque autem modo princeps noster Iesus Christus in primitiua ecclesia vsus est. nam in institutione ecclesiastici regiminis ordinario iure perpetuo seruandi monarchicum, id est, vnius principatum instituit, & posuit Petrum caput vnum totius corporis ecclesiæ: à quo in omnes potestas iurisdictionis & ordinis ordinariè deriuaretur. Et hoc intendunt omnes sacri autores, cum dependentia omnium a Petro doctrinam tradunt. In erogando vero ex speciali gratia, sicut præuenit Petrum in conferendo potestatem ordinis (dum ipse Dominus per seipsum etiam alios Apostolos fecit sacerdotes in vltima cœna, & confessores post resurrectionem, & sacramentum confirmationis in die Pentecostes) ita præuenit eundem in dando autoritatem gubernandi, ordinandi, iudicandique ecclesiā: vt ex allatis patet autoritatibus. Et quemadmodum nihil obstat maioritati ipsius Petri capitis, quòd alij nō habuerunt ab ipso potestatē ordinis (quia hoc non fuit ex defectu potestatis in Petro, aut exemptione aliorum ab ipso, sed ex præuentione superioris, qui prius dedit id subditis Petri ex gratia, quod ordinariè dandum erat eisdem à Petro) ita etiam nihil officit excellentiæ potestatis iurisdictionis Petri super omnes, quòd eius subditis Saluator superior omnibus dedit illam potestatem ex gratia, quam a Petro per viam ordinariam erāt accepturi. Modus itaque varius dandi & accipiēdi potestatem clarificat veritatē. In Petro enim, & à Petro inchoat omnis ecclesiæ potestas, & deriuatur in totam ecclesiam via ordinaria: & rursus aliqui Petro subditi plures potestates acceperunt à Christo immediatè, quas à Petro accepturi erant, via præuentionis gratuitæ. Et sic ecclesia vna sub vnico tātum capite, Petro scilicet, & habet Apostolos omnes, immediatè à Christo potestatem ordinis & iurisdictionis habentes ex gratia præueniente: & habet Petrum solum caput Apostolorum cæterorum & omniū à quo in Apostolos aliquos, & in omnes ordinariè potestas ordinis & iurisdictionis deriuāda est. Sunt ergo simul vera quæ aduersari sibijinuicem videbantur.

ET VT Clarius elucescant dicta, scito quinque esse differentias inter potestatem Petri & aliorum Apostolorum. Prima est in modo dandi & accipiendi: quia Petro data est ordinariè, alijs autem ex speciali gratia: vt explanatum est. Secunda est in officio (& sequitur ex prima) quòd Petrus factus est vicarius generalis Iesu Christi, alij verò facti velut legati seu delegati eius: iuxta illud Pauli 2. ad Cor. 5. Legatione pro Christo fungimur. & ad Ephe. vlti. Legatione fungor in catena ista. Et hoc ipsum Apostoli nomen importat, à missione sumptum: quamuis extenso vocabulo in præfatione dicantur vicarij. Tertia est in obiecto potestatis, quòd aliorum potestas iurisdictionis non erat supra seinuicē, sed super alios: Petri vero potestas erat & super alios, & super ipsos reliquos Apostolos, dicente sibi soli Christo, Pasce oues meas: in quarum numero sine dubio erant Apostoli. Vbi Chryso. dicit in persona Christi ad Petrum, Loco mei præpositus esto, & caput fratrū tuorum. Quarta est in perpetuitate potestatis: quia aliorū potestas finienda erat cum vita eorum: quoniam data est eis in personis proprijs pro solis personis proprijs, & non pro eorum successoribus. Petri verò potestas vsque ad consummationem seculi perseuerat: quia data est sibi in persona propria non solùm pro seipso, sed omnibus successoribus suis: quod sancti doctores exprimūt sub alijs verbis, dicendo, quòd data est Petro in persona ecclesiæ. Et ex hac differentia oritur, quòd nullus est successor Ioan. aut Iacobi, nec etiam Pauli Apostoli in autoritate apostolatus vniuersalis gubernationis ecclesię, sicut Apostoli gubernabāt vbique: sed tantū in potestate ordinis & regiminis vnius certe ecclesiæ succedunt Episcopi. sed solius Petri successor est & dicitur Papa, vt patet in allegatis superiùs. Quinta & vltima pro nūc est in ipsa essentia potestatis: quoniam autoritas communiter Apostolis data, ex vi apostolatus fuit velut potentia executiua. vnde & à Sancto Thoma vocatur autoritas gubernandi: gubernatio, enim executionem sonat, Autoritas verò data soli Petro quum factus est Papa, dicente Christo, Pasce oues meas, est potentia præceptiua: & propterea vocatur à Sanct. Tho. autoritas regiminis. Propter quod dixit San. Tho. Paulus fuit par Petro in executione, non in autoritate regiminis, ad Gal. 2. & ad Cor. 12. ecclesiæ regimen quod sonat executionem, non autoritatē regiminis, quod sonat imperium,

Universidad de Deusto Biblioteca

commissum dicit Apostolis. Vnde & in præfatione non appellantur vicarij absolutè, sed vicarij operis: dicente ecclesia ad Deum de Apostolis, Quos operis tui vicarios, quasi diceret vicarios ad exequendum. Verum tamē quia vnum pro alio quandoque poni potest, si etiam inueniretur paritas in autoritate regiminis, piè exponendum esset pro exequutiua potentia. dedit enim Saluator omnibus Apostolis communiter vt exequi possent in eis, ad quos mittebantur, omnia quæ poterat exequi Petrus: puta instituere ecclesias & Episcopos, docere, excōmunicare, &c. Petro autem absolutè dedit potestatem omniū. Et si Paulus aliquo modo, id est executiuè erat par Petro quantum ad defensionem fidei: vt ex Secunda secundæ dictum est.

Et si non penetras differentiam hanc inter potestatem exequutiuam & præceptiuam, vide illam in exēplo. Episcopi habent officium prædicādi, & fratres Prædicatores habent etiam officium prædicandi (cùm ad hoc instituti sint) sed differēter: quia Episcopi ex propria autoritate hoc faciunt, fratres verò Prædicatores autoritate Papæ delegantis eis id officium, hanc prædicationis exercendæ potestatem. Sic enim proportionaliter de potestate gubernādi ecclesiam in Petro & alijs Apostolis fuit: Petrus enim ex propria sui pontificatus officij autoritate gubernabat, alij verò Apostoli ex priuilegio domini delegantis eis gubernationis officium. Nunc superest respondere obiectis in sequenti capitulo.

CAPVT IIII.

In quo soluuntur obiectiones contra determinationem factam de Petri primatu super alios Apostolos.

VT AVTEM Ordinatè satisfiat obiectis, primò ad primò inductas obiectiones: & sic deinceps respondebitur.

¶ Ad autoritatem ergo ex Matt. 18. dicitur, quòd in verbis dictis Petro soli, cap. 16. & in verbis dictis omnibus, cap. 18. perspicienda sunt duo, scilicet ordo & potestas data. Ordo fuit, quòd prius Petro soli est dictum, Quodcunque solueris: & deinde omnibus. Et ex hoc ordine insinuat Dominus ordinarium progressum potestatis soluendi & ligandi, quòd scilicet à Petro ad cæteros deriuanda est propter vnitatem capitis & corporis ecclesiæ: vt ex autoritatibus sancti Tho. allatis ex 4. cōtra Gent. & 4. sen. apparet. Potestas data fuit, vt dictū est, ad gubernatiuam ecclesiæ potestatem pertinens, & æqualis modo dicto. Et ex hoc ostendit Dominus, quòd ipse ex gratuita præuētione dare voluit Apostolis. Ambo igitur simul considerata ostēdūt magis quod dicimus esse verū.

¶ Ad illud Ioan. vlti. quamuis malè probetur, quòd correctio iurisdictionalis sit cōmissa omnibus per illud, Quorum remiseritis peccata: quoniam hæc verba ad correctionem fori pœnitentiæ spectant: quia tamen posset probari per illud Matth. 18. Quæcunque solueritis: vbi Saluator loquitur de exteriori iurisdictione, qua ecclesiā non audiens fit ethnicus & publicanus, respondetur q in veritate Saluator illa verba etiā quò ad sensum, Pasce oues meas, soli Petro dixit, vt probatum est. Et q si inuenitur aliquid simile cōmissum Apostolis (puta pastorale officium) vt ex eodem fundamento dicatur, q nulli commissæ sunt oues Christi indistinctè, vt comprehendantur omnes nisi Petro: alijs verò commissæ sunt oues determinatè, saltem hac determinatione, scilicet aliæ ab ipsis Apostolis, saltem Petro. Et propterea alij possunt dici delegati pastores: iuxta illud præfationis. Quos operis tui vicarios eisdem contulisti præesse pastores, quasi diceret, quòd gregi tuo cōtulisti Apostolos preesse pastores, vt vicarios operis tui, id est missos, vt vice tua ad executionem operis tui. Petrus autem creatus est pastor ouiū Christi absolutè & vniuersaliter, dicēte Christo ipsi soli, Pasce oues meas. Vnde (vt vnico verbo dicatur) plus datum est per hæc verba Petro, q per quæcunque alia simul cōgregata cæteris: quia autoritas regiminis vniuersalis simpliciter hic clauditur: quamuis totum pastorale officiū executiuè concessum sit omnibus Apostolis.

¶ Ad autoritatem ex secundo capit. ad Galatas patet, q nil doctrinæ aut potestatis accepit Paulus à Petro, nō ex defectu potestatis in Petro, sed ex præuentione gratuita, qua à Domino Iesu habuit potestatem & scientiā: vt ipsemet in 1. cap. dixerat, Dextras autē societatis propter vnitatem fidei, quam docebant: nō solum nanque socij, sed fratres in vnitate fidei sumus: iuxta illud Mat. 23. Omnes vos fratres estis. Quomodo vero in faciem restitit, vt par, iam declaratum est, quòd de paritate in executione officij defensiui fidei intelligitur.

¶ Ad illud verò, q in Actibus Apostolorum Petrus & Ioannes missi sunt, facilè patet ex Theologis in primo sen. dist. 15. responsio, q non oportet mittentem esse maiorem misso. Et nihilominus in proposito missi dicuntur consilio vel amore, non autoritate aliorum.

¶ Ad autoritates Anacleti, Cipriani, & Hiero. iam patet quid dicendū ex fundamento iam posito. Vnde vir docte, quia non vagando, sed ex eadem radice omnia soluuntur, testimonium habes q doctrina hæc vera est. Vero enim omnia consonant: & oportet ex quod quid est rei, omnes difficultates proprias soluere: vt Philosophus dicit 4. Phi.

Ex eadem quoque radice patet de positione aliorū, quam recitauimus circa modum habendi potestatem a Christo immediatè. Patet inquam de potestate ordinis, q nihil refert an Dominus Iesus preuenerit Petrū in faciēdo omnes Apostolos episcopos (vt gl. in cap. porrò. di. 21. sentire videtur contra textum) in eos ordinandos Petro relinquens vt præallegata sonant. Si enim Petro hoc dimisit, ordinarium progressum potestatis ordinis in statuto cursu non præuenit, & si ipse ordinauit per seipsum, gratuita præuētione, nō reuocatione statuti ordinis hoc fecit. De potestate verò iurisdictionis, iam dictum est quòd gratuita præuentione per seipsum eam omnibus exequēdam dedit, qui in ordine dandi seu promittendi, ordinarium progressum deriuationis illius ad alios per Petrum fore statuit: vt allatæ autoritates docent. Ex his omnibus clarè liquet, q Petrus solus princeps caput & pastor est Apostolorum, & quòd ei subditi fuerunt Apostoli, vt suo pastori, & q ordinaria via ab ipso potestatem sortiti erant ordinis & iurisdictionis, licet gratuita præuentione potestatem iurisdictionis executiuā æqualem à Domino immediatè habuerint. potestatem autē ordinis episcopalem immediatè vel mediatè, omnes etiam à Domino habuerunt æqualē. Et si prædicta perspicaciter intuitus fueris, videbis q Petrus licet Apostolus & Papa fuerit simpliciter maior cæteris: Linus tamen, Cletus, aut Clemens non sic se habebat ad Ioannem Apostolum & Euangelistam, qui viuebat, sed aliquo modo vt par, & excedens, & excessus. Erant enim pares in potestate executiua regiminis ecclesiæ: pro quāto Ioannes poterat ex Apostolatu exequi quicquid poterat Papa. Erat Papa excedens in autoritate regiminis, sicut de Petri autoritate dictum est: quia illius erat successor, & Iesu Christi vicarius ipse, non Ioannes. Erat & excessus in dignitate Apostolatus: quia Ioānes erat Apostolus, Linus autē aut Clemens non. Et quia Apostolis non Papæ condendi libros sacræ Scripturæ concessum est, dicente illis Domino, q Spiritus sanctus doceret eos omnia, & omnē veritatem: vnde Aug. de consensu Euange. Lucas & Marcus scripserunt illo tempore quo ab ipsis in carne manentibus Apostolis probari meruerunt: ideo præualuisse sententia Ioan. sententiæ Clementis Pape in doctrina fidei & morum: sicut modo præualet Euangelium Ioannis sententiæ cuiuscunque Papæ & totius ecclesiæ. Nec obstat illud Aug. Euangelio non crederē, nisi me autoritas ecclesiæ admoneret: quia ipse Ioānes, & similiter quilibet Apostolus ecclesia erat Iesu Christi autoritate: testante hoc ipso Ioanne, qui de seipso loquens capi. vlti. dicit in persona ecclesiæ, quam autoritate Christi gerebat: Et scimus quia verum est testimonium eius. Ex quo nanque constat Apostolorum aliquem scripsisse ad doctrinam ecclesiæ, ecclesiæ autoritatem habet.

¶ Ex his autem patet quòd duarum extremarum opinionum, scilicet dicentis, quòd omnes Apostoli eodem modo sint instituti à Christo vicarij sui: & dicentis, quòd Christus immediatè soli Petro dedit potestatem iurisdictionis neutra videtur vera: quamuis ista secunda sit non reprobanda, sed exponenda. Media autem via sola vera est, quā declarauimus, scilicet quòd solus Petrus habuit vicariatum Iesu Christi, & solus immediatè potestatem iurisdictionis ordinariè à Christo accepit: ita quòd ab eo alij ordinario iure accepturi erant, & ei sunt subiecti: hoc enim modo verificatur secunda opinio. Et cum hoc Iesus Christus dominus iuris, præuentendo delegauit cæteris parem in exequendo potestatem (vt dictum est) & hoc veritatis habet prima opinio. Sequere ergo medium.

Cap

CAPVT V.

In quo ponūtur rationes tenentium quòd ecclesia vniuersalis seu concilium vniuersale habet potestatem supra Papam simpliciter, ita quòd Papa est illi subditus.

EXAMINATA Cōparatione potestatis Papæ ad Apostolos rōne sui apostolatus, cōparanda modo est Papæ potestas ecclesiæ vniuersalis seu cōcilij vniuersalis potestati: nūc quidē absolutè, postmodū, verò in euentibus & casibus, vt promisimus. Et qm̄ opposita iuxta se posita magis elucescūt, afferā primò rōnes primatias, in quibus cōsistit vis: quibus probatur Papā subesse ecclesiæ seu concilij vniuersalis iudicio. Et ne contingat sępius ecclesiā et cōciliū iūgere, pro eodē sumanē: qm̄ nō nisi sicut repræsentans & repræsentatū distinguūtur.

¶ Fundāt igitur hi cōstitutionē dictā primò in actis concilij Cōstātiēsis sub Ioāne 23. anno Dñi 1415. vbi in sessione quinta habita die 6. mēsis Aprilis sic legit, Hęc sancta synodus declarat, q ipsa in Spū sancto legitimè cōgregata, cōciliū generale faciēs, & ecclesiā catholicā repræsentās, ptātem a Christo immediatè habet: cui glibet cuiuscūque status vel dignitatis, etiā si papalis existat, obedire tenetur, in his quę pertinent ad fidē, & extirpationē dicti schismatis, & reformationem dictæ ecclesiæ in capite & in mēbris. Hæc ibi. Et subiūgitur aliud decretū in hæc verba. Itē declarat, q quicūque cuiuscūque cōditiōis, status, dignitatis, etiā si papalis, qui mādatis, statutis seu ordinationibus aut pceptis huius sacræ synodi, & cuiuscūque alterius cōcilij gnālis legitimè congregati super præmissis seu ad ea pertinētibus factis vel faciēdis, obedire cōtumaciter contēpserit, nisi resipuerit, cōdignę pœnitētiæ subijciatur, & debitè puniat, etiā ad alia iuris subsidia si opus fuerit, recurrēdo. Hæc ibi. Ex quibus habētur tria: Primò, q cōciliū vniuersale habet autoritatē à Iesu Christo immediatè. Secūdò, q Papa tenetur ei obedire. Tertiò, q ipsa synodus habet potestatē coactiuam supra Papam, dum punitioni eum subijcit.

¶ Cōfirmatūrque eadē sentētia per cōciliū Basiliense celebratū anno Dñi 1431. sub Eugenio quarto: vbi resumpta sunt hæc decreta in sessione secūda & 18. Deinde in cōdēnatione errorū Ioānis Vuicleff in eodē cōcilio Cōstātiē. sessione octaua, & postmodū per Bullā Martini quinti, sacro approbāte cōcilio firmata ibidē. Vbi inter alia sic dānatur articulus iste scilicet, Nō est de necessitate salutis credere Ro. ecclesiā esse supremā inter alias ecclesias. error si per Ro. ecclesiā intelligatur vniuersalis ecclesia, aut cōciliū gñale, aut pro quāto negare primatū summi Pōtificis super alias ecclesias particulares. Hæc ibi. Ex qua condēnatione habetur, q cōciliū verisimile est suprema ecclesiarū, & cōsequēter est superior ecclesia Romana, quę est vna ecclesiarū. Et cōfirmatur hāc esse intētionē Patrū: quia faciunt differentiā inter primatū concilij & summi Pōtificis: quoniam de cōcilio dicunt simpliciter, q est suprema inter alias ecclesias. De summo verò Pontifice dicūt q habet primatū respectu ecclesiarū particularium.

¶ Fundāt quoque hoc idē in Euāgelio & doctoribus: ex eo q claues regni cælorū, officiū pastorale & potestas ligādi atque soluēdi, ecclesiæ data sunt dupliciter, scilicet autoritatiuè & finaliter. Et q autoritatiuè ecclesia ipsa hęc habeat, testatur in primis. Mat. 18 ca. vbi postque Dñs dixerat, Dic ecclesiæ: & si ecclesiā non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: statim subdit, Amen dico vobis quæcūque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terrā, erunt soluta & in cęlo. Vbi manifestè ecclesiæ hāc contulit potestatē vniuersalē: ad hoc enī illa verba subdidit Dñs (vt Hieron. ibidē dicit cū Hilario) ne priuata autoritate reputaretur nō audiens ecclesiam ethnicus et publicanus, sed diuina autoritate ecclesiæ collata.

¶ Testatur deinde Aug. super Ioā. (vt habetur 24. q. 1. ca. quodcūque) vbi cōcluditur q Petrus qn̄ claues accepit, ecclesiā sanctā significauit. Et rursus sermone 10. super Io. loquēs de potestate ligandi & soluēdi, dicit, Hoc Petrus cū omnibus tanquā personā gerens ipsius vnitatis accepit. Et iterū in sermone Apostolorū Petri & Pauli, Petrus totius ecclesiæ gestabat personā: & propterea audire meruit, Tibi dabo claues regni cælorū. Has enī claues nō ipse vt homo vnus, sed vt vnitas accepit ecclesiæ. Et in libro de Agone Christiano, Non sine causa inter Apostolos, ecclesiæ catholicę personā sustinet Petrus. Huic enī ecclesiæ claues datæ sunt cū Petro datæ sunt. Et cū ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? pasce oues meas.

¶ Et cōfirmatur hoc rōne. Quia nō minus iuris habet ecclesia in clauibus ibi datis à Iesu Christo, q in rebus, sed dominiū rerū tēporaliū principaliter est in ecclesia: cū et Papa nō sit dñs, sed dispēsator rerū ecclesiæ, vt S. Th. dicit in 22. q. 100. ar. primo, ad septimū. ergo ecclesia principalius habet claues quā Papa. Et cōfirmatur hoc rursus. Quia cū rectū sit iudex sui & obliqui, & ecclesia vniuersalis adeò sit recta, vt errare nō possit (vt patet) Papa autē errare possit etiā in fide (vt patet 40. di. ca. si Papa) cōsequens est, q ecclesia excellētius & prius habeat claues, quàm Papa: imo quòd habeat etiam vt iudex Papæ.

¶ Quod aūt finaliter ecclesiæ datæ sint claues, vt patet ex 2. ad Cor. 13. potestatē mihi Dñs dedit in ædificationē, & nō destructionē. Et S. Tho. in tract. cōtra impugnātes religio. expressè tenet q potestas iurisdictionis prælatorū est propter bonū subditorū: & propterea nulla iniuria fit plato inferiori, puta Episcopo, qn̄ eximitur ab eo Abbas propter bonum ecclesię. Ex quibus sequitur, q Papa est propter ecclesiā, & nō econuerso, & cōsequēter claues Papæ datæ sunt propter ecclesiam finaliter.

¶ Fundāt & tertio idē super principijs naturaliter per se notis. Omne inquiūt, totū est maius sua parte: ecclesia vniuersalis est totum, & Papa pars. ergo ecclesia vniuersalis maior est Papa. Processus bonus. Et maior est principiū per se notū. Minor est Apostoli ad Ro. 12. Multi vnū corpus sumus, singuli aūt alterius mēbra. & Hie. ad ppositū in c. legimus. di. 93. Si autoritas qrit, orbis maior est vrbe.

¶ Fundāt demū hoc idē super hoc, q ecclesia constituta est à Dño Iesu Christo iudex Pape in casu peccati: vt patet Mat. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic ecclesiæ, & si ecclesiā nō audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Ex qua autoritate licet loquatur in casu peccati, qa incipit, Si peccauerit, & propterea nō spectet ad præsens ca. in quo cōparaē Papa ecclesiæ nō in casu, sed absolutè: volūt tn̄ elicere ēt q ecclesia sit absolutè supra Papā. Tū quia ordinarius iudex alicuius in puniēdo est ēt ordinarius iudex illius absolutè: tū quia iudex & lex nō differūt nisi sicut animatū, & inanimatū: vt patet 5. Ethi. Ad eandē autē legis autoritatē cuius est vnus actus legis. s. punire, spectāt tres reliqui, scilicet imperare, vetare, & permittere. Ad eiusdē ergo iudicis ordinarij autoritatē spectabūt oēs iudicis actus, ad quē spectat punire. Et sic cū ecclesia sit iudex ordinarius Papæ in puniendo, sequitur q erit simpliciter iudex eiusdē in imperādo, vetando & permittendo, hi enim quatuor actus sunt legis: vt in 12. q. 92. arti. 2. habes a diuo Thom.

¶ Et cōfirmaē hoc sacrorū autoritate canonū. vicesimaquinta enī q. 1 contra statuta. dicit Zozimus Papa, Contra statuta Patrū cōcedere aliquid vel mutare, nec huius quidē sedis pōt autoritas. Et in ca. 1. dicitur, Prima salus est rectę fidei regulā custodire, & à constitutis Patrū nullatenus deuiare. Ex quibus habetur & q Papa nō est supra potestatem concilij, & q ad primam salutem spectant statuta Patrū: non Papæ. Multa quoque in eadē causa & q. dicuntur ad hoc, quæ breuitatis causa omittūtur.

CAPVT VI.

Quis sit sensus, quo quæstio de comparatione autoritatis concilij & Papæ vertitur in dubium.

AD EVIDENTIAM Huius cōparationis pdeclarandi sunt termini, qd scilicet nomine ecclesiæ seu cōcilij vniuersalis intelligitur, ne in vanū tota disputatio sit. Ecclesia vniuersalis duo significare pōt in pposito, aut totū corpus ecclesiasticū cōstās ex oībus mēbris, cōprehēso ēt capite, id est Papa: aut totū residuū corpus ecclesiæ distinctū cōtra caput, id est Papā. Cōciliū quoque vniuersale aut sumitur cū capite, id est Papa vel personaliter, vel autoritate eius autorizatū, aut sine papa vtroque modo. Et sic tres comparationes examinandæ sunt.

Prima est inter Papam & ecclesiam seu consilium sine capite, id est Papa omnino. Secunda est inter Papam & ecclesiā seu cōciliū cū capite personaliter. Tertia est inter Papā & ecclesiam seu concilium autorizatū à Papa.

¶ Et quoniā omnes hæ cōparationes supponat Papam esse caput ecclesiæ vniuersalis, & non solū singulorū membrorū, vt inimici veritatis glossant: hoc primò monstra-

Universidad de Deusto Biblioteca

Primò ex autoritate ipsius Constantiensis concilij ante & post electionem Martini 5. vt patet in sessione 15. eiusdē & in bulla Martini 5. vbi dānatur propositio illa Ioānis Huss, Petrus nec est, nec fuit caput ecclesiæ sanctæ catholicæ. Et altera scilicet, Non est scintilla apparentiæ, ꝙ oportet esse vnū caput in spiritualibus regēs ecclesiā, q̃d semper cū ipsa militāte ecclesia cōuersetur. Hic expressè dānatur, ꝙ Petrus non fuit caput catholicæ ecclesiæ: catholicū enim idē est ꝙ vniuersale. Et similiter dānatur ꝙ non oporteat esse præter Christū qui in cælis est, vnū caput quod regat ecclesiā, conuersans cū ea, quod est Papa: vt latius ostēdit diuus Tho. hanc necessitatē in 4. contra Gent. ca. 76. Hiero. quoq; in li. de ortu & obitu sanctorū in nouo testamento, Petrus, inquit, in Christi ecclesia firmamentū est, Cephas corporis Christi principatus & caput est. Si Petrus est caput corporis Christi, ergo totius ecclesiæ collectiuē: iuxta illud Apostoli ad Rom. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo. Et 24. q. 1. rogamus vos, Marcellus Papa expressè dicit, ꝙ Petrus est caput totius ecclesiæ. Et in cōcilio Lud. Grego. 10. vt habetur in ca. vbi periculū, de elec. lib. 6. Papā vicariū Iesu Christi Petri successorē, rectorē vniuersalis ecclesiæ, & directorem gregis dominici vocat. Ritus quoq; Ro. ecclesiæ, habet, vt cū Papa se subscribit in aliqua vniuersalis negotij bulla, dicit sic, Ego N. catholicæ ecclesiæ episcopus. ex quibus patet, ꝙ cauillatio dicēs, ꝙ Papa est caput membrorū ecclesiæ, & nō ipsius simul ecclesiæ, erronea est. Quo nāq; pacto debuit, aut potuit melius explicari à Sanctis, q̃ per nomina collectiua: & apposita quādoq; nomina vniuersitatis expresserūt ecclesiā, gregē, corpus Christi, explicādo totam, vniuersalē catholicā. Dicāt isti quomodo debet dici, & cōuincātur saltem ex verbis ipsius Cōstantiensis & Basiliēsis cōcilij: vbi eisdē verbis significatur ecclesia collectiuē: cū millies ibi replicatur, Hæc sancta synodus vniuersalem seu catholicam ecclesiam repræsentans.

¶ De prima ergo cōparatione (scilicet inter Papā & ecclesiā vniuersalē sine capite) apertè constat quid dicendū sit, scilicet ꝙ Papa sit super eā. Tū q̃a est corpus enormiter diminutū, q̃a est trūcū absq; principali mēbro: ac per hoc nō est vniuersalis ecclesia, q̃ perfectū significat: tū q̃a Dei perfecta sunt opera Deute. 32. ac per hoc nō cōuenit diuinæ prouidētiæ in tā imperfecto corpore supremā autoritatē locare, sed magis ipsum à capite depēdere. Et si instetur, ꝙ apostolica sede vacāte inuenitur vniuersalis ecclesia, & tamē sine capite, q̃d est Papa, respōdetur ꝙ non inuenitur vniuersalis ecclesia nisi imperfecta: ita ꝙ imperfectio ista est conditio diminuēs ly Vniuersalis ecclesia, sicut corpus truncū diminuit à corpore integro. vniuersale em̄ vniuersitatē claudit in se membrorū officialiū: quorū præcipuū est caput. Vnde tūc ecclesia est acephala: & est absq; eius suprema parte & potestate. Et qui hoc negat, in errorem Ioan. Huss negātis necessitatē capitis ecclesiæ in terris (damnatū à S. Tho. & Martino 5. cū concilio Cōstantiensi, vt dictū est) incidit. Et si de ecclesia vniuersali sic sumpta intelligatur, ꝙ habet immediatè potestatē à Christo & ꝙ ipsa repræsentatur per vniuersale cōciliū erratur errore intolerabili: vt patet ex allatis autoritatibus, & inferiùs magis elucescet.

¶ De secūda autē cōparatione in altero extremo, scilicet inter Papā ex vna parte, & ecclesiā totā, id est etiā cū Papa ex altera parte, dicitur ꝙ Papa cū residuo ecclesiæ nō est maioris potestatis iurisdictionis spiritualis, q̃ ipse solus. quia potestas sua cōtinet in se omniū reliquorū potestates, vt earū causa vniuersalis. Nulla em̄ est potestas iurisdictionis in ecclesia, quæ nō sit in Papa: vt patet inductiuē. Quinetiā potestas electiua ipsius Papæ, in Papæ potestate est. Quod patet tū ex facto Petri, qui elegit sibi successorē (vt 18. q. 1. ca. si Petrus, Dicit Ioannes tertius) tū ex eo, ꝙ Papa ordinat actū electiuæ potestatis, determinādo qn̄ & qualiter debet fieri electio: & ꝙ plus est, determinādo subiectū illius potestatis, dum constituit ꝙ ad duas partes Cardinaliū ad minus spectet electio. Probatur & ex ca. si Papa. di. 40. vbi dicitur, ꝙ vniuersitas fideliū suam salutē post Dominū ex Papæ incolumitate animaduertit propensiùs pēdere. Et dist. 19. cap. Ita Dn̄s Leo Papa dicit, Huius muneris sacramētū ita Dn̄s ad omniū Apostolorū officiū pertinere voluit, vt in beatissimo Petro omniū Apostolorū summo principaliter collocaret: vt ab ipso quasi à quodā capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Vbi manifestè patet, à Papa omne reliquū corpus ecclesiæ velut à capite potestatē sortiri. Et sic sumēdo ecclesiā vniuersalē, constat ꝙ habet immediatè autoritatē à Iesu Christo, nihil em̄ mediat inter ipsam & Iesum Christū. Sed ex hoc non habetur, ꝙ cōparando membra aliqua, puta corpus sine capite, ad Christū, ꝙ habeant immediatè potestatē ab ipso: sed sufficit ꝙ totū habeat immediatè à Iesu Christo: partes autē inter se ordine quodā, & ita in caput primò, ꝙ per caput in corpus reliquū potestatē diffundit Saluator noster, iuxta dicta & dicēda. Vnde patet, ꝙ tota ecclesia nō habet potestatem supra Papā solū nec econuerso: quia Papa cum ecclesia reliqua non facit maius in potestate, sed plures potestates.

¶ De tertia autē cōparatione, quæ est media, & est inter Papā & conciliū autorizatū à Papa, ex antedictis facilè sumitur quid dicendū est, scilicet ꝙ nō est maioris autoritatis, q̃ Papa, à quo solo autorizari pōt, vt patet 17. dist. per totum. & extra de elect. cap. significasti. vbi dicitur, ꝙ omnia cōcilia per Rom. ecclesiæ autoritatem & facta sunt, & robur acceperunt.

¶ His tribus cōparationibus secūdū veritatē præmissis, quarta superadditur secundū opinionē: & est inter ecclesiā vniuersalē & quandā communitatē, siue Papa prima pars eius, nō caput totius autoritatis in ea velit in eā conuenire, siue nō, ex vna parte: & Papā ex altera parte. Et quia cōparatio inter diuersa est, & eiusdē ad seipsum subiectio nō est, sicut nec iustitia, propriè loquēdo, cū dicunt hi ꝙ ecclesia vniuersalis est supra Papā, alterū duorū intēdunt. aut em̄ intendūt per ecclesiā vniuersalē cōgregationē fideliū, velut quandā cōmunitatē, siue Papa pars prima illius velit interesse, siue nō, aut intendūt ipsam fideliū congregationē autoritate capitis, scilicet summi Pōtificis factā: Ita ꝙ ipsum cōgregari, s̄cdū dependeat à Papa in ecclesia vniuersali, in cōcilio vero duo dependeāt à Papa, scilicet cōgregari, & repræsentare vniuersalē ecclesiā: ita ꝙ in his intendūt, ꝙ seclusa autoritate Papæ ex quo congregata est ecclesia vel conciliū, fit cōparatio potestatis ecclesiæ vel cōcilij ex vna parte, & Papæ ex altera. Totus ergo futurus sermo de ecclesia seu cōcilio vt distinguitur cōtra Papā, erit de ecclesia & concilio, seclusa Papæ autoritate post congregationem legitimè factam.

¶ Et contra hos dicentes ecclesiā habere autoritatem supra Papā, ratio est, quia positio ista peruertit ordinē regiminis ecclesiæ: oportet nāq; secundū istos regimē ecclesiæ esse democraticū seu populare: in quo tota autoritas apud nullū residet, sed in tota cōitate. sicut in capitulo accidit: vt S. Th. in 4. sent. di. 19. q. 1. art. 1. q. 3. ad tertiū dicit. Et hoc ipsi volūt, dū ecclesiā velut cōitatem liberā, potestatē supra Papā quasi Regē habere dicūt: vt Senatus populusq; Ro. habebat super Imperatorē. Et quia hoc ipsi nō reputāt inconueniēs, quantū ad rem, licet vocabula horrere videātur: ideo circa rem insistendo, monstrandum est, ꝙ nō communitati ecclesiæ, sed vni soli in illa Christus plenitudinem potestatis ecclesiasticæ dedit.

CAPVT VII.

Quòd Papa sit super potestatem ecclesiæ vniuersalis & concilij generalis, vt distinguitur contra Papam.

PRINCIPIVM Huius veritatis ex Dn̄i nostri Iesu Christi autoritate sumitur: vbi Ioā. vlt. soli Petro, vt distincto ab alijs, dicit, Pasce oues meas, vt deductū in 1. ca. fuit: in hoc institutum regimen ecclesiæ monarchicū. Et si ridiculosa illa risio detur: ꝙ Christus dixit Petro: Pasce oues meas, non ecclesiā meā: quasi fecerit eum pastorē singularū ouium: non ipsius ecclesiæ, quæ significat, torū cōsurgēs ex omnibus ouibus: manifestè excluditur hoc ex eo: q̃d in oratione dicitur, Deus omniū fideliū pastor & rector, famulū tuum N. quē pastorē ecclesiæ tuæ præesse voluisti. Et in cōcilio Lugd. de elec. lib. 6. vbi periculū, Papa rector vniuersalis ecclesiæ & gregis dominici director dicitur. vbi patet ꝙ respectu ecclesiæ & gregis, quæ collectiones significant: & nō solū respectu particulariū, pastor & rector & director est Papa. Et quia hæc est vltima fuga harum vulpecularū, vineā Domini demolientiū: idcirco in omnibus auferendis vigilandū est, vt de ipsa collatione seu cōmunitate concludamus nō prælatā, sed subditam esse Papæ, &c.

¶ Amplius, Ioā. 10. Saluator inquit, alias oues habeo &c. & subdit. Et fiet vnum ouile & vnus pastor. Certū est ꝙ ouile non significat oues, sed vnum continens oues. Et ex glossa

interlineari in principio illius capituli, vbi dicitur. Qui intrat per ostium in ouile, exponente in ouile, id est, in catholicam ecclesiam: habetur quòd per vnum ouile intelligitur ecclesia vna ex Iudæis, & Gentilibus. Ex hac autoritate arguitur sic. Ecclesia vt vna ex Iudæis & Gentilibus, est ouile: & Petrus cui dictum est, Pasce oues meas, est pastor vnus eius ouile: ergo ecclesia vt vna nō est super Papam, sed sub eo, vt ouile sub pastore. Et confirmatur hoc. Quia ecclesia seu concilium distinctū contra Papam, aut est oues aut ouile, aut pastor. Non oues: quia ex vtrisq; ouibus ouile vnum constituendum dicit Dominus. Non pastor: quia cū Petrus sit vnus pastor ecclesiæ, vt monstratum est: si ecclesia esset alius pastor, essent duo pastores, cōtra Dn̄m dicētē, Fiet vnus pastor. Ergo ouile & cū nō sit ouile nullius pastoris est ouile vnum vnius pastoris qui est dominici gregis rector & director, Papa, scilicet. Et cōfirmatur, ꝙ de Papa specialiter loquatur: quia verbo futuri tēporis vtitur significante futurum fieri. Fiet inquit ouile vnū vtrisq; cōuenientibus, & vnus pastor. Et quoniā quod est, fit, nec fiet, ipse Dominus, qui de seipso præmisit plures ibidem, Ego sum pastor bonus, non est postmodum factus pastor vnus, sed dum soli Petro postmodum dictum est, Pasce oues meas, nō has vel illas: impletum est, Fiet vnus pastor, loco illius summi pastoris, qui solus est pastor bonus per essentiam ecclesiæ.

¶ Amplius, Non minus Papa est Episcopus catholicæ quā quilibet Episcopus suæ ecclesiæ: sed quilibet Episcopus est Episcopus & singularum personarum & totius collectionis earum in vnam communitatē. ergo & Papa est Episcopus singulorum & vniuersorum Christianorū in vnam catholicam ecclesiam collectorum. Et confirmatur hoc, Quia cum ecclesia sit nomen collectiuum, & significet collectionem fidelium (vt dicitur de consecra. distinct. 1. cap. ecclesia.) & Episcopus dicatur episcopus ecclesiæ talis, oportet vt primò sit Episcopus ipsius ecclesiæ, & secundariò singularum personarum: ac per hoc Papa qui intitulatur Episcopus ecclesiæ catholicæ, & non illorum aut omniū Christianorū, primò est Episcopus ipsius ecclesiæ catholicæ, & secundariò membrorum eius. Et verè sic est: quia primò debet superintendere bono proprio ipsius vnius ecclesiæ catholicæ, & deinde bonis proprijs membrorum omnium.

¶ Et si studiosè quæratur quo pacto Papa potest dici Episcopus & caput ecclesiæ catholicæ, cum ecclesia catholica includat ipsum Papā: patet responsio dupliciter primò, ꝙ hæc est distributio accommoda: sicut quā dicitur, Cælū continet omnia corpora: non quòd contineat seipsum, sed quia continet omnia possibilia contineri: pariformiter em̄ dicitur, quòd Papa est caput & Episcopus ecclesiæ catholicæ: non quòd sit caput Episcopus, Rector, & c. suijpsius: sed quia est caput omnis possibilis habere caput, Rectorem, & Episcopum. Secundò dicitur, quòd quia secundùm Hilariū sermo rei, & non res sermoni debet esse subiecta, ea ratione Papa dicitur caput & Episcopus ecclesiæ catholicæ, quia in ecclesia catholica ipse capitis & Episcopi locum tenet.

¶ Amplius, Papa habet supremam potestatem in ecclesia Dei: ergo Papa non subest ecclesiæ. Antecedens patet ex condemnatione iam dicta in concilio Constantiensi, per Martinum 5. vbi de Papa loquendo dicitur, habens supremam potestatem in ecclesia Dei. Consequentia probatur: quia supra supremam autoritatem in ecclesia Dei non potest maior intelligi in eadem ecclesia Dei, etiam si fingendi detur licentia. Imo ex hoc etiam sequitur, quòd tam ecclesia quā concilium Papæ subditur: quia non sunt duæ supremæ potestates in ecclesia Dei: principatuū enim pluralitas mala cūm sit (vt patet 12. Metaph.) à Iesu Christo summè bono, qui vult ecclesiam suam optimè disponi, esse non potest.

Et cōfirmatur hoc autoritate Innocentij 3. in concilio generali, extra de pe. & re. ca. cum ex eo. vbi dicitur, ꝙ Ro. Pōtifex plenitudinem obtinet potestatis. Et in ca. proposuit. de cōcess. prebē. idē dicit, Nos secundū plenitudinē potestatis, de iure possumus supra ius dispēsare. Et extra de elec. in c. significasti, Paschalis dicit, Aiunt in concilijs statutum non inueniri, quasi Ro. ecclesiæ legē concilia vlla præfixerint: cū oīa cōcilia per Ro. ecclesiæ autoritatē, & facta sint, & robur acceperint, Quę omnia pro plenitudine potestatis papæ supra cōcilia, & consequenter vniuersalē ecclesiā allata sunt. Et confirmātur autoritate S. Tho. in trac. contra impugnantes religionē: vbi dicit hæc verba, Sancti patres in concilijs congregati, nihil statuere possunt nisi autoritate Ro. pontificis. interueniente, sine qua etiam nec conciliū cōgregari potest. Hæc ille.

¶ Amplius, Papa est proximus & immediatus vicarius Christi & Apostolorū: ergo nullā habet in terris ptātē priorē se. Antecedens patet in sæpe dicta condēnatione articulorū à Martino 5. in concilio Cōstātiensi, vbi vnus ex reprobatis articulis est iste. Ecclesia Ro. est synagoga Satanæ nec Papa est proximus & immediatus vicarius Christi & Apostolorum. Cōsequentia patet: quia proximo & immediato nihil est propinquius & immediatius. Et ex hoc patet primò, ꝙ erroneū est dicere, ꝙ ecclesia, vt distinguitur cōtra Papā habet immediatē autoritatē a Christo s. Papā: sic em̄ non Papa, sed ecclesia esset proximè & immediatè Christi vicaria. Impossibile est em̄ esse duo subordinata ambo æquè proxima & immediata Christo, vt patet istos fingere. Et confirmatur autoritate S. Tho. dicētis in tracta. contra errores Græcorū. c. 69. Christi vicarius suo primatu & prouidentia vniuersalē ecclesiam tanq; fidelis minister Christo subiectā seruat, & oppositum sentire dicit esse errorē. Postremo videatur, quęso, diffinitio facta in concilio Florētino: q̃d quia ex Orientali & Occidētali simul ecclesia conflatū est, cæteris Occidētalibus tantū antefertur. Et ibi (vt in primo c. verba adduximus) nō solùm dicitur, ꝙ Papa est omniū Christianorū pater & doctor: sed ꝙ est etiā vniuersalis ecclesiæ pastor, gubernator & rector, cū plena potestate à Dn̄o Iesu Christo institutus in beato Petro. Dicant ipsi quō potuerit clarius exprimi, ꝙ non solū omniū membrorū, sed ipsius vniuersalis ecclesiæ pastor, rector & gubernator est, & ꝙ non mediante ecclesia, sed in Petro cuius est successor, plenā ptātem pascendi, regēdi, gubernandi vniuersalem ecclesiā à Dn̄o Iesu Christo accepit. Et videant si tantū luminis eis cōcessum fuerit, ꝙ hæreticorū more Scripturas & Sanctorum dicta oportet eos extorquere, vt eorum proteruus error defendāt. Fortè nulla Scriptura tā clara in fide habetur, quā nō possit extorta expositio ad suū trahere propositū. sed veritas tunc inuenitur, cū planus Scripturæ sensus iuxta Sanctorum consensum quæritur.

CAPVT VIII.

In quo respondetur obiectionibus sumptis ex autoritate concilij Constantiensis & Basiliensis.

VT ORDINATE Autē obiectis distinctè satisfiat, inchoandum est à decretis concilij Constantiensis, ad quę duæ respōsiones dātur.

¶ Prima, negans illa esse autentica autoritate veri cōcilij facta: qm̄ facta sunt tempore schismatis, quo erāt tres Papæ in ecclesia Dei, ab vna sola obedientia, scilicet Ioānis 23. absente etiā illo suo Papa. Quod constat ex eo, ꝙ illa promulgata sunt anno Dn̄i 1415. die 6. Aprilis in sessione 5. & obediētia Grægorij 12. coniuncta est illi die 4. mensis Iulij eiusdem anni in sessione 14. & obedientia Benedicti 13. iungi cœpit anno Dn̄i 1416. die 3. Octobris in sessione 22. Vnde dicere, ꝙ illa obedientia constitueret cōciliū gn̄ale, catholicā ecclesiā repræsentās, nihil aliud est quā renouare antiquū schisma, & dānare vt schismaticas duas obedientias, & ꝙ semper fuit, & est dubium facere certum.

¶ Et si dicatur, ꝙ Martinus 5. approbauit illa decreta, & illā synodū, decreta quidē in sessione vltima, vbi legitur, ꝙ dixit ꝙ omnia & singula determinata, cōclusa & decreta in materijs fidei per præsens cōciliū, cōciliariter tenere et inuiolabiliter obseruare volebāt, & nunquā cōtra ire quoquo modo ipsāq; sic cōciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio mō. Hæc ille. Cōstat aūt ꝙ cōciliū esse supra Papā, vel Papā supra illud, materia fidei est. ergo decreta illa in sessione 5. facta super superioritate cōcilij supra Papā, sunt approbata. Synodum vero in bulla condēnationis articulorū Ioānis Vuicleff, sacro approbāte cōcilio, vbi interrogatoria ponēs dicit, Verū credat ꝙ condēnationes Ioannis Vuicleff, Ioānis Huss, & Hiero. de Praga factæ de personis eorū, libris & documētis per sacrū gn̄ale Constātiense conciliū, sint ritè & iustè factę, & à quolibet catholico pro talibus tenēdæ & asserēdæ: Hæc ibi. Et cū cōstet, ꝙ contra Ioānē Vuicleff in sessione 8. cōtra Ioā. Huss in sessione 15. & contra Hie. de Praga in sessione 21. sentētia lata fuerit, cōsequēs est, ꝙ tunc ante vnionem obediētiarum omnium cōcilium generale fuerit, si Martinus in tali bulla verum dicit.

¶ Respondendum est, quòd tractari aliquid in materia fidei. contingit dupliciter, scilicet materialiter & formaliter. Tunc tractatur formaliter materia fidei, quando tractatur vt credenda vel damnanda à fide. Tunc autem tra

Universidad de Deusto Biblioteca

ceratur materia fidei materialiter, quando tractatur res quidem pertinens ad fidem, sed non vt credenda, vel non credenda, sed quacunque alia ratione: extra formale enim infinita contigit esse. Et quia nisi sermo intelligatur formaliter, perit certitudo: ideo verba Martini, 5. in illa vltima sessione formaliter sunt intelligenda. In concilio siquidem illo fuerat in materia fidei tractatum & decisum formaliter: vt patet in sessionibus allegatis contra illos tres supradictos, & etiam in sessione 19. & fuerant multa alia tractata, sed non vt materia fidei: inter quæ sunt illa sessionis 4. & 5. In cuius signum nulli fuerunt deputati ibi ad videndum de fide: quin potius deputatio in materia fidei cœpit post hæc in sessione 6. vt patet ibi. nulla etiam fit ibi mentio de credendo vel non credendo. Martinus autem 5. approbauit decreta in materia fidei formaliter tantùm, & non illa alia. Et hoc euidēter etiam patet: quia illa verba dixit, respondens requisitioni oratorum Regis Poloniæ exigentium, quòd acta per concilium contra illos prænominatos hæreticos firma essent, vt patet in sessione vltima; & propterea bulla illa condemnationis subsequuta est. Ad instantiam vero de approbatione synodi dicitur, quòd per illud & alia interrogatoria ibidem de concilio Constantiēsi posita, totum à nobiliori parte Martinus nominauit: congregatio siquidem Constantiēn. quæ inchoauit in sola obedientia sub Ioan. 23. & iterum post in coniuncta obedientia sub Greg. 12. in coniunctione obedientiæ Benedicti 13. consummata est, & post Martinum electum autorizata, facto præsidentiæ personalis in concilium vniuersale, ab hoc nobiliori & certiori statu tota concilium vniuersale vocatur & nuncupatiuè in quolibet statu cōcilium vniuersale appellatur, nominibus vtendo vt plures. Fundatur autem hæc declaratio super eo, quòd non est rationi consentaneum, Martinum voluisse declarare alias obedientiæ fuisse extra ecclesiam: sed verba proferre honoris, nominibus vtendo vt plures vtuntur, absque veritatis tamen offensa. Vnde in illa bulla bis oppositū declarauit, scilicet in articulo, Papa habet supremam potestatem in ecclesia Dei: & in illo, Petrus fuit caput ecclesiæ catholicæ. Et vt insinuaretur, quòd concilium ab vltima parte appellabat, in præcedenti interrogatorio, præterito adiunxit præsens, dicens, quòd cōcilium approbauit & approbat, condemnauit & condemnat, quasi præteritum non sufficerit. Et quia iam ex isto priore interrogatorio habitum erat, quòd concilium Cōstantiēse in præsenti sub Martino 5. condemnat illos tres, non oportuit in vltimo interrogatorio præterito iūgere præsentia: iam enim præteritū supponebat pro concilio sub Martino, quia tam damnauerat. & sic etiam verba saluantur verbaliter. Hæc est prima responsio ad principale motiuum.

¶ Secunda autem est, dato quòd decreta illa valeant, intelligenda sunt cum grano salis: quomodò autem dicendum est ad singula. In primis, cum dicitur quòd concilium potestatem à Christo immediatè habet, potest dupliciter intelligi. primò de concilio, vt distinguitur contra Papam. Et sic est falsum, vt patet per inductas autoritates, extra de elec. cap. significasti. vbi dicitur quòd robur habent omnia concilia à Ro. sedis autoritate: & dist. 19. ita Dominus. vbi Leo dicit, quòd à Petro quasi à quodam capite in corpus omne autoritas manat. & san. Tho. in tractatu contra impugnantes religionem dicit, quòd sancti patres in conciliis congregati nihil possunt statuere sine Ro. pōtificis autoritate interueniente, sine qua nec congregari concilium potest. Hæc ille. Et nota quod dicit, sancti Patres: quia patribus non sanctis, sed præsumptuosis nulla lex posita est, sed præsumptio eorum sibi ipsis est lex. Secundò potest intelligi de concilio, incluso Papa. Et in hoc sensu est verum, quòd habet immediatè autoritatem à Iesu Christo. Et quòd sic interpretandum sit, ex duobus verbis illius decreti colligitur. Primum est, Legitimè congregata; constat enim quòd legitima congregatio concilij generalis ad Papam spectat: vt ex nunc allatis testibus patet, & distinct. 17. per totum. Secundum est, ecclesiam catholicam repræsentans, corpus nanque ecclesiasticum vniuersum (quod ecclesia catholica, id est vniuersalis significat) non est ipsum vniuersum corpus ecclesiasticum si sine capite sit vel intelligatur. Papam autem ex dictis constat caput esse totius ecclesiæ catholicæ, ac per hoc concilij ipsam repræsentantis. Et si mundi cordis oculo perspiciatur, apparebit quòd concilium habet, quòd repræsentet vniuersalem ecclesiā à Papa, qui habet plenissimam curam vniuersalis ecclesiæ. Quis enim Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus & prælatis paucis (vt communiter accidere videtur) conculit vota totius populi Christiani, nisi Papa? oportet enim aut ipsos Christianos hoc fecisse, aut aliquem supplere potentem eorum vota. Et cum ipsos non transferre vota sua in eos, experientia testetur: quin potius si requireretur Christiani, infiniti inuenirentur qui refutarent transferre vota in alios, & per seipsos interesse mallent, aut concilii non celebrādū ducerent. Relinquitur ergo, quòd Papa qui solus est pater, pastor, doctor, rector & gubernator omnis & singulorum Christianorum cum plenitudine potestatis, vota totius ecclesiæ transfert in concilium, congregando & coborando, vt ei videtur. Propter quòd sine Papa Patres sancti congregati nihil possunt, & dissolui potest concilium à Papa, auferēdo ab eis quòd ampliùs vniuersalem ecclesiam non repræsentent autoritatiuè. Nec est verum si dicatur, quòd ecclesia ratum habet concilium, non reclamando: ideo enim non reclamat, quia in vero concilio Papa supplet: in falso autem quia contra præsumptuosos præualere non sperant docti, ignorantes autem nescij silent. hoc autem non est approbari ab ecclesia, sed non molestari ab illa.

¶ Deinde cum dicitur, quòd ipsi concilio seu eius decretis etiam Papa obedire tenetur, multis distinctionibus iuxta multos terminos opus est. Distinguēdum est enim de Papa dubio vel certo. sicut enim quod nescitur consecratum, pro non consecrato habetur: & reconsecratur secundum sacros canones (vt patet extra de presbytero non baptizato. cap. veniens. & de consecra. distinct. 1. cap. solennitates.) sic qui nescitur legitimè electus Papa, tanquam non Papa obedire tenetur. & hoc directè pertinet ad illa decreta ratione schismatis, quando erant tres Papæ, & nullus indubitatus ex sua electione. De papa autem certo & indubitato distinguendū est: quia vel est sermo de his quæ à cōcilio & decretis eis statuuntur de iure diuino, vt ea quæ sunt fidei: vel naturalis iuris, vt ea quæ sunt virtutum & vitiorum moralium, & sic Papa tenetur obedire, nec potest contra ea dispensare. Et sic interpretanda sunt decreta illa. vnde in tribus dicit debitum obedire, scilicet in his quæ sunt fidei reformationis, & amotionis schismatis: hæc enim cum spectantibus ad ea, aut ad ius diuinum, aut ad ius naturæ spectant. Vel est sermo de his, quæ sunt pure iuris positiui. & sic distinguendum est de obedientia, scilicet quo ad iudicium diuinum vel humanum: & dicendum quòd licet princeps sit solutus legibus, nec concilia legem vllam coactiuam in iudicio humano præfixerint Ro. sedi, in iudicio tamen diuino tenetur Papa obedire, vt san. Tho. expressè habet in Prima secundæ. q. 96. artic. 5. ad tertium. Et in 2a. considimus. 23. q. 1. Gelasius Papa dicit vniuersalis ecclesiæ cōstitutum nullum magis exequi sedem præ cæteris oportere, quam primam.

¶ Demum cum subditur de punitione contumaciter contenentium, potest dupliciter intelligi. Primò indifferenter, vt quilibet etiam indubitatus Papa in quocunque peccato cōtra ius diuinum aut naturale contumax, punitioni humanæ subiaciatur. Et hic sensus est contra sacros canones: vt patet in ca. si Papa. dist. 40. & dist. 79. capit. electionem. & in capit. aliorum. 9. q. 3. Nec est acceptandum quòd id quod infinito temporis spatio à tot est Patribus approbatum, vnico verbo destruere voluerunt conditores canonum. Secūdò potest intelligi discretè secundum proportionem materiæ & personæ. & sic cum prælati communiter non sint puniendi (exemplo Dei, qui non puniuit publicè Aaron de idololatria: vt san. Tho. dicit in 4. sen. distinct. 46. q. 2. ar. 2. q. 2. ad quintum) & Papa non sit puniendus facto, sed verbis reprehendēdus publicè (vt ex sancto Thoma colligitur in 4. senten. distinc. 19. q. 2. articul. 2. q. 2. ad secundum, & in Secunda secundæ. q. 33. articul. 4. in casu quo publicè in periculum ecclesiæ peccat: vt Petrus reprehensus fuit à Paulo ad Galath. 2.) & in casu quo potest deponi, etiam facto depositionis puniri possit: consequens est quòd sic discretè & proportionaliter intelligantur verba illius decreti.

¶ Ex quibus omnibus clarè patet, quòd nec ex illis decretis habetur superioritas concilij aut ecclesiæ supra Papam. Vnde non oportet aliter respondere ad eandem ex concilio Basiliensi, in sessione. 2. & 18. De quo tamen sciendum est, quòd licet ab Eugenio. 4. fuerit approbatum quo ad inchoationem & prosecutionem, & multa pro illo concilio in bullis suis dixerit, nunquam tamen illius approbauit decreta: quin potius in concilio Florentino statim diffiniuit Ro. pont. esse caput, pastorem, doctorem, & rectorem vniuersalis ecclesiæ: vt superius attulimus. Refert quoque dominus Ioan. de Turre Cremata (qui fuit præsens vtrique concilio) in lib. 3. de ecclesia, cap. 100. multos defectus qui in concilio Basiliēn. in conflatione illorum decretorū interuenerunt, scilicet quòd non fuerunt vnanimiter conclusa nec cum consensu præsidentium legatorum domini Papæ, qui talibus interesse recusarunt: nec expectatis orationibus Anglorum & Castellæ, quos in via nouerant constitutos: nec auditi sunt viri multi sapientes, videntes hæc esse contra doctrinam Sanctorum: sed promulgata sunt ad furorē hostium apost. sedis. cum multitudine populi nullius autoritatis. Vnde ex neutro concilio admittuntur vt valida.

Nos tamen ex abundanti iustitia, illa glossauimus. Et si glossas contra intentionem autorum dixerit aliquis ex alijs actis eorum conciliorum hoc conuincens: respondebo primò, quòd ego homo sum, & video quæ foris sunt quo ad ipsa decretorum verba: Deus autem intuetur cor. Quo ad alia verò acta eorundem conciliorum attestantium aliam fuisse autorum intentionem, dicam de Constātienē. quòd sicut errauit vsurpans in vna sola obedientia vniuersalem ecclesiam, ita errauit consequenter in procedentibus ex eā: quoniam tunc illa decreta fecit. De Basilienē. verò notorium est, quòd errauit, cùm contra vnum verum & indubitatum pontificem Eugenium 4. processit vsque ad depositionem inclusiuè, qui tamē cum successoribus suis verus Papa est. Dicam secundò quòd si honorem veritatis recusant, falsa, erronea, ac igni obnoxia sunt.

CAPVT IX.

In quo soluuntur reliquæ obiectiones contra idem factæ.

EXPEDITIS Autoritatibus concilio rum Constantiēsis & Basiliēsis, quę nullius autoritatis censentur, soluendæ consequentes sunt obiectiones, quæ ex vera ac certa autoritate procedunt, iuxta ordinem, quo inductæ sunt.

¶ Ad declarationem igitur Martini quinti in condemnatione articulorum, scilicet quòd error est non credere Ro. ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias, si per Rom. ecclesiam intelligitur ecclesia vniuersalis vel concilium vniuersale: aut pro quanto negat primatum summi Pontificis super particulares ecclesias. Respondetur, quòd quia comparatio est inter diuersa: & hæc tria, scilicet ecclesia vniuersalis, concilium vniuersale, & ecclesia Romana, singula sunt quædam corpora mystica integra constantia ex capite & membris reliquis: & in capite nō solū conueniūt, sed identificantur (Papa siquidem caput proprium vniuersalis ecclesiæ & concilij & romanæ ecclesiæ est) in mēbris aūt reliquis distinguuntur vel sicut repræsentans & repræsentatū, vt membra ecclesiæ & cōcilij: vel sicut pars & totū, sicut mēbra reliqua Ro. ecclesiæ partes sunt membrorum reliquorū, concilij & ecclesiæ vniuersalis, vt patet: idcirco cùm fit comparatio inter ecclesiam, seu cōcilium vniuersale, & ecclesiam Ro. non fit comparatio secundum caput, sed secundum reliqua vtriusque membra: secundum quæ rectè dicitur, quòd tam ecclesia, quàm synodus vniuersalis est superior ecclesia Ro. vt ex illo articulo deducitur. vnde admissio illius comparatiuè nihil concludit contra Papæ autoritatem.

¶ Posset nihilominus dici, q̄ quia esse suprema inter ecclesias, conuenit ecclesiæ ratione capitis, & ecclesia Ro. ratione capitis est de essentia concilij & ecclesiæ vniuersalis: & nulla comparatio etiam cum dictione exclusiua excludit intrinseca, idcirco non est adiuittenda comparatio concilij ad ecclesiam Ro. quo ad hoc quod est esse supremam inter ecclesias, sicut nec quo ad caput: quia sicut idem est caput, ita eadem est superioritas: & negaretur illa illatio, ergo concilium est suprema inter alias ecclesias etiam Romanam. Et ad probationem, quia Rom. ecclesia est vna ecclesiarum, respondetur quòd plus requiritur ad comparationem istam. oportet enim quòd sit vna, & distincta capite proprio ab ecclesia quæ est concilium: quod hic non est. Ex calce verò illius articuli, scilicet quòd primatus Papæ est super ecclesias particulares, cū sit sermo affirmatiuus de primatu super particulares: & non negatiuus de primatu super vniuersalem ecclesiam, nihil habetur in oppositum: quod enim non fuit expressum ibi, est expressum alibi, vt additū est.

¶ Ad obiectionem sumptam ex Euangelio Maht. 18. quæcunque solueritis, &c. dicitur, quòd ad literam, hæc tria tantùm ad propositum habentur. Primum est, quòd à Christo immediatè Apostolis data est potestas ligandi & soluendi: quod superius concessimus conformiter ad cap. in nouo: distinctione 21. Secundum est quòd potestas data est vniuersalis: iuxta illa verba, Quęcunque solueritis. Sed tamen non est adeò vniuersalis vt verba sonant: sed ly Quæcunq;, distribuit pro subiectis: ita quòd sensus est, Quæcūque vobis subiecta solueritis, aut ligaueritis, &c. alioquin oportet dicere, quòd omnino occulta potuissent soluere vel ligare: cōtra illud Apostoli primo ad Corinthios quarto, Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus qui illuminabit abscondita, &c. Et quia Petrus non erat eis subiectus, sed prælatus, cùm factus fuit pastor ecclesiæ, ideo sub illa distributiua non concludebatur Papa, vtpotè non subiectus.

Tertium autē est, q̄ ex illo contextu insinuatur, quòd ecclesia quælibet habitura esset potestatem ita ligādi & soluendi, vt soluta & ligata ab ea, essent soluta & ligata in cælo: & hoc in sibi subiectis. Vnde sicut ridiculum est ex hoc, quòd ecclesia Bononiensis habet hanc autoritatem, inferre, ergo potest ligare aut non soluere subiecta: ita ex hoc, quòd ecclesia vniuersalis habet hanc autoritatem, nō potest inferri nisi quòd potest in subiecta. quāuis enim multò plura sint subiecta vniuersali ecclesiæ quàm Bononiensi. nihilominus in hoc formali conueniūt, quòd nulla ecclesia potest nisi in sibi subiecta. Ex hoc autem non habetur, quòd Papa est ei subiectus: nec etiam habetur, vt superius dictum est, quòd habeat à Christo immediatè potestatem: quia modus habendi, scilicet immediatè à Christo, ex speciali gratia ad personas suas fuit. Quòd autem alicui gratiosè cōceditur, non debet ab alijs trahi exemplum. à Christo enim habent omnes ecclesiæ hanc potestatem, sed non immediatè.

¶ Ad autoritates Augustini dicentis, quòd Petrus in persona ecclesiæ & vnitatis, &c. claues accepit. Dicendū est, quòd per hæc omnia intelligendum est hoc, scilicet quòd non soli personæ Petri, sed officio suo perpetuò duraturo hæc collata sunt. Et quia officium Petri est officium capitis, quòd habet influere in corpus reliquū: ideo officio capitali, ita toti corpori data dicuntur & sunt. Non potest siquidem expers corpus remanere, si caput officium suum facit: vnde & Leo Papa distinct. 19. capit. ita Dominus. ipsi Domino attribuit, quòd à Petro in corpus omne potestas deriuaretur. Quia ergo vnitas officii communicatiui toti ecclesiæ claues accepit in persona Petri, ideo dicitur quòd Petrus personam ecclesiæ gerebat, & quòd vnitas non vnus claues accepit, & quòd ad omnes dicitur, Amas me, pasce oues meas, & similia: & non propterea dicitur quasi communitas popularis aut senatoria potestatem acceperit. Hic enim sensus cōtra August. & Iesum Christum est, vt ostensum est. & ipse Augustinus in quæstione noui & veteris Testamenti aperit dicens, Saluator cùm pro se & Petro dari iubet didragma, pro omnibus soluisse videtur: quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij: ita & post Saluatorem, in Petro omnes continentur: ipsum enim constituit caput eorum, vt esset pastor gregis dominici. In quibus verbis docet, quòd in officio capitali Petri omnes subintelliguntur.

¶ Ad primam autem rationem dicitur, quòd licet non minus iuris habeat ecclesia in potestate iurisdictionis, quàm in bonis temporalibus, tamen non eodem, sed alio modo habet. Nam potestatem iurisdictionis obtinet vt regimen monarchicum: dominum autem temporalium, vt communitas. Et ratio diuersitatis est: quia potestas iurisdictionis est à Iesu Christo, qui tale statuit regimen: dominium autem rerum est à donatoribus hominibus transferentibus dominium quod ipsi habebant in communitatem ecclesiæ, & non in vnum aliquem. Et hoc appaeet in ecclesijs particularibus: in quibus manifestè ecclesiæ in Episcopo habent potestatem iurisdictionis, non autem dominium rerum.

¶ Ad aliam verò rationem, q̄ ecclesia non potest errare, distinguendū est de errore personali in credendo, & sentēdo, & rursus de ecclesia vniuersali claudēdo in se Papā: & vt distinguitur cōtra eius autoritatē: & dicendū est, q̄ errore personali certū est q̄ papa, quia est vna singularis persona, magis pōt in fide errare q̄ totum residuum ecclesiæ: sed hoc non spectat ad propositum. Errore autem iudiciali in fide est econ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uerso: quia magis potest errare communitas ecclesiæ sine autoritate Papæ, quàm Papa. Et ratio est: quia error Papæ in diffinitiua sententia fidei est error totius ecclesiæ & veræ vniuersalis ecclesiæ capitis & membrorum: quia ad ipsum spectat determinare finaliter de fide quid tenendum, & quid repellendum, vt ab omnibus inconcussa fide teneatur: vt sanctus Thomas in tractatu contra errores Græcorum, capite sexagesimo septimo, autoritate Cyrilli & Maximi ostendit, & in Secunda Secundæ, quæstione prima, articulo vltimo, probat ratione: Impossibile est autem vniuersalem ecclesiam errare in fide, ergo impossibile est Papam in iudicio diffinitiuo autoritatiuè errare in fide. Secus est in alijs, vt sanctus Thomas in quolibeto octauo, articulo vltimo ostendit. Vnde argumentum militat ad oppositum: quia Papa in huiusmodi iudicio est rectissimus propter assistentiam Spiritussancti: in iudicio fidei propter vniuersale bonum fidei: sicut promisit Ioannes decimoquarto, Spiritussanctus docebit vos omnem veritatem. & Petro dixit, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Iuxta quod etiam vigesimaquarta quæstione prima, dicit Innocentius papa capitul. quoties. Quoties ratio fidei ventilatur, non nisi ad Petrum, id est sui nominis honorem seu autoritatem habentem, recurrendum est. Et scito, quòd cùm dicitur de errore iudiciali, quòd sola vniuersalis ecclesia errare in fide non potest: non excluditur summus Pontifex, sed includitur: quia autoritas determinandi de fide competens vniuersali ecclesiæ, principaliter residet in Romano pontifice, vt sanctus Thomas in Secunda Secundæ, quæstione vndecima, articulo tertio, ad tertium dicit. Imò ipsa autoritas, quæ vniuersalis ecclesiæ dicitur, non nisi illa Papæ est: vt ex inducta autoritate ex quæstione prima, Secunda Secundæ. (vbi finalis sententia de fide ad Papam spectare probatur) patet. Et propterea in allegato quoli. sanctus Thom. iudicio ecclesiæ & Papæ vt synonimis vtitur, apperiens expressè quòd sententiæ Papæ per assistentiam diuinæ prouidentiæ standum est. Et propterea oportet esse cautum, ne vocabulis aliter intellectis fallamur. Certi namque sumus, quòd nec Papa, nec ecclesia aut synodus vniuersalis integra, potest in fide errare, iudicando autoritatiuè de fide. De ecclesia autem ac synodo acephala nihil inuenio: quia nihil autoritatis sine capite in ea video, quamuis merita multa. Et non aduertere ad hanc distinctionem de fide personali vel in iudicio autoritatiuè, est causa quare à multis ignoranter & in materia fidei ecclesia, imò doctores Papæ præferantur. considerant enim ipsum non officium cum assistentia diuina ad fidem in officio, etsi non in persona.

¶ Ad id verò quod additur, quod claues sunt propter ecclesiam finaliter, concedo ingenuè quòd Papa vt potestatem iurisdictionis habens est propter bonum fidei & pacis ecclesiæ, vt ex cap. 77. quarti contra Gen. sanct. Tho. apparet: & est ignobilior ipsa pace Christi, quæ exuperat omnem sensum. & hoc est, quia Papa non est princeps nisi vt minister & vicarius naturalis principis, qui est summum bonum, ad quod ordinatur bonum commune totius communitatis, vt ex 12. Meta. habetur.

¶ Ad rationem ex principio illo, Omne totum est maius sua parte, dicitur concesso illo principio formaliter (scilicet de toto & parte vt sic) quòd liceat Papa quo ad personam & merita, sit pars ecclesiæ vniuersalis: secundũ potestatem tamen iurisdictionis (de qua est sermo) nõ est pars ita quòd potestas ecclesiæ vniuersalis non consurgit ex potestate iurisdictionis Papæ & aliorum, vt totũ ex partibus: sed potestas Papæ est tota potestas ecclesiæ vniuersalis, & aliæ potestates sunt participationes ipsius in partem solicitudinis datæ. iam enim dictũ est quòd nõ plus potest Papa & ecclesia quàm Papa solus: licet plures potestates sint potestates Papæ & ecclesiæ, quàm Papæ solius. Et si ex ratione capitis, quia est membrum & pars corporis, instare velis, respice ad Iesum Christum, qui caput verum totius ecclesiæ sic est, vt non solùm quo ad potestatem, ned nec quo ad nobilitatem & sanctitatem sit pars ecclesiæ. Et vide quòd in his mysticis loquutionibus nõ oportet ea quæ imperfectionis sunt (vt est esse partem) saluare in his quę sunt superioris ordinis, quales sunt Iesus Christus, & eius vicarius generalis, qui quo ad nobilitatem & sanctitatem & personam pars est ecclesiæ.

¶ Ad illud verò Hieronym. quòd orbis maior est vrbe, respondetur quòd verum est quo ad multa: puta merita, virtutes, scientiam, & in proposito secundum vigorem consuetudinis, non potestatis, id est consuetudo orbis præualet consuetudini vrbis: sed potestas vrbis est supra potestatem orbis. Et quòd hæc sit intentio Hieronym. ex contextu patet: quia de consuetudine ecclesiarum, qua diaconi sub presbyteris sedent, loquitur.

¶ Ad rationem formatam super mandato Domini, Dic ecclesiæ: quia aduersarij sanctas glossas refugiunt (vt pro ecclesia prælatus vt sic intelligatur cum sacris doctoribus eadem sententia) aliter dicitur, quòd Dominus in illo mandato affirmatiuo plura ordinatè mandat. Primò actum charitatis, Corripe eum inter te & ipsum. Secundò actus iudiciales, Adhibe duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum, & Dic ecclesiæ. Inter hos autem actus hæc est differentia, quòd actus charitatis extendit se ad omne peccatum in proximum, & ad omnem fratrem, vt patet: actus vero iudiciales non extendunt se ad omne peccatum in proximum, nec ad omnem fratrem. Et quòd non ad omne peccatum in proximum, ex eo lucidissimè patet, quòd sunt quædam peccata contra nos quibus conuincendis non possunt adhiberi testes, vt patet de peccato coniugis tentantis facto coniugem in lecto ad peccatum contra naturam, & de secretissimis sermonibus. In his enim quia non possunt testes adhiberi: locum non habet præceptum hoc affirmatiuum, Adhibe tecum duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. nec illud, Dic ecclesiæ: quia intelligitur in peccatis subiectis adhibitioni testium. Quòd etiam non ad omnem fratrem, ex eodem fundamento habetur: quia scilicet si est aliquis frater, qui non sic subiectus alicui in terris, de illo non intelligitur præceptum, Adhibe tecum: nec, Dic ecclesiæ: vanum enim hoc esset.

¶ Et quia Papa est talis frater, ideo præceptum hoc non habet locum simpliciter contra Papam. Dico autem simpliciter, vt præseruem me à casu in quo potest deponi.

¶ Et quòd hæc sit vera expositio ad literam, probatur ratione et autoritate. Ratione quidẽ: quia Saluator in hoc præcepto duo exprimit vniformiter, scilicet personam peccantem: Frater tuus, & peccatum, Peccauerit in te (vtrunque enim absque exceptione aliqua indefinitè posuit) & tamen oportet quo ad peccatum limitare ad peccatum capax adhibitionis testium. ergo quo ad fratrem limitare etiam oportet ad fratrem subiectum communicantem tecum in Patre in terris. Et hoc potest accipi ex illo verbo, Frater tuus, id est purè frater, id est, qui ita sit tibi frater, vt non sit plus quàm frater: cæteri nanque prælati tui non sunt simpliciter plus quàm frater, sed quo ad aliquid: Papa verò simpliciter. Qua ergo ratione limitatio admittitur peccati, admittenda est & limitatio peccantis fratris. Autoritas est S. Tho. in 4. sentent. distin. 19. q. 2. arti. 2. q. 3. ad secundum dicentis, quòd si prælatus non habet superiorem, recurrendum est ad Deum, qui eum emendet, vel de medio substrahat. hoc enim propter solum Papam oportet dici: quia cæteri prælati habent superiorem. Nec solus est S. Tho. sed nunc nunc infinitæ ferè autoritates afferentur, ostendentes Papam omnino non habere superiorem: ac per hoc non claudi sub appellatione fratris peccantis quo ad actus iudiciales.

¶ Ex quo patet quàm temere quidam dicant, quòd super hoc textu absque omni calumnia plenitudo potestatis gladij spiritualis, & executio eius in ecclesia collegiata, ac per hoc in concilio vniuersali super quemlibet Christianum qui est frater noster, etiam si papa fuerit, fundatur: & quòd super hoc fundatur potestas diffiniendi, determinandi, statuendi, exercendi, constituendi leges, etiam supra personam Papæ, & vsum potestatis eius.

¶ Hæc enim ex dictis & dicendis patet esse erronea. & dicentes hæc, nesciunt discernere, quòd præcepta quæ dantur de actibus iustitiæ iudicialis, intelliguntur tam in factis quàm in personis subiectis, & non alijs: & quòd ista præcepta non probant subiectionem talis facti vel talis personæ ad ecclesiam: sed de subiectis illi quæcunque & quicunque sint disponit. Ignorantiæ ergo est ex hoc textu subiectionem Papæ arguere. Et vt conuincantur isti, practicetur textus iste sic. Primò textus non magis loquitur de ecclesia vniuersali, quam particu-

lari puta Mediolanensi. Et hoc etiam conuincitur ex hoc quòd peccante in me fratre meo Mediolani, sufficit dicere ecclesiæ illi: & si illam non audierit, erit sicut ethnicus, &c. indistinctè ergo de ecclesia loquitur. Tũc vltrà cùm dicitur, Dic ecclesiæ, aut sumitur ecclesia communiter pro collectione fidelium quomodolibet. & hoc non: quia si non audiret totam collectionem Mediolanensium absque prælatis, non esset sicut ethnicus & publicanus, vt patet. Aut sumitur ecclesia pro collectione fidelium cum prælato: & si sic sumitur, ergo etiam ecclesia vniuersalis, cùm sibi dicendum est, non sumitur pro acephala, sed cùm capite qui est Papa. Ex hoc ipso ergo præcepto Domini intellecto proportionaliter de ecclesia vniuersali, Papa comprehendi ostenditur non sub appellatione fratris peccantis, sed ecclesiæ iudicantis: quia ecclesiæ cum capite, & non acephalæ dicendum mandat peccatum fratris peccantis. Rursus Papa non est deterioris conditionis respectu ecclesiæ suæ, quàm quilibet Episcopus respectu ecclesiæ suæ, sed Episcopus peccans in fratrem suum, non denunciatur ecclesiæ suæ acephalæ, sed ecclesiæ, id est prælato superiori, & sufficienter impletur mandatum Domini: ergo Papa non denuntiatur ecclesiæ catholicæ, cuius est Episcopus, acephalæ, sed superiori qui est Iesus Christus, clamando ad Deum: qui est paratus citò facere vindictam, clamantium ad se, multo magis quàm iudex terrestris, vt ipse testatur Luc. 18.

¶ Negandum est igitur, quòd ecclesia vniuersalis sit iudex ordinarius Papæ in puniendo, & consequenter quòd sit simpliciter & absolutè illius iudex, & consequenter, quòd quemcunq; legis actum possit super eum. An autem in aliquo euentu vel casu sit illius iudex inferius examinabitur.

¶ Repugnare quoque sacris canonibus, quòd ecclesia vniuersalis sit iudex Papæ in puniendo absolutè, manifestè patet: quia sic de quolibet peccato Papa in proximum posset denuntiari Papa, iudicari & puniri si fraternam admonitionem non audisset, contra capitulum si Papa, distinctione quadragesima, & capita multa, nona quæstione tertia, scilicet patet nemo aliorum facta, cuncta, & contra omnes canones Pontificum, scilicet Bonifacij, Nicolai, Innocentij, Simachi, Anterij & Gelasij. Et licet aliquod horum patiatur fortè glossam quòd loquitur de particulari iudice, & non de vniuersali ecclesia: multa tamen capitula omne iudicium citra diuinum excludunt, vt capitulum patet. vbi sunt de sede apostolica hæc verba, Cuius autoritatiuè maius non est iudicium. Similiter capitulum, aliorum. vbi sunt hæc verba, Aliorum causas hominum Deus voluit per homines terminare, sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio: vbi etiam Papa excludit, prosequendo obiectiones in contrarium. Est & contra extrauagantem Bonifacij octaui vnam sanctam. vbi diffiniens, inquit, Si deuiat terrena potestas, iudicatur à spirituali: si deuiat spiritualis, iudicatur minor à superiori: si verò suprema, à solo Deo, & non ab homine potest iudicari. Hæc ille. Et est contra multos Doctores in Theologia quidem (vt refert dominus Ioannes de Turre Cremata in libro secundo, de ecclesia, capite nonagesimoquarto,) Hugonem de sancto Victore, Albertum magnũ, sanctum Thomam, Alexandrum de Ales, sanctum Bonauenturam, Petrum de Tarantasio, Vlricum, Ricardum, Petrum de Palude, Herueum, Augustinum de Ancona, Alexandrum de Alpidio. In iure autem canonico Hostiensem, Ioannem Andream, Guidonem, Archidiaconum, Innocentium, & Auerroim.

¶ Ad vltimò allata ex sacris canonibus, ex eo quòd Papa non potest contra statuta Patrum, responsionem habeo diui Thomæ in tractatu contra impugnantes religionem, quòd intelligitur quo ad ea, quæ sunt iuris diuini vel naturæ. Ex hoc etiam habetur in glossa illius & præcedentis capituli, sunt quidam.

¶ Ad capitulum, primà salus eodem modo dicendum est, aduertendo quòd Patrum appellatione venit principaliter Papa, qui est pater Patrum.

¶ Quòd autem Ioannes Gerson affert contra summos Pontifices illud Gratiani, distinctione quarta, Leges instituuntur cùm promulgantur, firmantur autem cùm moribus vtentium comprobantur: quasi examen supremum legum sit, vnde firmantur: risu magis quàm responsione dignum est. Relinquitur igitur certum & indubiè tenendum, quòd Papa est supra vniuersalem ecclesiam, non solùm secundum singulas personas & ecclesias, sed secundum ipsam ecclesiæ communitatem, solum Deum superiorem habens.

CAPVT X.

De noua quadam fictione, qua imaginantur aliqui concilium esse supra Papam.

HACTENVS Simpliciter est disputatum & conclusum, quòd Papa habet potestatem super vniuersali ecclesia & concilio, vt caput, pastor, rector & director illius. Deinceps noua quædam imaginatio Ioannis Gerson in tractatu de Potestate ecclesiastica: & in tractatu de Auferibilitate sponsi seu Papæ, tractanda confutandáque est: quoniam periculosa est valde, & sanctæ matri ecclesiæ plurimùm nociua. Et vt melius obseruare se ab his omnes possint, recitanda est sua imaginatio.

¶ Ponit imprimis potestatem ecclesiasticam velut quoddam totum integrale distingui in suas partes integrales, Papatum, cardinalatum, patriarchatum, episcopatum, sacerdotiúmque, ecclesiámque integrari ex his ita vult, vt sublato non Papa, sed papatu, non sit ecclesia vniuersalis. Vúltque proinde in ecclesia & concilio vniuersali siue Papa sit, siue non, claudi autoritatem Papalem: quàm supremam potestatem ecclesiasticam & plenitudinem potestatis ecclesiasticæ, formaliter potestatiuè & originaliter reliquas continentem, & in solo Romano Pontifice formaliter & subiectiuè esse fatetur, à Iesu Christo Petro datam. Fatetur quoque ecclesiæ regimen à Iesu Christo institutum monarchicum: ita quòd hoc non nisi à solo Deo mutabile est, & monarcham esse Papam.

¶ Cum his quoque distinguit & bene, & potestatem ecclesiasticam tripliciter accipi. primò, secundum ipsam, vt papatum, secundum se. Secundò, secundum applicationem ad hanc vel illam personam, vt quòd papatus sit in Ioanne vel Martino. Tertiò, secundum executionem, vt quòd Papa faciat vel non faciat hoc vel illud. Et apposita altera distinctione de multiplici modo essendi in aliquo, vult quòd licet quælibet ecclesiastica potestas sit formaliter & subiectiuè tantùm in suppositis formaliter denominatis ab illa (puta papalis in Papa, Cardinalitia in Cardinali, episcopalis in Episcopo) nihilominus quælibet ecclesiastica potestas est in ecclesia vniuersali seu concilio vniuersali illam repræsentante tripliciter. Primò, sicut in fine: quia data est in ædificationem corporis Christi. Secundò, sicut in regulante applicationem ipsius ad personam. Tertiò, sicut in regulante vsum seu exequutionem potestatis in persona existentis. Et de primo ac secundo modo non esse dicit facultatem: de tertio autem similiter dicit, si consideretur quòd potestas papalis data est in ædificationem ecclesiæ. Et probat sic, Papa est peccabilis, & potest hac potestate in destructionem ecclesiæ abuti, similiter sacrum collegium Cardinalium non est in gratia vel fide confirmatum: ergo oportet vt aliqua sit reliqua inoblicabilis & indeuiabilis regula ab optimo legislatore Christo, secundum quàm possit abusus huiusmodi potestatis reprimi, dirigi, atque moderari. Hæc autem est ecclesia seu vniuersale concilium: ergo in ecclesia vniuersali est papatus, vt in regulatiuo exequutionis ipsius.

¶ Et confirmatur: quia cùm medium virtutis non habeatur nisi prout sapiens iudicabit, & Papa habeat potestatem in ædificationem, prout sapiens iudicabit, finalis resolutio huius iudicij fiet ad ecclesiam seu concilium, vbi est sapiẽtia indeuiabilis. Et hic, inquit, fundantur multa: vt quòd Papa iudicari potest & deponi per concilium, quòd concilio subijcitur quo ad vsum suæ potestatis: & sibi potest dici, Cur ita facis? & quòd in concilio est etiam potestas Papalis quarto modo, scilicet suppletiuè: quòd scilicet supplendo facere potest quicquid potest Papa: vt decreta & acta concilij Constantiensis testantur.

Universidad de Deusto Biblioteca

¶ Distinguit præterea potestatē Papæ in eam, quæ sibi à Iesu Christo tributa est in Petro, tanquam suo vicario & monarchæ, tam ordinis, quàm iurisdictionis in foro voluntario & inuito (& hanc vult esse supernaturalem) & in eam quæ conuenit Papæ ex iure naturæ & positiuo. Naturæ quidem: quia dictamen naturalis iuris vult, vt supremus in aliqua politia, gaudeat multis priuilegijs & honoribus super alios. Positiuo verò multiplici, & in proposito ipsius ecclesiæ seu generalium conciliorū, sicut communitas perfecta suo capiti dare potest. Et hāc vult esse autoritatem interpretandi dispensandíq; in statutis concilij generalis: prout occurrens necessitas vel euidens vtilitas postulat, vbi pro tunc recursus ad generale concilium non patet. Propter cuius distinctionis ignorantiā multam ortam putat ignorantiam in putantibus omnia posse Papam ex autoritate sibi à Christo tradita.

¶ Concilium igitur esse supra Papam, haberéque vim coactiuam super illum, posséq; illi leges imponere circa vsum potestatis, suspendere ab exequutione, & deponere cum culpa & sine culpa, infert. Comparare propterea, inquit, ecclesiam Papæ, nihil aliud est quàm comparare totum parti integrali, & quærere quid sit maius. Constat enim, quòd ecclesiæ seu concilij vniuersalis autoritas maior est autoritate Papæ in sex. Primò, in amplitudine vel extensione: secundò, in infallibili directione: tertiò, in morum reformatione in capite & in membris: quartò, in coactiua potestate: quintò, in causarum fidei difficilium vltimata decisione: sextò, quia copiosior: complectitur enim saltem virtualiter omnem potestatem & omne politicum regimen, papale, imperiale, regale, aristocraticum, & timocraticum.

¶ Confirmat dicta sua ex Apostolorum actibus pluribus: quia scilicet Iacobus non Petrus diffiniuit in concilio, Act. decimoquinto: & ibidem non Petri nomine, sed communitatis scribitur ad Antiochiam, Apostoli & seniores, &c. & miserunt Petrum & Ioannem tanquam subditos ecclesiæ. Act. octauo. & Petrus compulsus est rationem reddere de ingressu ad Centurionem, Act. vndecimo. Fundat autem super allatis prius ex Matthæi decimooctauo autoritatibus, Dic ecclesiæ, & Quæcunque ligaueritis super terram. & concilio Constantien. Et concludit quòd luce clarius ex principijs Theologiæ conclusa est subiectio Papæ ad concilium. Et vsque adeò progreditur, vt pestiferam perniciosissimámque doctrinam appellet, ponentem Papam supra concilium, aut saltem non imparem illi.

CAPVT XI.

Quod secluso Papa in Ecclesia non est papatus suppletiuè, & sicut in regulante vsum ipsius.

PRINCIPIVM Veritatis videndæ circa recitata à radice sumendo, declarabimus, primò, id super quod tota hæc consurgit fabrica: falsum esse scilicet, quòd secluso Papa, quomodolibet in ecclesia Dei sit Papatus, sicut in regulatiuo ipsius, quantum ad vsum & suppletiuè. Deinde ostenditur falsum esse, quòd Papa habeat aliquam potestatem ab ecclesia: sed omnia potest ex papatus autoritate. Et deinceps sigillatim omnia examinando determinabūtur manifestata prius veritate, circa potestatem applicandi potestates ecclesiasticas ad personas, an sit in ecclesia secluso Papa. Sic enim modò de ecclesia, vt distinguitur contra Papam, loquimur: & sic volumus intelligi dum de his sermo est. Si papatus igitur est sic in ecclesia cum ecclesia non habeat ipsum ex seipsa (vt aduersarius fatetur) oportet quòd datus sit ei à Deo. Et cum huiusmodi donata à Deo nesciamus nisi per reuelationem in sacra Scriptura, vel traditione Apostolorum, vel in sanctis doctoribus, aut determinatione apostolica contentam, aut per rationem ex principijs theologicis efficaciter probantem: si in nullo horum reuelatio hæc inuenitur, sed oppositum, si theologica ratio non conuincit, sed potius abducit ad hoc, sentiendum est oppositum. Et quidem quòd in sacra Scriptura donatio ista non reperitur, ex antedictis patet: autoritates enim sumptæ ex Matthæi decimooctauo, nihil dant nisi supra subiecta ecclesiæ indefinitè, vt prædeclaratum est. Vnde ex eis non potest huius vel illius subiectio probari: sed haberi quàm potestatem in subiecto habeat.

¶ Ex gestis verò ab Apostolis nihil tale habetur: quia Act. octauo licet Petrus & Ioannes sint missi, non tamen vt subiecti: Spiritus enim sanctus missus est à Filio iuxta illud Ioan. 16. Quem ego mittam vobis: & tamen non est subiectus. Malè theologus est, qui ex missum esse, infert subditū esse. Act. vero. 11. disceptatio eorū qui erant ex circuncisione aduersus Petrum, nullam superioritatē sed ambiguā æmulationem legis Moysi præ se fert. Et quòd illa disceptatio non ab Apostolis, sed conuersis Iudæis, & præcipuè Pharisæis fuerit, textus ille iunctus cum cap. 15 (vbi illi de hæresi Pharisæorum, dicebant legalia imponenda etiam gentilibus) insinuat. Et rursus reprehēsio non factis, sed verbis, subditis quādoque licita est aduersus prælatos, vt de Petro & Paulo apparet ad Gal. 2. & superius ex sancto Thoma ostendimus. Et item Gregorius vt habetur secunda, quæstione septima, cap. Petrus.) hoc soluit, quòd Petrus noluit vti autoritate sua. Act. vero. 15. non fuit concilium vniuersale nec Iacobus dedit sententiam, & ideo nihil facit ad propositū. Quòd non fuerit consilium vniuersale, patet ex hoc, quòd non fuerunt ibi nisi tres ex 12. Apostolis, vt ad Gal. 2. habetur scilicet Petrus, Iacobus & Ioannes. Quod enim narratur Act. 15. tunc fuit, quando Paulus post annos 14. ascendisse se Hierosolymam, ad Gal. 2. refert, vt glossa ordinaria dicit Act. 15. Quòd Iacobus sententiam non dederit, sed iudicium suum dixerit post Petrum loquens, ex eo patet quod subditur, Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni ecclesia eligere & mittere, &c. scribentes per manus ipsorū. Cōclusio ergo in qua stat procul dubio sententia diffinitiua, in cōmuni facta est, nō à Petro, nec Iacobo.

Et scito quòd quia solutio quæstionis petebatur non à Petro, sed ab Apostolis & presbyteris præsentibus (Hierosolymis) vt patet in eodem decimoquinto cap. ideo Petrus simplici apostolatu non papali autoritate visus, exhibuit se sicut vnum ex alijs in tali conuentu: & communi nomine Apostolorum appellatione contentus fuit. Et bene: quia omnia tempus habent: necdum autem erat tempus vtendi plenitudine potestatis suæ: sed statuto precipuè transitorio, quale fuit propositum à Iacobo, cum dicit, Ego iudico, id est, hoc est iudicium meum, &c. Aduenit postmodū tempus, quo Papa manifestauit suæ plenitudinem potestatis, vt patet legenti gesta Patrum & ecclesiæ. Quamuis & hic Petrus primus inueniatur & in electione Matthiæ & in condemnatione Ananiæ & Saphiræ & Simonis, & ex traditione successiua Apostolorum, Papam potius quàm concilium primatum obtinere animis vocibúsque Christianorum inhibitum est vsque ad cōcilium Constantiense, ad quod vsque tempus sancti doctores absque dubio hoc docuerunt. Nec concilium Constantiense, aut Basiliense oppositum determinare potuit: quia si Hieronymi solius autoritas innixa sacræ Scripturæ præualuit concilio (vt patet 30. q. 2. ca. triduo capitulo placuit) quanto magis tanta lucida nubes testium inductorum innixa sacræ Scripturæ apertè, vt monstratum est & monstrabitur, præualet congregationi Constantiensi, ante Martinum, & Basiliensi concilio? Omnia enim concilia per Romanæ sedis autoritatem robur acceperūt, & facta sunt, vt cap. significasti. de elec. allatum est. Quòd autem nec ratione ex theologicis principijs hoc habeatur, sed potius in hoc, quòd summus prouisor & legislator dominus Iesus Christus non reliquit ecclesiam dilectissimam sine sufficienti regula & indeliquabili in remedium concurrentium defectuum: sed Papa est peccabilis, ecclesia vero errare non potest: ergo. Hæc enim ratio ad hoc propositum non solùm non procedit ex principijs theologiæ, sed in hæresim adducit damnatam, pro fundamento enim sumitur, quòd ecclesia non potest errare, & Papa potest errare: aut loquūtur de errore personali in gratia gratum faciēte, aut de errore iudiciali, diffiniendo in quacūq; re ecclesiæ, vel in fide. Si loquūtur de errore personali in gratia, in hæresim incidunt damnatam: quòd potestas ecclesiastica fundatur super charitate, & tamen hoc modo contra seipsum oportet quòd intendat iste homo: quia expressè affert pro ratione, quia Papa est peccabilis: & sacrū collegiū et assistēs nō est cōfirmatū ī fide & gratia. Ex hoc ergo quòd apud ipsum ecclesia est firmata ī fide & gratia & propter ea inobliquabilis, oportet dicere quòd à Deo habeat regulatiuā potestatē vsus omnis ecclesiasticæ potestatis.

Et hoc quid aliud est dicere, quàm sequi hæresim illorum, qui, quoniā vbi sunt duo vel tres congregati in nomine Domini, in medio eorum est Dominus: ecclesiasticam potestatē in bonis Christianis ponunt? Amplius. Quis reuelauit huic homini, quòd prælatorum congregatio in cōcilio generali, secluso Papa, sit cōfirmata magis in fide & gratia personali, quā collegium Cardinalium? quare non possunt omnes illi esse in peccato mortali sicut isti? Præterea. Quamuis ecclesiæ sit promissa gratia personalis in aliquo supposito semper (iuxta illud Matth. vlti. Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi) quis hoc promisit prælatis istis sic congregatis magis, quàm collegio Cardinalium cum Papa? Quæcunque enim autoritas afferatur de congregatis, scilicet, Vbi duo vel tres, &c. &, Si duo ex vobis consenserint: & similia, non magis habet locum in illa acephala congregatione, quàm in ista nō acephala, quæ verè est in nomine Domini, saltem quo ad autoritatem. Nec potest dici, quòd hoc conueniat concilio dicto ex repræsentata ecclesia vniuersali: quia gratiæ personales repræsentati non transeunt in repræsentantem, vt patet inductiuè.

¶ Si verò loquuntur de errore in iudicialiter diffiniendo de re qualibet, constat & quòd Papa, quòd concilium simul cum Papa errare potest, malè iudicando de vno regno, quòd iste habet ius eius, & non alter, aut quòd ille Episcopus sit simoniacus, vt patet in cap. à nobis. de sent. excommunic. & in quol. San. Tho. vbi suprà. Si autem de iudicio fidei sit sermo, aut comparatur Papa & concilium secundum proprias naturas & vires: & sic tam Papa, quàm concilium potest errare: quia omnis homo mendax. Aut secundùm assistentiam diuinæ prouidentiæ: & sic falsum & erroneum est dicere quòd Papa possit errare: quia hoc esset dicere, quòd ecclesia tota potest errare in fide: quia ad ipsum pertinet determinare de fide, vt habetur de baptismo & eius effectu, capitu. maiores. & 24. q. 1. capitulis, à recta memor sum, &, quoties. Et quicquid determinatum est ab ipso de fide omnes Christi fideles sequi oportet, vt patet ex hoc, quòd hæreticus cēsetur, qui damnatæ ab Apostolica sede conclusioni in fide, adhæret pertinaciter: & ex hoc quòd qui aliter docet & sentit de fide & sacramentis ecclesiæ quàm Roma. ecclesia, hæreticus est, vt patet ex Sanct. Tho. in Secunda secundæ, quæstio. 1. artic. vlti. docente quòd ad summi Pontificis autoritatem pertinet, finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur. & in quæstio. 11. artic. 2. ad tertium. quòd contra Papæ autoritatem in materia fidei, nec Hiero nec Aug. nec aliquis sacrorum doctorum suam sententiam defendit, & ex cap. si Papa. distinct. 40. vbi dicitur, quòd ex ipso post dominum vniuersorum salus dependet: & per hoc infallibile Papæ iudicium, impletur illud Ioan. 14. quòd Spiritus sanctus docturus est nos omnia. Colligendo igitur rationis solutionem, dicitur quòd semper altera præmissarum est erronea. Si enim est sermo de obliquitate à gratia, illa vniuersalis est erronea, scilicet quòd obliquum oportet regulari in terra à recto: & est expressè damnata etiam à concilio Cōstantiensi sub Martino. Si autem est sermo de obliquitate à iudicio fidei, illa propositio est erronea: scilicet quòd Papa potest errare, & reliquum ecclesiæ non. Confirmantur hæc auctoritatibus suprà allatis. Et hæc responsio est ratio sumpta ex parte causæ materialis: ex hac enim habetur, quòd non magis communitas quàm vna persona in officio vicariatus Christi posita, quantum ad ea quæ sunt fidei, habet quòd sit subiectum seu materia assistentiæ diuinæ: cū non sit differentia apud Deum in multis aut paucis, vno vel pluribus saluare: imò ex quo monarchicum institutū est regimen, in vno solo constituta est potestas: vt Sanct. Tho. in 4. senten. distinct. 19. quæstio. 1. dicit. Ex quo patet, quòd voluntariè dicitur quòd Papa habet potestatem in ædificationem, prout sapiens, id est, concilium determinabat. In his enim quæ sunt fidei secundum diuinā sapientiam in Scripturis reuelatam & sibi assistentem, in directione autem morum secūdum prudentiam monasticam & politicam, quæ in principe est, ædificare ecclesiam debet. Et ad hæc multum adiuuatur ex concilio sanctorum Patrum & propterea cum veneratione à summus Pontificibus suscipiuntur: ostendunt siquidem statuta iter Papæ, quod sequi secundum Deum debet, quamuis cogere ipsum nequeant, vt ex prima secundæ Sanct. Thom. allatum est. Rationes autem quæ concernunt depositionem Papæ, inferius soluentur.

¶ Ex parte vero causæ formalis: quia Papatus est ex formali sua ratione suprema in ecclesia Dei potestas, vt ex antedictis habetur, & ipsemet fatetur. suprema autem potestate in ecclesia repugnant dari in ecclesia superiorem: quia iam non esset suprema in ecclesia: sed potestas in ecclesia: regulatiua papatus quò ad vsum est superior papatus: ergo in ecclesia Dei non est talis potestas, & consequenter non est in illa papatus, sicut in regulatiuo vsus illius. Prima propositio assumpta (vt dictum est) patet ex determinatione etiam concilij Constantiensis, sub Martino quinto: secunda autem est nota ex terminis: tertia autem, & probatur, & est ab eo confessa. Probatur quidem: quia cum par in parem non habeat imperium, & propterea vnus Papa non potest ligare manus alterius: oportet si ecclesia potest ligare manus Papæ constituendo leges coactiuas circa vsum papatus & suspendendo ab exequutione, quòd potestas ecclesiæ non sit par papatui: sed superior papatu. Confessa est autem ab hoc viro, quum loquens de dispensatione facta à Papa dicit, Tenet, &c. Hæc dispensatio si non contineat errorem apertum, aut nisi fuerit superiori lege prohibita, quòd dicitur propter statuta fieri possibilia circa Papalis vsum potestatis per generale concilium. Hæc ille.

¶ Et vt magis pateat horum fictio, aduertendū est quòd quemadmodum in adunatione omnium sensuum exteriorum in vnum subiectum non inueniretur aliquis vnus iudex præter singulas sensuum potestates, nisi sensus superior eis omnibus & communis omnibus coniungeretur (& propterea oportet ponere sensum communem, vt patet in secūdo de anima, vnicum & communem omniū sensibilium iudicem altiorem omnibus: quo vno vnum subiectum habens plures sensuum potestates iudicat) ita posito, sed non concesso quòd in ecclesia inuenirentur omnes potestates ecclesiasticæ, scilicet papatus, cardinalatus, &c si ex eis non resultaret: aut quomodolibet eis iungeretur vna alia potestas, nihil posset nisi quòd secundum singulas potestates papatus, cardinalatus, episcopatus, &c. posset. Perinde enim est (vt dicitur in secundo de anima) duabus potentijs iudicare, ac si duo iudices essent. Ex concursu igitur omnium potestatum in ecclesia vniuersali etiam cum Papa, non plus potest apud ipsas potestates tota ecclesia cum Papa, quàm possint singulæ potestates: ac per hoc cum papatus non possit ligare manus Papæ, nec tota ecclesia hoc potest nisi fingatur superior quædam potestas papatu: qua ecclesiæ communitas vtens iudicet de singularum potestatum actibus: & si hoc fingitur, contradicitur veritati & sibijpsi: qui ecclesiam ex papatu, cardinalatu, &c. componi vult.

¶ Ex causa demum finali probatur intentum quadrupliciter. Primò, quia incidit in Scyllam, cupiens vitare Charibdim. Si enim propter hunc finem, vt quilibet potens errare, habeat superiorem in terris, oportet hanc in ecclesia supra Papam potestatem ponere, quis corriget concilium ipsum potens errare? imò quod de facto errauit in decretis illis Constantiensi, & Basiliensi, & in multis alijs errare potest propter quod à concilio ad Papam conceditur appellatio, vt Sanct. Tho. in quæstio. de po. Dei quæstio. 10. art. 4. ad decimumtertium dicit. Et de concilio Basiliensi, quòd quamuis legitimè congregatum, errauerit notoriè, conuincitur ex ipsius verbis in secunda sessione, scilicet, Synodus Basiliensis, decernit & declarat, quòd ipsa pro hæresum extirpatione ac morum generali reformatione ecclesiæ in capite & in membris, necnon pace inter Christianos procuranda, in Spiritu sancto legitimè congregata per nullum quauis autoritate, etiam si papali dignitate profulgeat, dissolui, aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tempus prorogari debuit aut potuit, debet aut potest, debebit aut poterit in futurum, absque eiusdem synodi Basiliensis deliberatione & consensu. Hæc ibi. Vbi manifestissimè apparet, quòd etiam in his quæ sunt iuris positiui (qualia sunt tempus & locus concilij) determinauerunt non habere potestatem summū Pontificem, etiam antequam ipsa synodus congregata ibi tunc esset: quod tam erroneum est, vt argumentatione non egeat. Et hoc vnum ideo attuli, vt ostendatur & quod concilium ritè etiam congregatum autoritate Romani pontificis, ipso habente aut non consentiente decre

Universidad de Deusto Biblioteca

tis errare potest, & errauit: & vt ex hoc vno manifestè falso in principio concilij illius decreto, omnium decretorum illius autoritas quanta sit cognoscatur. Inquit enim Aug. quòd si vel minimum mendacium in sacra Scriptura admittitur, tota perit.

¶ Secundò, quia verus finis potestatis ecclesiasticæ scilicet, vnitas fidei, charitatis, & pacis, qua vna est ecclesia, & peruenitur ad patriam cælestem, melius causatur per vnum, quam per plures conuenientes in vnum.

¶ Tertiò, quia nimis derogat dignitati supernaturalis ordinis positio ista, quasi sicut Deus in naturalibus creauit hominem liberum, & reliquit eum in manu concilij sui, (quo fit vt communitas libera Regem constituat cū certis legibus tacitis vel expressis) sic disposuerit Christus in supernaturali regimine ecclesiæ, dando communitati potestatem supra principem. Longè quippe aliter est: nam supernaturalis regiminis firmitas non super humano consilio, sed super diuina assistentia supernaturali fundatur: ac per hoc ad infallibilitatem infallibiliter consequendā, ipsa supernaturalis regiminis resolutio respuit recursum ad potestatem communitatis.

¶ Quartò, quia cùm gratia perficiat naturam per modū eius, & diuina Sapientia disponat omnia suauiter, oportet vt Iesus Christus disponat regimen ecclesiæ suæ, vt viuus non vt defunctus: propter quod non ante mortem, sed post resurrectionem in æternum non moriturus, Petrum instituit non successorem, sed vicarium suum. Commune est autem omnibus principibus viuentibus vicarios instituentibus, vt potestatem Reip. super vicarium nō dent, sed sibi reseruent iudicandum. Dominus igitur Iesus Christus communitati ecclesiæ nō dedit potestatem super suo vicario: sed illi suam assistentiam nō defuturam aperiens, Lucæ. 22. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, ipsi confirmatione aliorum commisit subdens, Confirma fratres tuos. Et hæc ratio licet magis ex modo, quàm fine regiminis supernaturali ostendit tamen, quòd ad consequēdum ecclesiæ finem ex modo regiminis non cōuenit in ecclesia talem ponere potestatem. Quia ergo posita potestas ista in ecclesia supra Papam, regimini ecclesiæ per vicarium sub Iesu Christo viuente non consonat, & supernaturali resolutioni ecclesiastici iudicij derogat, & ad verum ecclesiæ finem inepta est, & intentū finem correctionis omniū errare potentium non assequitur: rationi formali papatus repugnat assistentiæ Christi ad Papæ iudicium in his, quæ sunt fidei obstat, & nulla autoritate autentica, aut ratione efficaci asseritur, tótque sanctorum testimonijs aduersatur: concludendum est quòd frustra, ignoranter, temerè atque impiè prædicatur, scribitur, & defenditur.

CAPVT XII.

Quòd secluso Papa, non sit in ecclesia potestas legislatiua.

QVONIAM Autem præter dictam potestatem duas alias in concilio locat secluso Papa, scilicet potestatem applicādi potestates ecclesiasticas ad personas & potestatem condendi interpretandique autoritatiuè leges, de his aliquantisper dicendum est. Autoritas ecclesiæ in condendis legibus conuenit ecclesiæ secundum istū ex hoc, quòd est cōmunitas perfecta. Vnde si quælibet communitas libera & perfecta potest condere leges, & ipsius solius autoritate possunt mutari conditæ ab ea leges: sic in ecclesia etiam oportet.

¶ Sed vt breuiter error istius pateat, omisso quòd ecclesia absque Papa non est communitas perfecta (quia sine capite) dicimus, quòd quia ecclesia vniuersa distincta cōtra Papam est communitas subiecta a Iesu Christo Papæ (vt patet ex autoritatibus inductis, testantibus ipsum esse pastorem, rectorem, episcopum, directorémque omniū Christianorum, & vniuersalis, seu catholicæ ecclesiæ) consequēs est quòd ecclesia, etsi possit ordinare per modum societatis cuiusdam, non tamē potest aliquid statuere, habens vim coactiuam, non solum circa actus Papæ, sed nec circa quēcunque Christianum, nisi ratione autoritatis prælatorum illius, si illi ad hoc concurrunt: & si fiat de facto, non valet, nisi autoritate Ro. pontificis implicitè vel explicitè roboretur. Vnde, S. Tho. (vt superius adductum est) inquit, Sancti patres in concilijs congregati nihil possunt statuere, nisi interueniente autoritate Ro. pontificis. Et, (vt prædictū est) rectè dixit, Sancti patres: quia multi patres ex sua temeritate possunt statuere, etiam ligando manus Pontifici summo. Et cōfirmatur hoc ex distinctione legis posita à sancto Tho. in Prima secundæ. q. 90. vbi in vltimo præterminatis concluditur, quòd lex est rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata. Ex hoc enim patet, quòd lex ecclesiæ nihil aliud est, quàm rationis ordinatio ad ecclesiæ cōmune bonum à Papa (qui curam habet communitatis ecclesiasticæ) promulgata: ac per hoc communitas ecclesiæ, cui sub ipsius cura non est relicta a Iesu Christo, sed commissa Papæ, non potest leges autoritatiuè facere. Et hoc cognoscentes sancti Patres a Papa robur decretorum suorum recognouerunt, vt etiam exorto hoc errore post electum Martinum Papam quintum: ipsa requisitio oratorum regis Poloniæ, quòd approbarentur decisa in materia fidei a Martino testatur, vt patet in sessione vltima. Et Basilienses multum institerunt apud Eugenium quartum, vt decreta Basiliensis concilij approbaret: & nunquam obtinuerunt, vt dominus Ioan. de turre cremata refert: & in gestis Basilien. concilij apparet.

¶ Amplius, Autoritas ecclesiæ determinatiua de his, quæ sunt fidei, principaliter residet in summo Ponti. & non solùm principaliter sed finaliter, ita quòd ad ipsum spectat finalis de fide determinatio: nec spectat concilium, sed concilij sententia a Papa confirmatur, & a concilio, ad Papā appellatur: vt sanctus Tho. in allatis locis, & Secunda secundæ, & quæstio. de potentia Dei: & cōtra errores Græcorum docet. ergo a fortiori ad Papam principaliter & finaliter spectat cætera statuere, & frustra a cōcilio ad eum appellaretur, nisi iustitiam posset supra concilium ministrare.

¶ Amplius, Consuetudo ecclesiæ habet, & habuit, vt Papa in omnibus quæ non sunt de iure naturæ aut diuino possit non solùm dispensare, sed mutare iura: non ergo ipse a concilio in interpretando dependet, sed econuerso. Et ex hoc patet quòd capitulum frequens, in concilio Constantiensi decretum: nisi apostolica autoritate firmatū sit, non habet certam vim obligatiuam: quoniā in sessione 39. ante electum Martinum factum est.

CAPVT XIII.

Quòd potestas applicatiua ecclesiasticæ potestatis ad personam, non est in ecclesia secluso Papa, nisi in casu.

DE AVTORITATE Autem applicatiua Papatus & aliarum ecclesiasticarum potestatum ad hanc personam vel illā, sciendū est quòd potestas ista regulariter & principaliter est in Papa, & nō nisi in casu in concilio seu ecclesia. Et in Papa quidem esse potestatem hanc quoad applicationem potestatum inferiorum papatu, patet tum ex gestis Apostolorum, dum singulos Episcopos per loca instituebant: tum ecclesiæ consuetudine, quę quotidie hæc à Papa faciente suscipit absque conscientiæ scrupulo: tum ex ratione officij sui: ad eundem namque spectat plena potestas supremi regiminis, & assumptio aliorum in partē solicitudinis, vt patet Exodi decimooctauo, vbi Moyses dux populi ex consilio Iethro elegit & constituit principes populi: & millenos, & centuriones, & decanos. Quo ad applicationem verò papatus, & ex gestis Beati Petri Apostoli, cum instituit Clementem Papam (vt habetur octaua quæstio. 1. si Petrus. ex autoritate Ioannis tertij, qui sedit anno Domini. 600. tempore Iustini Imperatoris) & ex continua obseruatione liquet. Papa namque instituit ad quos spectet electio, & mutat & limitat sic actum electionis, vt opposito modo fit irritus. In ecclesia autem seu concilio non esse hanc autoritatem secluso Papa, ex hoc patet, quòd tota ecclesia non potest autoritatiuè mutare legem factā à Papa: puta quòd electio nō spectet ad Cardinales veros & indubitatos quòd electus a minus quam duabus partibus Cardinalium, sit Papa, sed bene econuerso Papa posset statuere, quòd electus a minus quàm duabus partibus Cardinalium, sit Papa: & quòd electio spectaret ad tales & tot prælatos, & non ad hos qui vocantur Cardinales: quia eiusdem est destituere, cuius autoritatiuè est cōstituere in his quæ sunt iuris positiui. quale est, quòd electio spectet magis ad presbyteros & diaconos

nos talium ecclesiarum Romæ, qui vocantur Cardinales, quàm ad canonicos Lateranenses, & sancti Petri: magis ad episcopos Hostiensem, Sabinensem, Prænestinum, Tusculanensem, Albanensem & Portuēn. quàm ad alios episcopos. Hoc enim nec a diuino, nec a naturali iure esse constat. Si enim potestas ipsa applicatiua esset in ecclesia, secluso Papa, posset ecclesia mutare statuta Papæ, circa applicationem huiusmodi. Vnde secundum veritatem, concilium, secluso Papa, quia nihil potest nisi quod per singulas potestates in eo contentas potest, nec vnum quidem & illum minimum potest constituere Episcopum, si illi prælati ad quos spectat illum constituere, defuerint, Papa autem potest & eligere & constituere Episcopos vbique terrarum sua sola autoritate: quæ non sua, sed illius est, qui graditur in multitudine fortitudinis suæ.

¶ In casu autem permissionis (puta quia Papa nihil statuit in oppositum) & ambiguitatis (quia nescitur si aliquis est verus Cardinalis) & similium euentuum mortuo vel incerto Papa (vt tempore magni schismatis inchoati sub Vrbano sexto contigisse videtur) in ecclesia Dei esse potestatem applicatiuam papatus ad personam, seruatis debitis requisitionibus, ne perplexa sit, asserendum est. Et tunc per viam deuolutionis ad vniuersalem ecclesiam potestas hæc deuenire videtur, tanquam non existentibus electoribus determinatis à Papa ad repræsentandum illam in hoc actu pro bono ipsius ecclesiæ. Iam enim ostensum est, quòd ecclesiæ cura non sibijpsi, sed Petro a Christo cōmissa est: & propterea determinatio Petri ad exercendum electionis actum nomine ecclesiæ præualet tam determinationi quàm actui ipsius ecclesiæ, cuius nomine, sed non autoritate fit.

¶ Quid autem de potestate depositiua sentiendum sit, inferius tractabitur, Domino concedente. Hæc autem dicta sunt, vt pateat, concilium secluso Papa, nec regulatiuam vius papalis potestatis, nec legum conditiuam & interpretatiuam, nec applicatiuam omnis potestatis ecclesiasticæ ad personam potestatem autoritatiuè habere, sed omnia a Papa mendicare ipsum oportet.

¶ Et per hæc etiam satis clarum restat, quòd concilium non habet papalem potestatem suppletiuē. Et si cōtra hæc afferantur gesta in concilio Constantiensi, iam dictum est quòd propter incertitudinem Papæ & electorum in his quæ electionis actus exigebat, admitti potuit congregatio illa post vnionem trium obedientiarum. Veruntamē perfectum ac indubitatum concilium absque verò & indubitato Papa, & vno eorum contradicente, esse non potuit, propter quod illius acta non nisi sub Martino quinto autentica sunt, sub quo nihil gestum est à concilio sicut prius.

CAPVT XIIII.

In quo soluuntur rationes contra Papam, quòd ecclesia sit totum & autoritas eius maior in sex.

QVOD VERO Dicitur, quòd comparare ecclesiam Papæ, est comparare totum parti integrali, de potestatibus ecclesiasticis loquendo (quia de his est sermo) facillimum est soluere: imo sophisticum monstrare, nam sophisma est. Nam sicut vnitas est pars numeri, & senarius numerus est maior vnitate, quàm dualitate, ita papatus, qui est vnica potestas ecclesiastica, est pars totius numeri potestatis ecclesiasticæ. Et hoc modo potestas ecclesiæ est maior potestate Papæ, sicut totum parte. & hoc est dicere, quia sunt plures potestates quàm potestas Papæ: quod gratis conceditur. Sed ex hoc non sequitur, quòd potestas ecclesiæ sit maior, id est plus possit, quàm Papa: in quo sensu disputatur. Vnde puerile est, quòd ex distinctione potestatis ecclesiasticæ in papatum, cardinalatum, episcopatū, & cætera infertur, quòd quærere an ecclesia sit maior Papa, est quærere an totum sit maius parte integrali.

¶ Quod etiam dicitur quòd ecclesiæ autoritas est maior autoritate Papæ id falsum & erroneum est: quoniam si sumatur ecclesia vt distincta contra Papam, nullo modo est maior Papa, nisi amplitudine seu extensione numeri: quia Papa est vna potestas, illa multæ. Ex quo enim ostensum est, quòd papatus, secluso Papa, non est in ecclesia nisi potentia ministerialiter electiua (quia scilicet potest sede vacante Papam eligere per Cardinales, vel per seipsam in casu) & papatus est potestas suprema, ad quam spectat causas fidei determinare, & qui certus est, nō eget amplius certificari: erroneum est dicere, quòd vltima decisio fidei non ad Papam, sed ad cōcilium spectat: & tantò magis erroneum, quantò de concilio dicitur distincto contra Papam.

¶ Et quoniam sola diuina assistentia causa est inobliquabilis directionis & iudicij in ecclesia, & hic adest Papæ, & similiter papatus est potestas omnium aliarum potestatum, coactiuam vim habens, & omnem potestatē virtualiter continens: consequens est quòd autoritatiuè ecclesia non sit maior Papa: sed econtrario in cæteris quinque enumeratis capitulo 10. Et sic patet quanta cæcitate percussus fuerit iste Gerson, dicens quòd luce clarius ex principijs Theologiæ deducta erat conclusio ista, quam monstrauimus erroneam. Et rursus quàm præsumptuosus fuerit, appellando doctrinam Sanctorum, anno 140. approbatam, pestiferam & perniciosissimam. Nec excusatur nisi affectata fortè ignorantia ex declaratione Concilij Constantiensis in vna tantùm obedientia sub Ioanne 23. Papa dubio, profugo etiam & reclamante, vt dicitur.

CAPVT XV.

Opinio aliorum, quòd in ecclesia secluso Papa est autoritas congregandi generale concilium.

ET QVONIAM Inter singulares autoritates Ro. Ponti. potestas congregandi generale concilium computatur: & hanc aliqui putant alijs conuenire posse: idcirco in hac quoque concilium Papæ comparandum specialiter est.

¶ Est igitur nonnullorum opinio, quòd quamuis regulariter congregatio concilij spectat ad Papam (vt in capi. significasti. de elect. & distinctio. 17. per totum in decretis patet) in casu tamen aliquo congregari generale cōcilium potest, Papa non cōsentiente, ac etiam inuito. Fundant hoc super illo principio, scilicet, Regulæ generales patiuntur exceptiones, præsertim vbi casus particulares incidūt variabiles modis infinitis: quod probatur ex ἐπιεικείᾳ in Eth. & gnome in sexto Ethi. virtutibus positis ab Arist. ad has exceptiones. Ex his nanque oportet dicere, quòd quandocunque obseruatio legis dissiparet vnitatem, quæ est finis legis, & obesset Reipu. non esset in illo casu seruanda. Et propterea si Papa requisitus nollet necessariū congregare concilium, non est seruanda pro tūc lex, quòd ad ipsum spectat congregare, sed ipso inuito cōgregari potest. Explanat autem dictus Ioan. Gerson tres in specie casus, in quibus congregatio generalis concilij fit legitimè sine Papa. Primus est dum desijt esse: quod tripliciter accidere potest: scilicet vel per mortem naturalem, vel per mortem ciuilem: vt si cadat in perpetuam μανίαν, aut si ad eum casu priuatum non pateat accessus: vel per mortem canonicā, puta depositionem. Secundus est, dum sufficienter requisitus Papa de conuocando concilium, renuit contumaciter in perniciem ecclesiæ, præsertim si tangat ipsum. Tertius est, si concilium postquam a Papa est legitimè congregatum, statuat certum tempus & locum pro celebrādo generali concilio: puta intra quinquennium, vel de decennio in decennium, etiam vbi Papa renueret. De autoritate autem concilij sine Papa, dicit quòd fulcitur & vtitur autoritate primò Iesu Christi indefectibilis capitis ecclesiæ. Secundò legum suarum tam diuinæ, quàm naturalis: quæ hanc licentiam vel necessitati, vel manifestæ charitati, vel religiosæ pietati concedunt. pro quo facit autoritas Domini Marci 13. excusantis discipulos à violatione Sabbati, exemplo Dauid, propter necessitatem.

¶ Sunt & alij duo casus positi à Felino in ca. super literis, columna 10. in tit. de rescri. & ab Alex. in 17. dist. ca. synodum. Primus est in casu, quo Papa potest legitimè deponi: quia ex quo concilio contra Papam distincto inest potestas deponēdi Papā, oportet quòd possit seipsum dispersum congregare vt deponat, alioquin cum Papa deponendus nollet congregare conciliū, non posset deponi. Secundus est, cum dubia est electio facta de Papa: alioquin perplexa esset ecclesia, dum nesciret se habere Papam, & non posset obuiare. Et hoc modo consummata est congregatio concilij Constantiensis, Benedicto 13. nolente cōcilium autenticare, quantum sua intererat,

CAPVT XVI.

Quomodo verificetur, quòd concilium potest, aut non potest sine Papa congregari.

AD EVIDENTIAM Propositæ ambiguitatis scire oportet, quòd aliud est loqui de conuocatione & congregatione personarum, ex quibus constitui potest concilium: & aliud est loqui de conuocatione seu congregatione concilij. Primum enim significat solummodo congregationem ad simul esse quo ad locum, tempus, collationem mutuam & huiusmodi: secundum autem significat congregationē ad autoritatiuē disponendum de vniuersali ecclesia.

¶ Et si de primo fiat quæstio, dicendum est, quòd regulariter spectat ad Papam: sicut ad quemlibet principem spectat conuocatio Procerum regni sui: & si ipso inscio huiusmodi conuocatio fit: suspicio generatur coniurationis. Hoc tamen non sic spectat ad Papam: quin in multis casibus possit & sine ipso & contra ipsum fieri. Et secundū hunc sensum verificari potest dictum aliquorum, quòd concilium potest congregari sine Papa, & quòd Papæ potestas congregandi cōcilium introducta est de iure positiuo, vt in cap. vlti. dist. 17. Alex. dixit, pro quanto ad modum iuris positiui exceptiones patitur: & vana est quæstio de potestate sic congregandi, quando sunt vndecunque congregati Patres.

¶ Sed si de secundo modo congregandi fiat quæstio, distinguendum est, quòd duplex est concilium autoritatiuum: quoddam perfectum simpliciter: quoddam perfectum secundum præsentem statum ecclesiæ. Vocatur concilium perfectum simpliciter, quod constat ex capite & membris: quod potest simpliciter statuere & ordinare vniuersalem statum ecclesiæ. Vocatur concilium perfectum secundum præsentem statum, quod constat ex mēbris popularibus inuentis, ecclesia in tali statu existente: & potest quo ad aliquid tantùm de vniuersali ecclesia se impedire. Et vtrunque horum, licet habeat latitudinem: quia concilium perfectum simpliciter fit capite præsente personaliter. & hoc est perfectum in summo: de quo non est dubium quòd errare in his quæ sunt fidei, non potest. Quando autem fit per legatos, cum adhuc supersit Papa, ad quem finalis determinatio eorum quæ sunt fidei, & consequenter reliquarum causarum spectat, & à quo sententia concilij confirmatur, (vt patet ex dictis,) si erraret in aliquo, (vt de concilio Basiliensi patet,) habet correctorem Papam: sicut & illud habuit & habet. Concilium quoque perfectum secundum præsentem statum ecclesiæ pluribus modis contingit: quia & existente vno Papa hæretico deponendo, & existentibus pluribus pontificibus summis dubijs: quale fuit concilium Constantiense. Licet inquam latitudo sit in vtroque, quo ad congregationem: tamen sic se habent, quòd concilium perfectum simpliciter solus Papa potest congregare. Ita quòd nec mortuo, nec hæretico, nec quomodolibet aliter se habente Papa, potest concilium perfectum simpliciter absque Papæ consensu fieri: & si fiat, de facto nullius autoritatis est. Probatur hoc primò ex dictis: quia scilicet communitas ecclesiæ sine Papa non habet potestatem papalē, nisi in potentia electiua: vt ostensum est. Concilium autem perfectum simpliciter includit potestatem papalem in actu: ergo concilium hoc non est perfectum simpliciter. Secundò, Quia si communitas ecclesiæ absque Papa constitueret concilium perfectum simpliciter, cum ad tale concilium spectet ordinare simpliciter vniuersalem ecclesiam, & hoc sit proprium vicariatus Iesu Christi (vt patet) sequitur quòd communitas ecclesiæ esset vicaria Christi, & sic Iesus Christus haberet in terris duos vicarios suos: & Papa non esset vicarius Iesu Christi immediatè, sed esset vicarius vicarij, puta concilij acephali in terris: quod non solum est erroneum, sed fatuum.

Tertiò, Quia cum solus Papa ex cura vniuersalis ecclesiæ habeat potestatem determinandi de fide, ordinandi symbolum, & congregandi concilium (vt in quæstio. prædicta Sanct. Tho. probat ex ratione vnitatis fidei) sicut cura vniuersalis ecclesiæ ex iure diuino conuenit soli Papæ: ita hæc spectantia immediatè ad ipsam curam vniuersalis ecclesiæ. Et confirmatur hæc ratio ex doctrina eiusdem. S. Tho. in Primasecundæ. q. 100. arti. 8. Quia scilicet ea quæ sunt de iure diuino determinata ab ipso Deo, non solum in communi ratione iustitiæ, sed etiam quantū ad determinationem ad singulares actus, non sunt dispensabilia à prælatis ecclesiæ, sed à solo Deo. Verbi gratia, quia à Deo prohibita est simplex fornicatio: quod est commixtio non suæ, non potest fieri ab ecclesia, ꝙ coniunctio cū hac non sua sit quandoque licita, sed solus Deus hoc potest. Sed Deus in solo Petro & successoribus posuit curam vniuersalis ecclesiæ: & non reliquit ipsi ecclesiæ curam sui ipsius: & ad curam vniuersalis ecclesiæ spectat concilij congregatio & celebratio, vt patet ex eius officio principaliter: ergo solus Deus potest in hoc dispensare. Nec habet locū in hoc ἐπιείκεια aut gnome: quoniam expressè in 5. Ethi. dicitur, ꝙ est directio iustitię legalis, quam nos ius positiuum vocamus: ꝙ quia ab homine est non potente prouidere & prouidere singulis euentibus defectibile est in casu: & tūc gnome intellectu practico, & ἐπιείκεια in voluntate supplent: non interpretando ambigua, sed manifesta spectando & eligendo, vt S. Tho. in Secunda secundæ, q. 120. arti. 1. ad tertium, aperit. Non est ergo regula hæc, vt morales, grammaticales, ciuiles, aut canonicę: sed diuini iuris, a quo excipi nequit. Et sic intelligenda sunt quæ dicuntur in di. 17. & propterea dixit S. Tho. ꝙ sancti Patres nihil possunt in concilijs congregati statuere, nisi autoritate Ro. pontificis interueniente.

¶ Concilium perfectum secundum præsentem ecclesiæ statum potest congregari sine Papa, & eo inuito si requisitus non vult ipse illud congregare, sed non habet potestatem ad ordinandam vniuersalem ecclesiam, sed ad prouidendum illi casui tunc occurrenti. Et licet casus humani variabiles sint infinitis modis, puta si contingeret mori omnes electores Papæ, si contingeret tale quid (quòd electores non possent eligere sine conuocatione concilij, ad reprimendum, discernendum, vel pacificandum, &c.) omissis his & similibus duos tantum certos casus, & qui fuerunt quandoque & possunt esse, assero, in quibus concilium tale congregandum est. Primus est, si Papa propter hæresim est deponendus, tunc enim ex quo requisitus renuit, possunt Cardinales, potest Imperator, possunt Prælati congregationem vniuersalem facere, in qua erit non vniuersalis cura ecclesiæ, sed tantum depositiua potestas Papæ: & electio ad solos Cardinales (ad quos de iure ipso spectat) pertinebit. Probabitur hoc, cum de depositione Papæ inferius agetur. Secundus est, quando Papa vnus vel plures in certa electione laborant, vt contigisse dicitur in magno schismate Vrbani sexti, & aliorum. Tunc enim ne perplexa sit ecclesia, illa membra ecclesiæ quæ inueniuntur, potestatem habent iudicandi verum, si potest sciri: & si sciri nequit, prouidendi, quòd electores in vnum eorum vel alium conueniant: & si certi electores nescientur, cum electio ad ecclesiam deuoluta sit, ex ipso electorum defectu concilium sic imperfectum eliget, vt in concilio Constantiensi factum videtur in electione Martini quinti. In alijs autem recitatis casibus nulla necessitas apparet talis concilij, nam si non sanæ est mentis perpetuò, & hoc constat, alius eligi à Cardinalibus potest: quoniam mortuus est Papa vita rationali non solum in actu (vt dormiens, aut ebrius, aut phreneticus) sed in potentia naturali. Constat autem, quòd Papa eligitur in pastorem ecclesiæ secundum vitam rationalem: & propterea non est trepidandum timore, vbi non est timor. Et si dubium esset de sanitate recuperanda, expectandum est, sicut in diuturnis ægritudinibus. Posset quoque propter dubios euentus statuto Pontificis obuiari huic casui, si statueretur, quòd Papa insanus factus, tanto tempore expectetur: & si post, nullum vestigium sanitatis recuperandæ appareat, & à collegio medicorum iudicatus incurabilis fuerit, censeatur mortuus, & Apostolica sedes vacare. Ex quo namque quilibet sub ista lege pontificatum acceptaret, & eam non reuocaret, tacito consensu renuntiare, aut depositionem acceptare se profiteretur, adueniente tali casu: & sic si post electum alium Pontificem sanus fieret, Papatum repetere non posset, à quo semel ritè cecidisset. Ex eo autem quòd Papa captus esset, & non pateret accessus ad eum, alter non esset creandus. Petrus nanque seruabatur in carcere nullo patente accessu (vt patet ex Actibus Apostolorum) & tamen non est electus alter, sed oratio facta sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo, ipsum liberauit. Nunquid abbreuiata est manus Domini, aut statuendus est terminus Domino, intra quem debeat liberare Papam? vt fecit Ozias cum illis de Bethulia: & reprehensi à Iudith sunt, dicente, Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei: vt patet Iudith 7. & 8. Posset tamen in hoc & in præcedenti casu, pontificio statuto prouideri, quòd à Cardinalibus eligeretur vnus, qui vices Pontificis in omnibus & per omnia illo fatuo, aut isto incarcerato durante obtineret. Et tunc ille electus posset omnia facere in vtroque foro: sicut modo potest summus Pœnitentiarius in foro conscientiæ absoluere autoritate iuris, mortuo Pontifice, vel fatuo, vel detento.

¶ In casu autem, quo Papa non hæreticus certus & indubitatus, renuit requisitus congregare concilium, & statutum esset concilij generalis cum omnibus clausulis derogatorijs (vt Constantienses cœperunt, & Basilienses apposuerunt) nescio ad quid congregatio ista fieret: cum nihil posset facere, ꝙ renitens Papa non posset irritare. Pro erronea ergo habenda est omnis opinio, dicens cōcilium perfectum, id est habens autoritatem disponendi, & statuendi simpliciter de vniuersali ecclesia, posse absq; Ro. Ponti. autoritate celebrari seu congregari: quia derogat singulari priuilegio potestatis papalis: cōcesso sibi à Christo immediatè, vt patet ex dictis.

¶ Dicentibus autem, ꝙ quia concilium Constantien. in sessione 39. & post Basilien. in sessione 11. constituit cap. frequens, ideo etiam inuito Pontifice de decennio in decennium potest celebrari concilium, etiam perfectū, propter autoritatem statuti: respondendum est, quòd sunt in magno errore, & quòd in veritate schismati operam dant tales: & tanquam schismatici puniri possunt, si sic exequentur: quoniam rebelles sunt Romano Ponti. qui est supra totum ius positiuum, & constat quòd determinatio temporis & loci concilij de iure est positiuo. Et si doctores aliqui inueniuntur sentiētes, quòd quia tempus interpellat, & autoritas deuoluitur ad alios, et huiusmodi, aut sunt sectatores illius erroris, quòd cōcilium est supra Papam: aut loquuntur stante statuto in robore, ita quòd Papa nō vallat aut interpretetur, aut dispēset, aut prohibeat.

¶ Quo ad negationem verò consensus requisiti Papæ ad congregandum conciliū, quia tantū ponderatur, sciendum est, ꝙ oportet hic discretione vti: nam si requiritur à viris probis, quos præterita & perseuerans vitæ ac morum integritas commendat, & subest causa concilij (puta hæresis vel schisma.) debet Papa annuere, & nunq; credo ꝙ fuerit Papa, qui negauerit, sic rebus se habentibus. Si autem requiritur à viris, qui volunt alligare onera alijs & digito suo nolunt mouere ea, qui priscorum conciliorū statuta non seruant ambitiosis, insatiabilibus suarū passionum sectatoribus & huiusmodi pro reformatione ecclesiæ: nonne responsio Christi conuenit: Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo: & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui: præsertim ꝙ melius potest Papa solus reformare ecclesiam inchoando sponte à seipso & suis, quam per concilium: oportet enim primò seruare quæ scripta sunt, & deinde alia scribere statuta. Sufficiens quoq; est causa negandi consensum concilio, probabilis timor vsurpandæ autoritatis à concilio supra Papam, vt Basilienses mox ostenderunt bis, scilicet cum primum inchoatum est concilium, sessione 11. & cùm iterum redintegratum fuit ab Eugenio sessione 18. Finis enim concilij, est pax, quæ per istam vsurpationem perturbatur, vt experientia rerum magistra testatur.

¶ Ex his igitur patet, ꝙ inter extraneas opiniones de cōgregatione & celebratione concilij absq; Papæ cōsensu, media via sola vera est, quā declarauimus: scilicet, ꝙ concilium perfectum simpliciter, nunquam perfectum verò conciliū secundū præsentem ecclesiæ statum quandoque sine Papa, & contra ipsum cōgregari & celebrari potest. Et secundum hanc distinctionem potest diuersa, si vis, dicta doctorum saluare.

CAPVT XVII.

In quo incipiat comparatio potestatis ecclesiæ & Papæ in casu hæresis. Et primò de modo quo Papa propter crimen hæresis subijcitur concilio, secundum vnam opinionem.

POST COLLATAM Potestatem Papæ cum autoritate ecclesiæ & concilij generalis simpliciter & absolutè, & manifestationem superioritatis Papæ supra ecclesiam vniuersalem, & concilium vniuersale: consequenter comparāda est autoritas concilij ad Papam in casibus. Et primo in casu hæresis: deinde in casu incorrigibilitatis & alijs casibus, & demum in euentibus.

¶ Et quoniam innata est nobis via ex certioribus nobis in minus certa, supponamus cum doctoribus, & communi animi conceptione ex capi. si Papa distinctio. 40. quod Papa propter crimen hæresis potest deponi à concilio generali: & inuestigemus modum depositionis, & potestatem depositiuam: vt sic nosse possimus an Papa in aliquo casu sit subditus concilio seu ecclesiæ vniuersali.

DE MODO Quo papa propter crimen hæresis deponitur, varia est opinio. Quidam dicunt quòd hoc fit propter defectum subiecti. Subiectum nanque papatus dicunt esse hominem fidelem: ac per hoc sicut deficiente vita corporali per mortem, desinit subiectū papatus: ita deficiente fide in illo homine qui est Papa per hæresim, desinit subiectum papatus. Fundatur hæc opinio super hoc, quòd fides constituit viatorem in hoc quod est esse membrum ecclesiæ Christi. Huic enim adiuncta alia propositione, scilicet quòd negatio prioris inducit negationem posterioris in essentialiter ordinatis ordine causæ formalis (quæ patet inductiuè. si enim non est animal, nō est homo, & si nō est color, non est albedo, & sic de alijs) subiūgunt, sed esse membrum & esse caput, sunt sic essentialiter ordinata, quòd esse membrum est prius quam esse caput, vt patet, quia caput oportet esse membrū: sed nō ecōuerso. qđ igitur nō est mēbrū, nō est caput. Et sic homo carēs fide (qualis est hæreticus) nō est mēbrū ecclesiæ: igitur non est caput eiusdem, ac per hoc cum Papa nihil aliud sit, quam caput ecclesiæ, eo ipso quo fit sine fide, fit non Papa. Et hoc est, quòd sub alijs verbis ab alijs dicitur, quòd cum Papa sit hæreticus, ipso facto iure diuino, quo fit distinctio fidelium ab infidelibus, est priuatus papatu. Et quando per ecclesiam propterea deponitur, non iudicatur neque deponitur Papa, sed qui iam iudicatus est (quia non credit. secundum verbum Domini Ioan. 3.) & qui iam depositus est, dum propria voluntate translatus est extra corpus ecclesię factus infidelis, declaratur iudicatus & depositus. Primam autem propositionem radicem huius propositionis (quæ sola negari in hac ratione potest) fundāt super autoritatibus plurimis: quibusdam directè ex ratione fidei & ecclesiæ, quibusdam ex cōsequentibus ad esse extra fidem & ecclesiam id testantibus. Ex ratione fidei quatuor afferuntur autoritates. Prima Saluatoris, Matth. 16. Super hanc petram ædificabo ecclesiam: siue enim per Petram intelligatur Christus, siue Petrus, siue confessio fidei, in idem redit quo ad fidei rationem: ipsa enim semper inuenitur fundare ecclesiam.

Secunda est Abacuc 2. & Apostoli ad Rom. 1. Hebræ. 10. Iustus ex fide viuit. Sic autem viuere viuentibus est esse in naturalibus, ita in ecclesia viuere est esse in ea: bene viuere autem est per charitatem. Tertia est Apostoli ad Hebr. 11. Fides est sperandarum substantia rerū. Substantia enim primum locum tenet. Quarta ita est sancti Thom. in tertio sen. distinct. 13. quæst. 2. art. 2. expræssè dicentis, quòd homines infideles non pertinent ad vnionem corporis ecclesiæ, secundum quòd est vnum simpliciter, & ideo respectu horum Christus non est caput nisi in potentia, secundum quòd sunt vnibiles corpori.

¶ Ex rōne ecclesiæ affertur diffinitio ecclesiæ, scilicet ꝙ est collectio fideliū. de cōse. dis. 1. c. ecclesia. Ex cōsequentibus verò ad esse extra fidem & ecclesiā multę afferri possunt autoritates, dicentes, ad statū extra fidem & ecclesiā cōsequi extra communionē fideliū, sine clauibus, sine potestate, sine honore, sine officio pascendi, oues fieri & esse procul à cōmunione fideliū hæreticos faciunt: imprimis Dñs Numeri 16. Recedite, inquit, à tabernaculis impiorū Dathā scilicet, & Abirā, schismaticorū. cōstat enī omnes hæreticos esse schismaticos. Deinde Paulus Apostolus ad Gal. 1. Si Angelus de cœlo euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Et secūdum ad Thessalo. 3. Rogamus vos fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum doctrinam quam acceperunt. Et 2. ad Corint. 6. Nolite iugū ducere cum in-

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

fidelibus: quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? Demum Ioan. euangelista 2. Ioan. 2. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert; nolite eum recipere in domū nec Aue ei dixeritis. Amissionem clauium Ambrosius in Pasto. (& habetur de pœ. distin. 1. ca. verbum) explicat. Dominus par ius & soluendi esse voluit & ligandi, & subdit, Certum est quòd ecclesiæ vtrunque licet, hæresis vtrunq; non habet. Honoris verò & potestatis per additionem Cyprianus promulgat; vt habetur 7. q. 1. ca. Nouatianus. Qui nec vnitatem Spiritus nec communionē pacis obseruat, & se ab ecclesiæ vinculo atq; sacerdotū collegio separat, nec Episcopi potestatem potest habere nec honorem. Et 24. q. 1. ca, didicimus, dicit omnes omnino hæreticos & schismaticos nihil habere potestatis & iuris. Ad idem est Gelasius ibidem in cap. Agathius. Ad idē est expressè S. Thom. in Secunda secundæ. q. 39. arti. 3. volens quòd potestas spiritualis iurisdictionis non maneat in hæreticis nec quo ad vsum, nec quo ad substantiam; ita quòd si quid fecerint, nihil est actum. Officium pascendi oues adimit August. in sermone de pasto. tractās illud Canti. 1. Pasce hædos tuos, & dicens, Manenti Petro dicitur, Pasce oues meas: exeūti hæretico, pasce hædos tuos. Et hanc sententiam repetit in epistola ad Vincentium.

¶ Ex his omnibus clarè patet radicalis illa propositio, quòd fides facit membrum ecclesiæ. Si enim secluso iure positiuo (vt loquimur) cum perditione fidei remanerent membra in locis suis, non esset eis subtracta communio, nō honor, non potestas, non officium: vt de se patet. imò subtractio sola potestatis sufficit ad propositum, quia Papa sola potestate iurisdictionis constituitur. Confirmaturq; hæc positio, ex eo quòd Papa hæreticus est excommunicatus, vt patet ex glossa in c. Agathius. 24. q. dicente. Hic est casus, in quo Papa Papam ligare potest: in quo Papa in canonem latæ sententiæ incidit. Nec huic obuiat illa regula, quòd par parem soluere vel ligare non potest; quia si Papa est hæreticus, est minor quolibet catholico: vt habetur 12. q. 1. ca. audiuimus. Hoc idem Hugo dicit in c. inferior. distin. 21. Est etiam accusandus: adeò (vt glo. in ca. si Papa, distin. 40. dicit) quòd Papa non potest statuere, quòd non possit Papa accusari de hæresi, & est etiam iudicādus: vt in dicto c. si Papa habetur. Quæ omnia arguunt hæreticum non esse Papam, sed minorem. Et ad hoc est S. Thom. in quarto, distin. 19. q. 2. arti. 2. q. 3 ad primum; tractans illud ad Gal. 2. quomodo Paulus restitit in faciem Petro, dicit quòd non debent prælati à subditis coram multitudine corripi, nisi immineret periculum fidei: tunc enim prælatus minor fieret, si in infidelitatē laberetur, & subditus fidelis maior. Constat enim quòd non de maioritate et minoritate charitatis loqtur: (quia hoc est cōmune omni peccato mortali,) sed potestatis, quia prelatus preest subdito. ergo vt prius.

¶ Ex his autem infertur, quòd in vtroq; modo quo certus Papa viuēs desinit esse Papa, eadem est causa desitionis: scilicet propria voluntas illius qui est Papa. nam renunciando propria voluntate, abdicat à se, esse caput ecclesiæ: hæresim autem amplectendo, propria voluntate aufert à se esse membrum ecclesiæ, & consequenter esse caput. Et sic ex nullo certo modo desitionis Papæ viuentis habetur quòd Papa inuitus deponitur: propter quod remanere dicūt incōcussum, quòd Papa manens Papa, nō habet superiorem in terris potestatem.

CAPVT XVIII.

De modo, quo Papa hæreticus subijcitur concilio secundum aliam opinionem.

QVAMVIS Autem dicta positio illustriū sit virorū, & communis videatur esse: non placet tamen omnibus. contradicunt nāq; duobus ponentes duas propositiones. Prima est, quòd Papa hæreticus nō est ipso facto depositus, seu deponendus. Secūda est, quòd Papa hæreticus manens Papa, habet superiorem iudicem in terris, concilium vniuersale. Primam propositionem licet multipliciter probent, quatuor tamen solū afferentur, quia in his cōsistit vis. Primò ex facto Marcellini, & glo. di. 21. ca. nūc autem, qui idololatra non fuit depositus? & fuit sanctus. Et glo. affert Hug. dicentem, Quia paratus erat corrigi, non deponitur, vt 14. q. 5. dicit Apostolus. Secundò ex c. audiuimus. 24. q. 1. vbi dicitur de Episcopo hæretico. Si autem in corde suo nouam hæresim confinxit, ex quo tamen illa prædicare cœpit, neminē damnare potuit. Ante igitur quam prædicaret hæresim, damnare potuit: & sic nō erat depositus ipso facto. Tertiò, quia alij prælati non sunt ipso facto priuati, sed perseuerant in prælationibus suis, redeūtes ad pœnitentiam, ergo nec Papa, cum non sit deterioris conditionis. Assumptum patet 1. q. 7. maximum.

Quartò, quia (vt patet extra de hære. cum ex iniūcto) ad eundem pertinet institutio & destitutio: sed institutio Papæ pertinet ad electores: ergo & destitutio, absq; ergo iudicio electorum non destituitur Papa.

¶ Secundam autem propositionem, quòd Papa hæreticus, manens Papa habet iudicem in terris vniuersalem ecclesiam, probant quo ad primam partem sic, Papa hæreticus est accusandus & iudicandus secundū omnes, vt habetur dist. 40. si Papa, & non est ipso facto depositus, vt probatum est. ergo habet iudicem, coram quo accusetur, & a quo iudicetur. Quo ad secūdam ex eo quòd ecclesia vel vniuersalis seu vniuersale concilium est supra Papam in hoc casu, vt communiter tenetur.

CAPVT XIX.

Examen illius propositionis, Papa hæreticus, est ipso facto priuatus papatu.

PRAEMISSIS Duobus modis dicendi contrarijs, quomodo Papa hæreticus, desinit esse Papa, pa examināda primò occurrit illa propositio, quæ est fundamentum primi modi, An sit vera. Et breuiter facilè ostenditur, quòd est falsa simpliciter, quamuis fortè tracta ad aliquem sensum, sit vera. Monstratur igitur, quòd nec iure diuino, nec humano Papa hæreticus, est ipso facto priuatus: tali ratione, Alij Episcopi si sint hæretici, nō sunt ipso facto priuati iure diuino, aut humano: ergo nec Papa. Sequela patet: quia Papa non est deterioris conditionis, quam alij Episcopi. Assumptū probatur sic, Episcopus discredens contra fidem, solo actu interiori est verè, propriè & perfectè hæreticus, & nō est priuatus potestate iurisdictionis ipso facto; ergo perfectè hæreticus Episcopus non est priuatus ipso facto.

¶ In hoc processu sunt duæ propositiones. Prima, quòd solo actu interiori constituatur perfectè hæreticus. Et hæc est manifesta per se: quia hæresis est peccatum mortale oppositum fidei, quæ perfectè consistit in solo actu interiori, cuius effectus est cōfessio exterior; iuxta illud ad Romanos decimo. Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Secūda autem probatur: quia potestas iurisdictionis inest huic homini, qui est Episcopus ex simplici commissione hominis, vt S. Tho. expressè dicit in Secunda secundæ. q. 39. artic. 3. Ex hoc enim deducitur intentum sic, Episcopus hæreticus solo actu interiori, nulli hominis iudicio subditus, ex hoc est, quia solius dei est iudicare de interioribus puris: iuxta illud primi Reg. 16. Homo videt quæ foris sunt, Deus autem intuetur cor. Et primæ ad Corinthios quarto Apostolus dicit, Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum: & manifestabit consilia cordium. Propter quod talis hæreticus non est excommunicatus: non enim potest ecclesia excommunicare, quod non potest iudicare. Ergo multò minus est priuatus iurisdictionis potestate: quæ est ab hominis commissione: vtrunq; enim est humani iudicij, committere scilicet, & auferre illam. & dixi, multò minus, quia plus exigitur ad incurrendam priuationem ipso facto, quàm ad incurrendam excommunicationem: quoniam incursus censurarum non requirit declarationem, sicut incursus priuationis apud Iuristas.

¶ Ad hanc rationem non video responsionem, nisi dicatur quòd potestas iurisdictionis non est ab homine: quod est primò contra sanctum Thom. Est secundò contra sententiam omniū doctorum catholicorū, sentientiū, quòd à Petro omnis iurisdictio in totū residuū ecclesiæ corpus manauit & manat, iuxta illud Leonis Papæ. c. ita Dominus. distin. 19. Ita Dominus huius muneris sacramentum ad

omni

omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omniū summo principaliter collocaret: vt ab ipso quasi a quodā capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Ad hoc idem sunt auctoritates & rationes, quot sunt ad ostendendā vnitatem capitis & principis in ecclesia militante: propterea solo immoror, sed pro constanti supponere. Et si dicatur, quòd non est par ratio de Papa & alijs Episcopis in hoc casu: quia potestas iurisdictionis in alijs Episcopis est ab homine, in Papa verò est a Deo immediatè: & propterea meritò accidit, vt Episcopi, quorū potestas est ab homine, nō sint ipso facto priuati, (quia homo videt quæ foris sunt) & Papa, cuius potestas est a solo Deo, sit ipso facto priuatus: quia Deus intuetur cor. Hæc obiectio facilè excluditur, discernendo inter opus Dei, & opus hominis. Quòd enim in papatu sit potestas iurisdictionis, à Deo est immediatè: iuxta illud Matth. 16. Quodcunq; ligaueris super terram, &c. Quod autem papatus ipse habens hanc potestatē, sit in hoc homine, ab homine est (sola Petri persona excepta, quem Deus ipse Papam fecit, Ioan. vlti. Pasce oues meas) nam ab homine eligitur hic homo, vt in eo sit papatus. Et quoniam cūm deponitur Papa, non aufertur potestas iurisdictionis a papatu, quod esset auferre opus Dei, quoniam, vt dicitur ad Ro. 11. sine pœnitentia sunt dona Dei: sed aufertur potestas iurisdictionis ab hoc homine, in quo non fuit posita a Deo immediatè, sed mediante iudicio humano: ideo eadem ratio est de Papa & alijs Episcopis, quo ad perditionē potestatis iurisdictionis à Deo seu iure diuino. In vtrisque enim à Deo cum sit mediante iudicio humano consequēs est quòd non auferatur a Deo immediatè, sed mediāte humano iudicio: atq; per hoc non aufertur per id, quòd humano iudicio secundum se non subiacet, scilicet occultā in solo corde hæresim.

SI QVIS Autem hæsitaret de illa altera propositione, scilicet quòd de hæresi interiori, ecclesia non se potest impedire: propterea quia docti dicunt, quòd hæretici etiam occulti, sunt excommunicati: & quia in cle. de hæreticis cap. inquisitorum, excommunicantur inquisitores, qui odio vel amore omiserint procedere: vbi de interiori amore & odio ecclesia iudicat. Facillimè certior fieri potest, quòd hæretici vt sic, foro ecclesiastico subditi, quantūcunque occulti, sunt excommunicati, & non hæretici solo actu interiori. Vnde si quis incidit in hæresim interius, & solus secum loquendo verbo exteriori profert submissiùs firmē illam hæresim, est excommunicatus, quamuis sit omnino occultus: quia actus exterioris locutionis subiacet humano iudicio secundum se quamuis careat testibus. In clemen. autem illa & similibus, non iudicantur actus interiores secundum se, in sua puritate manētes, sed vt sunt causæ exteriorum commissionum aut omissionum: ad idem namq; genus pertinet commissio & omissio, sicut affirmatio & negatio: sermo autem noster est de hæresi omnino interiori puro. Et ex inaduertētia huius distinctionis, scilicet de occulto per se, & occulto per accidens multi in hac re errauerūt. Nec mirū: quia cōtingit in his quæ sunt per accidēs et sapiētes falli: vt Ari. dicit. Actus enī interiores puri sunt in genere occultorū per se, quia ex propria natura habent quòd sint iudicio humāno ignoti. Actus aūt exteriores sunt de genere occultorum per accidens, quia ex propria natura subsunt cognitiōi humanæ. Possunt nāq; sensibus percipi: sed ex hoc, quod fiunt sine teste occulta sunt. propter quod nunquam, (vt dictum est,) ab ecclesia actus interior purus, sed exteriori iunctus dicatur. Vnde, quia præsens ratio conuincit intellectū meum: ideo concludo, quòd illa propositio, Papa cum sit hæreticus ipso facto est iure diuino seu humano depositus, est falsa.

¶ Confirmatur autem sic esse vt dicimus, etiam ex ipsis contrarium sentientibus: quoniam dicunt, quòd Papa quamuis hæreticus, si est paratus corrigi, non deponitur: vt glos. in distinctio. 21. cap. nunc autem. adducit Hugo. Si enim hæreticus est ipso facto depositus iure diuino à papatu, quomodo iterum fit Papa? imò quomodo ex sola non depositione perseuerat Papa? imò quomodo non deponitur? Hæc enim contradicūt positioni anteriori, scilicet quòd sit ipso facto iure diuino depositus, vt patet. Nec sufficienter dicitur, quòd nō dum ecclesia non deponit, sed eligit: tum quia falsum est quòd depositio sit reelectio, vt patet: tum quia electores, ad quos spectat, si peteretur an velint ipsum reeligere, dicerent quòd non, aut quòd vellent meditari super hoc habet: sed non deponunt: quia ius videtur habere, quòd si est paratus corrigi, non deponatur: Vnde nihil tribuunt non deponendo, sed sustinent quod habet: & si nihil habet (vt positio illa dixit) nihil sustinent decepti. Et si quis hoc eorum dictum suscipiat vt verum, quòd Papa factus hæreticus, paratus postmodum corrigi, non deponitur, sequitur manifestè, quòd Papa manifestus hæreticus non est ipso facto depositus. quia enim paratus corrigi non deponitur, sequitur quòd non erat priùs depositus.

CAPVT 20.

Rationabilis sententia, quòd Papa factus hæreticus, subest potestati ministeriali ecclesiæ, & non autoritatiuæ super Papam.

PRAEMISSA Certitudine trium, (scilicet quòd Papa ex hoc quòd factus est hæreticus, non est ipso facto diuino, aut humano iure depositus: & quòd Papa manens Papa, non habet superiorem in terris. & quòd Papa si a fide deuiat, deponendus est: vt in cap. si Papa. 40. distin.) Magna restat ambiguitas, quomodo & a quo iudicabitur Papa deponendus, quòd sit depositus: cum iudex inquantum iudex, sit superior eo qui iudicatur. Vnde Apostolus ad Romanos 14. Tu, inquit, quis es, qui iudicas alienū seruum? domino suo stat aut cadit. & S. Tho. in Secunda secundæ. q. 67. determinat quòd iudex non potest nisi subditum iudicare, & in decret. distinct. 21. cap. inferior. idem dicitur. Si nanque a concilio vniuersali iudicandus deponendúsque est, statim sequitur quòd Papa manens Papa, habet concilium vniuersale supra se, saltem in casu hæresis. Si autem nec concilium nec ecclesia est supra ipsum, statim sequitur quòd Papa deuius a fide, sit iudicandus & deponendus: & tamen a nullo est iudicandus & deponēdus: quod est ridiculum. Quid ergo dicemus, vt euitemus vtrunq; extremum? non est quò diuertendum sit, nisi ad medium, quod difficilè attingitur: in cuius attinctione cōsistit virtus, quod multas consueuit soluere quæstiones.

¶ Dicamus igitur, quod hic sunt duæ viæ extremæ, & ambæ falsæ: altera est, quòd Papa factus hæreticus est ipso facto diuino iure absq; humano iudice depositus: altera est, quòd Papa manēs Papa, habet supra se in terris superiorē potestatem, a qua potest deponi. Media autem via est adhuc duplex: altera dicens, quòd Papa licet absolutè non habeat superiorem in terris ecclesiā, ipse tamē in casu hæresis habet superiorē in terris ecclesiā vniuersalem. Altera dicens, quòd Papa nec simpliciter, nec in casu habeat superiorem in terris, sed subest potestati ministeriali vniuersalis ecclesiæ quo ad solam depositionē. Prima via fundatur in virtute coactiua & iudicatiua ecclesiæ super Petrum papam in casu hæresis: oportet enim subditum esse, qui iudicatur, & cogi posse. & hæc est via comunis quantum vidi hactenus. Contra tamen hanc viam est: quia, cum Papa diuino iure sit supra concilium, & ecclesiam, (vt ostēsum est,) oportet, si in aliquo casu est illi subiectus, quòd ex diuino iure sit facta exceptio ista: nullum enim aliud inferius ius potest exceptionem hanc facere, vt patet. In diuino autem iure non exprimitur subiectio, sed separatio, cum casus hæresis excipitur, vt patet in singulis textibus sacræ Scripturæ inductis. Numeri. 16. dicitur, Recedite. Ad Galat. 1. Anathema, id est separatum, sit. Secundæ ad Thessalonicen. 3. Subtrahatis vos. Secundæ ad Corinthi. 6. Nolite iugum ducere. Secundæ Ioan. 2. Nolite recipere, nec ei Aue dixeritis. Ad Tit. 3. Deuita. Et breuiter nullibi inuenio superioritatem & inferioritatem in casu hæresis ex diuino iure, sed separationem. constat autē quòd separare se potest ecclesia a Papa sola ministeriali potestate, qua pōt ipsum eligere. Non igitur ex hoc, quòd diuino iure sancitum est, vt habeatur hæreticus, vitetur, & procul sit ab ecclesia, maiori potestate opus est quam ministeriali, ex quo ipsa sufficit, & cā constat esse in ecclesia. Et confirmatur hoc, quia non est iuri diuino tribuendum, quod nec expressum est in eo, nec ex expressis necessariò sequitur. Potestas autem supra Papam in casu hæresis, propriè loquendo, non habetur in diuino iure, nec ex ipso necessariò sequitur: ergo. Probatur minor: quòd enim non habeatur, puto patere legenti. Disco autem, puto: quoniam imminens schisma opusculum

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc intra duos menses fieri impulit ex improuiso. Quod verò non sequatur, patet ex eo, quòd quia non oportet multiplicare entia sine necessitate, melius est vnum principium, quàm plura facere, ex quo igitur potestas ministerialis sufficit, alia opus non est.

ERIT Ergo media & vera via, quòd Papa factus hæreticus & perseuerans, habet in terris potestatem non superiorem se, sed ministerialem ad sui depositionem.

¶ Ad cuius euidentiam altius ordiendo, tria præmittenda sunt. Primo, quòd in Papa inueniuntur tria: scilicet papatus, persona, quæ est Papa, puta Petrus, & coniunctio vtriusq; scilicet papatus in Petro, ex qua coniũctione resultat Petrus Papa. Secundò, quòd discernẽdo & applicando proprias causas suis proprijs effectibus, inuenimus, quòd papatus est à Deo immediatè, Petrus est à Patre suo, &c. coniunctio autem papatus in Petro post Petrum primùm à Christo immediatè institutum, nõ est à Deo, sed ab homine, vt patet: quia hoc fit per electionẽ hominum. Concurrit autem duplex consensus humanus ad causandum hunc effectum, scilicet eligentium & electi. oportet enim electores, voluntariè eligere, & personã electam acceptare electionem, alioquin nihil fit. Est ergo coniunctio papatus in Petro non à Deo immediatè, sed mediante ministerio humano, tam ex parte electorum, quàm ex parte electi: nec se habet huiusmodi ministerium humanum in causando hanc coniũctionem vt applicans actiuum passiuo, (vt applicãs ignem stipulæ) vel applicans virtutem passionis Christi subiecto, vt facit baptizans, & sacramenta ministrans: quoniam nullum est hic applicatum actiuum, sed sola voluntas humana electorũ & electi: non facile enim esset fingere aliquod aliud actiuum. Ex hoc autem, quòd coniunctio papatus cum Petro est effectus voluntatis humanæ: cùm ipsa constituat Petrum Papam, sequitur quòd licet Papa à solo Deo dependeat in esse & fieri, Petrus tamen Papa dependet etiã ab homine in fieri. Est enim Petrus Papa ab homine, dum ab hominibus electus ipse homo accepeat, & sic iungitur Petro Papatus. Tertiò, quòd quia iam nihil tam naturale est, vt vnaquæque res per quascunq; causas fit, per easdem contrario modo dissoluatur (vt dicitur in capitu. omnis, de regulis iuris) ideirco Petrus Papa, qui ex consensu suo & electorum causatus est ex consensibus eisdẽ, scilicet suo & electorum ad contrarium dissolui potest. Et hoc iam determinatũ est facto Celestini, & decretalis Bonifacij 8. in sexto, de renun. ca. primo.

EX HIS Tribus præmissis habetur primò absque omni hæsitatione certum, quòd Petrus Papa & in fieri & in corrumpi dependet à potestate humana, non superiori nec æquali potestati Papæ, sed minore: quia nec ad faciendum de Petro nõ Papa Petrum Papam, nec ad faciendum de Petro Papa Petrum non Papam, exigitur alia facultas, quàm voluntatis humanæ, scilicet electi & electorum. Nec sit curæ in proposito, vtrum bona vel mala conscientia ex bona vel mala intentione, vel causa moueantur: sat est in proposito quòd facta tenent, ita quòd in veritate Petrus sit aut non sit Papa. Quòd etiã ista potestas sit minor potestate Papæ, absq; alia probatione ex eo liquet, quòd mortuo Papa nullo etiam præsupposito statuto iuris positiui, ista potestas est in ecclesia: & non se extendit ad ea, ad quæ se extendit summi Pont. autoritas: alioquin essent duæ supremæ potestates in ecclesia, & Christus non instituisset ecclesiasticum regimen monarchicum. Et cum par in parem non habeat imperium, nõ potuissent Põtifices huic potestati executionis modũ imponere, per quos, quot scilicet, & quomodo debeat electio celebrari, cum irritatio actus, si secus factum fuerit. Hæc enim ostendunt potestatem hanc nec maiorem nec parem, sed inferiorẽ potestate Papæ: superioris nanq; virtutis est disponere de actu inferioris autoritatiuè, ita quòd si secus fiat nihil valeat, vt in proposito inuenitur. Habetur secundò certo certius, quòd aliud est posse supra coniũctionẽ Petri & papatus construendam, seu destruẽdam, & aliud est posse supra Papam: ex eo nãq; quòd potestas minor papatu, scilicet simplex voluntas electi & electorum potest construere & destruere hanc coniũctionem, & huiusmodi potestas, cùm sit minor papatu, nõ potest supra Papam, manifestè conuincitur, quòd aliud est posse supra illam coniunctionem & aliud est posse supra Papam. Vnde potestas supra Papam non inuenitur nisi in Domino Iesu Christo, potestas autem supra coniunctionem papatus & Petri inuenitur in terris. Et merito quia papatus opus Dei immediatè est, coniunctio autem papatus & Petri opus nostrum est.

¶ Nec mireris tu, qui philosophiam profiteris, quòd inueniatur potestas super coniunctionem formæ cum materia, quæ non est super formam, quia coniunctio formæ cum materia formam consequitur. Cessante admiratione tua, si cõtemplatus fueris, quòd coniunctio formæ & materiæ vtrinq; attingi potest, scilicet ex parte materiæ et ex parte formæ: & quòd potens super coniunctionem formæ, & materiæ ex parte vtriusq; seu ex parte formæ, potest etiã supra formam: sed potens super coniunctionem illam ex parte materiæ, non oportet quòd possit super formam, vt patet in generatione hominis. Sol enim & homo generant hominem, qui consistit in coniunctione corporis & animæ intellectiuæ, aut resultat ex illa coniunctione: & constat solem & hominem non posse supra animam intellectiuam, quæ venit de foris, sed supra coniunctionem illam ex parte corporis, quæ est materia. Sic enim accidit in proposito: nam papatus & Petrus se habent vt materia & forma: & solus dominus Iesus Christus potest supra per coniunctione eorum ex parte papatus, & consequenter vtriusque: & propterea solus potest limitare & ordinare potestatem Papæ. Ecclesia autem potest super coniunctionem eorum ex parte Petri solum: & propterea nihil potest super Papam, sed super coniunctionem tantum. Et quoniam amotio Papæ, siue per renuntiationem, siue per depositionem, siue per eiectionẽ non est corruptio papatus nec Petri, sed coniunctionis papatus & Petri, idcirco diligentissimè & cautissimè oportet pro regula habere ante mentis oculos cum de amotione Papæ tractatur, quòd non requiritur potestas superior Papa, sed superior coniunctione inter Petrum & papatum.

¶ Quod vt clarius pateat, scito, quòd certũ est quòd tribus modis potest Petrus Papa viuens amoueri à papatu. primò, per eiectionem à domino Iesu Christo: secũdò per renuntiationem spontaneam à seipso: tertiò per depositionem inuitam propter incorrigibilem hæresim ab ecclesia. In omnibus autem his modis non desinit papatus nec Petrus, sed sola coniunctio vtriusque, differenter tamen: quia in primo modo, scilicet per eiectionem a domino Iesu Christo coniunctio illa corrumpitur à potestate superiori non solum respectu coniunctionis, sed respectu papatus: est enim autoritas domini supra cõtinuationem illam etiam ex parte formæ. Et quia, (vt dictum est) nulla alia potestas est supra Papam, ac per hoc nulla alia potestas potest coniunctionem illam attingere ex parte formæ, consequens est, vt nulla alia potestas possit amouere Papam, vt potestas superior Papa: sed hoc est proprium Saluatoris nostri. Et hoc modo intelligendum est dictum Anacleti Papæ distinct. 79. ca. eiectionem, dicens, eiectionem summorũ Pontificũ sibi Dominus reseruauit. Differentia nanque inter Papam & alios Pontifices in hoc consistit, quòd alij Pontifices possunt eijci tanquam à potestate superiori ipsis potestatibus Pontificum: Papa autem non: quia in ecclesia terrestri inuenitur potestas supra potestatem iurisdictionalem Episcopi, non autem supra potestatem Papæ. Ex hoc enim habetur, quòd illorũ eiectionem Dominus concessit Papæ, concedendo potestatem superiorem: Papæ verò eiectionem sibi reseruauit, nulli concedendo potestatem superiorem papatu. Vnde si Papa Ioan. Episcopum de plenitudine potestatis eijceret, eiectus esset, nec haberet amplius potestatem iurisdictionis. Nulla autem potestas in ecclesia relicta est à Domino, quòd possit hoc facere in Petrum Papam. In secundo autem modo (scilicet per renuntiationem) & tertio scilicet per depositionem, coniunctio illa corrumpitur, non à potestate supra papatum, sed à potestate supra coniunctionem solam: quia nec voluntas Petri, nec voluntas ecclesiæ est supra papatum, & ex ipsis causatur coniunctio illa, & corrumpitur: vt patet. Quia ergo certum est Papam hæreticum incorrigibilem factũ nec esse ipso facto depositum, & esse deponendum ab ecclesia, & ecclesiam non habere potestatem supra papatum, & ecclesiam habere potestatem supra coniunctionem inter Petrum & papatum, vtpote opus suũ: oportet dicere, quòd cum Petrus Papa factus hæreticus, incorrigibilis, deponitur ab ecclesia, iudicatur & deponitur à potestate superiori, non papatu, sed coniunctione inter papatum & Petrum.

CAP.

CAPVT XXI.

Discussio prædictæ potestatis ministerialis depositiuæ Papæ hæretici.

QVAMVIS Autem ex certificatis habeãtur in ecclesia respectu coniunctionis inter Petrum & papatũ duo Posse (scilicet Posse coniunctionem talem construere & destruere pari consensu, & Posse coniunctionẽ eandem ipso hæretico incorrigibili, inuito destruere) non tamen liquet, quòd hæc duo Posse sint vnius & eiusdem potestatis. Quod tamen conclusum est in præcedenti ca. per viam diuisionis, propter identitatem obiecti: quia vtrumque est circa ipsam coniunctionem papatus & Petri.

¶ Nec solum obscurum est, sed falsum multipliciter apparet. Primò, ex ipsius potestatis natura: nam, quãdo vna causa totalis ex duabus partialibus constans, exigitur ad aliquem effectum, neutra illarum partialium sine altera sufficit ad talem effectum, vt patet in vinculo matrimonij. Quia enim ad vinculum matrimonij cõcurrunt duo, consensus, (scilicet viri & mulieris,) & causa totalis eius constat ex vtroque consensu: neuter sine altero sufficit ad causandum vinculum matrimonij in altero. In proposito autem ad coniunctionem Petri & papatus construẽdam vel destruendam concurrunt duo, consensus, scilicet electorum ex vna, & Petri electi ex alia parte, tanquàm causæ partiales, & vterque simul tanquàm causa totalis. ergo consensus alter tantùm non potest in talem effectum, scilicet dictam coniunctionem construendam vel dissoluendam. Et quia potestas depositiua Papæ inuiti propter hæresim incorrigibiliter, includit alterum consensum tantũ, sequitur quòd & ipsa non est idem quod illa potentia totalis, & quòd si est pars eius, non potest deponere: quod repugnat potentiæ depositiuæ. Malè ergo dictũ est, quòd potentia depositiua Papæ est illa potentia, quæ euidenter est in ecclesia super coniunctione dicta. Et cõfirmatur hac ratio: quia de quo magis videtur inesse & non inest, ergo nec de quo minus: magis autem videtur, quòd solus consensus Petri papæ possit se facere non Papam, quàm solus consensus aliorũ, quia potest renuntiare, sed hoc non potest Petrus solus: quia quantumcunque Petrus ipse renuntiet, semper est Papa, donec renuntiatio sua acceptetur: sicut econtrario quantumcunque Petrus sit electus, nunquàm est Papa, quousque electioni de se consentiat. Hæc enim ostendunt, quòd causa totalis tam constructiua quàm destructiua cõiunctionis Petri & papatus, quæ est in ecclesia minor papatu, non est ecclesiæ solius, aut Petri solius, sed vtriusque simul consensus: ac per hoc per hanc non potest inuitus Papa deponi quacunque ex causa: quia implicat contradictionem.

¶ Secundò apparet falsum ex modò exeundi in actum talis potestatis: quoniam Papa hæreticus, iudicãdus est: iuxta cap. si Papa. distinctio. 40. & doctores. Potestas autem ista minor papatu, non potest citare, compellere, & breuiter nõ habet vim coactiuam supra Petrum papam: repugnat ergo quòd sit potestas minor & quòd sit iudex, ex ipso modo: qa scilicet vi coactiua procedere posse debet.

¶ Tertiò apparet falsum ex subiectio etiam istius partialis consensus; quia cùm consensus istæ partialis ex parte ecclesiæ sit in electoribus Papæ, qui modò sunt soli Cardinales (ad quos spectat eligere, & renuntiationem accepare, vt patet in facto Celestini) sequeretur quòd apud eosdem solos resideret potestas depositiua Petri papæ facti hæretici: cuius oppositum communiter tenetur.

SED HORVM Solutio magis propositum confirmabit. Si nanque consensus electi & electorum in hac causanda coniunctione concurrerent, vt consensus viri & mulieris ad causanda vinculũ matrimonij, ratio procederet: quoniã vterque consensus habet se & partialis causa quasi efficiens vinculum matrimonij. In proposito autem isti duo consensus diuersimode concurrunt: nam consensus electorum se habet vt causa faciens illam coniunctionem: consensus autem electi se habet vt reddens subiectum capax illius cõiunctionis: non enim est capax nisi Christianus voluntarius. Sicut enim esse fidelem non est causa illius coniunctionis factiua: ita nec esse voluntarium ad illam. Et hoc patet in acquisitione aliarum iurisdictionum: cùm enim alicui imponitur aliqua prælatio, certum est quòd quousque ipse illã acceptet, non est prælatus; acceptatio tamen sua non facit in se prælationem, sed subiectum reddit capax prælationis: & sic actio imponentis fortitur effectum in subiecto capaci faciens iurisdictionem quæ propter dispositionem subiecti non poterat intentum facere in eo. Actus enim actiuorum fiunt in patiente disposito: vt dicitur in 2. de Anima. Consensu igitur electi concurrente, vt reddente subiectum capax coniunctionis cum papatu, restat vt consensus eligentiũ sit faciens coniunctionem illam. Ostẽsum est enim, quòd non est à Deo immediatè, sed mediante humano opere: quod est electio in subiecto disposito. Et sic ex hoc relinquitur, quòd potestas faciens vel quasi faciens hanc coniunctionem, est in electoribus, & non in electo vt sic. nemo enim sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Deo vt Aaron: vt dicitur ad Heb. 5.

¶ Ad confirmationem dicitur, quòd si Papa sola sua renunciatione absque acceptatione ecclesiæ non potest à se abdicare papatum: hoc magis cõfirmat propositũ, quod eius consensus non fuit inter causas facientes. Roma, autẽ quare acceptatio requiratur est, quia nemo potest renuntiare iuri alterius, quod habet in se. nullus enim qui ex pacto tenetur alicui soluere centũ, põt renuntiare huic vinculo absq; voluntate eius, cui tenetur, quamuis ab initio voluntariè se obligauerit. Papa autem acceptando papatum, obligat se ecclesiæ ad regimen ipsius. vnde iuri ecclesiæ, quòd habet in Petrum Papam, non potest ipse renuntiare inuita ecclesia, cui tenetur. Et cõfirmatur, quia papatus non coniungitur sibi ratione sui, sed ratione ecclesiæ, dicente Domini in creatione Petri primi Papæ, non aliud; quàm pasce oues meas. Vnde non est verum, quòd magis videatur de consensu solo electi quòd possit dissoluere (quoniam ipse non est causa efficiens etiam partialis illius coniunctionis, sed dispositio tantum subiecti.

¶ Ad secundum in quo pendet tota vis huius rei, dicitur quòd potestas ista minor papatu habet vim coactiuam, non super Petrum Papam, sed super coniunctionem papatus & Petri: nõ simpliciter, sed in casu hæresis, ita quòd potestas ista relata ad Papam, est ministerialis: relata ad cõiunctionem Petri & papatus in fieri vel dissoluti (subiecto existente disposito) est autoritatiua: ita quòd sententia diffinitiua ex hac autoritate procedens super coniunctione talis materiæ Petri hæretici cum papatu, dissoluit autoritatiuè coniunctionem illam. Sicut enim electio ecclesiæ autoritatiuè super coniunctionem non, super Papã coniungit Petrum dispositum, id est fidelem & voluntarium cum Papatu: ita talis sententia dissoluit: agit enim in materiam dispositam per hæresim. Exemplum horum habemus in naturalibus: cum homo generatur & corrumpitur ab agente non potente super animam hominis, sed super coniunctionem animæ & corporis ex parte materiæ. Et si quæratur quomodo præcedentia per sententiã depositiuam fiant, cum vsq; ad illam Petrus duret superior: posset dici quòd quia nec Deus nec natura deficit in necessarijs, quòd eadem autoritas extendit ad se omnia præambula. Quorum nullum video oportere esse coactiuum Petri Papæ, sed sufficit, quòd sint in timatiua: repræsentiua & huiusmodi. iudicium enim hoc nõ ex cõfessione sua extorta præceptis, cẽsuris aut tormento, sed ex euidenti facto vel verbo hæresis incorrigibiliter expectatur, quòd sine eius coactione fit. Si quis autem diceret, quòd non est inconueniens hanc minorem potestatem indirectè posse cogere Petrum ad præambula necessaria ad sententiam, non video quare erraret, cũ Petrus Papa hæreticus incorrigibilis, iã sit incorruptionis via: & Deus (cuius perfecta sunt opera) potestatem depositiuam in casu hæresis absq; necessarijs præambulis non dederit ecclesiæ, quæ nunquam deficit in necessarijs. Et hoc dico, si aliqua præambula coactiua ex necessitate iudicij essent necessaria: quòd Iuristis discutiendum relinquo. Bene tamẽ aduertant, quòd nõ loquor nisi de necessarijs ex necessitate huius iudicij, & non loquor de necessarijs ex occasionibus euentuum & aliorum extraneorum à ratione iudicij.

¶ Ad tertium dicitur, quòd potestas ista depositiua non est in Cardinalibus: quia in eis non est potestas super coniunctione Petri & papatus nisi limitate, scilicet tempore quo papatus vacat. In ecclesia autem vniuersali est potestas super cõiunctione ista absq; limitatione, si secluso iure positiuo loquimur. & ideo Cardinales nõ possunt deponere Papam hæreticum: sed hoc spectat ad vniuersalem ecclesiam. Posset tamen hæc potestas committi Dominis Cardinalibus à iure statuto Pontificis: sicut com-

Universidad de Deusto Biblioteca

missa est eis potestas eligendi, scilicet per viam determinationis: ꝙ ipsi repræsentarent vniuersalem ecclesiam, sicut in eligendo, ita & in deponendo quando deponendus est. Manifestum autē exemplo fieri potest, quod dictū est. si quis nāq; eps iturus in regionē longinquā instituat suū generalem vicariū cū plenissima autoritate, ordinans ꝙ si institutus vicarius moriatur, aut publicus blasphemus fiat, Canonici possint illum amouere, & aliū nominare in vicariū absq; alia cōfirmatione, &c. constat, ꝙ canonici nullā autoritatē super vicariū haberent, neq; simpliciter, neq; in hoc casu: sed super amotione eius in illo casu, quod est habere potestatē super coniunctione vicariatus cū persona in casu, &c. Eodē enim modo est in proposito nam pastor & episcopus animarum nostrarū Dominus Iesus Christus abijt in regionem longinquā accipere sibi regnū & reuerti: & instituit Petrum apostolum in suum generalem vicariū cum plenissima autoritate, ante ascensionem dicens ei, Pasce oues meas; & cùm effectu exhibens promissam sibi prius potestatem amplissimam, Tibi dabo claues: & quodcunq; ligaueris, &c. Et ordinauit vt si vnquam aliquis Petri successor hæreticus fiat, ecclesia eum possit amouere, & loco eius alium nominare. 40. di. ca. si Papa.

¶ Ex hac igitur concessa potestate patet: quòd ecclesia nihil potest super Papā absolutè, nec in casu hæresis propriè loquendo, pōt supra Papam, sed super coniunctionem papatus cum Petro, quam dissoluit amotio. Et sic clarè liquet, quòd potestas ecclesiæ est super coniunctione papatus & Petri in fieri & in corrumpi, subiecto existente disposito ad fieri per fidem & voluntatem, ad corrūpi verò per hæresim vel voluntatem: & cùm hoc potestas ista est minor papatu: & ideo non potest limitare eius potestatem. Et sic patet, quòd Papa nullam etiam in casu hæresis habet supra se potestatem: quod erat intentum.

CAPVT XXII.

In quo respondetur rationibus & autoritatibus allatis in ca. 17. ad probandum, quod Papa hæreticus, sit ipso facto depositus iure diuino.

QVAMVIS aūt ex determinatis manifesta sit rationabilis sentētia, ꝙ scilicet certus & indubitatus Papa nec simpliciter nec in casu hæresis est subditus, propriè loquendo cōcilio, aut ecclesiæ vniuersali, qa est adhuc Papa, sed in casu heresis cōnexio papatus cū persona ipsa subdita est determinatiōi ecclesiæ & cōcilij vniuersalis, ita ꝙ pōt deponi: oportet tū satisfacere rationibus & autoritatibus tot illustrium virorum tenentium, Papā ipso facto depositum, & propterea subditum concilio.

¶ Et quoniā vis principalis cōsistit in hoc, ꝙ fides, saltē informis, exigitur ad membrū Iesu Christi; ideo sciendū est, ꝙ baptismus, quo primū regeneramur, & pertinemus ad Iesu Christi corpus mysticū, ꝙ est ecclesia, tres q̄tum ad propositū spectat, facit in anima nostra effectus. primò imprimit caracterē indelebilē: secūdò fidē: tertiò charitatē. Et de tertio quidē effectu, scilicet charitate, manifestū est, ꝙ licet cōstituat membrū viuū Christi, non tamē exigitur ad habendā iurisdictionis, vel ordinis potestatē, oppositū enī spectat ad hæresim pauperū de Lugduno.

¶ De secūdo autē, (de quo tota est quæstio.) ꝙ non exigatur ad potestatē ordinis, etiā clarum est: qm̄ hæretici cōsecrant verū corpus Christi, & faciūt veros sacerdotes, si seruata forma & intētione ecclesiæ hoc faciāt. & ex hoc ipso inchoat splēdor veritatis: ꝙ scilicet licet fides informis cōstituat mēbrū Christi secdm quid, vt dixit in tertia par. S. Tho. q. 8. ar. 1. ad secūdū: quia tū latitudo datur in mēbris Christi secundū quid, etiā sine fide informi, ex solo charactere sacramēti fidei cōstituitur membrū Christi secundū quid, remotius à Christo: hæreticus enī nisi membrū secūdū quid Christi esset, nec corpus Christi, nec ministros cōsecraret, nec sacramentū cōfirmationis daret. Hæc enī à solis Christi mēbris nō quibuscūq; sed in magno sacerdotio, scilicet vel episcopatus gradu cōstitutis facta tenent &c. Altius quoq; contēplando videbimus, & ꝙ tanta est vis characteris baptismalis, vt etiā fides forma eius vices nō suppleat, vt patet ex hoc ꝙ presbyter nō baptizatus reordinatur: vt patet ex presbytero nō baptizato. cap. si quis presbyter. & ꝙ ipse character cōstituit membrum Christi dicente Inno. eo. tit. in ca. veniens. Non solū per sacramentū fidei, sed per fidē sacramenti efficitur quis proculdubio membrū Christi. Constat enī, ꝙ proprius & inseparabilis effectus sacramēti fidei (ꝙ constat esse baptisma) est solus character, vt patet, cū aliquis hæreticus baptizatur secundum formam & intentionem ecclesiæ: nihil enim aliud recipit quàm characterem.

¶ Et si altius adhuc mētis oculos eleuauerimus, intuebimur ꝙ habens solū fidei characterem, est simul & fidelis & infidelis: membrū Christi & ecclesiæ, & extra mēbra Christi & ecclesiæ, diuersis respectibus. & propterea a doctoribus diuersa & cōtraria de eo dicuntur. Habens nāq; solū characterē fidei, quantū est ex parte sua infidelis est, & extra mēbra Christi & ecclesiæ, quia voluntariè discedit: ex parte aūt Iesu Christi, qui characterē fidei semel datum indelebilem conseruat, est fidelis inuitus, & est membrū Christi & ecclesiæ velit nolit ipse: vtpote nō valens abdicare aut abijcere à se susceptū semel fidei characterē. Propter quod à diuo Tho. in Secūda secundæ, q. 10. artic. 3. ad tertium, cōputatur talis inter fideles, cùm dicitur, ꝙ pro adulterio grauius punitur fidelis q̄ infidelis propter sacramenta fidei, quibus est imbutus, quibus peccando contumeliā facit, & in eiusdē q. art. 5. numeratur inter infideles, dum ponit hæresim speciem infidelitatis. Differt autē habens solū characterem ab habente etiā fidem informem quo ad officiū membri Christi, quia habens characterem & fidē, suscipit influxum interiorem à Iesu Christo capite quo ad hunc actū vitalem, qui est credere: vt S. Tho. dicit in tertia par. q. 8. art. 3. ad secundū. Habens aūt characterē solum, non suscipit influxū alicuius actus vitalis interius, sed tantū quo ad exteriorē operationem, sicut brachio arido pōt quis vti ad alios percutiendo, vel mouendo aliquid extra. Quia ergo character fidei est primum in cōpositione mēbri Christi: quod patet ex hoc, ꝙ ipse a solo baptismo cū sit solus, est inseparabilis ab eo: ac per hoc proprius effectus baptismi, quo efficitur primò mēbra Christi & ecclesiæ: oportet ꝙ sit vltimū in resolutione mēbri Christi & ecclesiæ: & cōsequenter quandiu character manet, non desinit esse totaliter membrū Christi. Et quia nunquā desinet character, ideo semper erit intra latitudinē membrorū Christi, etiā cum abiectum totaliter est per dāmnationē in inferno. & per hoc differt à purè infidelibus dānatis: & magis cruciabitur, iuxta sententiā Apostoli ad Heb. 10. Et hæc ratio vltra tot allata testimonia, ex propria efficacia sufficit: quia secundū verā theologiā diuinā & humanā, attributū alicui causæ vt proprius effectus, intelligitur attribui ei secundū id quod illi causæ propriū est: vt patet in causis naturalibus, moralibus & ecclesiasticis inductiuè. periret enim aliter omnis certitudo moralis. Ex quo ergo attribuit baptismo vt proprius effectus, ꝙ faciat membrū Christi, oportet ꝙ intelligatur attributū ei secundū id quod huic sacramētali causæ, quæ est baptismus, est propriū, quo differt a cæteris. hoc aūt est pro quāto est causatiuus characteris fidei: hoc enī solus habet hoc solū primo & infallibiliter causat solis essentialibus requisitis ad sacramentū concurrentibus. Quia ergo Papa factus hæreticus licet amiserit fidē etiā informē: quia tū retinet sacramentū fidei etiā inuitus, quo cōstituitur primò quis in hoc quod est esse membrū Christi: ideo rationes & autoritates quæ fundātur super hoc, ꝙ fides saltē informis requiritur ad esse membrū Christi, non sunt efficaces ad inferendū ipsum nō esse membrū Christi: ac per hoc ipso facto iure diuino depositum: quāuis ex defectu fidei informis optimè inferatur, ꝙ ipse quātū est ex se, est extra latitudinē membrorū Christi: ac per hoc à mēbris Christi segregandus per depositionem ab officio capitis, & post per alias pœnas ab ecclesia puniendus, & demum curiæ seculari tradendus.

SIGILLATIM Ergo respondendo, autoritas in primis Dñi Io. 3. nō est ad propositū: quia loquitur de iudicio æternæ dānationis, in quo qui nō credit, iam iudicatus est: & ex parte Dei, quia nouit Dñs qui sunt eius, vt glo. ex Aug. sumpta exponit. & ex parte meritorum: quia habet in se causam æternę dānationis, vt Chris. dicit: & ex parte claræ condēnationis in vltimo iudicio absq; examine, vt Greg. explicat.

¶ Ad illud verò, Super hāc Petrā, id est fidē, dicitur ꝙ sacramentum fidei, quod remanet in hæretico, non est extrà fidē, sed primus lapis fidei ædificandæ in quolibet, et propterea illo solo remanēte lapide, super petrā fidei remanet ecclesiastica potestas in via ad ruinam, quo ad illud suppositum.

¶ Ad

¶ Ad id autē: ꝙ iustus ex fide viuit, si de fide informi admittatur, dicitur ꝙ sumitur viuere pro operatione vitali, & non pro esse: sicut sumitur cùm dicitur viuere viuentibus est esse.

¶ Ad diffinitionē fidei. Fides est substātia: ac per hoc primū dicitur ꝙ fideles habēt rationē primi sustētātis inter virtutes pertinētes ad fideles: & ideo dicitur substātia. Cū quo stat, ꝙ ipsū fidei sacrm prius sit ipso ordine gn̄atiōis.

¶ Ad autoritatē allatā ex tertio sen. S. Tho. dicitur, ꝙ doctrina. S. Tho. ibidē est malè intellecta, & est contra istos in proposito: nā ibidē appellatione infideliū non veniūt, nisi hi, qui nunq; actu fuerunt de ecclesia, vt patet ex hoc qd dicit, id est respectu horū Christus nō est caput nisi in potētia: secūdū. s. ꝙ sunt vnibiles corpori. Cōstat nāq; ꝙ respectu baptizatorū hæreticorū Christus est caput aliter, q̄ in potētia: qa est actu caput eorū secūdū sacramēta fidei: nō ergo appellatione infidelium ibi veniūt hæretici.

Appellatione quoq; fideliū peccatorū ibi veniūt hæretici, qui per fidei sacramentū in vno numero obiecto, fidei vnionē illā (q̄ vnionē simpliciter autor nominat:) retinēt vtcunq; velint nolint. Et hoc insinuatur ex hoc quod dicit, quòd velut membra arida possunt non in se, sed alijs sacramenta ministrando & docēdo: hæc enim omnia per hæreticos non inquantum tales, sed inquantum aliquid ipsius capitis participant, Christus facit.

¶ Ad diffinitionē ecclesiæ dicitur, ꝙ quia hæreticus ex se, ipso est infidelis: ideo simpliciter est infidelis & extra ecclesiam. Cūm hoc tū stat, ꝙ secūdū quid sit in ecclesia ad tēpus vt abijciendus. sic enim manet Papa hæreticus.

¶ Autoritates omnes testamēti noui & veteris prohibentes cōmunionē cū hæreticis, nō probāt ꝙ sit deposit' ipso facto, sed deponēdus vt nō cōmunicemus cū eo. sic enim sufficiēter satisfit præcepto huiusmodi. Si enim ipso facto vitādus præciperetur à Deo hæreticus, non dixisset Apostolus ad Titū, 3. ca. Hæreticū hominē post primā & secūdam correctionē deuita. Amissio clauiū apud hæreticos intelligitur quaten' hæretici sunt, & quo ad licitū vsum.

Honoris & potestatis iurisdictionalis perditio ipso facto intelligitur quātū est ex eorū parte, & iuris dispositione in his, qui subsunt iuri humano, & sunt in ecclesiæ foro hæretici. sic enim interpretāda sunt S. Tho. & aliorū in cōmuni loquentiū dicta. Tales enim soli sunt excōmunicati, & consequēter priuati ipso facto, saltē per suspēsionē potestatis iurisdictionis. si est crimē occultū, & declarādi priuati. Papa autē ex diuini & humani iuris dispositiōe: & hæresis propriæ exactione, est priuandus humano iudicio, à quo cōiunctus est papatus huic personæ, vt dictum est. Officiū quoq; pastorale ab hæreticis, inquātū hæretici sunt, Augu. adimit ipso facto: quia impossibile est, vt hæreticus, inquātum hæretici officiū exercet, pascat oues Christi. Possibile tū est, vt ille, qui est hæreticus, in seipso sit hæreticus, & oues Christi pascat, officiū Petri non hæretici exercēs. Sed quia periculosum hoc est valde, ideo abijciendus est ab officio pascendi oues Christi.

¶ Illud demū, quod ex gl. decreti affertur, ꝙ Papa cadēs in hæresim dānatam, incidit in excōmunicationē, falsum est. nā, cū omnis excōmunicatio, quæ est ecclesiastica censura: (de hac enim loquimur) sit à iure positiuo, & ius positiuū non habeat vim coactiuā in foro ecclesiastico supra Papā, & excōicatio coactionē importet in foro ecclesiastico: oportet dicere, ꝙ Papa in nullā incidere censurā potest. Et vsq; adeò docent hoc doctores, vt dicat S. Tho. in 4. sen. di. 19. q. 2. ar. 3. ad tertiū, ꝙ Papa non potest cōmittere alicui, ꝙ excōmunicet ipsum. Et in eadem sñia sunt Albertus Mag. & S. Bonauē. vt dñs Ioā. de T. Cre. de istis refert. Vnde audiēdi nō sunt illi, q omnia hæreticorū iura ad Papā hæreticū extendūt: dū Papa enim est, soli depositioni subijcitur: depositus autem subijcitur iuri sicut alij.

¶ Ad ꝓbationē autē (scilicet ꝙ si Papa fiat hæreticus, est minor quolibet catholico) sumptā ex ca. audiuimus. 24. q. 1. & S. Tho. dicendū est, ꝙ cū hoc nō possit intelligi de maioritate & minoritate meritorū seu charitatis: (quia extra propositū esset, & prælatus non solū per infidelitatē, (sed quodcūq; mortale crimen fit minor, (sic omni existēte in charitate) nec de minore & maiore secūdū iurisdictionem de facto perditā (quia secūdū illud prælatus cadens in hæresim fit minor: secūdū quòd quilibet catholicus est maior,) cū ista sint correlatiua. sed quilibet catholicus nō est maior secūdū iurisdictionē: nō enim ex hoc ꝙ Papa vel prælatus meus, sit hæreticus, ego vnus catholicus qui nihil habeā iurisdictionis, iurisdictionē acquiro super eum: et aut alios oportet sanè verba hæc intelligere & exponere. tantò diligētius, quantò super his verbis sanctus Thom magna fabrica exigitur, & dicitur quòd Papa est depositus ipso facto. dicendum est igitur aliter.

¶ Ad cuius euidentiam scito primò, ꝙ cùm maior & minor sint correlatiua, cōsequens est, ꝙ oportet proportionaliter minorē maiori referre, vt & in quo prælatus sit minor, subditus quilibet catholicus fiat maior.

¶ Scito secūdò, ꝙ cū sermō sit intelligendus secundū subiectā materiā, & ibidē sit sermo de correctione prælatorum à subditis, manifestè fit cōparatio inter prelatum & subditū: nō quo ad personas puras, sed considerato prælationis officio. Pōt igitur tripliciter dictū hoc verificari, Primò, vt intelligatur de maiore & minore simpliciter, & est sensus, ꝙ prælatus si labitur in infidelitatem fit minor simpliciter & absolutè, & qlibet subditus fidelis maior simpliciter & absolutè. Et hoc est verū: quia quilibet catholicus, absolutè, & sine limitatione aliqua loquēdo, est in ecclesia Dei maior infideli. cum quo tū stat, ꝙ prælatus donec deponatur aut declaretur, sit maior secundū quid, scilicet secundū potestatē iurisdictionis tam propè mortē. Secūdò (& sequitur ex hoc iam dicto) pōt intelligi, ꝙ etiā quo ad potestatē iurisdictionis prælatus infidelis est minor, & subditus fidelis maior, quantum est ex se, quia infidelis quantum est ex se, extra membra Christi est: ac per hoc quantum ex ipso pendet, inhabilis ad potestatem iurisdictionis spiritualis. fidelis autem quilibet ex ipsa spontanea fidei dispositus, est habilis ad potestatem spiritualis iurisdictionis in ecclesia Christi. Et sic prælatus ob infidelitatem fit minor secundū potestatē iurisdictiōis, quātū est ex se, & catholicus subditus maior. Tertiò. (& sequitur ex dicta expositione) pōt intelligi de maiore & minore in officio defendendi fidē, ex eo nāq; ꝙ prælatus à fide deuiat, & subditus permanet in fide minor, fit ille in officio executiuè defendēdi fidē: et subditus fidelis ecōtrà maior fit in officio fidei defendendæ. Et hoc totū simul iunctū satisfacit literæ decreti & intētioni S. Tho. & cōcordat cū dictis suis alibi. Accusandū deniq; esse & iudicandū Petrū papā hæreticum, nihil aliud cōcludit, nisi ꝙ iudicē habet superiorem: non Papa (vt isti putāt) sed cōiunctionē papatus & Petri in casu hæresis: & conceditur conciliū esse iudicem in tali casu. Et per hoc patet solutio allatorum etiam in ca. 18. pro quanto contra determinationem præsentem militant.

¶ Vnum tantū superest, declarandū, an scilicet sola hæresis sufficiat, an exigatur etiam incorrigibilitas seu perseuerantia obstinata in hæresi ad hoc, vt deponatur Papa, ꝙ sequens ca. declarabit.

CAPVT XXIII.

Quomodo cum Papa in hæresim lapso parato corrigi, agendū sit.

AD ABSOLVENDVM demū totā hanc difficultatē de potestate cōcilij ad depositionē Papæ in casu hæresis, scire conuenit ꝙ duæ sunt hîc extremæ opiniones. Altera ꝙ Papa propter crimen hæresis etiā cōfessum non pōt deponi. Et fundatur hæc opinio primò super facto Marcellini, & responsione Episcoporū, vt patet in 21. di. ca. nunc aūt. & sunt verba Nicolai Papæ. Cū enī idololatriæ crimen incurrisset Papā, congregatū conciliū videns eum compunctū corde, dixit, Tu teipsum iudica, prima sedes nō iudicabitur à quoq;, & sic non depositus martir effectus est postmodū. Secundò super glo. in dicto ca. & in ca. si Papa. di. 40. & multis doctoribus. Tertiò super ratione; quia cū hæreticus nomē sit vitij, & Papa hæreticus sit deponendus, tandiu deponendus venit quādiu hæreticus seu à fide deuius est: ac per hoc si pœnitet eū sui delicti, nō est amplius hæreticus, aut à fide deuius, & consequēter nō subiacet amplius pœnæ depositionis. Et firmatur hæc ratio super dictis Gratiani in Decretis 36. q. 1. de matrimonio inter raptorē & raptam, vt patet ibi in ca. nullus. Quartò, super autoritate Apostoli ad Titū 3. hæreticū hominē post vnā & secundā correctionē deuitam. Si enim deuitatio non sequitur crimen hæresis, sed secundā correctionē, à fortiori nec depositio.

¶ Altera opinio est, ꝙ Papa propter crimen hæresis pōt deponi. Et hæc fundat super hoc, ꝙ reus est & obnoxius

Universidad de Deusto Biblioteca

pœnæ criminis quicūq; crimen illud admisit, etiā si non perseueret in illo, vt patet inductiuè. Qui em̃ semel homicidium cōmisit, reus est pœnæ homicidij: & simile est de adulterio, simonia, furto, blasphemia, periurio: & sic de alijs. sed Papa propter hæresis crimen pœnæ depositionis reus est, vt cōiter doctores ex c. si Papa. 40. di. moti dicūt. Nō ergo exigitur pseuerātia in hæresi, sed sicut si pro adulterio deponēdus foret, sufficeret ipsum adulteriū cōmisisse: ita quia pro deuiatione à fide deponēdus dicitur, sufficit q hæresim incurrerit. Et cōfirmatur, qa alij prælati puta Epi ex hoc solo, q dānatā incurrūt hæresim, in foro ecclesiæ sunt ipso facto excōicati, & possunt declarari priuati, cōstito de crimine. Et cōfirmat iterū, qa si Papa paratus corrigi non pōt deponi, cùm centies in veritate possit relabi & resurgere: sequeretur quòd centies relapsus, paratus tamen corrigi, non posset deponi: quod est fatuum.

LICET aūt hæ duæ opiniones cōtrariæ videantur, ad mediū tñ expositæ discordes nō inueniūtur. Vnde media rationabilisq; sentētia est, q Papa hæretic⁹ post duas monitiones deponēdus est, ipso Paulo apostolo hoc diffiniēte ad Titū 3. Hæreticū hominē post vnā et secūdā correctionē deuita. Et rōnem quare nō amplius sustinendus est assignās, subdit, Sciēs, qa subuersus est, q eiusmodi est. Vbi glo. interlinearis in verbo, Subuersus, exponit, Perditus, & in verbo, Eiusmodi, exponit, Incorrigibilis. Et est intētio literæ, q qa iudiciū humanū datur secundū id, qđ vt in pluribus inuenitur & secūdū cōmunē cursum, qui ab ea, quā vera spōte professus est, fide declinat primò, & post vnā correctionē secūdò, & post secundā correctionē tertiò, abijciēdus tanq̃ incorrigibilis cēsetur, idcirco Papa hæreticus post primā & secundā monitionē delinquēs in fide, deuitādus est depositione. Non em̃ possunt fideles euitare Papā manentē cū ex eo post Dñm Iesum omniū salus depēdeat: vt dicit 40. di. si Papa. Quia ergo Apostolus hæreticū hominē post duas correctiones delinquētē in fide, nō sustinendū, sed deuitandū pcepit: cōsequens est primò, q quātumcūq; Papa hereticus post duas correctiones relapsus, paratus sit corrigi, nō solū pōt, sed debet deponi. Et meritò, ne in infinitū ptrahatur humanū iudiciū, sed limitē aliquo terminetur. Rationabilis aūt terminus est statutus trinus error cū trina monitione, prima: in professione fidei, & duabus post deuiationē subiūctis, ita q tertius error tres monitiones cōtēpsit. sicut hæretici relapsi post professionē, excōmunicationē & adiurationē, nō amplius admittūtur ab ecclesia. Consequēs secūdò est, q ante correctiōes nō est deponēdus Papa hæreticus, qui propter hæresim nō est excōicatus, sed excōicādus depositione. Et propterea in eo ad literā seruandū est præceptū Apostoli de publici correctione: q in alijs inferioribus propter adiunctā excōicationē latæ sentētiæ quā tulit ecclesia cōtra hæreticos, nō seruatur. Alij em̃, qa excōicati sunt post, ab ecclesia statim euitātur. Papa autē, quia excōicatus nō est, sicut nec excōmunicati erāt hōies hæretici tēpore Pauli apostoli, sed excōicandi, post duas correctiones deuitādus est. Duplex em̃ correctio à Paulo concessa nō abstulit ptātē ab humano iuri rigorosius pcedendi cōtra hæreticos subiectos humano iuri, sicut cōcedēdo ius diuinū matrimoniū cū sorore cōsobrina, non ademit potestatē ecclesiæ inhibēdi tale coniugiū, sed ostēdit quid secluso humano iure seruandū est. Propter qđ, quia Papa vt patebit, solo diuino iure iudicādus, deponēdusq; venit, qa illi soli subiectus est, ideo in eo solo apostolica regula seruāda remāsit, cæteris propter hæresim ab ecclesia excōicatis. Nec obstat dictis, si dicatur q hæretici etiā tēpore Pauli erāt excōicati ab ipso, ad Gal. 1. Cū em̃ sentētia illa se extēdat ad superiores, scilicet Angelos de cælo, & cōstet: q nullus superiorē, sub quacūq; cōditione excōicare pōt: cōsequēs est, q nō fuit excōicatio, sed denūtiatio, q à Deo anathema fieret quicunq; etiam Angelus de cælo, si contra Euangelium Christi prædicaret. Et hoc est denunciare separatū esse à Deo, & dignū excōicatione ecclesiæ quo ad homines. Et cōfirmatur ex S. Th. ibidē dicente, q sententia illa ab Apostolo data est autoritate euāgelicę doctrinæ promulgata Ioan. 10. ca. Sermo quem sum locutus, ille iudicabit eum in nouissimo die. Constat nanque quòd excommunicandos ab ecclesia non excommunicatos ab eadem cōstituit sermo diuinus contradicens sibi.

AD RATIONES igitur primæ opinionis, vnico verbo dicitur, q Papa post secūdā correctionē deuius à fide, nō admittitur vt paratus corrigi apud humanū iudiciū, sed tāq; incorrigibilis heretic⁹ cēsetur. Quāq; apud Deū semp possit corrigi, et fortè in veritate sit correctus.

¶ Ad rōnes aūt alterius opinionis dicitur, q vbi est speciale ius, nō oportet ex cōmuni procedere iure. In hac aūt causa est speciale ius Apostoli, & satis rōni cōsonū, & stylo ecclesiæ in excōicādis personis, præsertim in persona tā excellētis dignitatis. De alijs aūt Episcopis iā reddita est ratio dissimilitudinis, qa scilicet non sunt in illo statu, in quo erant tempore Apostoli propter superuenientem ecclesiæ excōmunicationem, quā redditi sunt statim vitādi. & propterea possunt declarari priuati: propter tñ dignitatē eorum & fragilitatē humanam vnica correctio declarationem si præcederet, misericordia æquitatis esset. Faciūt ad prædicta quæ scripsit diuus Tho. in Secunda secūdæ, q. 11. art. 1. & 4. de receptione hæreticorum ab ecclesia.

CAPVT XXIIII.

Opinio, quòd Papa propter incorrigibilitatem in quocunque notorio crimine scandalizante ecclesiam, subijciatur concilij potestati: ita quòd possit ab eo deponi.

EXPEDITA relatione Papæ in casu hæresis ad conciliū, oportet in alijs extra hæresim casibus decernere, si Papa subest potestati depositiuæ cōcilij in alio casu, q̃ in casu hæresis. Et nūc quidē verè casus, qui peccata sunt, tractādi sunt, postmodū de euentuū casibus sermo erit. Et igitur nōnullorū opinio, q Papa extra casum hæresis deponi à generali cōcilio pōt. Probatúrq; hoc ex septē capitibus. Primò, ex rōne criminis Papa pōt deponi pro hæresis crimine: ergo & pro aliquo alio. Probatur seqla. tñ primò, qa aut hoc est singulare in heresi rōne grauitatis: & hoc nō, qa odiū Dei est grauius peccatum hæresi: vt patet in Secūda secūdæ S. Th. q. 3. ar. 2. Aut rōne dāni ecclesiæ: & hoc nō, qa plus nocet ecclesiæ Papa oīa beneficia vendēs, prauos extollēs, bonos deprimēs, tyrannidē exercēs, vitiorū lux, blasphemiæ, auaritiæ, &c. notoriè plenus, q̃ si pertinaciter sentiēs, q Spiritus sanctus nō procedat à filio, rectè aliàs viuat, & hanc hæresim solus teneat. Tū secūdò, qa in sacra Scriptura nō inuenitur specifice expressum, q Papa possit deponi magis pro hæresi, q̃ alio crimine: relictū est ergo interpretationi doctorū & canonū. Et sicut Bonifacius papa & martyr expressit casum hæresis. di. 40. si Papa: ita pōt casus incorrigibilis notorij & scādalizātis ecclesiā criminis, excipi: vt glo. ibidē sentit. Tū tertiò, qa q pōt in maius, pōt in minus: vt dicitur in ca. ex parte, extra de decimis. sed cōciliū pōt iudicare Papam de maiori crimine, puta hæresis: ergo de minore, scilicet simonia notoria. &c.

¶ Secundò, ex parte abusus potestatis. cōstat nāq; q gladius de manu furiosi pōt & debet auferri: inuasor & occisor corporū detineri, & pertinax in proposito in custodiā poni, quātò magis sæpiēs in perditionē animarū Papa gladio papalis potestatis abutēs, illo priuādus est tāq; phreneticus & ebrius, suarū passionū cōmotione actus. Cogit em̃ alios malefacere suo exēplo, & Apostolus testatur ad Gal. 2. dicēs ad Petrū, Cogis Gētes iudaizare: glo. cōuersationis exēplo. Et cōfirmatur, qa si Papa vellet mulierē opprimere, vel occidere, posset & repelli & persecuti & occidi, cū moderamine inculpatæ tutelæ: à fortiori si opprimit ecclesiā, si occidit animas, resistendum primò: & si opus est occidendus depositione est. Et confirmatur hoc ex ratione finis potestatis acceptę: quia scilicet ad ædificationem est, & non in destructionem.

¶ Tertiò, ex parte obligationis ipsius Papæ. tenetur em̃ Papa ad purgationē sui cū infamis de crimine scādaloso, vt patet de Damaso accusato de adulterio: teste Hiero. de viris illu. & de Sixto, Leone & Symmacho. secūda, qōne septima. Et probatur rōne, qa tenetur pascere oues suas: & cōstat q scandalū depascit oues. Purgationi aūt subiectus si deficit, iudicandus est. igitur Papa pōt ab ecclesia de alio crimine, q̃ de hæresi iudicari. Et cōfirmatur autoritate Greg. in ca. si qs. secūda quæstione septima, dicentis, Si quis super hoc nos redarguere voluerit, vel extrā autoritatē facere nos cōtenderit, veniat ad sedē apostolicā, vt ibi ante confessionē beati Petri mecū iustè disceptet, quatenus vnus ibi ex nobis suscipiat sententiam suā. Nec hoc inqt, Gerson ex humilitate, sed ex debito Grego. fecit.

¶ Quartò, ex parte ecclesiæ: qa sicut Papa spōsus pōt dare libellū repudij ecclesiæ suæ spōsæ, renuntiādo papatui: ita ecōuerso, cùm nō debeant quo ad hoc impari iure censeri: & potior adducitur ratio pro ipsa contra sponsum: vel quia prostituere eam quærit quantū in se est, vel tyrānide sæua laniādo eam, vel placitādo, bona sua dissipando, vel quia abuti conatur ea in perniciem filiorū. Et confirmatur hoc: quia ad communitatem totam spectāt principis correctio, vel destitutio, apud Arist. in 5. Politicorum si inemendabilis perseueret. Et hæc potestas inauferibilis vel inabdicabilis est à communitate libera: quantò magis hoc habebit ecclesia?

¶ Quintò, ex parte diuinæ prouidentiæ. Cùm enim Dei perfecta sint opera, & ecclesia opus ipsius immediatè sit (multò magis q synagoga, cui tamē dicit, Quid vltra tibi debui facere, & non feci? Esa. 5.) oportet ecclesiæ regimini, & corpori perfectè prouisum esse. Cōstat autē, q pfectum nō est corpus, quod non potest putrida à se mēbra abijcere, vel sanare, sed cū totius dāno euidēter emergēte oportet sustinere. Et similiter nō est perfectè dispositū regimē, quod nō potest cōe bonū & necessariū conseruare, abijciēdo manifestè & notoriè cōmune bonū vsurpātes, diripientes &c. Hæc enim omnia Papa notoriè scandalizans, simonia, luxuria, blasphemijs, tyrānide, pmotione indignorū, &c. manifestè facit cōtra bonū charitatis cōmune ecclesiæ militantis, & triumphantis bonum.

¶ Sextò, ex parte decretorū & gestorū cōcilij Cōstātien. & Basilien. In cōcilio nāq; Constantiē. depositus fuit Io. 23. quē ipsi tenebāt vt verū Papam, & Benedictus 13. de consensu suæ obediētiæ. In cōcilio quoq; Basilien. depositus fuit Euge. 4. & creatus Fœlix, Stephanus, Christophorus, Benedictus, Greg. 6. Io. 12. Et cōfirmatur locus iste autoritate multorū doctorū sentientiū idē quod concilia ista: vt patet de glo. in ca. si Papa. di. 40. & sequacibus.

¶ Septimò, ex parte naturæ iudicij humani, scilicet secūdum allegata & pbata vel præsumpta iudicantis. Quo fit, vt rōne præsumptæ hæresis Papa nō hæreticus, pter cōtumaciam: iuxta ca. cùm cōtumacia, de hære. lib. 6. Vel per mansionē excōmunicatione per annū deficiente purgatione, iuxta ca. excōmunicamus, extra de here. Vel dum timore mortis actus hæreticales exterius tantùm fecit: vt de Marcellino dicitur vel simili timore verba hæreticalia absq; intētione protulit: vel si per falsos testes cōuincitur hæreticus relapsus: vel dum suā excusationem in causa fidei probare non potuit. Ex his & similibus creditur, Papam in casibus pluribus incorrigibilibus subesse iudicio concilij generalis, sic vt possit ab ipso deponi.

CAPVT XXV.

Discussio & determinatio, ad quam legem spectet determinare casus, in quibus iudicio concilij subest Papa.

DICTAE AVTEM Opinioni cōmunis sentētia doctorū Theologorū & Canonistarū antiquorū obuiat, tenens, q si sit catholicus Papa non iudicatur à quocunq; iudice in terris, iuxta ca. si Papa. 40. dist. & ca. oues. 2. q. 7. Et, quoniā hincinde multū disputatur, oportet primò videre in quo cōsistit hæc difficultas, vnde scilicet quæstionis veritas pēdet: quo ignorato veritas huius latet, & quo cognito veritas liquet. Nisi enim hoc sciatur, continget quidem aliquem verum assequi, sed nescire se verum assecutum.

¶ Sciendum est igitur, q tota difficultas pendet ex hoc. An iure diuino vel humano Papa in casu criminis, quodcunq; sit illud, deponēdus sit potestate ecclesiæ seu concilij. Si enim lex diuina exigitur ad faciēdam exceptionem hanc, scilicet q in casu criminis hæresis possit ab ecclesia deponi, lex quoque diuina exigitur, statuens q propter tale crimen, puta notoriū, scādalizans & pertinax deponi possit. Et si solùm ius humanum sufficit ad statuēdum, q Papa in casu hæresis est deponendus, solùm quoque ius humanum sat est ad statuendum, quòd Papa propter notorium crimen deponatur.

¶ Dicētes, quòd ius diuinum exigitur, fundant se super hoc, q licet Petrus potestate ministeriali ecclesiæ sit iunctus papatui, factus iam Papa diuina lege est supra ecclesiam & concilium: ac per hoc nulla inferiori lege potest subijci, (nec simpliciter nec in casu) concilio aut ecclesiæ, sed sola diuina lege. Et quia lex diuina in solo casu hæresis subdidit illum potestati ecclesiæ ministeriali, vel alijs placet autoritatiuæ: ideo in solo hoc casu iudicari deponique potest. Quod enim casus hæresis inueniatur exceptus in lege diuina, patet ex multis inductis textibus sacræ Scripturæ, expressè separationē ab hæretico quocūq; indicentibus. Quòd autē solus sit exceptus, patet ex sententia Saluatoris, Matt. 23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunq; dixerint facite, secundū autem opera eorum nolite facere. vbi Dominus apertè statuit subditos debere audire Prelatos malæ vitæ, & bonæ doctrinæ. Constat autē q doctrina ad fidem spectat: vita autem & opera ad malos mores aliorum criminum. secundū igitur sententiam Domini Laudiendi sunt fideles prælati, quamuis mali. Confirmatur quoque eadem sentētia à Petro apostolo in prima Epistola 2. ca. Obedite præpositis vestris, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.

¶ Dicentes aūt q ius diuinum nō exigitur, sed Deus relinqt hoc in manu cōsilij humani, sicut et multa alia, fundāt se super hoc, q opus purè humanū, secūdū se nec bonū nec malū moraliter, subiacet plenariè legi humanæ: cōiunctio autē inter Petrū & papatū est opus purè humanū, quandoq; bonū, quandoq; malū. ergo subiacet plenariè legi humanæ: ac per hoc lex humana disponere pōt de illa coniunctione, q quando est bona, perseueret, quando mala, dissoluatur. Dixi, Opus purè humanum, ad differentiam operationum sacramentaliū, quæ non sunt purè humanæ. In coniūctione aūt Petri cū papatu sola humana actio interuenit, coniūgens electionis actu vtrūq;, supponēdo materiam formæ: vt patet ex hoc, q si cessat à papatu: (vt Cœlestinus fecit) nihil diuini operis in se restat, sicut restat in Epo renuntiante, & in sacerdote degradato potestas ordinis à Deo data. sine pœnitētia nanq; sunt dona Dei: vt dicitur ad Ro. 11. Dixi, Secundū se nec bonū, nec malum moraliter, ad differentiā actuum secundū se honorum, (vt credere, amareq; Deū, &c.) & secundū se malorum: vt blasphemia Dei, mendaciū, & similia: hæc enim naturali diuinoq; iure regulantur. Coniunctio autē Petri cū papatu, quādoq; bona est, vt patet in tot sanctis Ro. pōtificibus: & quandoq; mala, vt patet in multis eisdē sceleratis, quos vtinā nescire licuisset. Et cōfirmatur: quia potestas ministerialis existens in ecclesia ad coniunctionem Petri & papatus, regulatur humana lege, vt patet de actu electionis Papæ, qui irritus & nullus ab humana lege si nō seruetur, redditur. Vnde sicut bonifacius Papa & martyr promulgauit, q in casu hæresis pōt Papa iudicari & deponi, pōt alia lege humana promulgari, q pro simonia in beneficio possit deponi, & sic de alijs maximis excessibus, obseruata consonantia legis humanæ ad naturalem & diuinā. Et etiam sine noua lege (quia in defectu manifesto humanæ legis, locum habēt gnome & ἐπιείκεια) posset Papa ex notorio excessu scandaloso & incorrigibili deponi, sicut pro hæresi.

SI QVIS autem diligētius perspiciat, videbit, q diuina lege opus est statuēte casus depositionis Papæ, nec vlla lege humana potest, aut potuit hoc fieri. Quod probatur ex ratione humanæ legis breuissimè & clarissimè, sic, Omnis lex ecclesiastica pōt tolli & mutari à Papa: ergo nulla lege humana pōt contra Papā inuitū procedi. Antecedens constat ex eo, q est Dominus iuris positiui. Consequentia est euidens: quia ex quo potest tollere legem, & non vult subire ipsam, tollet eam: & sic contra eum fiet.

¶ Et licet hæc ratio sufficiat: quia Papa diuina autoritate hoc potest, & nulla deuolutione, interceptione, inchoatione, appellatione, suspensione, aut quouis alio termino potestas sua minuitur, aut impeditur in his quæ sunt positiui iuris, attamen ex proprijs rationibus potestatis ecclesiasticæ concurrentis ad propositum, idem ostenditur. Quadruplex namque potestas hic nominatur. Primò, potestas papalis, de qua cū par in parem non habeat imperiū, non oportet solicitari. Secundò, potestas ecclesiæ seu concilij vniuersalis, supra Papam simpliciter & absolutè. Et hæc nihil est, sed chimera: vnde nullum effectum in mille quingentis annis in ecclesia Dei habuit: omnia enim iura positiua subiecta sunt, & fuerunt semper Papæ, velit nolit concilium. testante hoc vniuersalis ecclesię per orbem diffusæ obseruantia. Tertiò, potestas autoritatiua concilij supra Papam in casu criminis, puta hæresis. Et hæc potestas licet minus rationabiliter poni videatur, verumtamen attestatur proposito: quia ponētes eam in solo casu, à diuina lege statuto dicunt eam posse extre in actum. Quartò, est potestas ministerialis ecclesiæ, quæ haber pro obiecto coniunctionem personæ cum papatu,

Et hæc etiam attestatur proposito: quia cum ipsa non se directè extendat supra coniunctionē Petri & papatus in facto esse, sed in fieri (quia nihil potest supra coniunctum scilicet Petrum papam, vtpote superiorem iam nominatum, ac per hoc ministerialiter constitutū:) consequēs est, q ad ipsam non spectat determinare dispositiones cōiuncti, scilicet Petri papæ disponētes ad dissolutionem cōiunctionis: nam dispositiones tales adueniunt coniūcto iam facto, ad id quod nō se extēdit potestas ista. Et propterea nisi diuino, aut naturali iure dispositio Petri papæ ad dissolutionem determinata sit, potestas ista non potest exire in actum dissoluendi, vtpote nō habens patiens dispositum, nec potens per seipsam illud disponere determinando, quæ est dispositio subijciens subiectū, scilicet Petrum papam tali potestati. Et ex hac conclusione, scilicet q lex diuina exigitur statuens casum depositionis Papæ, patet quā ignoranter procedant quotquot ex vi canonici iuris procedunt ad ostendendū, quòd Papa ex crimine notorio scandaloso, & incorrigibili deponi potest, vt glo. super ca. si Papa. di. 40. & super ca. Agathius 24. q. 1. nesciens quid dicat, errauit cum tota multitudine sequaciū. Oportet nanque ex iure diuino casus inuenire subiectionis Papę ad conciliū ex quo iure diuino ipse absolutè est supra concilium, & vniuersam ecclesiæ communitatē. Et hîc iacet Lepus: non est hac illicq; amplius vagandum. Vnde ipsamet glossa veritate inducta, dicit q Papa non potest statuere, q non possit iudicari de hæresi: hoc m ideo verū est, quia diuino nō humano iure iudicium hoc in casu hæresis statutū est: nā iuris humani Papa est Dominus.

RATIO Autem in oppositū allata nō cōcludit oppositum: quoniam opus humanum indifferens subijci humanæ legi, pōt intelligi dupliciter. primò quo ad modū fiendi: & sic est verū. Secundò, quo ad ipsum fieri secundū suam substantiā. Et sic est falsa: vt patet de abscissiōe ligni vel ferri, præcidi siquidē pōt bene & morale moraliter, & lege humana determinari potest, quādo bene & quando male: sed non spectat ad humanam legē, si potest vel nō potest præcidi, sed ad naturalem potentiā præcisoris, & dispositionem subiecti cædendi. Vnde in proposito humanæ legi subijcitur modus actionis, quo coniunctio Petri & papatus fit, aut dissoluitur: sed si potestas ista potest exire in actum, ex altiori pendet principio. Nam non potest exire in actum coniunctionis nisi vacante sede: & tunc in subiectū dispositum, scilicet Christianū voluntarium. Depositionis verò nisi disposito subiecto, aut per recessum à Christianitate, aut per recessum à volūtate: vt patet de Papa hęretico vel renuntiante. Propter quod nō potest lex humana statuere, q coniunctio papatus & Petri, quando est mala propter alia crimina ab hæresi, dissoluatur: non potest, dico, efficaciter statuere coactiuè: quia Papa criminosus posset illam legem tollere: cum par in parem non habeat imperium,

CAPVT XXVI.

Quot casus criminum sint diuina lege statuti, vt possit concilium Papam deponere.

QVIA Igitur ad solam diuinam legem spectat determinare casus depositionis Papæ, in ipsa & ex ipsa scrutari oportet, quot sint casus depositionis Papæ. Et vt probabitur, solus casus hæresis est a lege diuina, in quo Papa potest deponi ab ecclesia, siue autoritatiua, siue ministeriali potestate, non curando in proposito.

¶ Probatur hoc tripliciter, scilicet ratione ex principijs theologicis certis, & autoritate sacrorū doctorum, & diffinitione sacræ Scripturæ. Ratio est ista, Constat, q secluso Papa, in ecclesia est potestas electiua Papæ, seu applicatiua papatus ad Petrum, quomodocūq; vocetur, habet pro obiecto coniunctionē personæ & papatus in fieri & in dissolui, vt patet de actu electionis quo Petrus fit papa, & de actu depositiōis, quo Petrus papa hæreticus incorrigibilis deponitur. Constat etiam, q ad hoc quòd Petrus fiat papa efficaciter, ita q sit Papa, & consequenter ad hoc q potestas illa ecclesiæ exerceat actum cōstructiuum coniunctionis efficaciter inter Petrum & papatum, aliquæ dispositiones requiruntur in Petro de necessitate simpliciter, aliqua ad bene esse. Requisitę de necessitate simpliciter sunt duæ, simpliciter esse voluntarium, & esse Christianum. nunquā enim aliquis quantumcunq; electus, est Papa, nisi cōsentiat: & similiter nō est Papa, nisi sit mēbrū Christi. Secūda dispositio exigitur de iure diuino: & qa ordo gratiæ presupponit ordinē naturæ, prima dispositio exigit de iure naturę. Requisitæ aūt dispositiones ad bene esse, sunt boni mores, scientia ecclesiastica, charitas, experientia regiminis, & huiusmodi: si enim Petrus si est electus & acceptat, est Papa, q̄uis ineptus et malus. Cōstat etiā, q quia facilius est destruere quā cōstruere duabus simul requisitis necessariè conditionibus ad constructionem, quæcunq; earum deficit, dissolui potest coniunctio ista. Nanq; si Petrus nō vult amplius esse Papa, potest renuntiatione dissolui cōiunctio ista: & dissoluitur dum acceptatur renuntiatio, vt patet de Celestino. Et rursus, si Petrus papa labitur in hæresim incorrigibiliter, potest deponi inuitus, ex quo desijt quantum est ex se esse membrū Christi: sicut in primo casu desijt esse volūtarius. Hæc omnia certa sunt, ex quibus necessariò sequitur, vt deficientibus in Petro conditionibus, quę nō sunt necessariæ simpliciter, sed ad bene esse, nō propterea sit dispositus, vt possit dissolui coniunctio ista, vt possit attingi Petrus à potestate depositiua. Nam dispositiones illæ, quę non requiruntur in subiecto ad hoc q vniatur efficaciter formæ, sed tam cum eis, q̄ cum suis contrarijs vniri potest formæ, & constituere compositū, nō sunt tales vt earū contrariæ pertineant ad dissolutionē cōpositi. Quod est dicere, q si Petrus sceleratissimus & criminosissimus, & scandalosus, & incorrigibilis, Christianus tamē & cōsentiens, sit & est Papa, si eligatur oportet, q huiusmodi crimina superuenientia Petro iam papæ, aut perseuerantia, & si reddant ipsum malum Papam, & nō solum malum hominē vt prius, nō tamen reddūt ipsum deponibilem. Ex quo enim ad bene esse Papæ requiritur bonitas, & non ad esse Papam, consequens est, q malitia ad malè esse Papæ, & non ad non esse Papæ spectet: ac per hoc sicut nō spectat bonitas ad esse, quod est effectus electionis, ita malitia nō spectat ad nō esse, quod est effectus depositionis. Ex his patet ratio, & potest formari breuiter sic. Sola contraria cōditionibus necessariò requisitis ad esse Papæ reddunt Papam deponibilem: sed inter crimina infidelitas contrariatur cōditionibus necessariò requisitis ad esse Papæ: ergo sola infidelitas inter crimina reddit Papā deponibilē. prima propositio patet ex hoc, q depositio est nō esse Papæ, & vnūquodq; in suo esse perseuerat, si contrariū nō superuenit. Nunq; enī homo desineret esse, si non superuenire t aliquod contrariū illi esset: & simile est in alijs. Secunda autem propositio probata est: quia cætera vitia contrariantur conditionibus requisitis ad bene esse Papæ. Hanc rationem vellem in statera poni: & non friuolas & apparentes, per accidentia vagantes. Hæc de primo.

AVTORITATES Sanctorum sunt in primis Anacleti Papæ & martyris: & habetur 79. dist. ca. electionem. Si nanq; Papa posset propter crimina deponi, sicut alij Episcopi, frustra dixisset, q electionē summorū Pontificū sibi Dñs reseruauit. Deinde Bonifacij Papæ & martyris. & habetur 40. di. c. si Papa. Nisi sic inquit, à fide deuiauerit Papa, redarguere eius culpas mortaliū nullus præsumit. Vbi solū infidelitatis crimen subijcit iudici, à quo Papa pōt iudicari: quem constat esse vniuersalem ecclesiam, seu concilium generale: ab eodē enim excepit, à quo negat redarguendū id fore. Sanctus quoque Euse. Papa, (& habetur 2 q. 7. in ca. oues) dicit Oues quę suo Pastori commissæ sunt, eū nec reprehēdere nisi à fide exorbitauerit, nec vllatenus accusare possunt. Sanctus Anterius Papa & martyr, & habetur 9. q. 3. in ca. facta) inquit, Facta subditorū iudicantur à nobis: nostra verò iudicātur à Domino. Et q loquatur de factis peccatorū, patet ex eo quod subdit, Deteriores sunt, qui vitam, moresq; bonorum corrumpunt, his qui substātiam aliorum prediāq; diripunt. Sanctus Beda (& habetur 9. q. 3. ca. ep̄o) tractans de iudicio peccatorū ait, Sola enim Roma. ecclesia sua autoritate valet iudicare de omnibus: de ea verò nulli iudicare permittitur. Sanctus Bernar. Inno. 2. scribens, inquit, Quis faciet mihi iustitiam de vobis: si haberem iudicem, ad quē vos trahere possem, iam nunc ostenderem vobis, vt parturiēs loquor quid mihi immineret. extat quidem tribunal Christi, sed absit, vt ad illud appellem vos. Sanctus Thom. in 4. sen. di. 19. q. 2. ar. 2. q. 3. ad secundū, dicit, Quāuis Prælati sint corripiendi à subditis, non tamen est pœna infligenda, sed recurrēdum est ad

est ad superiorem denuntiando, vel si non habet superiorē ad Deum, vt eum emendet, aut de medio tollat. Et ibidē ad primum exceperat crimen infidelitatis, cum dicit, Prelatus maior fieret, si in infidelitatem laberetur, & subditus fideli maior.

¶ Et licet hæ autoritates deberent sufficere ad promulgationem diuini iuris (quia tot sanctorum sunt, & Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines, vt dicitur secundæ Petri. 1. ca.) ad maiorem tamen firmitatem debilium adsunt Symmachus Papa in ca. aliorū. 9. q. 3. dicens, Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare: sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Et quòd loquatur de causis peccatorum, patet ex eo quod subdit, dicēs, Voluit beati Petri apostoli successores cælo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam habere cōscientiam. Et excludēs obiectionē q subdit, Nolite æstimare eas animas inquisitionis nō habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reseruauit examini, &c. Inno. 3. in sermone cōsecrationis Papę dicit, In tantum mihi fides est necessaria: vt quum de ceteris peccatis Deum iudicem habeam, propter solum peccatū quod in fide cōmittitur, possem ab ecclesia iudicari. Bonifa. quoque. 8. in extrauagāti, vnam sanctā dicit, Si deuiat suprema potestas, à solo Deo iudicatur: vt superius allegatū est. Albertus mag. Petrus de Pal. Herueus, Vlricus, Aug. de anch. & alij quos refert dominus Ioan. de Tur. Crema. in lib. de ecclesia, hanc viam secuti sunt: quibus magis credendum est, quàm canonistis multis: ad quos non spectat, nisi secundariò de iuris diuini rebus tractare, sicut de vsura, sacramentis ecclesiæ, hæresibus, & huiusmodi. Hæc de secundo.

DIVINA scriptura solum casum hæresis apertè excipit, dum (vt supra allatum est,) hæreticos separādos ab ecclesia instituit, & sanæ doctrinæ Prælatos, malorū autem morum tolerādos cōstituit. Hoc enim nihil aliud est, quòd dicere, Pro solo hæresis crimine deponendum instituimus quātum est ex diuina lege, prælatū: ac per hoc iuri humano reliquas depositionis causas dimittimus, quo ad subditos iuri humano, de non subditis enim nullus statuit. Et de hæretici quidē separatione extāt textus Pauli apostoli & Ioan. euangelistæ iam dicti. De toleratione verò, imò obedientia & audientia malorū Prælatorū fidelium, extat sentētia Domini, Matt. 23. Super cathedrā Moysi, &c. & Petri apostoli. Obedite Præpositis dyscolis, qui iam inducti sunt. Et nunc adiungitur sentētia Domini, Luc. 12 manifestans iudiciū Papæ mali in seipsum & in proximū, agendum per ipsum Dominum, dum respondens Petro ait, Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suā, &c. Et subdit de eodem, Quòd si dixerit seruus ille in corde suo, Morā facit dominus meus venire, & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere & inebriari, veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora quam nescit. & diuidet eum partemq; illius cum infidelibus ponet. Vbi notādum est primò, quòd ad literam loquitur de seruo constituto super familiam, id est ecclesiā: vt glo. interlinearis exponit. Quod patet ex officio, scilicet vt det illi in tempore tritici mēsuram: & ex præmio, Beatus ille seruus quoniā super omnia bona sua cōstituet eum. In quo apparet differētia (vt glo. dicit) inter subditū & prælatū benefacientem: quia subdito promittitur q præcinget se Dominus & transiens ministrabit illi, prælato verò quòd super omnia bona sua est constituendus.

Notandum est secundo, quòd distinguit manifestè criminaria, in seipsum, in proximū, & in Deum: ac per hoc comprehendit omnia. In seipsum per gulam & ebrietatē. scriptum est enim, Propter crapulam multi obierūt: qui autem abstinens est, adijciet vitam Ecclesia. 37. In proximum, per percussionem suæ curæ cōmissorum vtriusque sexus. In Deum, per infidelitatem. Et non describit dispensatorem criminosum in Deum per infidelitatem, sed in seipsum & in proximum. & dicit seruum talem confidentem in mora Domini iudicādum à Domino per mortē, qua diuidetur à familia, & per damnationem ęternā cum infidelibus. Hæc manifesta sunt in litera, & clarè ostenditur quod diximus, scilicet quòd quantum est ex lege diuina, prælati de criminibus cæteris à Domino iudicandi statuūtur, de infidelitate autē ecclesiæ iudicio dimissi intelliguntur, ac per hoc si alij prælati non subessent iuri humano, quòd super apposuit suis subditis alias causas criminum iudicādas, ab ecclesia non essent iudicandi & deponēdi, nisi pro infidelitate, sicut Papa: qui quia soli diuino iuri subest, in casibus à diuino iure toleratis, nulli subijcitur. Quia enim sola negatio statuti casus à iure diuino, quo ad Papā soli diuino iuri subiectū, sufficit ad constituendam legē, q non potest iudicari aut deponi, multò magis expressa toleratio casuum in iure diuino cōstituit ipsum tolerādum, alios autē tolerabiles: si a superueniēte iure positiuo, cui subiecti ex diuina lege sunt, permittantur. Vnde inter Papam & alios, quo ad casum criminis iudicandi & puniēdi ab ecclesia, tantum interest, q in Papa locus ab autoritate diuini iuris negatiuè efficacissimus est: quia soli illi iuri subiectus est. In alijs autē nec toleratio, nec negatio diuinæ legis efficax est: quia quod superius ius nō statuit, aut tolerat, inferius ius potest & statuere & punire: vt manifestè patet in cōtrahendis matrimonijs, & administratione sacramentorū, in quibus multa permissa ex diuino iure prohibita sunt ab ecclesia in sibi subditis. Et si absque velamine aliquo obumbrante, sententia Domini perspiciatur, apparebit, q propter Prælatum, qui nullū habet supra se nisi Dominū, (vtpote cōstitutū super reliqua familia Domini absentis.) promulgata est hæc sententia. Quod etiam ex eo habetur, q cōstitutus super familiam absentis Domini neminem timere describitur, nisi Domini aduentum: in cuius mora confisus tanq; neminem habens supra se peccare cœpit. De prælatis nanq; habentibus superiorem pręsentem in hac vita, nō cōsonat, q in sola mora Domini confidant: quia habent statim superiorem iudicem, quem timeant vltorem. Nonnihil quoq; ad hoc confert, quòd Petro futuro Papæ hæc Dominus dicit.

¶ Ex his autoritatibus perspicaciter intellectis habetur, quòd pro reliquis criminibus manifestis nō est Papa deponendus. Docens enim Dominus secundū opera malorum Prælatorum nolite facere: proculdubiò de notis operibus loquebatur, de quibus dixit, à fructibus eorum cognoscetis eos. Ne autem propter adiunctam scandali rationem deponendum putares, docuit Matt. 18. quòd pes, manus vel oculus, non tamen caput scandalizans amputaretur: instruēs ad literā, q si aliquod nobis opportunū (vt manus, pes vel oculus) scandalizans occurreret, præscindendum esset: secus autem de organo habente officiū capitis sentiebat, nunquā dicens, Si caput tuum scandalizat te, abscinde illud & proijce abs te. Hāc autoritatē qui credit, Iesum Christum Dei virtutem & sapientiam omnia prouidentem, & cunctis prouidentē non spernet, sed reuerenter considerabit, non casu nominasse Dominū manum, pedem & oculum membra summè necessaria, & tacuisse caput: sed ideo non esse mandatā præcisionē capitis scandalizantis, quia nec propter scandalū caput simpliciter præcidendum est. Dico autem simpliciter, ad differentiam capitis in hac vel illa ecclesia. quia quantūcunq; caput huius vel illius ecclesiæ præcidatur, semper restat caput ecclesiæ in terris, Papa scilicet. Patet igitur, q nullum extra infidelitatem crimen notorium ac scandalizans, depositionem Papæ inducit. Hæc de tertio.

CAPVT XXVII.

In quo respondetur rationibus factis in ca. 24. ad probandum, quod Papa ex alio crimine quam hæresi potest deponi ab ecclesia.

MANIFESTATA sufficiēter veritate, q scilicet, si Papa est fidelis, nec iudicari, nec deponi potest ab ecclesia pro quocunque alio crimine quantumcunq; notorio & scādaloso, superest allatis in oppositum satisfacere.

¶ Ad primum ergo motiuum ex parte criminis negāda est sequela, quia nec maior, nec par ratio est de hæresi & alijs criminibus. Et ratio iā tacta est, quia scilicet infidelitas spectat ad non esse, alia autem crimina ad malè esse Papæ. Cum ergo dicitur, aūt hoc est ratione grauitatis, aut nocumenti dico, quòd diuisio non est sufficiens: quia datur tertium, scilicet quòd est ratione status. Infidelitas enim mutat statum hominis: quia facit quantū est ex parte hominis, de Christiano non Christianum. Odiū autē Dei licet sit grauius peccatū: ac per hoc faciat hominē & peiorē, q̄ infidelitas faciat: nō tamen facit de Christiano non Christianū. Nec obstat, q hæreticus restat Christianus inuitus ex charactere: quia quod nō volun

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

tariè habetur, nō est ab homine inquātū homo: vt in principio Primæ secundæ S. Thom. Propter quod fides informis saltem, & character non sunt duo constituētia distinctos status humanos ecclesiasticos, sed vnum & eundem statum Christianitatis constituunt completè, concurrente vtroq; altero vt humano: scilicet fide, quæ nō est, si non est voluntaria: & altero, vt hominis, scilicet charactere, qui & sine volūtate acquiritur, (vt patet in pueris,) & inuitè cōseruatur, vt patet in hæreticis. Propter quod sublata fide mutatur status Christianitatis, inquantum erat humanus: quod est mutari ipsum eo modo quo per hominē mutari potest. Mutatio autē status Christianitatis, extrà Christianos hominē ponit ex propria natura: & propterea crimen hæresis nō ratione maioris grauitatis, sed mutationis status deponendū constituit Papam, alia aūt crimina nō. Et licet hæc respōsio sufficiat etiam ad alterū membrū de nocumento: sciendū tamen est, ꝙ aliud est loqui de nocumento per se annexo peccato, & aliud de nocumento annexo per accidens; quia scilicet est in isto homine sic disposito. Si enim loquimur de nocumēto per se, maius nocumentū est annexū hæresi ipsius Papæ, q̄ cuicunq; alteri crimini: quia hæresi quantū est ex se, adhæret doctrina hæretica, quæ in capite quantū ex se est, induceret hæresim in ecclesiā vniuersalem, quo maius nocumentū inferri neqt. Si verò loquimur in isto, qui nō docet hæresim, & bene gubernat & dispēsat, hoc est per accidens: & ideo despiciendū. Ad aliā probationē, scilicet ꝙ nō inuenitur in Scriptura sacra expressum, ꝙ magis sit pro hæresi Papa deponēdus, q̄ pro alio crimine: iam patet responsio, ꝙ non inuenitur ꝙ magis pro hoc q̄ pro alio, sed inuenitur in sacra Scriptura, ꝙ pro sola hæresi est deuitādus & declinandus, vt patet ex textibus inductis. Vnde nō est verū ꝙ sit hoc relictū interpretationi doctorū, & canonū, nisi sicut explanantibus, quo modo etiā articuli fidei sunt relicti doctoribus & canonibus sacris. Sed sicut articulos fidei declarare, nō mutare possunt doctores & canones, ita legē hanc diuinā declarare non mutare, addēdo aut subtrahēdo possunt. Ad tertiā probationē dicitur, ꝙ illa maxima, qui pōt in maius, pōt in minus, si philosophicè discutiēda est, inuenitur falsa, tā de actu, quā de obiecto, q̄ de effectu. Intellectus enī qui pōt in actū maiorem, scilicet intelligere, non pōt in actū minorem, puta odorare. Similiter visus qui pōt in obiectū maius, puta lucidū, non pōt in obiectū minus, puta sonū. Virtus quoq; generatiua hominis pōt in effectum maiorē, scilicet hominē (homo enī generat hominē) & tamen nō pōt in effectū minorem, puta Leonē. Si aūt politicè discutiēda est, (vt Inno. 3. in dicto cap. ex parte, el 3. inducit sub alijs verbis: scilicet cui cōcessum est maius, minus quoq; cōcessum esse videtur) dicitur ꝙ intelligēda est cęteris paribus: modò aūt cætera nō sunt paria, quia in crimine heresis (quod est maius crimē) subiectū mutauit Christianitatis statum, in alijs verò criminibus minoribus subiectū permanet in eodē Christianitatis statu. Et hæc est vera respōsio ex parte criminis maioris & minoris. Ex parte aūt maioris vel minoris effectus iudicij, negatur minor: quia maius esset iudicare Papā in statu Christianitatis de adulterio, q̄ iudicare ipsum à Christianitate ruentē de hæresi: qa in primo attingitur superior status gradus, q̄ in secundo, vt patet.

Qui pōt in maius potest in minus in phisicis ē falsa tā de obiecto, quā effectu, in honorib' verò est vera, cæteris paribus.

¶ Ad secundā rōnē (ex parte actus, scilicet actus) dicitur, ꝙ fallacia cōsistit in hoc, ꝙ aliud est auferre gladiū, resistere, impedire, & hmōi: & aliud est facere ipsamet autoritatiuè. Auferre nāq; gladiū de manu furiosi, resistere tyranno, impedire oppressorē, & huiusmodi, cuilibet licet, & debitū est vt actus virtutis, sed facere ista autoritatiuè, soli superiori licitū est. Vnde licet cuilibet liceat vim in se & in pximū vi repellere cū moderamine inculpatæ tutelæ: nō tamen cuilibet licet punire eū qui vim infert. Et similiter q̄uis quilibet licitè possit Papā inuasorem, se defendēdo, occidere: nulli tū licet Papā propter homicidiū punire poena mortis. Vnde huiusmodi argumenta & similia nō concludūt autoritatē iudicis ad puniendū, sed cuiuslibet priuati debitū ad resistendū, impediendū, defendendūmq;: nisi quis adeò desipiat, vt dicat quēlibet esse iudicem cuiuslibet. Resistendū est ergo etiā in faciem Papæ publicè dilaniāti ecclesiā. ver. gratia, quia nō vult dare beneficia ecclesiastica nisi pro pecunia, aut cōmutatione officij: & cū omni reuerentia & obedientia negāda est possessio taliū beneficiorū his qui emerunt, & allegāda est causa simoniæ etiā cū Papa cōmissę: & sine dubio principes seculi & clariùs gladiū de manu furiosi sic cū modestia tolleret. Multæ quoq; sunt viæ, quibus absq; rebellione, principes mūdi & prælati ecclesiæ, si vellet vim resistentiā, impedimētūmq; abusus potestatis afferret. Sed qm̄ principes & prælati nō curant, nisi quasi somniando, cur cōqueruntur ꝙ non pōt deponi? cur oppugnant ꝙ potestas data est in ædificationē, & nō in destructionē? Abusui nāq; potestatis, qui destruit, obuiā eundum congruis remedijs, nō obediendo in malis, nō adulando, nō tacendo, arguēdo, aduocando, illustres ad increpandū exemplo Pauli, & præceptp eiusdē, (Dicite Archippo, Vide ministeriū quod accepisti in Dño, vt illud impleas, ad Col. vlt. &c.) & parum aut nihil abuteretur potestate. In responsione tamen ad quintum habebis vltimam satisfactionem huius argumenti.

¶ Ad tertiā rōnem ex parte ipsius Papæ, dicitur, ꝙ etiā est falsa: nā aliud est purgatio ad remouendū scandalū, & aliud est purgatio ipsa corā iudice. Ad primā tenetur Papa de iure diuino, ad secundā nō: vnde Damasus non corā generali concilio, sed corā quadraginta Epīs se purgauit, vt patet 2. q. 7. nos si cōpetēter. Et Greg. ipse testatur, ꝙ ex humilitate exhibuit se ad iudiciū: vt patet 2. q. 7. ca. Petrus, vbi ipse Greg. dicit, Petrus potestatē regendi acceperat: & tū idē Apostolorū primus querimoniæ cōtra eū à fidelibus factæ, cur ad Gētes intrasset, nō ex potestate officij (qua posset dicere Oues pastorē suū nō accusent, nec reprehēdāt) sed ex autoritate diuinę virtutis, qua Gentiles acceperant Spiritum sanctum, respondit. vbi apparet ꝙ ipse imitatus est Petrum apostolum, non vtendo potestate sua, & quòd potuisset illa vti.

¶ Ad quartā ex parte ecclesiæ vt sponsæ, breuiter dicitur: primò, ꝙ Papa nō pōt inuitā ecclesiam deserere: quia nō pōt iuri ecclesiæ renūciare: Prælatus enī est propter ecclesiā, & nō ecōuerso: vt super Epistolā ad Col. in fine diuus Tho. dicit. Secūdò, ꝙ nō est par ratio ex vtraq; parte: qa ecclesia est subdita Papæ & nō econuerso. Nec etiā in lege Moysi vxor poterat dare libellū repudij viro. Nec est periculū de ipsius dilaniatione: quia scriptū est, Portæ inferi nō præualebūt aduersus eā. Ex parte verò ecclesiæ vt cōmunitatis liberæ, breuiter dicitur, ꝙ licet sit libera libertate gratiæ, est subdita tamē secundū iurisdictionem Papæ. Vnde ipsa ecclesia non abdicauit à se potestatē supra Principem: sed Iesus Christus Dominus ecclesiæ non subiecit eam ipsius cōmunitati ecclesiæ, sed suo vicario: & propterea nihil potest suprà suum principē. Non sic est de alijs communitatibus, de quibus asseritur Arist.

¶ Ad quintā, (ex parte diuinæ prouidentiæ, & operationis immediatè, & pfecti operis,) dicitur, ꝙ Deus perfectè ecclesię corpus fecit, disposuit, ac ordinauit: ita vt ordinatissimū optimè extet, & nihil opportunū desit illi. Et cū dicitur, Ergo est relictū ecclesiæ remediū contra Papā fidelē criminosum, &c. concedendū est. Sed cū infertur, Ergo ecclesia pōt illū incorrigibilē deponere membrū illud abscindere & huiusmodi, respōdetur, ꝙ est sophisma consequētis à Superiori ad suū inferius affirmatiuè: à prouisione & remedio communi ad hanc prouisionem, seu hoc remediū, ac si non esset alia prouisio & aliud remedium. Dicendū est enim, ꝙ Iesus Christus altioris ordinis remediū reliquit in ecclesia ad repellendū sui proprij vicarij incorrigibile scandalosūmq; regimen. Ad cuius euidentiam sciendum est, ꝙ sicut in naturalibus diuina sapientia inferiora per media, & media per supremas causas secundas gubernat: ita in supernaturalibus, (inter q̄ est ordo gratię fidei & ecclesię super illam fundatæ.) inferiora per media, & media per supremas causas secundas supernaturales gubernat. Rursus cùm causæ effectibus proportionalitates sint, vt superioribus effectibus superiores causæ respondeant, & inter causas secundas prouidentia humana ecclesia autoritate fulta, inferioris ordinis causa sit, quam oratio, quæ in supremo ordine secundarum causarum locata est à Deo, (quòd ex eo patet, quòd tota creatura corporea & incorporea subiecta est illi) & prouisio suprà Papam fidelem sit inter supremos effectus in ecclesia: consequens est, ꝙ sapientissimè Deus disposuit remediū in ecclesia suprà fidelem Papam, non prouidentiā humanam, cui subiecit reliquum ecclesię, sed orationē. Nec est minus efficax causa secunda oratio ecclesiæ pro se petēs necessaria ad salutē perseueranter, q̄ prouidentia humana: cū cōstet ꝙ cuiuslibet particularis personæ oratio pia perseuerās, petēs necessaria ad salutē pro se est causa ef

ficacissima & infallibilis: vt diffusè habes in 3. contra Gen. à beato Tho. cap. 95. & 96. Vnde si necessarium est ad salutem ecclesiæ, ꝙ Papa talis auferatur, sine dubio oratio sic conditionata, auferret illum de medio. Et si non est necessarium ꝙ auferatur, quid causamur bonum Dominum, qui negat quod volumus, & tribuit ꝙ nollemus? Si est necessaria eius ablatio, non potest non auferri ab eo rogato, qui promisit ꝙ nihil deesset timentibus eum. Si non est necessaria diuino iudicio, & tamen iudicio humano vtilis & necessaria creditur, cur præponis te Deo volens illū deponere? Tu quis es, qui iudicas alienum seruū: Domino suo stat aut cadit Iesu Christi vicarius. Non dico hoc ego, sed Dominus, qui Luc. 18. docet, ꝙ Deus multò magis q̄ homo faciet citò vindictam electorum suorum clamantiū ad se. Constat enim ecclesiam electos claudere, & vindictā hāc, quia ipsi soli Domino reseruata est, ab ipso præceteris faciendam. Non dormitat neq; dormit custodiens Israël, qui nauiculæ fluctuanti quarta vigilia noctis ex oratione surgens subuenit: qui à Sennacherib exercitu Ezechiam liberauit, Assueri cor mutauit, Nabuchodonosor prædicatorē suum fecit: Anastasiū 2. oratione ecclesiæ percussit Leonē etiam Papā (seu Liberiū apud alios) Hilarij orationi subiecit: qui etiam omnia temporalia bona superadijciēda promisit: qui demū dedit nobis Filium & omnia donauit cū illo. Sed heu impletū quasi est illud, Putásne Filius hominis veniens, inueniet fidē in terra? nam prouisio istius tam excelsæ & tam efficacis causæ secundæ pro nihilo habetur. Oportet, inquiunt, prouidentia nostra puniri Papā, non diuinæ prouidētiæ soli & orationibus relinqui. Quare hoc dicunt, nisi quia prouidentiā humanam præferunt orationū efficaciæ? quare hoc dicunt, nisi quia aīalis homo nō percipit quę Dei sunt? quare hoc dicūt, nisi quia didicerūt confidere in homine, & non in Dño, & ponere carnē brachium suum? Quo fit, vt si incorrigibilis existimetur quandoq; Papa in proprijs vitijs, manentes subditi quotidie murmurent de malo regimine, nullū orationis remedium adhiberi procurantes, nisi fortè, vt somniantes absq; fide, & facto suo adimpleāt Scripturas (ꝙ scilicet propter peccata populi regnat hypocrita, officio sanctus, animo diabolus) & detur ac conseruetur Rex in furore Domini. Iram enim & clementiam Dei in manibus orationū nostrarū esse Spiritus sanctus in Psalmo testatur, Benedictus Deus, qui non amouit orationē meam & misericordiam suam à me. gl. Quia nō est amota oratio: securus esto, quia non auferetur misericordia. Verùm ita stolidi sumus, vt nolimus orare vt debemus: & tamen velimus orationis fructū, nolimus seminare, & velimus metere. Aut Christiani non nominemur, aut Christi prouisionē amplectamur: & sic phreneticum, furiosum, tyrannum, dilaniatorem, dilapidatorem corruptorémq; ecclesiæ (cùm contingeret talem præesse) superabimus. Sed qui nosmet non superamus nostris orationibus (quia eas nō vt decet agimus) quomodo conqueri possumus, quod aliorū malorum vitam nō superamus orationibus, quæ non solùm tectū nō transeunt, sed nec orantium capita propria penetrāt? Et quod peius est, olim cō querebatur Deus, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorū longè est à me. Tēpore reuelatæ gratię, nec labijs honoratur: quoniā nihil dicitur minus intelligibiliter q̄ diuinum officiū, nihil tam celeriter persoluitur, q̄ missa. Tēpus diuini officij & missæ, onerosum est valde: loci autem & negotia accommoda secularia distinctè dicūtur & repetuntur, & absq; tēporis mensura delectāt. Vnde cōcluditur, ꝙ aut abscisio Papæ fidelis & incorrigibilis post humana remedia est in veritate necessaria ad salutē ecclesiæ: & oratio fit sine intermissione ab ecclesia: & sic habetur certa, & multo celsior, ac efficacior prouisio, q̄ si authoritas deponendi humanæ esset prouidentiæ delegata. Aut non est necessaria, vel nō fit oratio vt debet: & tunc nullus est querelę locus, si in nō necessarijs abest prouisio exterminatiua: quoniā nec humana prouidentia extra verā necessitatem deberet illa vti autoritate, si eā haberet, vel si nosipsi concesso remedio efficaci nolumus vti. Quamuis etiā non sit abbreuiata manus Domini, vt non possit saluare citrà omnimodam necessitatem: nec aggrauatæ sint aures eius, vt non exaudiat citra necessitatē, sed iniquitates nostræ sunt, quæ diuidūt inter nos & Deū nostrum, & multas malas actiones in rectoribus nostris procurant: vt Hiero. in cap. audacter. 8. q. 1. & Gre. 7. q. 1. cap. ex merito, dicunt. Et si cōtra hęc instetur, Quia oratio commune est remedium omnibus occurrētibus malis: in hac autē re proprium quæritur remedium, sicut in cæteris rebus, vltra cōmunem causam propria assignanda est: videntur, ꝙ supinę causæ q̄uis sint causę cōmunes respectu inferiorum, sunt tamē proprię respectu superiorū effectuū, & propterea oratio quia est inter supremas causas secundas supernaturales respectu inferiorū est causa cōis: respectu autem summorū effectuū (qualis est exterminatio Papæ fidelis, vtpote effectus reseruatus Deo est causa ꝓpria & remediū proprium, vltra quod sunt multa alia humana adminicula, quæ scripsit Dominus Ioā. de Tur. Cre. in li. 2. de ecclesia, c. 106. Cùm his tamen omnibus memēto, ꝙ pessimus Papa fidelis toleratus à Deo, non potest totum corpus ecclesiæ inficere, aut in perniciē ducere, & huiusmodi: vt argumēta autumant in similitudinibus corporū, & huiusmodi. Nā Deus nō pōt seipsum negare: de quo scriptū est, Fidelis Deus, qui nō permittet vos tētari supra id quod potestis, sed faciet etiā cū tentatione prouentum.

¶ Ad sextam, quantū ad gesta concilij Constantien. iam dictū est, ꝙ conciliū perfectum secūdū præsentem statum ecclesiæ pōt deponere incertū Papā: nullus enim fuit illo tēpore certus Papa. Quātū ad gesta cōcilij Basilien. rn̄det vniuersalis ecclesia, quæ Eugeniū à cōcilio depositū adorauit, & adorat vt Papam, olim in persona sua, & post in successore Nicolao, quē ipse eodē anno creauerat Cardinalem, & sic deinceps. Et hæc rn̄sio facti testatur quantū delirent, qui Papam concilio submittunt. Ad priscorū tēporum gesta dicitur, ꝙ licet multi legātur depositi Pōtifices summi, aut nō erāt indubitati Pōtifices summi, aut de facto nō legitimè depositi sunt, vt in c. 103. secūdi libri de ecclesia, dñs Io. de Tur. Cre. manifestat diffusè. Ad autoritatē glossæ, & pluriū Canonistarū sequentium illam, dicitur, ꝙ glossa est cōtra textū, quia textus excipit solā hæresim, & ipsa leui ratione mota, extēdit ad omne crimē notoriū scandalizās incorrigibile: quia scilicet cōtumacia est hæresis. Cōstat enim ꝙ lato vocabulo cōtumacia hæresis dicitur, sicut & simonia: nec æquiparāda est veræ hæresi, quæ mutat statū Christianitatis. Et q̄uis gl. quia sobriè loquitur dicēs, Credo, &c. mereatur veniā, assertores tamen illius documēti super illā se fundantes, quia cōtra antiquā fidei doctrinā tam leuiter mouētur, nescio excusare. Canonistarū autē autoritas in hac, (quia principaliter est theologica) parua est, nec maior ratione super qua se fundant, nō sic est de autoritate Sanctorū, qui Spiritu sancto inspirati loquuti creduntur. Rursus secundū ipsosmet Canonistas, in materia fidei magis standum est antiquorū, q̄ modernorū autoritati, licet in his quæ iuris sunt, quāto iuniores, tātò perspicaciores. Cū igitur hæc si materia fidei (quia immediatū opus Dei nō ratione naturali, sed sola diuina reuelatione scibile, in quæstione est) consequens est, vt sanctorum autoritas sacræ Scripturæ innixa omnibus concilijs & Theologorum vniuersitatibus, ac Canonistis posterioribus, imò quasi modernis ponenda sit.

¶ Ad septimam ex parte iudicij humani, dicitur, ꝙ conditiones iudicij humani sunt duplices: quædam ex naturali iure, vel diuino determinatæ, quædam à iure positiuo. Inter quas hæc est differentia: quia illæ quæ sunt ex iure positiuo, non possunt in inuitum Papam exerceri, quia non subest positiuo iuri, illæ verò, quæ sunt à naturali vel diuino iure, habent etiam locum in Papa. Ex iure autē diuino statuta est forma iudicij humani circa hæreticum, vt post primam & secundam monitionem euitetur: ac per hoc (vt dictum est) potest contingere vt Papa fidelis nūc: sed bis relapsus deponi possit & debeat. Ex iure etiā naturæ est, vt homo videat quæ foris sunt, ac per hoc propter actus manifestè hæreticales & verba manifestè seriò hæretica cognita, &c. sic facta & dicta vt humano iudicio corde consentiente facta sint & dicta, iudicetur quis hæreticus. Ex ipso quoque diuino iure est, vt in ore duorum vel triū stet omne verbum: vt patet Matthæ. 18. Et ex iure naturæ vnicuique contra se creditur si est sani capitis, &c. Vnde ex non suspectis, &c. testibus conuictus quis de damnata & nota, &c. hæresi, hæreticus iudicabitur. & similiter si sua sponte se confitetur hæreticum quāmuis coram Deo mentiatur, iudicabitur hæreticus. Ex iure autem positiuo contumax & perseuerans per annum, si quis alius est eiusmodi, præsumitur hæreticus. Vnde primi duo casus non habent locum in Papa, qui non potest excommunicari, nec iuri positiuo subijcitur: sed seruanda est lex ab Apostolo Paulo in sacra Scriptura tradita. Similiter si timore mortis certo vel probabili secundum

Universidad de Deusto
Biblioteca

humanum iudicium absque interiori consensu gesta vel verba hæreticalia habuit, non deponitur Papa. vnde Petrus Apostolus, qui solo verbo negauit Christum, quia fides eius non defecit, sed charitas (teste Iesu Christo dicēte, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua) conuersus à peccato negationis cum periurio quo perdidit charitatē, confirmaturus instituit fratres suos, non deponendus. Et hoc imitati Patres Marcellinum (qui etiam solo exteriori actu peccasse videtur) deponendum non censuerunt. dist. 21. nunc autem. Ex casibus autē in quibus propter conditiones humani iudicij iure diuino vel naturali determinatas Papa in corde fidelis, coram ecclesia verò infidelis deponitur, non constituitur alius casus quàm casus infidelitatis. Nam nihil refert esse & apparere sufficienter ꝙ ita sit secundum humanum iudicium coram ecclesia, quæ nō videt nisi quæ foris sunt: nec verius iudicium ab ecclesia exigit Deus, qui naturam hominis iúsque diuinum condidit. Vñ ex his nulla alia subiectio Papæ ad cōciliū habet, sed illa sola quæ dicta est, scilicet in casu hæresis propriè sumptæ. Et sic, Si sit catholicus, Papam non iudicat vllus.

CAPVT XXVIII.

Sex casuum solutio, quòd in nullo euentu Papa absque sua culpa subest ecclesiæ, ita quòd deponi possit.

VT PROMISSA perficiantur, superest discutere, an in aliquo euentu sine culpa Papæ, subsit Papa ecclesiæ, seu concilio vniuerso, ita quòd possit deponi. Inuenio siquidem notatos sex casus, in quibus ecclesia sine culpa quidē Papæ, sed non sine causa deponere potest Papā.

¶ Primus est cùm coram vniuersali ecclesia testibus comprobaretur, ꝙ Papa, qui diu detētus erat à Saracenis, iam obijt, & concilium determinat noui Papæ electionem: & sic fit, decernendo quòd pro bono ecclesiæ etiam si viueret, iste nouus sit Papa, potest enim ipsum captiuum sine spe reditus deponere.

¶ Secundus est, cùm propter indispositionem corporalē, (puta dementiā,) esset inutilis, & conciliū per eū cōgregatum, dū sanæ mētis esset, decerneret alterū Papā creandū.

¶ Tertius est, quando cardinales omnes statim post canonicam electionem Petri in Papam morerentur: ita ꝙ non possent publicare electionem, tunc ecclesia cum nō teneatur istum acceptare, alium eliget: & sic istū deponet: quia duo simul esse non possunt.

¶ Quartus est, quando Cardinales etiā viuentes non possunt facere fidem de electione sua canonica in vnum: vt videtur accidisse in schismate magno ab Vrbano 6. vsque ad Marti. 5. tunc ecclesia deponit nolentes renūtiare: vt in concilio Constan. factum est.

¶ Quintus est, quando propter communem errorem, aut æstimationem subditorum aut ipsorum malitiam generalem, præsumitur ꝙ nunquam præstabunt obedientiā tali qui fuit rite electus in Papam, alteri tamen nouiter eligēdo parati sunt obedire: vt si fortè Græci vellent ad vnitatem ecclesiæ redire, dūmodo tolleretur Papa iam existēs, & nouus ritè canonicè crearetur. Et confertur hoc ex autoritate Iuristarū, dicentium religiosum professum posse vxorem ducere pro salute magnæ gentis, aut conuersione ad fidem.

¶ Sextus est, quando Papa verus iuramento vel voto seipsum ad cessionem obligasset, sed differret adimplere in scandalum populorum putantium ex tali facto Papæ, quod nec ipsi votis aut iuramentis proprijs obligantur: vt Ioan. 23. contigisse videtur in principio concilij Constantiensis.

SED EX NVLLO euentu concilium posse deponere Papam, quamuis ex hoc haberi possit, quod supra dictum est: scilicet ꝙ euentus locum habēt in his, quæ humani iuris determinationi subsunt, non in his, quæ solius diuini sunt iuris, (qualis est autoritas immediatè à Christo tradita, quæ ad depositionem fidelis Pontificis exigitur,) examinando tamen singulos, idem apparebit inconcussum permanere.

¶ In primò itaque euentu de Papa captiuo, duo tangūtur primùm retrogrado ordine est, ꝙ nulla existente spe reditus, & nullo patente accessu, potest per concilium deponi. Quod primitiuæ ecclesiæ gestis non consonat: quia Petro seruato in carcere, & sine humana spe reditus ac accessus ad eum (quia inter tot milites vinctus catenis, post tot custodias erat) non depositio tractabatur, sed oratio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deū pro eo: & sic per ecclesiæ orationem liberatus est. Secundum, ꝙ constituto per testes de morte, licet nō ita fuerit, potest eligi aliter. Et hoc non aliter verum est, quàm ꝙ constituto per testes, quòd maritus Marthæ mortuus est, licitè ipsa marito nubit alteri, filiósque generat, & tamen adueniente primo marito, qui reuera non erat mortuus, ad primum maritum, (qui solus est verè maritus,) redire, eam oportet, absque quòd adultera esset. Sic nanque esset in casu hoc, redderetur quippe Papæ viuo sponsa sua, etiam non venienti, (qui vbique præsens est.) & ex humano errore electus Papa cessaret.

¶ In secundò euentu de dementia perpetua, dicitur quòd Papa non potest deponi: sed si constat de dementia perpetua, cùm sit mortuus vita rationali, secundum quā homo est subiectum papatus, sine concilio generali possunt Cardinales procedere ad alterius electionem: vtpote sede vacante in veritate non minus quàm cùm sedes vacat per renuntiationem.

¶ In tertiò euentu de morte omnium Cardinalium dicitur quòd cùm ecclesia videat solùm quæ foris sunt, si electio Papæ non constat ecclesiæ sufficienter, tūc nullus est Papa certus ecclesiæ: & propterea ecclesia nō deponit Papam in foro suo, licet deponat Papam in foro conscientiæ. Hoc autem nō solùm posse, sed debere ecclesiam facere, ex eo patet, ꝙ ille posset eam decipere dicendo se electum, & tamen non esset. Vnde euentus iste & quartus de defectu probationis, nihil aliud inferunt nisi quòd Papa incertus ecclesiæ potest deponi: quod gratis conceditur. Sed non est quæstio de hoc, sed de Papa certo: paria enim apud ecclesiam sunt, non esse & non apparere.

¶ In quinto euentu rebellionis communis, dicitur ꝙ quia non sunt facienda mala vt eueniāt bona, nec periculis humanis subueniēdum est vsurpatione diuinæ autoritatis, nec debent mali ex iniquitate reportare commodum cum iniuria innocentis, non potest Papa deponi. Si enim boni faciant quod in se est, & orationi vacent sine intermissione, omnem solicitudinem suam in eum proijcientes, cui est cura de ecclesia impossibile est vt desit diuinum adiutorium: scriptum est enim Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum.

¶ In sextò euentu dilatē cessionis post votum & iuramentum, breuiter dicitur, ꝙ licet ipse teneatur ex voto & iuramento cedere: ecclesia tamen non potest ipsum ad hoc cogere inuitum, quia potestatem coactiuam super fidelē Papam non habet. Et bene hic: caue: quia non valet argumētum, Papa tenetur ad hoc, ergo potest ad illud per ecclesiam cogi. patet nanque ꝙ tenetur ad solicitè vigilandū, ad non fornicandū, & infinita alia, & tamen non potest cogi ab ecclesia: vt in capitulo si Papa. distinctione quadragesima patet. Quibus autem scādalum præbetur de suo periurio & voto facto, & alijs huiusmodi, præueniens Dominus dixit, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæ dicunt facite, secundum verò opera eorum nolite facere.

¶ Et sic patet ꝙ Papa ordinaria potestate à Iesu Christo tanta donatus est cùm ipsius est institutus vicarius, vt ei Apostoli, ecclesiæ singula membra & communitas subiecta sit: ipse verò soli ipsi Iesu Christo subiectus viuat, sic vt in nullo euentu nulloque casu nisi hæresis propriè sumptæ iudicari aut deponi possit, nisi ab ipso domino Iesu Christo. Pro cuius fide, ecclesia & apostolica sede, hęc ipso donante, scripsi Romæ die duodecimo Octobris, anno salutis millesimo quingētesimo vndecimo, ætatis verò meæ quadragesimo tertio. Rogóque lectores omnes, vt soli veritati intenti, passiones, sectas, paternásque traditiones, causas voluntarias glossas, omnémque nebulam à mentis acie abijciant: & sic censores se exhibeant rectos. Ad Dei, & gloriosæ virginis Mariæ, & Apostolorum Petri & Pauli laudem & honorem, Amen.

IN SEX CAPITA APOlogiæ primæ de comparata autoritas Papæ & Concilij.

SVMMARIA.

1 ☞ *Examen fundamenti iuris naturæ, quo communitas ecclesiæ supra Papam in potestate exponitur.*

2 *Examen fundamenti iuris diuini, quo etiā cōmunitas ecclesiæ Papæ in ptāte præfertur, & imo ipso ecclesia sumitur, cū dicitur, Dic ecclesiæ.*

3 *Discussio quid significet & ecclesia, cum dicitur, dic ecclesiæ.*

An

4 *An Dominus immediatè dederit potestatem iurisdictionis ecclesiæ, & quantam autoritatem eidem dederit.*

5 *Quomodo ecclesia habeat potestatem iurisdictionis, an S. ratione suæ totalitatis, an ratione partis.*

6 *Quomodo intelligi possit quòd ecclesia ratione suæ totalitatis potest habere & habet quandoque potestatem aliquam iurisdictionis.*

TRACTATVS SECVNDI *Tomæ [illegible] Caietani Cardinalis ti. S. Xisti, Comparata autoritate Papæ & Concilij Apologiæ. Pars prima ad Eundem in Sex Capita diuisa.*

Prologus in quo ratio, intentio ordóque operis est.

CHARITAS IESV CHRIsti, sanctéque eius ecclesiæ, Romanę in Christo pater, protector & domine, cogit me virum periculosum, eneruatorē ecclesiasticæ potestatis, falsarium, adulatorem atque blasphemium, ad hæc quidem exemplum illius sequi, qui cū malediceretur non maledicebat, ad obiecta autem contra doctrinam in opusculo de comparatione autoritatis Papæ & concilij per me ædito, tuæque reuerendissimæ dominationi dicato contentam pro veritate respondere.

¶ Et licet plura obiecta sint, quæ à viris doctis, (pro quibus solis opus illud scripsisse me ibi sum contestatus,) facilè soluerentur: quia tamen sapientibus & minus sapientibus debitores sumus, qui parati esse debemus omni poscenti nos rationem reddere de ea, quæ in nobis est fide: ideo responsiones iuxta obiectorum amplitudinem extendendæ sunt. Visus est autem conueniens ordo, si obiectiones iuxta ordinem capitulorum illius libelli afferantur, atque soluantur, erunt siquidem hæc velut commentaria illius. Rogo igitur in primis omnes, vt meminerint sermonis formalis & subiectæ materię, meditentúrque diutius, antequàm sententiam proferant, ne multiplicatis argumentis pro gloria ingenij, res tanta de qua agitur, in disputationem dialecticam, aut etiam sophisticam deducatur. Et quoniam communia singulis, & radices ramis præponi debent: ideo & latius secundum vires repetenda sunt rei huiusmodi fundamenta. Sciēdum itaque est, quòd cùm iura positiua ab ecclesiastica sint condita potestate, & in quæstionem versetur ipsius autoritatis ecclesiasticæ subiectum, non ex iure positiuo, sed naturali vel diuino, an vtroque veritas pendet vt ex causa, à positiuo autē iure vt à teste. Et secundum luminis mihi concessi facultatē duo sola sunt fundamenta, alterum iuris naturalis, alterū iuris diuini: in quibus vniuersa moles doctrinæ extollētis communitatem ecclesiæ supra Papam in potestate, sic ꝙ Papa sit illi subditus, sustinetur: quæ si euulsa fuerint, ruēt omnia. Primò igitur hæc tractanda sunt sex capitulis: deinde sigillatim singulis iuxta propositum ordinē respondendum.

CAPVT PRIMVM.

In quo fundamentum iuris naturæ examinatur.

EX NATVRALI igitur iure stabilitur autoritas cōitatis ecclesię supra Papā i hoc, ꝙ de iure naturæ est, ꝙ cōitas perfecta & libera est, ad quam spectat prouidere sibi de principe: & tueri se contra eum quando in destructionem vtitur potestate, & cogere, punire ac amouere illum quando demeretur. Huic enim principio si adiungatur, ꝙ ecclesia vniuersalis est communitas perfecta & libera, & ꝙ ordo gratiæ institutus à Iesu Christo non tollit, sed perficit naturam: manifestè cōcluditur, quòd ad ecclesiam vniuersalem spectat prouidere sibi de Papa, & tueri se contra eum, & punire, ac etiam deponere illum, & vniuersaliter esse supra illum.

HAEC RATIO quamuis in cap. 27. soluta sit, ex eo ꝙ dominus Iesus ecclesiam non reliquit in hoc liberam: altius tamen eadem tractando dicimus, ꝙ natura regiminis cùm sit multiplex ex ipso naturæ fonte (nā quoddam naturaliter in vno, qui est naturale caput communicationis illius, residet: vt patet in regimine domus: cuius autoritas naturaliter in patrefamilias est, quoddam verò naturaliter in ipsa communitate multitudinis manet, vt patet in regiminis ciuitatis, secluso omni super addito dominio) ecclesiasticum regimen cùm domesticum & ciuile complectatur (iuxta illud Apostoli ad Ephesios quarto, Estis ciues Sanctorum & domestici Dei) ac per hoc altius quid sit, non ex diuinæ potentiæ immensitate, nec ex diuinæ sapientiæ, iustitiæ aut bonitatis decentia (quoniam nō est impossibile apud Deum omne verbum, nec dedecere Deum potest quicquid vult) qualis naturæ sit, sed ex ipsa natura facti contemplandum est. Sicut enim domesticum regimen & politicū ex ipsis diffinimus, ita oportet ecclesiastici regiminis naturam ex seipso speculari. Et quoniam naturalis propagatio regiminis sicut & aliarum rerum, orte rei naturam ostendit, libet intueri ꝙ ecclesia nō à singularibus aut à cōmunitate, sed à capite homogeneo Iesu Christo initium sumpsit originis, perfectionis & potestatis, propter quod ecclesiæ suæ dixit Ioan. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Natura igitur ecclesiastici regiminis ab ipsa sua natiuitate est: non vt in communitate sit, nec vt à communitate ad vnum vel plures deriuetur (quemadmodū accidit in regimine ciuili humano) sed vt in vno certo principe suapte natura sit. Et cū princeps iste vnus atque idem dominus Iesus heri, hodie, & in secula viuat & regnet, secundū naturalis iuris consequentiam oportet, vt ad ipsum principem non ad communitatem ecclesiæ spectet in sua absentia ordinare de vicario: non communitatis ecclesiæ, (quæ vtpote serua nata, principandi iure caret,) sed ipsius principis naturalis Domini communitatis ecclesiæ. Et hoc ipsum Saluator noster per semetipsum exequi dignatus est, dum Petrum apostolum solum instituit suum vicarium post resurrectionem, antequam cælos ascenderet: vt patet Ioannis vltimo. Relinquitur igitur quòd sicut princeps ecclesiæ non à communitate ecclesiæ naturaliter autoritatē habet, ita illius vicarius non ab ecclesiæ communitate, sed à Iesu Christo autoritatem naturaliter habet.

¶ Patet ergo primò, quòd ecclesiæ communitas secundū propriam naturam considerata, non est talis naturę, vt ad ipsam spectet prouidere sibi de principe: ac per hoc nec ad ipsam spectat suapte natura punire, deponere, & alia huiusmodi contra principem suum: quia serua (vt dictū est) nata est.

¶ Patet secundò, quòd ecclesiæ communitas secundum propriam naturā sumpta non est talis naturę, vt ad ipsam spectet instituere aut destituere vicariū sui principis, qui vocatur Papa. Et si ecclesiæ communitas potestatem aliquam habet in disponendo de vicario principis, quæcunque sit illa, non habet illam ex sua natura, sed aliunde.

EX HIS autē facilè patet euulsum esse fundamentum iuris naturalis pro potestate ecclesiæ supra Papam, quoniam falsum assumit dicendo ecclesiam esse communitatem liberam quo ad ius principandi: licet sit summa libera libertate gratiæ, quin potius ex ipso naturæ iure supposita ecclesiæ natura, quām Deus illi statuit, oppositum sequi monstratum est. Vnde ordo gratiæ non tollit in ecclesia naturæ ordinem, qui ibi natus est esse. Non enim in ecclesia natus est esse ordo talis, vt eius sit ius principatus, & à gratiæ ordine tollitur: sed in ecclesia ex sua natura natus est ordo talis. vt ius principatus sit non in se, sed in domino suo naturali. Et hunc naturæ ordinem in ecclesia, consequens est quòd gratia non tollat, sed perficiat: & Iesu Christi sapientia disponens omnia suauiter complectatur.

¶ Facilimè quoque patet ex hac radice peruenire, ꝙ omnia, quæ inducuntur conuenire alicui corpori mystico ad ius principatus spectantia, non spectant ad cōitatem ecclesiæ ex sua natura. Dico autem ad ius principatus spectantia, propter ea quæ ad priuatas personas spectant: vt vim vi repellere cū moderamine inculpatæ tutelæ, & auferr gladium de manu furiosi, & si quid eiusmodi est. hæc siquidē discernendo non fallemur. Signum autem infallibile seruitutis ecclesiæ cōitatis, quo ad ius principatus est, quòd non potest sibijpsi regimē retinere, nec duobus aut tribus committere, hæc enim posse communitatem liberam, manifestum est. Potest enim & per seipsam regere, potest & triumuiratum instituere, & alia huiusmodi, etiam supra Regem quem eligunt, quod ecclesiam non posse manifestè liquet: alioquin posset aut in pluribus simul locare potestatem iurisdictionis Papæ, aut officium alis

Universidad de Deusto Biblioteca

quod supra Papam quo ad iurisdictionem & regimē ecclesiæ instituere in vno vel pluribus suppositis, sic & à talibus nominandis, quod loco ipsius communitatis ecclesiæ ecclesiam & Papam regeret. Quia igitur naturale ius fundatum supra ipsam ecclesiæ naturam, non instituit ecclesiam supra Iesu Christi vicarium: perscrutandum est, an aliunde ex iure scilicet diuino ecclesię communitas hoc habeat ius.

CAPVT II.

In quo fundamentum iuris diuini examinatur: & pro quo ecclesia sumitur, cùm dicitur, Dic ecclesiæ.

ET LICET hoc à multis affirmetur, & in Constantiensi atque Basiliensi concilijs diffinitum sit, ꝙ ab ipso principe Iesu Christo ecclesiæ communitas habet immediatè potestatem supra Papam ipsius principis vicarium, nullibi tamen in sacra Scriptura, in qua ius diuinum promulgatur, hoc haberi asseritur: nisi Matthæi decimooctauo, vbi Dominus ait, Si peccauerit in te frater tuus, &c. & subdit, Dic ecclesiæ: & si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, amen dico vobis, quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo: & quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. In his enim verbis patet, quòd ecclesiæ non alicui eius membro (ecclesia enim non aliquod membrū, sed collectionem eorum significat) datum est vt audiat, excōmunicet, liget, soluat omnem fratrem: & quæcunq; super terram. Pluraliter quippe subiectum est, Quæcunque solueritis, ad ostendendam ecclesiæ autoritatem.

¶ Ex hoc textu apparet primò, quòd ecclesia habet immediatè autoritatē à domino Iesu Christo. Per seipsum quippe hoc dixit ecclesiæ, non minus quàm Petro, cùm dixit, Pasce oues meas: &, Quicquid solueris super terram, &c.

Apparet secundò, quòd quum vicarius principis huius sit frater cuiusque fidelis (iuxta illud Matt. 23. Omnes vos fratres estis) quòd si peccauerit in me, potest denunciari ecclesiæ, & procedit secundum subsequentia. Apparet tertiò, quia eiusdem potestatis est esse ordinarium iudicē vicarij principis, & aliorum singulorum membrorum ecclesiæ, & ordinare de illis, quòd ex hoc eodem textu ecclesiæ communitas instituta est simpliciter superior ad ordinandum de vicario Domini & alijs ecclesiæ membris.

HAEC RATIO quamuis in cap. 9 illius libelli multipliciter tractata ac soluta sit, altius tamen & latius (si fieri à me potest) repetenda est: quia hinc omnia pendēt. Et quoniam principia cognoscimus ex terminis, examinemus primò quomodo oportet hic sumi ecclesiam, quū dicitur, Dic ecclesiæ: & si ecclesiam non audierit, &c. Oportet nanque sermonem hunc verificari de ecclesia, aut vniuersaliter, id est de omni ecclesia: aut singulariter de ecclesia vniuersali, seu de ecclesia simpliciter, aut de aliqua determinata ecclesia, aut de ecclesia indistinctè non determinando hanc vel illam. Cùm enim sermo sit de ecclesia in actu audiendi & iudicandi, alius modus esse non potest, quo de ecclesia hoc verificetur. Oportet enim aut omnib⁹, aut alicui ecclesiæ, aut toti vniuersali ecclesiæ competere iudicium hoc à Domino traditum. Et quidem quòd nō singulariter de sola vniuersali ecclesia sermo sit, ex hoc cōuincitur quòd præceptum hoc Domini de denuntiatione peccantis proximi in me, non me obligat ad recurrendum ad vniuersalem ecclesiam. Non enim oportet vt peccante in me fratre meo, & post adhibitos testes incorrigibiliter pernicioso, dicam concilio vniuersalis ecclesiæ, vt patet. Et tamen si sermo iste esset de sola vniuersali ecclesia, præceptum Domini ad hoc obligaret: quia obligat ad dicendū ecclesiæ vniuersali iuxta hūc sensum. Esset enim sensus, Si peccauerit in te frater tuus, &c. dic ecclesiæ vniuersali.

¶ Amplius, Si in hoc textu data est potestas ecclesiæ vniuersali, cùm non sit ei data maior intensiuè potestas quàm Petro, vtrique enim eadem potestas data est dum vtrique dicitur, Quodcunque ligaueris vel solueris super terram, &c.) quomodo ecclesiæ communitas maiorem sibi quàm Petro potestatem iurisdictionis vsurpat: Quomodo rursus Christus æterna sapientia duas æquales intensiuè potestates in ecclesia absq; tertia supra ambas instituit: mutuò enim se impedient: cùm par in parem non habeat imperium. Quomodo perplexas reliquit oues, vel liberas, vt aut obediant cui volunt, aut neutri, aut vtrique præcipienti contraria simul? Non igitur est sermo præsentis textus de sola ecclesia vniuersali.

¶ Et per idem patet, quòd non est sermo de ecclesia simpliciter: vt distinguitur contra ecclesiā talem (vtputa Mediolanensem, Bononiensem, &c.) hoc enim nihil aliud est dicere, quàm quòd est sermo de ecclesia vniuersali, quod exclusum est. Et quia non est maior ratio de vna ecclesia quàm de alia: ideo patet quòd non est sermo de aliqua ecclesia determinatè, nec de omni collectiuè aut distributiuè propter prædictam rationem: quia non teneor denuntiare omnibus ecclesijs peccantem in me fratrem: sed sermo est de ecclesia indistinctè seu indefinite: Ita quòd ecclesiæ datum est iudiciū fratris peccantis, non determinādo hanc, vel illam. Et quoniam actiones sunt singularium, & actor sequitur forum rei, determinatur in qualibet ecclesia à fratre peccante, ad ecclesiam, scilicet fratris peccantis. Ita quòd sensus literalis illius tex. est, Si peccauerit in te frater tuus, dic ecclesiæ illius: & si illam non audierit, &c. Et ad hoc proculdubio obligat præceptum absque vllo inconuenienti, & communi animi conceptione ac consuetudine ecclesiæ roboratur: disponit nanque sic intellecta doctrina Domini omnia suauiter. Nec fallaris malè intelligēdo ecclesiam peccantis fratris: quoniam ecclesia illius est non sola sua propria, sed quæcunque alia iurisdictionem habēs super illam, vt patet.

CAPVT III.

In quo discutitur quid significet ecclesia cum dicitur, Dic ecclesiæ.

DE HOC rursus vocabulo ecclesiæ videndum est quid significet in hoc textu, quum dicitur, Dic ecclesiæ. Et ne in multitudine expositionum vagi æstimemur, admittatur ecclesiam propriè sumi pro conuocatione seu collectione fidelium. Aiunt autem isti quòd ecclesia hoc in loco significat communitatem fidelium non in seipsis, sed in prælatis eorum, siue Papa intersit, siue non.

Sed quòd hîc non sit sensus literalis, ex eo patet, quòd in vna & eadē significatione oportet intelligere in hoc textu ecclesiæ nomen respectu cuiuscūque peccantis ecclesia sit. Quum enim vt ex dictis patet, indistinctè dictum sit, Dic ecclesiæ peccantis fratris (quam ille tenetur audire) & nō magis de vniuersali quàm particulari, aut econtra, oportet vniuocè significare ecclesiam quū applicatur ad vniuersalem, & quum applicatur ad particularem, vt patet. Constat autem quòd cum denuntiandus est frater ecclesiæ illius, id est communitati, siue Episcopus intersit siue non. Ergo cum præcipitur dicendum ecclesiæ indistinctè, non intelligitur communitas, siue caput velit esse, siue nō.

Vnde sciendum est, quòd licet ex vi vocabuli, Dic ecclesiæ, significet, Dic conuocationi, proculdubio fidelium, ex contextu tamen literæ (quia subditur Amen dico vobis, quæcunque solueritis super terram, &c.) sumitur quòd nō de quacunque conuocatione fidelium, sed de autoritatiua intelligitur: alioquin conuocatio fidelium Mediola. sine eius prælato haberet à Domino potestatem iudicādi, &c. Perinde ergo est, Dic ecclesiæ, & Dic autoritatiuæ conuocationi. Constat autem inductiuè in singulis ecclesijs, quòd autoritatiua conuocatio non est, vbi Prælatus illius conuocationis deest: igitur nec autoritatiua conuocatio omnium fidelium est, vbi omnium fidelium pastor & rector, qui est Papa, deest omnino, scilicet tam per se quàm per alium. Et est sermo de autoritatiua conuocatione seu ecclesia simpliciter & absolutè, & non secundum quid, seu respectu huius: puta Papæ hæretici deponendi, vel electionis futuræ, &c. inquirimus siquidem nunc superioritatem simpliciter & absolutè.

¶ Explanatur autē amplius quod dicimus, scilicet quòd in nomine Ecclesiæ in hoc textu clauditur illius ecclesiæ Prælatus. Quia si non includitur prælatus illius, oportet alterum duorum dicere. aut quòd communitas fidelium in ecclesia aliqua particulari habeat etiam inuito Episcopo à Domino iurisdictionis potestatem excommunicandi, &c. aut quòd non de communitate sit dictum, Dic ecclesiæ, & similiter quòd non est ei dictum, Quæcunque solueritis super terram, &c. Sequela patet: quia ecclesiæ data est autoritas, & si nomine Ecclesiæ intelligitur communitas, ipsa communitas velit nolit, Episcopi autoritate habet: & si non habet, relinquitur quòd ipsa non significatur Ecclesiæ nomine, hoc in loco. Primū autē horū affirmari non potest: secundum igitur est verū. In cuius signū, sacrorū doctorū ei cōsonat glossa, Dic ecclesiæ, id est Prælato vt capiti conuocationis. Iuxta hūc etenim sensum etiā ipse, qui est Papa, dicere pōt crimē alterius ecclesiæ, id est autoritatiuæ cōuocationi: vt Nicolaus Papa 11. q. 3. c. præcipuè, Lothario regi cōminando scribit. Nec obstat ꝙ ipsemet sit illius caput: quia hoc est per accidens, scilicet ꝙ denūtiās & prælatus cōuocationis coincidant in vnā & eandē personā. Et si bene cōtextus Euāgelij notetur, vbi vult Dñs autoritatiuā cōuocationē adhiberi in qua ex pluralitate cōuocatorū cōcilij vigor, ex autoritate autē Prælati autoritas iudicij inueniretur. Propter quod etiā conuertit sermonē ab ecclesia ad Prælatos: cū enim prius de ecclesia dixisset, Dic ecclesiæ: & si illam nō audierit, &c. nō subdidit, Amē dico vobis, quicqd solueritis ecclesia sup terrā: sed subdidit. Amē dico vobis, quicquid solueritis, insinuās per hoc cōi quidē conuocationis concilio correctionē tractandam: Prælatorū autem autoritate soluendū ligandúmque (iuxta conclusa) per ecclesiā esse. Pluraliter autem dixit Solueritis, vel propter pluralitatem conuocatorum ad tractādum & concludendū, vel propter pluralitatem capitum in pluribus ecclesijs, de quibus indistinctè dixerat, Dic ecclesiæ.

CAPVT IIII.

An Dominus per illa verba Matth. 18. dederit immediatè potestatem ecclesiæ, & quantum ei dederit.

QVAMVIS autē ex ecclesiæ in hoc textu suppositione & significatione manifestum sit, ꝙ ad ecclesiā vniuersalē non restringitur præsens litera, sed ꝙ indistinctè de ecclesia est sermo: adhuc tū obscurum remanet: & propterea declarādū, an Dñs immediatè dederit potestatē iurisdictionis ecclesiæ indistinctè, & quantā autoritatē eidē dederit. Est autē ratio obscuritatis in primo: quia si dñs dedit immediatè potestatem iurisdictionis ecclesiæ fratris peccātis in me: quū quælibet ecclesia sit talis, sequitur ꝙ quælibet ecclesia habeat immediatè potestatē iurisdictionis a Dño, quod nō bene sonat: si autē nō dedit omni ecclesiæ fratris peccātis in me, quū nō sit maior ratio de vna ꝗ̄ de reliqua: nulli dedit in hoc textu: qđ nō admittitur. Ratio autē obscuritatis in secundo est: quia æqualē potestatē cōtinēt verba dicta in hoc textu Ecclesiæ: & verba dicta Petro, scilicet, Quæcunq; ligaueritis super terrā, erūt ligata & in cęlo, & quæcūq; solueritis sup terrā erūt soluta & in cælo. Non consonat autem æquales esse in ecclesia Dei potestates iurisdictionis non habentes in eadem aliquam tertiam supra se: principatuum enim pluralitas mala est.

PRINCIPIVM autē huius claritatis sumendū puto à destructione sensus opinati, vt vel sic veritas elucescat. Dicēdū est ergo primò, ꝙ ipsum dñm dare immediatè potestatē illā, Quæcūq; solueritis, cōitati vniuersalis ecclesiæ, repugnat ordini inter Papā & ecclesiā: quia: (vt dictū est,) ponit duas æquales intēsiuè potestates iurisdictionis in ecclesia, nō habētes tertiā supra se in eadē ecclesia, à Dño immediatè ordinatas: scilicet cōitatis ecclesiæ vniuersalis, & Papæ. Patet sequela ex textu Matt. 16. & Matt. 18. vbi (vt dictū est) eadē verba vtriq; dicta legūtur. Et licet hoc sit secūdū se inconueniēs: maius tñ ostenditur, si attēdamus qūo Christus æterna sapiētia, principatuū pluralitatē in ecclesia instituit, qūo mutuò sese impedirēt duæ potestates, qūo perplexæ essent oues Christi, vel liberæ cōtraria præcipiētibus, vt aut obedirēt alteri ad libitum, aut neutri, aut vtriq; ad contraria: quod est impossibile. Et quod amplius est, si hæc etiam poneretur dari immediatè potestas vniuersali ecclesię, vnde sibi potestatē supra papā habētē æqualē cōitas ecclesiæ vēdicaret: cū par in parem nō habeat imperiū. Quū enim potestas intensiuè æqua sit qua rōne ecclesia supra Papā, quia mēbrū eius iurisdictionem haberet, quia dictum est, Si peccauerit, &c. Dic ecclesiæ: eadem ratione, quia ecclesia est ouile Papæ, quia dictū est: Fiet vnum ouile, & vnus pastor, Papa supra ecclesiæ cōitatem iurisdictionē haberet, aut neuter super alterum.

¶ Dicēdū est secūdò, ꝙ ipsum dare immediatè potestatē illā, Quæcūq; solueritis, &c. cōitati cuiuscūq; ecclesiæ, repugnat cōsuetudini ecclesiæ & est semper sermo de cōitate ecclesiæ, vt aduersarij intelligunt: scilicet siue prælatus adsit, siue non omnino. Patet hoc ex cōi ecclesiæ consuetudine, qua talis cōitas inuito suo Episcopo & Papa nō potest absoluere & ligare: quæ tñ posset si à Domino immediatè haberet potestatem communitas cuiusque ecclesiæ.

¶ Dicēdū est tertiò, ꝙ ipsum dare immediatè potestatē, Quæcūque solueritis super terrā, erit, &c. in sua amplitudine vt sonat cuicūq; ecclesiæ autorizatæ proprio capite, nisi cuius propriū caput est Papa, repugnat ecclesiarū ordini essentiali, & earū professioni. Ordini quidē: quia si ex hoc loco summa autoritas cuicunque ecclesiæ autorizatæ proprio capite (vt Dñs loquitur) indistinctè data asseritur à Dño immediatè oportet dicere duo. primò quod quælibet ecclesia immediatè habet autoritatē à Dño. Scdo, ꝙ quælibet ecclesia habet æqualē intensiuè à Dño potestatē iurisdictionis: quis extēsiuè vna excedat alterā, & vniuersalis ecclesia oēs. Et cōuincitur sequela vtriusque: quia ecclesiæ indistinctè, immediatè & inæqualiter datū est, (vt patet in litera & ex dictis,) & non magis vni ꝗ̄ alteri: vt patet ibidē. Et ex hoc sequitur vlterius vtraq; pars cōtradictionis: scilicet ꝙ vna ecclesia est superior simpliciter, & nō est superior simpliciter altera. Nā ex eo ꝙ quælibet ecclesia habet à Dño in suos potestatem, sequitur ꝙ ecclesia vna, puta vniuersalis, est superior simpliciter qualibet ecclesia particulari (vtpote eius mēbro) ac per hoc pōt disponere & ordinare de illa: & ordinare aliquid de illius potestate, irritādo si secus factū fuerit. Ex eo verò ꝙ quælibet ecclesia habet à Dño immediatè potestatē æqualē intensiuè, sequitur ꝙ ecclesia vniuersalis nō pōt aliquid subtrahere potestati iurisdictionis ecclesiæ particularis: potestas enim data alicui à principe, nō pōt ab inferiori auferri. Et cōsequēter sequitur, ꝙ ecclesia vniuersalis nō est simpliciter superior secūdū potestatē iurisdictionis respectu ecclesię particularis: superioris enim potestatis iurisditionis simpliciter est posse irritare inferioris actū, si hoc faciat. Reliqua incōueniētia quæ sequūtur ex æqualitate intēsiua potestatis iurisdictionis in qualibet ecclesia (vtputa ꝙ subditus nō tenetur magis vniuersali ꝗ̄ particulari obedire, ꝙ par in parē habet imperium, ꝙ quicquid ab vna fit, à reliqua pōt impediri, & reliqua) viris mediocriter doctis relinquo deducēda. Professioni autem ecclesiarū hoc repugnat: qa Papa reseruāte vel prohibēte, &c. ecclesiæ reliquę potestatē iurisdictionis in reseruatis prohibitis, &c. se non habere cōfitentur: quod nō vere dicerent si illam potestatem à Domino immediatè accepissent. Et est sermo semper in huiusmodi de Dare ordinario iure potestatem.

EX QVIBVS omnibus collige, quū hæc potestas tā ampla soli Petri ecclesiæ cōueniat, & hęc verba nō soli Petri ecclesiæ dicta sint, ꝙ per hæc verba aut nulla ordinaria potestas iurisdictionis data est, aut nō tam ampla vt est illa data Petro. Et verè sic est. verba siquidem Dñi manifestè cōtinent potestatē iurisdictionis in ecclesia (nec hoc vertēdū est in dubiū) sed nō cōtinent ꝙ per ipsa data sit à Dño talis potestas, vt discurrēdo per singula, & rōne manifestatur. Discurrēdo quidē per singula: nā per illud verbū, Dic ecclesiæ, nulla datur potestas, sed præcipitur denuntiatio. perinde enim est, Dic ecclesiæ, ac Dic iudici: vbi patet nō dari iurisdictionē, sed pręcipi denuntiationē. Per illud verò, Si ecclesiā nō audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus: quū perinde sit, ac si iudicē nō audierit sit tibi sicut ethnic⁹ & publican⁹ manifestè patet nullā dari ptātē, sed i casu ptinaciæ euitationē illius à Dño indici. Per illud demū, Amē dico vobis, quæcūq; solueritis, &c. nullā etiā dari tūc ptātē ex eo patet, ꝙ nec Petro ex eisdem verbis scilicet. Quicqd solueris, &c. vlla data est tūc ptās, sed post resurrectionē Dñi, quū dictum ei est, Pasce oues meas. Ratione autē, Nā ptās iurisdictionis cōtenta in his Dñi verbis, aut est data tunc ecclesiæ, cui Dñs loquitur, aut nō est data tunc: inter hæc enim cū contradictoriè opponantur, nō datur mediū. Si non, habetur intentū. Si est data tunc ecclesiæ, ergo cuilibet collationi seu cōuocationi fideliū cui ecclesiæ nomen verè cōuenit, data est à Domino immediatè potestas illa iurisdictionis: hoc autē spectat ad hæresim pauperum de Lugduno, dicentium quòd vbi sunt fideles cōgregati in nomine Domini, ibi est potestas, eo ꝙ potestas sequitur sanctitatē personæ: solū enim differt ab ea secundū vnū & multa. Sequela autem patet: quia Dominus indistinctè de ecclesia loquens, ad quācūque ecclesiā peccantis fratris præceptū sententiámque extendit. Constat autē collectionē seu cōuocationē fidelium sine prælato aliquo inter eos Ecclesiæ nomen verè habere.

Et cōfirmatur, ꝙ de taliū collectione oporteat istos cōcedere ecclesiam ibi dici: quia quod est, non fit, & habenti non datur quod habet. si ergo ecclesia per hæc sit habens

Universidad de Deusto Biblioteca

potestatē,ipsa nō habet illā,ergo illa collectio in sermone est,quæ non habet autoritatē,sed hinc accipit.Et cùm non sit maior ratio de vna q̄ de alia:sequitur idē quod prius, scilicet ꝙ quælibet fidelium collectio à Domino hinc habuerit autoritatē iurisdictionis. Si dicatur,ꝙ Ecclesię nomine intelligitur hic collectio fidelium autorizata, tunc currit ratio prius dicta de ordine essentiali ecclesiarū. Et obstat ipsum Dare:quia habenti non datur: & quod est potestatem habens,non fit potestatem habens.

QVIA igitur ex prædictis patet,ꝙ autoritas iurisdictionis in verbis Domini cōtinetur:& nō est per hæc verba data,dicēdū est,ꝙ per hæc verba,Dominus vltra præceptū de correctione fraterna,denūtiatione illiúsq; ordine, efficaciā ecclesiasticæ potestatis iurisdictionis ad literā expressit per illa verba,Si ecclesiā nō audierit,&c.&,Quæcunq; solueritis super terrā,&c.ostēdit enim tantæ efficaciæ ecclesiæ esse sentētiā,vt indubiè à nobis seruāda,& in cælo rata sit.Et hoc solùm per illa verba Dominus fecit: potestatē enim ecclesiæ aliàs supponebat. Et potest admitti,ꝙ promisit illā per illa verba,Quæcunq; solueritis, sed ad verūq; horū scilicet ꝙ potestas supposita est & ꝓmissa sat est,si quādoque data est:& similiter quo ad modum,si mediatè vel immediatè data est.Petro siquidē, ac per hoc eius ecclesiæ immediatè potestatē dedit post resurrectionē dicēs,Pasce oues meas,reliquis verò ecclesijs mediāte Petro secundū cursum ordinarium:q̄uis dispensatiuè mediātibus alijs Apostolis,quibus potest concedi hoc esse permissum. Est ergo sensus literalis verborū Domini,ꝙ tanta esset futura ecclesiæ cuiusq; autorizatæ potestas in sibi subditis vt sic,vt sentētia eius & coram hominibus & in cælo esset valida.Et hic sensus est amplectēdus:vtpote cui omnia cōsonant,& series textus,& sensus verborū,vt autoritates Sanctorum, & consuetudo ecclesiæ, & euitatio omniū incōuenietiū: quæ omnia propter iam dicta hîc & in libello illo prosequenda omitto.Satis enim patere puto hæc,& quòd promissioni Domini sufficiat exhibitio quā mediante Petro ordinariè,& mediantibus alijs Apostolis per viam legationis omnibus ecclesijs fecit.

CAPVT V.

Quomodo ecclesia habeat potestatem iurisdictionis, quæ in verbis Domini continetur,an scilicet ratione suæ totalitatis,an ratione partis.

QVIA autem constat ecclesiā, de qua Dominus loquitur,habere potestatem iurisdictionis,quantumcunque per illa verba non sit ei data,& varijs modis intelligi hoc potest,opportunum videtur discutere modū, quo potest is iurisdictionis est in ecclesia.

¶ Sciendum igitur est,ꝙ dupliciter potest intelligi ecclesia ad literam cui peccatū fratris peccantis dicendū mandat Dominus,habere potestatē iurisdictionis in foro exteriori,(de quo est sermo)iuxta duos modos, quibus de ecclesia,quæ quoddā totum significat, aliquid verificatur. Primò,ratione partis;secūdò, ratione ipsius totalitatis seu totius:Sicut de homine,qui etiā quoddā totū est, dicimus ꝙ videt,ꝙ audit,&c.& verificatur ratione partis: quia videt per oculū,audit per aurē,&c.& rursus dicimus de eodem,ꝙ perfectissimū est animaliū,ꝙ est animal politicum,& huiusmodi:& verificatur ratione ipsius totius,vt patet.Et quidē ꝙ de ecclesia ratione partis,(puta capitis.) verificatur ꝙ habet potestatē iurisdictionis soluendi & ligandi in foro exteriori,dubiū nō est:& sic solū,(vt probabitur amplius,)ad literā verificari potest sermo Euāgelij, ꝙ ecclesia habeat potestatē.Quòd autē de ecclesia ratione ipsius totius hoc verificetur,multipliciter imaginari pōt. Primò accipiendo ecclesiā quasi totū homogeneum,id est similis naturæ per totū prout ecclesia est collectio fideliū: oēs enim fideles inquātū fideles,vnius sunt naturæ.Et sic esset sensus,ꝙ ecclesia,id est collectio fideliū,habet potestatem iurisdictionis,&c.Et si in hoc sensu intelligatur, Hic ecclesiæ,sequitur ꝙ cū in fide non sit differētia sexus & status,ꝙ ecclesia laicorū & fœminarū haberet iurisdictionē in foro exteriori.Et tenet sequela,tum quia oēs fideles sunt eiusdē naturæ:tum quia si cōtingat in aliqua ecclesia mori clericos oēs,remanet ibi verè ecclesia in hoc sensu, id est collectio fideliū:& cōsequenter secundū istā phantasiam illa haberet potestatē excōicandi.Imò si bene cōsideretur sumendo ecclesiā vt totū homogeneū:quoniā fides sola est eius natura,accidit illi toti,ꝙ aliqua eius pars sit status clericalis:quia in illo toto vt sic potestas ponitur. Secūdo ergo pōt intelligi,sumēdo ecclesiā vt totū heterogeneum, id est dissimilis naturæ:prout ecclesia cōstat ex oibus membris officialibus,(puta Episcopo,Sacerdote,Diacono,vel alijs quomodolibet assignandis mēbris)hoc enim totū est quasi corpus constans ex oculis,manibus,&c.Et sic esset sensus,Dic ecclesiæ,id est cōuocationi integræ membrorum ecclesiæ.Et si in hoc sensu intelligatur,ꝙ illius totū rōne suæ totalitatis habet potestatē iurisdictionis,obstant tria, primò ꝙ æqualis potestas intensiuè poneretur in qualibet ecclesia:q̄m vna tantū potestas à Domino nominata est: & nō magis de vna q̄ de alia ecclesia,vt patet in litera,& ex antedictis.Secūdò,ꝙ esset maior intēsiuè potestas in ecclesia,q̄ illa,Quodcūq; ligaueris super terrā,&c.Et tenet sequela:ꝙ potestas totius ecclesiæ rōne suæ totalitatis ponitur superior,etiā respectu papatus.Falsitas autem consequentis patet etiā ex verbis Domini eadē verba replicantis,quæ Petro dixerat,scilicet,Quæcunq; solueritis super terrā.Tertiò,ꝙ nō esset data à Christo immediatè,Matth. 18.quòd tamē est totū fundamētū istorū.Et tenet sequela: quia tūc non erat institutū sacramentū ordinis:quod constat esse institutū simul cū eucharistiæ sacramēto,pridie q̄ Dominus pateretur.Nō igitur dedit Dominus tūc ecclesiæ,id est cōitati Sacerdotū Diaconorū & Episcoporum (qui integrāt generale conciliū)potestatē iurisdictionis:quia non erāt Sacerdotes,nec Diaconi,nec Episcopi, nec Clerici:nō enti autē nil datur. Et si dicatur,ꝙ Dominus tunc non dedit,sed promisit se daturū in illis verbis, Quæcūq; alligaueritis,&c.habeo intentū,ꝙ nullibi in sacra Scriptura habetur,ꝙ Dominus per semetipsum immediatè ecclesiæ cōitati potestatem iurisdictionis dedit. Et si instetur quia quod promisit seruauit:patet respōsio,ꝙ nō promisit per semetipsum immediatè se daturū (vt patet in litera)& ideo nō oportet,ꝙ hoc obseruauerit:satis namq; fecisset promissioni suæ, sicut in veritate de facto verificauit illa verba sua mediante Petro in vniuersis ecclesijs.

Quia igitur de ecclesiæ cōmunitate quomodolibet sumatur,non verificantur ratione suæ totalitatis verba Domini,Matt.18.in quibus totū fit fundamentū ex autoritate Scripturæ,tota aduersariorū opinio stat in hoc, ꝙ communitas ecclesiæ ratione suæ totalitatis habet potestatem immediatè à Domino:cōsequens est vt verba Domini verificentur de ecclesia ratione partis(puta capitis) vt prædictum est.Et propterea communis animi conceptio fideliū est,Dic ecclesiæ,id est Prælato ecclesiastico,ratione cuius ecclesia ipsam potestatem habet.

CAPVT VI.

Quomodo potest,(condescendendo multorum sensui,) intelligi quòd ecclesia ratione suæ totalitatis habere potest & habet quandoque potestatem aliquam iurisdictionis.

OBSERVANDVM quoq; est, ne fallamur,videntes quandoq; autoritatē iurisdictionis ecclesiasticæ in ecclesia ratione suæ totalitatis:& ꝓpterea falsa iudicemus prædicta.Nō enim docuimus aut docemus nō cōuenire ecclesiæ potestatē quandoque ratione suæ totalitatis,sed sic non esse datā ei à domino Iesu Christo immediatè per illa verba Matthæ.18.Nō nego enim,ꝙ Episcopi orientales conuenientes, possint simul quasi vnū corpus & vnam autoritatē ex suis cōficere,se etiā singulos subijciendo illi:& sic illa potestas in toto illo corpore ratione suæ totalitatis existēs,statuet supra illas ecclesias,actúsque iurisdictionis exercebit.Sed tū nihil poterit illa potestas, nisi quod ex potestatibus singulis & illarū subiectis consurgere potest.Propter quod si esset aliquid reseruatū Romano pontifici,non posset potestas illa absoluere ab illo.

Et similiter oēs vniuersi orbis Prælati,mortuo summo Pontifice vel sine illo,si cōuenirēt cōicādo in vnū corpus & vnanimes in cōstituēdo,cōstituerēt in tota synodo illa potestatē vnā super oēs ecclesias,his tū exceptis,quæ summi Pōtifi.sunt propria.Simili quoq; modo,quū Papa cū reliqs prælatis orbis cōciliū celebrādo simul cū eis constituit,absoluit damnat,&c.cōicando cū alijs,quasi vnus ex eis facere videtur.In his enim omnibus & similibus non est aliqua potestas immediatè data à Domino Iesu Christo ipsi cōitati primo: nec est aliqua extranea potestas à potestatibus partialibus sed velut potestas totalis cōsurgens ex partialibus. Quemadmodum enim in naturalibus inuenitur differre forma à forma, dupliciter: scilicet vt vna forma separata ab alia,vt forma solis à formis mixtorum,& vt forma totius à forma partis, vt humanitas ab anima hominis:ita potestas Papæ differt ab alijs primo modo:& potestas synodi differt ab his ex quib' accumulatur,secūdo modo.Et ista potestas in tota synodo per viam cōmunionis seu accumulationis in cōmuni à singulis partibus liberalius vel minus liberaliter,prout partib' & præcipuè principi videtur,qui nunq; totam suam autoritatem accumulare in communi intelligitur, sed q̄tum ad illa tractāda expedit.In cuius signū non intelligitur, se subijcere synodi potestati coactiuè, quātumcunq; statutis synodi cōsentiat,cōmunibus ecclesiæ personis. Et ex hoc patet,ꝙ si tota ecclesia,secluso Papa,aliquē præficeret cutæ ecclesiæ,ille esset subditus Papæ,nec posset à casu papali absoluere:quod nō esset,si ecclesia haberet vniuersalē & plenā potestatē immediatè à Christo ratione suæ totalitatis,secluso Papa.Et similiter Papa potest q̄tū est ex potestatis autoritate,tollere statuta cōcilij generalis, etiā de cōsensu & autoritate sua facta:quod nō esset si ecclesia integra ratione suæ totalitatis haberet potestatem vniuersalem & plenā à Dño Iesu Christo. Ex omnibus autem dictis euulsam iam esse radicem ex iure diuino opinatam potestatis ecclesiæ supra Papam,liquidò apparet.

TRACTATVS SECVNDI

Apologiæ secunda pars in nouem & viginti capita diuisa.

SVMMARIVM.

1 Responsio ad obiectionem contra illud,quòd Dominus ecclesiæ regimen sic ordinauit,vt summum Pontificē instituerit:à quo via ordinaria in reliquum ecclesiæ potestas deriuaret: & quòd Apostolis alijs via præuentionis gratuitæ potestatem dedit.

2 Responsio ad obiectiones contra illud:quòd Papa est caput vniuersalis ecclesiæ,& non solùm singulorum membrorum.

3 Responsio ad obiectiones contra illud:quòd concilium autorizatum à Papa,non est maioris autoritatis,quàm ipse Papa.

4 Responsio ad obiectiones contra illud, Si communitas ecclesiæ secluso Papa haberet potestatem supra Papam,ecclesiæ regimen esset populare.

5 Responsio ad obiectiones contra illud,quòd Papa est supra communitati totius ecclesiæ ex illa autoritate,Pasce oues meas:& quòd Papa est pastor vniuersalis ecclesiæ & non solum singularum ouium.

6 Responsio ad obiectiones contra illud ex illa autoritate, fiet vnū ouile & vnus pastor,quòd Papa est pastor illius ouilis,& nō ecōuerso.

7 Responsio ad obiectiones contra illud,Non minus Papa est pastor ecclesiæ catholicæ,quàm quilibet episcopus ecclesiæ suæ,inferendo ex hoc superioritatem Papæ ad ecclesiam.

8 Responsio ad obiectiones contra illud,Papa habet supremam potestatem in ecclesia,ergo est super vniuersalem ecclesiam.

9 Responsio ad obiectiones contra illud,Papa est proximus & immediatus vicarius Christi, ergo nullam habet in terris potestatem priorem se,&c.

10 Responsio ad obiectiones septem contra illud,Papæ potestas est supra ecclesiam vniuersalem & concilium generale,vt distinguitur contra Papam.

11 Responsio ad obiectiones contra illud,quòd Constan.concilium pro tēpore,quo fecit decreta de potestate synodi,non erat verū concilium vniuersalis ecclesiæ,& quòd Basilien. concilium errauit illud sequendo.

12 Responsio ad obiectiones contra glossam datam ad illa verba Augu. Quando Petrus claues accepit,ecclesiam significauit:quòd per hoc intelligitur claues officio capitis in Petro & successoribus datas esse.

13 Responsio ad nouem obiectiones contra illud,quòd Papa non potest errare errore iudiciali in fide,quia ad ipsum spectat finalis determinatio de fide.

14 Responsio ad obiectiones contra illam rationem,qua Papa non potest errare in fide: quia scilicet esset error vniuersalis ecclesiæ, quia tenetur sequi diffinitionem Papæ in fide.

15 Responsio ad obiectiones contra expositionem illius verbi Hiero. Si autoritas quæritur,orbis est maior vrbe.

16 Responsio ad obiectionem contra multas autoritates ex libro Decretorum,quibus probatur Papam non habere superiorem in terris.

17 Responsio ad septem obiectiones contra illud,quòd ecclesiæ Dei secluso Papa nō est data potestas papalis aut superior papali in Euangelio Matth.18.& quòd in ecclesia huiusmodi non est talis potestas.

18 Responsio ad obiectiones contra illud,quòd ex missum esse, non sequitur esse subditum.

19 Responsio ad obiectiones contra illud,quòd ex 36.q.2.cap.placuit, iuncto cap.tria habetur,quòd Hiero. autoritas innixa sacræ scripturæ præualuit concilio.

20 Responsio ad obiectionem contra hoc,quòd ex autoritate decretal.de electi.in cap.significasti,dicitur quòd concilia à Papa habent autoritatem.

21 Responsio ad obiectiones multas contra illud,quòd concilium generale legitimè congregatum potest errare in diffiniendo,Papa absente vel non consentiente.

22 Responsio ad plures obiectiones contra illud,quòd potestas applicatiua papatus ad personā,seu potestas electiua Papæ, est regulariter & principaliter in Papa,& non nisi in casu in concilio.

23 Responsio ad obiectiones contra illud,quòd in ecclesia est potestas autoritatiua super coniunctionem Petri & papatus, non autem super Papam.

24 Responsio ad obiectiones contra illud,quòd Papa posset cōmittere potestatem depositiuam Papæ heretici collegio Cardinalium.

25 Responsio ad obiectiones contra rationem datam, quare pro infidelitate sola potest Papa deponi:quia scilicet sola infidelitas inter crimina contrariatur ad esse Papæ.

26 Responsio ad obiectiones contra illud, quòd ex sacra Scriptura solus casus hæresis excipitur ab impunibilitate Papæ respectu ecclesiæ.

27 Responsio ad obiectiones contra hoc, quòd in solo casu hæresis Papa subijcitur ecclesiæ,ita quòd possit deponi.

28 Responsio ad obiectiones contra illud,quòd propter scandalum nō est præscindendum caput iuxta Domini sententiam,Matth.18.

29 Responsio ad obiectiones contra illud,quòd Deus optimè prouidit ecclesiæ,disponens quòd orationis remedio contra malum Papam vteretur,non autem depositionis potestate.

IN NOVEM ET VIGINTI CAPITA

Apologiæ secundæ de comparata autoritate Papæ & Concilij.

ET SIC CVM VTRIVSQVE Iuris, naturalis scilicet & diuini fundamentum ademptum sit, ad singula obiecta descendendum est.

CAPVT PRIMVM.

DIXI IN CAPITE Tertio illius libelli Dominum ordinasse sic ecclesiæ regimen,vt Petrum summam Pontificem instituerit,à quo via ordinaria in reliquum ecclesiæ potestas deriuaret: & quòd ipse Dominus via præuentionis gratuitæ Apostolis alijs potestatem dedit.

OBIICITVR CONTRA, In ecclesia fuit potestas electiua Papæ,antequam Petrus fuerit Papa:ergo,cum maiori apparentia diceretur,Christum cum fecit Petrum summū Pont.præuenisse ecclesiam: & id ex gratia Petro contulisse qd ecclesia potuisset ordinare ex Christi institutione,quàm quòd præuenerit Petrū,dando Apostolis potestatem.Antecedens probatur:quia potestas electiua est in ecclesia à Christo.Matth.18.&c.

RESPONDEO, Quòd assumptum est falsum: nam,cùm electio Papæ sit vicarij principis electio, & ordinariè electio vicarij vniuscuiusq; principis viui & præsentis spectet ad ipsum principem:consequens est, vt cum Dominus vsq; in diem ascēsionis vt princeps præsens fuerit in ecclesia,ad ipsum ordinariè spectabat tūc electio sui vicarij. Nec vnquam inuenitur ꝙ in Matth.18.nec alibi Dominus dederit ecclesiæ ius eligendi suū vicarium ipso præsente.Vnde Dominus non præueniēdo, sed instituēdo & exequendo quod promiserat Matth.16.Tibi dabo claues regni cælorum,&c.& Io.10.Fiet vnum ouile & vnus pastor,Petrum Papam & papatum simul instituit. Rursus,(vt per antedicta patet.)Matt.18.potestas electiua Papæ non est data ecclesiæ.Quomodo autem & vnde potestas electiua Papæ sit in ecclesia,inferius in.c.22.dicetur.

¶ Et aduerte hîc,ꝙ præuētio quam ego dixi, super ipsius ecclesiæ & Sanctorum determinatione fundatur. Quòd enim à Petro ordinariè potestas in reliquum ecclesiæ corpus deriuanda sit,Leo in cap.ita Dominus,distin.19.manifestat.Quòd etiā Dominus ipsum ordinaria via instituerit,ex hoc quòd non ipsum solum,sed in ipso omnes successores suos instituit habetur:hoc enim statuentis, non præuenientis est:sicut per oppositum, quia reliquos Apostolos in proprijs tantum personis, & non in successoribus suis legatos vniuersales fecit,ad preuentionem gratuitam spectat.Hæc enim ecclesia fatetur,Petri solius successorem vniuersali potestate cognoscens. Et per hoc etiam patet non fuisse in ecclesia ante institutum Petrum papā, potestatem electiuam Papæ.Nam tantam potestatem habet nunc quantam tūc:quum Papa non possit illā auferre,&

Universidad de Deusto Biblioteca

Dominus qui instituendo dederat, eam statim non diminuerit præueniendo secundum illos in institutione Petri. Quemadmodum igitur poterat tunc quemlibet alium Episcopum in Papam eligere, ita mortuo Petro qui ex gratia factus fuerat à principe, potest alium Episcopum, quàm Romanum Papam instituere. Et sic Ro. pontifex recognoscere debet se prælatum cæteris ab ecclesia, hoc illi concedente, non auferẽdo saltem: cuius tamen oppositum docet Pelagius in capit. quamuis. distinct. 21. Sancta Ro. ecclesia catholica & apostolica, nullis synodochis cõstitutis cæteris ecclesijs prælata est, sed euangelica voce Domini & Saluatoris primatum obtinuit.

¶ Amplius, Si Dominus immediatè dedit hanc potestatem electiuam Papæ vniuersali ecclesię, qua præsumptione clerus Romanus & populus eius, &c. vsurpauerunt sibi hanc potestatem electiuam Papæ tanto tempore antequam institutum aut approbatum fuerit per generale concilium de electoribus? qua conscientia tot sancti viri electionem toti ecclesiæ à Christo commissam irrequisitis alijs à paucissimis tractauerunt, fecerunt, acceptauerunt, exercuerunt. Sed de his latior erit sermo: hæc autem dicta sunt ad ostendendam falsitatem assumpti in hac obiectione.

CAPVT II.

DIXI in cap. 4. eiusdem, quòd præualuisset sententia Io. &c. Sed obiectio contradictionis propriè in cap. 13. tractabitur.

DIXI in c. 6. eiusdem, Papam esse caput ecclesiæ vniuersalis, non solum singulorum membrorum, vt inimici veritatis glossant.

OBIICITVR contra hoc dupliciter. Primò, Quia falsum est Papam esse caput ecclesiæ vniuersalis collectiuè sumptæ. Tamen, quoniam ecclesia non est Petri, sed Christi: iuxta illud Matth. 16. Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, non tuam. Tum quia Papa est minister ecclesiæ, non Dominus: ecclesia autem est cui ministratur: ac per hoc maior: iuxta dictum Saluatoris, Maior est qui recumbit, quàm qui ministrat. Tum quia omnes autoritates dicentes Papam esse caput ecclesiæ, intelliguntur de ecclesia pro singulis ecclesijs particularibus, respectu quorum est caput ministeriale, & non pro tota ecclesia collectiuè.

¶ Secundò, Quia licet concedatur Petrum esse caput ministeriale etiam totius ecclesiæ vniuersalis: non tamẽ oportet omnem proprietatem capitis in eo saluari: & specialiter superioritatem in autoritate respectu totius residui. Et hoc præcipuè, quia tota ecclesia non dicitur corpus Petri, sed corpus Christi: vt patet ad Roma. 12. Et confirmatur hoc quia Rex dicitur caput regni, non tamen propterea est regno congregato superior, sed qualibet eius parte.

RESPONDEO. Et ad primi quidem probationem primam, quòd ecclesiam non esse Petri, sed Christi, non arguit Petrum non esse caput eius: sed Petrum non esse caput illius ex se, sed loco Christi: vt patet. Ad secũdam verò probationem, quòd Petrum esse ministrum ecclesię, vt cui ministrat, non est esse inferiorem potestate, sed exercitio: vnde ipse Dominus de seipso dicit, quòd venit ministrare, & Papa vocat se seruum seruorum Dei: & sic est in veritate. Ecclesiam autem esse maiorem Papa vt finis est maior eo quod est ad finem, verificatur quòd est esse melius: in his enim, quæ non mole magna sunt, idẽ est maius quod melius secundum Augu. papatus siquidem est propter ecclesiam, & non econtrario. Vnde ex hoc, quòd Papa non est Dominus, sed minister, & ecclesia maior bonitate & nobilitate, nihil habetur contra potestatem capitis contra quam tenditur. Ad glossam demum communem, dicitur quòd licet multæ autoritates possent sic glossari, non omnes tamẽ sunt illius capaces: vt in libro ostensum est.

¶ Ad secundum autem dicitur, quòd ecclesiam non esse corpus Petri, sed Christi, verum est: quia Christus non solum caput mysticum eius, sed mysticum suppositũ ipsius est: vt patet ad Ephe. 1. Vbi de Christo duo dicũtur quòd est caput ecclesiæ, & quòd ecclesia est corpus eius. Et primæ ad Cor. 12. expressè dicitur. Sicut enim vnum corpus est, & multa membra habet, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnũ tamen corpus sunt: ita & Christus. Ex hoc autem, quòd ecclesia est corpus Christi & nõ Petri, non sequitur quòd Petrus non sit caput loco Christi, sed quòd Petrus non ille qui operatur per membra huius corporis, sed Christus, qui per Petrum & cæteros operatur. Et similiter nõ sequitur, quòd illud caput loco Christi non sit superius autoritate residuo corporis Christi, vt manifestè liquet. Ad confirmationem dicitur dupliciter. Primò quòd nullus dicit, quòd ex esse qualecunque caput alicuius multitudinis, sequatur potestas iurisdictionis super illa multitudine, cùm multipliciter aliquid possit dici caput alterius metaphoricè. Papa autem est sic caput, quòd est Pastor. Episcopus, & rector totius ecclesiæ, & non solùm singularum: vt autoritatibus & ratione ibi probatum est. Dicitur secundò, quòd sicut Rex est caput regni, ita superior eo. & propterea rex qui dependet à regno collectiuè, non est caput illius: & ideo non est superior eo, sed singulis partibus. Rex autem qui etiã à regno collectiuè non dependent (vt est Rex regum) est caput etiã totius congregati, & superior eo. Vnde arguere ab esse caput in Rege dependente à regno, ad esse caput in Papa, nõ est rectum: eo quòd Papa non dependet à regno ecclesiæ, nec vices ecclesiæ gerit sicut Rex talis vices regni: sed solius Iesu Christi vicarius est.

CAPVT III.

DIXI in eodem capitul. 6. quòd potestas electiua ipsius Papæ, in Papæ potestate est. Sed quia in capitul. 22. latius tractatur, ibidem obiecta soluentur.

DIXI in eodem capit. 6. quòd non est maioris autoritatis concilium autorizatum à Papa, quàm ipse Papa.

OBIICITVR CONTRA, Primò ex glossa in cap. legimus. 93. distinct. Statuta concilij generalis præiudicant statutis Papæ, si contradicant.

¶ Secundò, quia constitutio Calcedonensis concilij præualuit reclamationi Leonis de Constantinopolitana sede: vt patet in cap. antiqua. de priuilegijs. & 22. di. renouãtes.

¶ Tertiò, quia consuetudo generalis ecclesiæ pontificale statutum abrogat.

RESPONDEO. Et de glossa primo dico, quòd ipsamet non assertiuè dicit illam sententiam, sed argumentum ad illam dicit: vt patet etiam ex seipsa in capit. nemo q. 9. ad quam se remittit.

¶ Secundò dicitur, quòd verificatur de statuto concilij superuenientis statuto Papæ; quoniam quemadmodum ipsemet Papa ius condendo priori contrarium, illud tollit (vt patet in cap. licet in sexto) ita etiam concilij autorizati à Papa constitutio, Papæ cõstitutionem priorem contrariam tollit.

¶ De vigore autem concilij circa sedem Constantinopolitanam, dicitur quòd non concludit superioritatem concilij supra Papam, sed tolerantiam Papæ. Videmus enim continuè prælatos cedere multitudini magnatum: quamuis si potestate vti vellent, compescere possent. Quamuis de reclamatione Leonis nihil in capitulis illis habeatur, imò ibi humilis est loquutio dicentium, petimus, &c.

¶ De vi autem consuetudinis vniuersalis dicitur, quòd si hoc concluderet ecclesiam supra Papam: concluderet etiã ecclesiam supra seipsam ecclesiam: quoniam etiam statutũ vniuersalis ecclesiæ, generalis consuetudo abrogat: vnde abrogatio istiusmodi non fit potestatiuè, sed executiuè ex parte ecclesiæ, & negatiuè ex parte principis: quia scilicet non cogit.

CAPVT IIII.

DIXI In eodem sexto capit. quòd, si ecclesia, hoc est communitas ecclesiæ, secluso Papa, haberet potestatem supra Papam, quòd ecclesiæ regimen esset democraticum, seu populare: in quo tota autoritas apud nullum residet, sed in tota communitate.

OBIICITVR Contra sequelam: quia non dicitur regimen regale, in quo sit vnicus toto residuo superior: quia tunc non esset in ciuilibus aliquod regimen regale: sed quia est vnicus, qui totius populi vices gerit quolibet particulari superior.

RESPONDEO, Quod sequela est optima formaliter intellectis terminis: quia, si in tota communitate sola est autoritas: ergo vt sic constituit regimen populare: quãuis inquantum aliquem vnum præficit, constituat aliam spe-

ciem regiminis. Rursus sequela est optima de supremo regimine ecclesiæ de quo est quæstio: quoniã, si in tota communitate & sola est vniuersalis ecclesiæ potestas, summum regimẽ, summãq; tribunal eiusdem, ad quod omnia referenda sunt, esset populare (vt patet) quicquid esset de regimine medio per vnũ. Vnde, si in regno aliquo populus est supra regem, manifestè sequitur, & ꝙ communitas populi vel regimen est populare, & quod summũ tribunal est populare: quamuis exerceat per aliam regiminis speciem (puta per regale) supra alios iurisdictionẽ suam communiter. Nihil igitur obstãt obiecta dictis: quoniam cum regimine regali medio, stat supremum populare, de quo est quæstio, & formalis sermo.

CAPVT V.

DIXI In cap. septimo, probãdo, ꝙ Papa esset supra communitatẽ totius reliquæ ecclesiæ, ex illa autoritate, Pasce oues meas, &c. ꝙ Papa est pastor vniuersalis ecclesiæ, & non solùm singularum ouium.

OBIICITVR Respondendo dupliciter. Primò per interemptionem negãdo hoc sedo per limitationẽ, ꝙ Papa est pastor totius ecclesię quantũ ad administrationẽ pabuli spiritualis verbi Dei & sacramentorũ. Hæc enim non exercentur per communitatem, sicut actus iuridici.

RESPONDEO, Et negatio quidem irrationabilis inferius in septuagesimo ca. rõne mõstrabitur: nũc autoritate inducta ostenditur. Quũ Dominus dicit, Pasce oues meas, illimitatè admittitur: ergo non est limitandum ad singulas & non omnes, vt negatio ista limitat: nã singulæ & omnes suæ oues sunt. Secunda autem responsio aut nihil dicit, aut seipsam interimit. Nã dupliciter potest intelligi cõcessum: ꝙ Papa est pastor totius ecclesiæ quãtum ad ministrandum verbum Dei & sacramẽta. primò autoritatiuè: secundò ministerialiter, respectu totius ecclesiæ. Si autoritatiuè, ergo ipse verè superior tota ecclesiæ cõmunitate est: nã autoritatiuè pascere verbo Dei & sacramentis, est actus superioris absolutè respectu illius, qui sic pascitur, vt patet inductiuè: & sic responsio interimit seipsam. Si autem ministerialiter, ergo non habet Papa ex se in pascendo plus q̃ in actibus iuridicis: potest siquidẽ & actus iuridicos oẽs vt minister ecclesiæ cõmunitatis apud istos: & sic responsio nihil dicit. Est ergo Papa verè pastor autoritatiuè vniuersalis ecclesiæ & singularum personarum eius in iudicio & iustitia & verbo Dei, &c. vice illius qui pascit omnes in innocentia cordis.

CAPVT VI.

DIXI in eodem septimo ca. ex illa autoritate. Fiet vnum ouile & vnus pastor, ꝙ Papa est pastor illius ouilis, & non econuerso.

OBIICITVR. Quòd Christus dixit Petro, Pasce oues meas, non tuas: & ꝙ Christus dedit potestatem ouili supra pastorem.

RESPONDEO, Quòd Petrũ esse pastorẽ ouiũ non suarum, sed Christi, concludit ipsum esse pastorẽ non ex se, neq; loco ecclesiæ cõmunitatis: vt obijcientes dicũt: quoniam oues nec sunt Petri, nec sunt communitatis ecclesiæ, sed loco Iesu Christi, cuius solius sunt oues propriè. Vnde ex hoc nihil aliud habetur, nisi ꝙ Petrus præest ouili non suo, sed Christi: nõ ex se, sed loco Christi. Quod autem additur, Christum dedisse autoritatem ouili supra pastorem, voluntariè dicitur, & ipsis verbis Domini dissonat & repugnat. Dissonat quidem, quia ouile illius pastoris ecclesiam constituit. regulare est autem vt pastor præsit ouili, & non econtra. Repugnat autem vt ibidẽ deductum est: quia non fieret vnus pastor iuxta verbum Domini, sed duo: scilicet Petrus & ipsum ouile. Et, quia de Petro voce Domini constat dicentis, Pasce oues meas, & quòd vnus tantùm sit, eiusdem autoritate Domini patet: cõsequẽs est vt alter pastor fictus sit contra Dñi sentẽtiã.

CAPVT VII.

DIXI in eodem septimo ca. ꝙ non minus Papa est episcopus ecclesiæ catholicæ, quam quilibet episcopus suæ ecclesiæ: ex hac propositione inferendo superioritatem eius super ecclesiam catholicam & nõ solùm super singula membra, sicut est in alijs episcopis respectu suarum ecclesiarum.

OBIICITVR contra similitudinem. Tum quia episcopus particularis gerit vices vniuersalis ecclesiæ: quę est supra suam communitatem. Tum quia ecclesia particularis cui præficitur episcopus, habet superiorem in terris, qui præficit illum episcopum.

RESPONDEO. Et primò, ꝙ ratio nõ fundatur super similitudine: sed super proprietate huius sententiæ, Papa est ẽps ecclesiæ catholicæ: q̃uis declaratur ex simili, imò eadẽ rõne in alijs episcopis, Ambro. est episcopus ecclesiæ Mediolanen. &c. Vnde, cũ ex ista propositione formaliter intellecta. Papa est episcopus ecclesiæ catholicæ, sequitur ipsum esse episcopum communitatis ecclesiæ: satis habetur intentum.

¶ Obiecta autem afferunt dissimilitudinem. in non vt causa. nam in eo, quod est esse Episcopum catholicæ vel talis ecclesiæ, potest considerari quid importet esse episcopum, & potest cõsiderari à quo fiat episcopus. Et obiecta quidẽ procedunt considerando à quo fiat, vel fieri debeat episcopus: ratio autẽ procedit considerando quid est esse episcopũ. Constat autem, ꝙ ad iudicandum de naturis rerum, causa formalis & quod quid est cõcludit efficaciter vndecunq; fiant effectiuè: siue enim homo fiat à Deo, vt Adam, siue ab alio homine, vt nos: vnius naturæ sumus. Et similiter siue ẽps fit à Papa, siue ab vniuersali ecclesia, siue habeat superiorẽ, siue non: vnius naturæ est, inquantum episcopus: q̃uis alterius naturæ sit, inquantũ subditus. Vnde vt vnico verbo dicatur, ratio de episcopo, vt sic loquitur: obiectiones autẽ de episcopo, inquantũ subditus alteri & alterius & ab altero. Propter quod cũ Papa sit verè episcopus ecclesiæ catholicæ: sequitur, vt ibidẽ dixit, ꝙ est primò episcopus ipsius ecclesiæ catholicæ, & secundario singulariũ. Tamen quia non minus est ipse catholicæ ecclesiæ episcopus, q̃ Ambros. episcopus ecclesiæ Mediolan: esset enim longè minus, si nõ esset episcopus totius, sed singulorum membrorũ tãtùm. Tum quia actus proprius episcopi, qui est superintẽdere, primò fertur super bono ipsius catholicæ ecclesiæ, & secundariò super bono singulorum: vt patet ex hoc, ꝙ Papa ad hoc tenetur sub peccato mortali ex hoc ꝙ est Papa: constat autem potestates per actus proprios cognosci. Nec ad hoc video rñsionẽ: nisi diceretur ꝙ Papa habet hunc actũ, inquantũ gerit vices vniuersalis ecclesiæ, cui primò conuenit iste actus, & ex eius cõmissione conuenit Papæ. Sed hæc rñsio potest dupliciter intelligi. Primò, ꝙ Papa habeat hunc actũ dependenter ab ecclesia: sicut Rex creatus à regno. & in hoc sensu falsa est: quia sic Papa esset vicarius ecclesiæ, & non immediatè ipsius Iesu Christi: ꝙ demõstratum est esse falsum, & amplius monstrabitur. Secũdò potest intelligi, ꝙ Papa habet hunc actũ ex suo officio: supplendo id, quod ecclesiæ conueniret, si non esset subdita. Et in hoc sensu est vera responsio: sed nihil obstat rationi, vt patet.

CAPVT VIII.

DIXI in eodem septimo ca. ꝙ Papa habet supremam potestatẽ in ecclesia Dei: & ex hoc deduxi ipsum esse supra vniuersalem ecclesiã.

OBIICITVR glossando, primò, ꝙ potestas Papæ dicitur suprema respectu potestatum particularium, non autem respectu potestatis cõmunitatis totius ecclesiæ.

¶ Dicitur secundò, ꝙ ex hoc ꝙ ponitur suprema potestas in Papa, & suprema potestas in ecclesia, non sequitur ꝙ sint duæ supremæ potestates in ecclesia Dei: quia potestas Papæ est propter ecclesiam: iuxta illud, Posuit vos Deus regere ecclesiam. vbi autem vnum propter alterum, ibi vnum tantum: vt patet in Topicis.

RESPONDEO, Et glossa quidẽ allata repellitur ex magna differẽtia inter secundũ quid & simpliciter. De Papa asseritur simpliciter, ꝙ habet supremã potestatem in ecclesia Dei, vt patet in tex. allegato ibi. glossa autẽ ponit Papam habere potestatem supremam secũdum quid, quia in respectu ad aliquas, & non ad omnes potestates in ecclesia Dei. Repellitur quoque ex literali expositione illius superlatiui supremam: potest enim exponi negatiuè & positiuè, id est non habens superiorem, & omni alia superior. & vtroque modo repugnat glossæ illi.

¶ Quod autem obijcitur sequelę, nihil est: quoniã si communitas ecclesiæ est tantæ potestatis, ꝙ Papa subest ei, oportet ꝙ obiectũ propriũ potestatis ecclesiæ & obiectũ proprium potestatis Papæ se habeant secundum supra & sub proportionaliter, sicut ipsæ potestates. Et hoc etiã est manifestum, ex eo, ꝙ commune bonum ecclesiæ totius est proprium obiectũ potestatis cõmunitatis ecclesiæ bonũ autẽ singulorũ est propriũ obiectũ potestate Papæ, cõsequenter loquendo: quia potestas sua propria secundũ illos

Universidad de Deusto Biblioteca

eſt primò reſpectu ſingulorum: & reſpectu boni cõmunis totius, Papa non intromittit ſe niſi vt vtens poteſtate eccleſiæ, vt inſtrumentum illius. eſſent ergo veriſsimæ duæ poteſtates ſupremæ, & ſubordinatæ ſimul: quod eſt ridiculum.

¶ Ad id verò quod dicitur, Poteſtas Papæ eſt propter eccleſiam dicitur ꝙ ſecundum veritatem eſt verum: & nihil iuuat ſed ſecundum hypotheſim eorum non eſſet propter eccleſiã eodem modo formaliter ſumptam propter ꝗ̃ eſſet poteſtas illa eccleſiæ: quia iſta propter eccleſiam collectiuè, illa verò propter eccleſiam diſtributiuè. Vnde cum regula ex vnitate obiecti non obſtet, & poteſtas non ſit propter poteſtatem, ſed ſub poteſtate: nõ video quomodo obſtet regula Topica.

CAPVT IX.

DIXI in eodem ſeptimo ca. ꝙ Papa eſt proximus & immediatus vicarius Chriſti: ergo nullam habet in terris poteſtatem priorem ſe: & inde intuli, eccleſiam non habere immediatè ordinariam autoritatem à Chriſto, & Papam non mediante eccleſia habere autoritatem, &c.

OBIICITVR Gloſſando, ꝙ Papa dicitur immediatus vicarius Chriſti: quia poteſtas vicariatus ſui eſt immediatè inſtituta à Chriſto & eccleſiæ collata: & nõ propterea ꝙ habeat à Chriſto nõ mediante eccleſia, ita ꝙ Papa eſt immediatus vicarius Chriſti, ſicut apud Apoſtolũ Reges ſunt miniſtri Dei in vindictam malefactorum: qui tamen mediante populo fiunt.

RESPONDEO, Et gloſſa quidem repellitur ex differentia inter medium in inſtituendo principatũ: & medium in principando: differunt enim hæc ſicut cælum & terra. Et eſſe immediatum vel mediatum vicariũ non attenditur ſecundum inſtitutionem ſolam, ſed ſecundum ipſum principaliter. Declaro ſingula breuitatis cã in exẽplis, Chriſtus inſtituit abſq; medio poteſtatem epiſcopalẽ & ſacerdotalem, inſtituit mediante eccleſia poteſtatẽ ordinum minorum, & ſubdiaconatus ſecundũ aliquos: in iſtis eſt medium in inſtituendo, in illis non. Papa inſtituit legatum, qui committit vices ſuas alteri: legatus principatur ſub Papa abſq; medio: vicarius autem legati cum medio in principando: dependet enim principari huius à principatu legati, & non ſola electio ipſius. Ex his autem liquet quale medium negatur. quum abſolutè dicitur aliquis immediatus vicarius alicuius principis: ꝙ ſcilicet negat medium in principando, vt patet inductiuè. Vnde cum Papa abſolutè & abſq; limitatione aliqua aſſeratur proximus & immediatus Chriſti vicarius, negatur medius principatus inter Chriſtũ & Papam inferior Chriſto & ſuperior Papa, cuius vices gerit Papa. Si enim medius principatus talis eſt, vt iſti concedunt, ponentes eccleſiæ totius cõmunitatem eſſe talem principatum, licet Papa poſſet dici vicarius Chriſti: nõ tamẽ poteſt verè dici ſimpliciter & abſolutè immediatus vicarius Chriſti: ſed immediatè vicarius eccleſiæ, & mediatè ipſius Chriſti. Immediatio autem inſtitutionis poteſtatis Papæ à Chriſto, non facit ipſum Papam Chriſti vicarium immediatum, niſi ſecundum quid, ſcilicet ſecundum poteſtatis ſuæ inſtitutionem ſic enim quilibet epiſcopus poteſt dici immediatus vicarius Chriſti: quia cuiuslibet poteſtas immediatè eſt inſtituta à Chriſto. Conſtat autem, quòd aliud intendit determinatio eccleſiæ & Sancti patres, cùm aſſeritur Papam immediatum eſſe vicarium Chriſti. Vnde ratio ſtat in ſuo robore.

¶ Ad id verò quod additur de ſimili in Regibus, dicitur, quòd non dicuntur proximi & immediatè miniſtri Dei: ſed vices multitudinis gerendo, Dei miniſtri proculdubio ſunt. Longè autem aliter eſt de Papa, qui non gerit vices multitudinis, ſed Ieſu Chriſti. Et ſcito, quòd inter Regẽ creatum à populo, vt Saul: vt ſtando in naturali iure fit: & regem datum à Deo, vt Dauid: & Papam factum à Chriſto, vt Petrus: & Papam electum ab eccleſia, vt reliqui: tanta eſt in repræſentando populum differentia, quòd Rex tam creatus à populo, quàm datus à Deo, populum & eius poteſtatem repræſentat: licet nanque in fieri differant inter ſe, quia alter à populo, alter à Deo præficitur: in natura tamen officij & poteſtatis nõ diſtinguũtur. Nam quemadmodum organum naturale, puta manus: ſi fit à Deo miraculoſe) perinde eſt ac ſi eſſet à natura ita organũ politicũ puta rex: icũ eſt adeo perinde eſt ac ſi eſſet à populo. & propterea eius poteſtatẽ vtroq; modo factus repræſentat & exercet: illiúſq; vices gerere dicitur, & non Dei immediatè. Papa autẽ ſiue à Chriſto immediatè, ſiue miniſterio eccleſiæ mediante factus, eiuſdem etiam eſt naturæ & poteſtatis: & non repræſentat poteſtatem populi eccleſiaſtici, nec ipſum: ſed dominum Ieſum Chriſtum immediatè, & illius ſolius vices gerit immediatè. Et ratio diuerſitatis in rege & Papa eſt: quia poteſtas regia naturali iure eſt in populo primò, & ex populo deriuatur ad Regem: poteſtas autem papalis ſupra naturam eſt, & diuino iure in perſona vnica, non in communitate, primò eſt: ſtatuente Chriſto, Ioan. 10. formam ſupremi eccleſiaſtici Regis in vnica perſona, cùm dixit, Alias oues habeo, & illas oportet me adducere: & fiet vnum ouile, & vnus paſtor: & determinante eodem talem formam ad perſonam Petri in ſua perpetua ſucceſsione, Ioan. vlt. cùm dixit illi, Paſce oues meas. Vnde Papa ſolius Chriſti vicarius eſt, & non eccleſiæ. & propterea diffinitum eſt per eccleſiam, quòd Papa in beato Petro officium ſuum vniuerſale ſuſcepit, vt patet ex allatis in libello, &c.

CAPVT X.

DIXI IN eodem ſeptimo capit. concluſionem hanc, Papæ poteſtas eſt ſupra eccleſiam vniuerſalem & concilium generale, vt diſtinguitur contra Papam.

OBIICITVR primo autoritate Auguſt. in epiſtola ad Glorium Eleutium, Felicem Grammaticum, &c. quæ inter Epiſtolas eſt 162. vbi loquens de depoſitione Cæciliani Carthagiñ. epiſcopi, dicit, Ecce putemus illos epiſcopos qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium eccleſiæ vniuerſale concilium, vbi etiam cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari: vt ſi malè iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiæ ſoluerentur, &c. Et inter Epiſcopos Romæ iudicantes, comprehendit Melchiadem Papam: vt patet ex epiſtola illa. Ex quibus verbis manifeſtè ſequitur, quòd à Papa & cõcilio ſimul particulari, poteſt appellari ad concilium vniuerſale, & ſententia eiuſdem ſolui.

¶ Secundò, autoritate octauæ ſynodi, canone 21. cuius pars habetur 22. diſtinct. in capitul. diffinimus. vbi dicitur, Vniuerſalis ſynodus cum conuenienti reuerentia, quamlibet quæſtionem de Rom. ſede exortam audire tenetur, & in ea proficere: non tamen audacter ſententiam in Romanum pontificem dicere. Ex quo patet quòd licet omnem quæſtionem de Romana ſede diffinire habeat ſynodus: id tamen cum reuerentia propter illius eminentiam facere debet.

¶ Tertiò, autoritate Damaſi Papæ, quæ ponitur inter epiſtolas Ambroſij, epiſtola 72. vbi Damaſus dicit reſpõdendo, Cùm huiuſmodi fuerit concilij Capuenſis iudicium, vt finitimi Bonoſo atque eius accuſatoribus iudices tribuerint, aduertimus quòd nobis iudicandi forma competere non poſſet. nam ſi integra eſſet hodie ſynodus, rectè de his quæ veſtrorum ſcriptorum comprehendit ſeries decerneremus. Veſtrum eſt igitur, qui hoc recepiſtis iudicium, ſententiam ferre: vicem enim ſynodi recepiſtis, quos ad examinãdum ſynodus elegit. Et infra, Vos enim, vt ſcripſimus, totius ſynodi vice Dei decernitis: nos quaſi ex ſynodi autoritate iudicare non conuenit. Ex quibus manifeſtè patet primò quòd Papa dicit ſe non poſſe de illa cauſa cognoſcere, de qua poſſet, ſi ſynodus adhuc eſſet integra, id eſt, nihil commiſiſſet. Secundò, quòd Papa confitetur non ſolum concilium eſſe eo in iudicando ſuperius, ſed etiam deputatos per concilium, in ea cauſa in qua deputati ſunt.

¶ Quartò, autoritate canonis in capitul. ſi duo. diſtinct. 79. vbi dicitur, quòd ſi duo contendunt de papatu, concilium eſt iudex: ergo habet ſuperioritatem in vtrũque: nullus enim eſt alterius iudex ordinarius, quin ſit iuriſdictione ſuperior.

¶ Quintò, ratione, Papa & reliqui prælati quicquid iudicant, &c. faciũt vt miniſtri eccleſiæ, non ſolùm finaliter (id eſt, propter eccleſiam) ſed effectiuè autoritate eccleſiæ: ergo in eccleſia eſt primò autoritas. Antecedens probatur: quia agere dicuntur ſecundum intentionẽ eccleſiæ. Sequela autem eſt manifeſta: & cõfirmatur, quia ſuffragia, quibus priuatur excommunicatus, & indulgentiæ non ſunt prælatorum, ſed eccleſiæ. Et confirmatur iterum: quia ſicut Deus condens humanum genus, dedit poteſtatem regiminis ciuilis ad finem naturalem: non vni, ſed communitati, &c, ita regenerans idem ad finem ſupernaturalem, ded

dedit poteſtatem ſpiritualis regiminis ad illum finẽ communitati eccleſiæ, &c. Et ſicut quandoq; prouidit populo, dando principem, vt Moyſem: ita prouidit Eccleſiæ, dando Petrum. Et confirmatur tertiò: quia aliter politia eccleſiaſtica non eſſet ita bene ordinata ſicut ciuilis: nã iſta poteſt prouidere ſibi, principe poteſtate abutente in deſtructionem: eccleſia autem non poſſet, ſi nõ eſſet ſuperior Papa. Et confirmatur quartò: quia ipſe Papa eſſet miſerabilior cæteris, ſi à malo compeſci non poſſet. Et cõfirmatur quintò: quia Papa eſt eccleſię filius, ac per hoc ſubditus. Antecedens patet ex Ambroſ. in libro de Symbolo, Non habebit ille Deum patrem, qui noluit habere eccleſiam matrem. Sequela patet Prouerb. 10. Stultus deſpicit matrem ſuam.

¶ Sextò etiam ratione, Si Papa habet poteſtatem ſuper totum reſiduum eccleſiæ collectiuæ, ergo poteſt aliquem actum iuriſdictionis in illud totum etiam inuitum exercere: ſed hoc eſt falſum: quia non poteſt illud totum excõmunicare aut interdicere: nec ad aliquid ipſo renitente obligare: vt patet per illud Auguſt. Leges inſtituuntur cùm promulgantur, firmantur cùm moribus vtentium cõprobantur. diſt. 4. cap. in iſtis.

¶ Septimò: quia poteſtas eccleſiaſtica prius tempore eſt in eccleſia, quàm in aliquo ſũmmo Ponti. quia illa fuit inſtituta & eccleſiæ collata Matth. 8. iſta autem Ioan. vlti. Petro data eſt. Et ideo ſi Chriſtus Petrum papam non inſtituiſſet, potuiſſet hoc eccleſia facere: committendo ei ſuã poteſtatem: nec potuiſſet illam ab eo auferre niſi ex cauſa rationabili: ſicut populus poteſt reſpectu Regis.

RESPONDEO, Ex autoritate illa Auguſtini non ſequitur concilium eſſe ſupra Papam, ſed dupliciter argumentum ex illa deficit. Primò: quia æquiuocat de concilio. nam quæſtio noſtra eſt de concilio diſtincto contra Papam, ſeu ſecluſo Papa, quod eſt concilium acephalum. Augu. autem loquitur de vniuerſali concilio cũ Papa, vt patet ex hoc, quòd ponit præſentiam iudicum, id eſt epiſcoporum, qui iudicauerant. Conſtat autem quòd non licet arguere à concilio, ad conciliũ acephalum. Secundò deficit: quia ex hoc, quòd reſtabat refugiũ concilij vniuerſalis, infertur ſuperioritas: eſt enim hîc ſophiſma conſequentis. Poteſt enim recurſus iſte haberi propter multas cauſas, ſcilicet excluſionem ſuſpitionis, pleniorem diſcuſſionem, maiorem ſapientiam, perſonalem tractatum & quicquid eiuſmodi eſt: vt patet ex continua conſuetudine appellantium ad eundem iudicem (puta Papam) plenius informandum, & cauſam per alios tractaturum iudices, &c. Et hoc conſonat literali ſenſui Auguſtini: vbi propter præſentiam omnium prælatorum potuiſſet cauſa ita diſcuti, vt etiam iudices qui primò in partibus, & qui ſecundò Romæ iudicarunt, perſonaliter præſentes rationes iudicij conferre potuiſſent, & vniuerſali omnium iudicio decerni, & etiam diſſolui prius malè iudicatum. Ad nihil enim horum exigitur maior autoritas intenſiuè, quàm Papæ: ſed ſua ſufficit cum maiori diſcuſsione, ſapientia, &c. vt quotidie videmus. Eſt etiam cum his omnibus in concilio vniuerſali maior autoritas extenſiuè, & maior ſolennitas iudicij: quæ omnia ſententiam eius omni exceptione maiorem reddere videntur.

¶ Ad ſecundã ex autoritate octauæ ſynodi, dicitur quòd malè exponuntur verba ſynodi, dicẽdo quòd ſynodus negat modum iudicandi Papam (ſcilicet audacter) & non iudicium ipſum. Et quòd hæc expoſitio ſit mala, probatur: quia ly Audacter, aut importat vitium audaciæ, aut importat autoritatem. Si primum, cùm illud ſit vitandum reſpectu cuiuſcunque, & non ſolùm reſpectu Papæ, ridicula eſſet deciſio ſynodi, ꝙ ipſa non debet vitioſè, vel ex paſsione iudicare Papam, &c. ſi ſecundum haberetur contrarium expoſitionis allatæ. Vnde literalis ſenſus eſt, ꝙ dicere ſententiam in Romanum pontificem eſt audaciæ vitium: illa ſiquidem negatio prępoſita non modũ ſolum, ſed totum negat. Dicendo igitur, Non tamen audacter dicere ſententiam in Romanum pontificẽ, ſignificat ꝙ non niſi audacter dicere poteſt ſententiam in Romanum pontificem. Sicut cùm dicimus, ꝙ de manifeſtis licet nobis iudicare, de cordis autem occultis non licet nobis temere diffinire: non intendimus negare modum diffiniendi tãtum, (puta temere,) ſed intendimus determinare, ꝙ ipſa diffinitio de occultis cordis eſt temeraria. Determinat ergo ly Audacter, naturam iudicij in Papam: ſicut ly Temere, in exemplo dato naturam iudicij in cor. Et propterea ex hac autoritate habetur oppoſitum eius quod arguentes intendunt. In cuius ſignum, ſynodus dicit ſibi cõpetere audientiam & progreſſum in quæſtione de Papa cum reuerẽtia, & de ſententia ſubdidit illam negatiuam, quam non ſubiunxiſſet, ſi etiam ſententia cum reuerẽtia ſibi competeret, ipſa quippe diſtinctio expoſitionis confutatæ defectũ oſtẽdit. Cùm autem legeris hæc, memento ꝙ ſermones morales de ijs ſunt, quæ regulariter accidunt. In caſu quippe hæreſis pertinacis in Papa, ſynodi iudicium depoſitiuum Papæ abſque audacia eſſet.

¶ Ad tertiam ex autoritate Damaſi, dicitur, ꝙ neutrum deductorũ ex illa autoritate ſequitur. Nam in illis verbis non negat potentiam, ſed formam iudicandi ſibi competere poſſe. Et huius negationis cauſam reddit, nõ impotentiam aut ſubiectionẽ ſuam, ſed indecentiã: vt patet in illis verbis. hoc autẽ familiare eſt principibus. Quin etiam ſi dixiſſet ſe non poſſe iudicare, verũ dixiſſet, & à conſuetudine principũ non receſsiſſet: qui ea ſe negant poſſe facere, quę indecenter facerent ſi exaudirent. Conſtat autẽ ꝙ indecens eſt determinationes concilij etiã prouincialis ſoluere: quantò magis concilij generalis, quorũ decreta etiã Papã in foro conſcientiæ ligant, non minus ꝗ̃ propria: vnde & ſecundum ſacros canones ad Romanum pontificem præcipuè ſpectat ſeruare ſtatuta Patrum. Et ſi notaueris eandem autoritatem, contra arguentes facit: quo quanto inſinuat excellentiam ſuam tantam, quòd eum quaſi ex ſynodi autoritate iudicare non conuenit.

¶ Ad quartum ex autoritate Canonis, dicitur ꝙ gratis conceſſum eſt ꝙ Papa incertus ſubditur cõcilio. Duobus enim contendentibus incertis, iudicat eccleſia: ſed ſi alter eſſet certus & indubitatus, eccleſia non iudicaret, ſed adiuuaret certum, obediendo, condemnando antipapã, &c.

¶ Ad quintum ex ratione, quia prælati ſunt miniſtri eccleſiæ, dicitur ꝙ prælati dicuntur miniſtri Chriſti & eccleſiæ. Chriſti quidem & effectiuè, (quia ab illo habent ſuã poteſtatem effectiuè,) & ſuppoſitaliter, myſticè tñ, quia omnes prælati ſunt velut mẽbra Chriſti iuxta illud Aug. ſuper Io. Si præpoſiti eccleſiæ paſtores ſunt, quõ vnus paſtor eſt, niſi quia ſunt illi omnes vnius mẽbra paſtoris? Eccleſiæ autẽ integræ, (id eſt cũ capite ſuo, qd Chriſtus eſt.) miniſtri etiã dupliciter dici poſſunt, ſcilicet effectiuè rõne partis, ſcilicet capitis, à quo habẽt plati autoritatẽ, & integraliter: qa ſunt mẽbra eccl'iæ reliquę à capite, nõ vt ſuppoſiti, ſed vt corporis myſtici ptes integrales. Et hæc dicimus loquẽdo de platis eccleſiæ abſolutè, non de iſto ordinato & inſtituto ab illo: ſic eñ eſſet quæſtio de illo alio, & ſic de alijs. Ex quibus patet, ꝙ prælati eccleſiæ propriè loquendo, nõ ſunt miniſtri eccleſiæ effectiuè, niſi ratione capitis, ſcilicet Chriſti: & cõſequenter nõ ſunt miniſtri eccleſię vt dominæ, niſi ratione capitis: propter quod Paulus dicit, ſi quid ego donaui in perſona Chriſti. & rurſus, Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti. Ex hoc autẽ ꝙ miniſtri eccleſiæ dicuntur agere ſecundũ intentionẽ eccleſiæ, non plus habetur ꝗ̃ dictũ eſt: quia ſcilicet agunt ſecundũ intentionem eccleſiæ in capite, & in corpore ab ipſo capite diffuſam. Quãuis hoc poſsit etiã intelligi ſecundũ intentionẽ eccleſiæ, id eſt ſecundum intentionem eccleſiaſtico officio debitam: hac enim intentione confici & conferri dicũtur ſacramenta, &c.

¶ Ad primam confirmationẽ, quia ſuffragia ſunt nõ prælatorum, ſed eccleſiæ dicitur quòd falſum eſt ſuffragia nõ eſſe prælatorũ, vt diſpenſatorũ: ꝗ̃uis ſint eccleſiæ integræ vt proprietariæ: ſed hoc nihil aliud cõcludit, niſi prælatos ab eccleſia integra ratione capitis poteſtatẽ habere. Vnde omnia deficiunt ob æquiuocationẽ ad propoſitũ ab eccleſia integra ad eccleſiã vt diſtinctã contra caput. Ad ſecundam confirmationẽ de ſimilitudine cõditionis & regenerationis generis humani, dicitur ꝙ apertiſsimè conſtat falſum aſſumi, & diſsimiliter Deum inſtituiſſe. Nã in ordine ad finẽ naturalẽ poteſtatem cõmunitati indidit, & nõ vni, in ordine autẽ ad finem ſupernaturalẽ, poteſtatem dedit vni. & non cõmunitati, præfecit enim Ieſum Chriſtũ, ſecundũ ꝙ homo eſt, in principẽ & caput omnis eccleſiæ, vt patet, & hoc nõ præueniendo ſicut in ciuilibus, ſed inſtituẽdo, vt patet. Et ſcito, ꝙ argumentũ deficit ex eo, ꝙ non attẽdit ordinẽ primarium regenerationis humanæ, ſicut attendit primarium ordinẽ conditionis humanæ: ſed declinat ad ordinẽ ſecundarium eccleſiæ, qui eſt in tẽpore abſentiæ principis, qui abijt in regionẽ longinquam accipere ſibi regnũ. & reuerti. Quæ declinatio manifeſtè defe-

Universidad de Deusto Biblioteca

ctiuæ est: quia primario in vno, primariũ in altero reddendum proportionaliter est. Hic autẽ secundarius ordo in ecclesia naturam si sequitur principalis, absq; omni contradictione optimus videtur. Sic autem potestas in vno principis vicario non in communitate locãda est, & locata ab ipso principe in Petro. Vnde patet, ꝙ non præuenit princeps ecclesiam, sed suapte natura ordinem regiminis spiritualis prosecutus, in Petro & eius successoribus vicariatũ suum locauit. Ad tertiam confirmationẽ iam patet, ꝙ optimè prouisum est politiç spirituali in suo naturali principe, qui peccare non potest, in ordinatione autẽ vicarij illius optimè quoq; prouisum est, dum suauis dispositio seruata est. Supernaturale nanq; regimẽ, (quale est papatus,) suapte natura supernaturalẽ defensionẽ & remedium sibi vendicat: quale dominus Iesus Christus sibi autoritatiuè reseruando electionẽ, & ecclesiæ reliquæ ministerio orationum instituit. Hoc enim suaue, & efficax est remedium, vt in loco suo inferius amplius monstrabitur. Vnde falsum est dominum Iesum Christum minus bene ordinasse politiam ecclesiæ etiam sub suo vicario, q̃ politiam ciuilẽ in humanis, quoniam vtrobiq; non idẽ, sed proportionale remedium contra malum principẽ datum est. Ita ꝙ ecclesia potest se & contra illum tueri, & deponere votis & operibus ecclesiæ proportionatis, scilicet orationibꝰ, ieiunijs, eleemosynis, hæc enim efficaciora sunt cæteris causis secũdis: quia superiores sunt reliquis, & propriè vniuersali saluti ecclesiæ, sed non omnes capiunt verbum istud. Ad quartam confirmationem, dicitur ꝙ immediatè susceptus sub cura Christi viuentis, & specialiter de ipso curã habẽtis, non est miserabilior cunctis, nisi ratione seruitutis vniuersalis, & periculi maximi, & huiusmodi, talis autem est Papa, qui non potest coactiua pœna puniri, sed tenetur ex amore liberè operari. Fœlicitatis enim quedã inchoatio est non miseriæ, esse in statu in quo non sicut seruus sub lege, sed sicut liber in gratia constitutus homo adhuc mortalis est positus: vt in Papatu contingit. Ad quintũ dicitur, ꝙ Papa in quantũ singularis persona est filius ecclesiæ, quia regeneratus, nutritus & instructus ab ecclesia sicut ceteri, inquantum autem Papa, est filius ecclesiæ integræ, hoc est cum suo capite, & pater non filius reliquæ ecclesiæ. Sed in his & similibus aduerte tu, cum hæc & similia obijciũtur, ne æquiuocatio de ecclesiæ vocabulo te fallat, vt ea, quæ dicuntur de ecclesia integra (siue cum capite) siue cũ vices capitis habente) ad ecclesiæ communitatem secluso capite applicata suscipias: hæc enim te deciperent.

¶ Ad sextũ argumentum principale dicitur cũ Apostolo, Quòd omnia mihi licẽt, sed non omnia expediunt: & rursus, Omnia possum, sed non omnia ædificant. Conceditur igitur, ꝙ Papa potest quantũ ex potestatis suæ autoritate est, acta iurisdictionis etiã in inuitam ecclesiam reliquam exercere: sed non expediret, si nõ ædificaret. Nec valet argumentũ, Non põt illã excõicare, ergo nõ põt aliquẽ actũ iurisdictionis in inuitã exercere: vt patet. Ad probationẽ autem ex autoritate Aug. dicitur, ꝙ potius probat oppositum. Si enim leges instituuntur cum promulgãtur, Papa promulgando, legẽ in totam ecclesiã instituit absq; ecclesiæ cõsensu: potest igitur ipse solus instituere legẽ in illam. Firmitas autẽ ex consensu vtentiũ, non ex parte autoritatis, sed exequutionis se tenet. Quod cõuincitur ex eo, ꝙ statutum vniuersalis cõcilij integri etiã consensu vtentiũ firmatur, ita ꝙ nõ ligat quando est à dissensu vtentiũ infirmatum: & tamen nullus dubitat vniuersale conciliũ integrum firmitatẽ autoritatis legibus suis dare. Prouenit autem hæc legũ infirmitas ex dissensu vtentium etiã ab ipsis legislatoribus negatiuè, pro quãto tolerãdo dissimulãt, & implicitè reuocãt quod fecerũt. Et merito: qa lex, (vt dicitur di. 4. c. erit,) debet esse patriæ, loco, tẽporiq; cõueniẽs.

¶ Ad septimũ dicitur, ꝙ falsum assumitur: nã potestas ecclesiastica primò fuit in primò summo Pontifice domino Iesu Christo, qui Pontifex assistens futurorum bonorum, æternam redẽptionem inuenit. Falsum quoq; monstratũ est esse ꝙ Dominus per illa verba quæ habentur Matth. 18. potestatẽ ecclesiasticam dederit ecclesiæ, q̃uis promiserit ei super suos subditos: vt superius diffusæ discussum est. Equiuocatio demũ incidit tam dicta, ab ecclesia ad ecclesiam secluso capite declinando. Reliqua autem quæ arguendo afferũtur (scilicet ꝙ ecclesia potuisset instituere Petrum Papam) q̃ falsa, sint ex supradictis patet: quia si potuit ecclesia vnquã instituere Papatum in vno & eius successore, vt Christus fecit, posset quoq; illũ instituere in triumuiratu, vel aliquo huiusmodi: quia eiusdẽ est instituere, & instituta mutare pro loco & tempore.

CAPVT XI.

DIXI in 8. c. ꝙ conciliũ Constantiẽ. pro illo tempore primo quo fecit illa decreta de potestate synodi, non erat verùm concilium vniuersalis ecclesiæ. Et quòd Basilien. errauit illud sequendo.

OBIICITVR dupliciter. Primò, quia blasphemaui. Secundo, quia concilium Constantiẽ. in obedientia Ioan. 23. erat verum concilium vniuersale, quia succedebat concilio Pisano, in quo fuerat vnio ecclesiæ, deposito vtroque Papa (scilicet Gregorio 12. & Benedicto 13.) & electus Alexander quintus, cui successit Ioannes 23. qui congregauit illud Constantien. concilium.

RESPONDEO, Et primò quo ad Cõstãtien. concilium. Si ego blasphemo, quare Grego. 12. qui expressè recusauit in actu vnionis ecclesiæ, recognoscere cõciliũ illud pro tunc vt cõciliũ illud, nõ blasphemus, sed vir pacis & ecclesiæ amator habitus est? vt patet in gestis eiusdẽ cõcilij, sessione 43. Quare obediẽtia benedicti 13. inter fœdera vnionis, & in actu vnionis ecclesiæ recusans hæc talis pro tunc concilij volẽs & faciẽs, nõ blasphema, sed catholicæ vnitatis studiosa est habita? vt patet in sessione 20. & 22. Quare Sigismũdus imperator, qui præsedit illi cõcilio, vt satisfieret recusationi illius cõcilij, nõ blasphemus, sed defensor ecclesiæ habetur? Quare demũ ipsummet tũc Constantiẽ. concilium, cùm negauit facto seipsum esse cõciliũ nõ semel, sed bis (primò in acceptando præsidentiã Imperatoris, & autorizari se in cõciliũ à Gregorio. 12. secũdò in acceptando se cõuocari ab obediẽtia Benedicti. 13. & conuocare illam) nõ blasphemauit? Et si potius scandalũ permitti debet à qualibet singulari persona, q̃ veritas deseratur, quomodo conciliũ vniuersale à Spiritu sancto rectũ, potius veritatẽ deseruit seipsum facto negãs, q̃ scandalũ permittere voluit iam natum? Ex his autẽ rectè consideratis patet, ꝙ conciliũ illud nõ reputauit seipsum certum & indubitatũ concilium illo tempore: & propterea huiusmodi negationes admittebat, dans operã vt vnũ certũ & indubitatum conciliũ fieret cũ indubitato capite: vt tandẽ fuit. In quo igitur ego erro, si dubia & incerta pro dubijs incertisq; habui? nihil enim dixi aliud in sententia. Nã dubia & incerta pro vera autoritate refutari constat, veritatisque autoritatem eis tribuere nephas est.

¶ Ad secundã obiectionẽ de successione ad cõciliũ Pisanũ, dicitur, ꝙ nec illud conciliũ constat fuisse certũ & indubitatũ: vt cæteris omissis patet ex duobus. Primò: quia assertio ista reuocaret antiquũ schisma: quid enim aliud est dicere, conciliũ illud Pisanũ cum Alexãdro 5. certũ & indubitatũ, q̃ certè & indubiè dãnare Gregorium 12. & Benedictũ 13. cũ suis obediẽtijs? Hoc autẽ est redire ad illud schisma. Secũdo: quia ipsum Constan. concilium sub obediẽtia Ioannis 23. licet crediderit se esse vniuersale concilium succedẽs Pisano, non tamẽ hoc pro certo & indubitato tenere se contestatum est facto suo: vt patet ex dictis.

¶ Accedit ad hæc, ꝙ sine Papa diffiniuit: & propterea si fuisset etiam tota reliqua ecclesia repræsentatiuè potuisset errare, nec fuisset concilium generale perfectum simpliciter: vt patet in libello.

¶ Quo ad concilium verò Basilien. vniuersalis ecclesiæ responsionem replico: quæ Eugenium adorauit, cõcilium Florentiæ vniuersale ex Orientali etiam ecclesia celebrauit in materia fidei, &c. Si ego blasphemaui, quis excusat ecclesiam à blasphemia?

CAPVT XII.

DIXI in capi. 9. glossando verba Aug. Petrus quando claues accepit, ecclesiam significauit, & similia, ꝙ in hoc sensu dicta sunt, quia officio capitis perpetuò, in Petro et successoribus data hæc sunt: & propterea in persona ecclesiæ dicitur Petrus suscepisse hæc.

OBIICITVR, ꝙ nõ sit iste sensus intẽtus ab Augu. quia sequeretur, claues datas esse ecclesiæ finaliter, & non formaliter: cuius oppositum vult ibi. Augu.

RESPONDEO, ꝙ sequela non tenet: imo sequitur ex illo sensu claues esse datas ecclesiæ formaliter: tum quia quod datur capiti formaliter, verè etiam datur corpori, cuius est illud caput formaliter: tum quia datum capiti et corpori formaliter: q̃uis corpori mediãte capite, cõstat datũ esse toti formaliter: si sic aũt est in proposito, vt patet, Sed argumentum præter hoc fallitur in æquiuoco de ecclesia: ab integra ecclesia in terris, capite scilicet & corpore, (de qua loquitur Aug.) ad ecclesiã pro corpore tãtũ, vt quoddam vnũ integrũ, cuius Papa sit vicarius: quod est fictitiũ. Firmatur autẽ sensus à me assignatus, ex eo ꝙ exposuit Aug. ex ipsomet Aug. inquit enim in lib. de agone Christiano: Nõ sine causa inter Apostolos, ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus: huic enim ecclesiæ claues datæ sunt cũ Petro datæ sunt. & cũ ei dicitur, ad omnes dicitur. Amas me? pasce oues meas. Hæc ille. Cõstat enim ꝙ petro vt distincto ab alijs, & pro se & successoribus datus est Papatus, per illa verba, Pasce oues meas, Ioan. vlti. Et Augu. idem iudicat de hoc actu, & de acceptione clauiũ: ratione igitur officij capitalis & perpetui in ecclesia diffusi Aug. dicebat quòd personam ecclesiæ gerebat.

CAPVT XIII.

DIXI in eodem cap. 9. ꝙ Papa non potest errare errore iudiciali in fide, quãuis possit errare personaliter: quia ad ipsum spectat finalis determinatio de fide: vt decre. primo: & S. Tho. post dicit; & probat ratione & autoritate Cyrilli & Maximi.

OBIICITVR primò, quia duo summi Pontifices determinauerunt contraria in his, quæ fidem tangunt: ergo alter eorum errauit errore iudiciali in fide. Assumptũ patet de Ioan. 22. & Nicolao 3. quorum vnus determinauit iudicialiter Christum & Apostolos nihil habuisse in communi nec in particulari, alter oppositum: vt est videre in eorum extrauagantibus.

¶ Secũdò, Quia Innocẽtius tertius, & Cælestinus determinauerunt cõtraria super illa propositione, Vno cõiugũ ad hæresim transeunte, alter qui remanet in fide, potest ad secunda vota transire: vt patet in ca. quanto, de diuortijs, & glossa ibidem.

¶ Tertiò, Quia aliqui statuerũt cõtra Euãgeliũ: vt Pelagius, qui constituit vt subdiaconi Siciliæ à suis vxoribus abstinerent, quas in minoribus, duxerãt aut ab officio cessarẽt: quã cõstitutionẽ quia erat impia & cõtra Euãgeliũ retractauit beatus Gregorius primus eius successor: vt patet in di. 31. c. ante triẽniũ. in textu & gl. sicut enim potuit iudicialiter statuere contra Euangelium, ita & diffinire.

¶ Quartò, Quia sequeretur ꝙ summus Põtifex nõ posset fieri hæreticus circa propositiones nõdũ determinatas, vt erat articulus de processione Spiritus sancti à Filio. Et tenet cõsequẽtia: quia nõ posset esse pertinax cõtra suipsius determinationẽ. Sequeretur etiã ꝙ determinatio etiã solius summi Pontificis ligaret suum successorem. Sequeretur etiã, quòd Papa verè hæreticus malè iudicari posset: quia decideret obiecta contra eum esse intelligenda in aliquo sensu suæ assertioni consono.

¶ Quintò, arguitur ad hominẽ, Quia ego contradico mihimet in hoc eodẽ libello, nã in fine quarti capituli dictũ est, ꝙ sententia Ioannis Euangelistæ præualuisset sentẽtiæ Clemẽtis Papæ in doctrina fidei, & nunc dicitur, ꝙ Papa non potest errare in iudicio fidei hæc enim contradicunt, quia nõ præualuisset sentẽtia Ioãnis, sed tm̃ fuisset secundum sentẽtiæ Clementis Papæ quãtũ sentẽtiæ, Ioannis, imò & plus: quia apud Clemẽtẽ fuisset vltima decisio fidei iuxta hic dicta, sicut apud Petrum, si adhuc superuixisset.

¶ Sextò, Quia frustra fuissent cõgregata quatuor cõcilia generalia principalia cõtra quatuor hæresiarchas: puta Nicenum, Constantinopolitanũ, Ephesinũ, & Calcedonem. Et tenet cõsequentia: quia suffecisset solius Papæ decisio: imò apud aduersarium tantæ est potestatis solus Papa in diffiniendo, sicut aggregatum ex ipso & residuo.

¶ Septimò ex Occam, Quia Innocẽtius tertius (vt habetur extra, qui filij sint legitimi in cap. per venerabilẽ) dicit. Cũ Deuteronomiũ secũda lex interpretet, ex vi vocabuli cõprobatur, vt qđ ibi decernit, in nouo testamẽto debeat obseruari. Quæ verba si vniuersaliter scđm literalẽ sensum intelligantur, hæresim sapiunt: quia cæremonialia ibidẽ in capitul. 13. & 14. non sunt seruanda. Si verò mysticè intelligantur, nihil speciale de Deuteronomio dicunt: qa omnia mysticè seruanda sunt: vt legitur dist. vj. cap. his itaque.

¶ Octauò ex eodem, Quia nonnulli summi Põtifices inueniuntur diffiniuisse se in temporalibus habere supremã potestatem, cæteri verò oppositum.

¶ Nonò, Quia nõ est verisimile, ꝙ homini potẽti in ijs q̃ sunt fidei errare, cõmiserit Deus vltimã fidei decisionem.

RESPONDEO, Et ad primum quidẽ dicitur, ꝙ falsum assumitur, scilicet ꝙ vnus Papa, scilicet Nicolaus determinauit iudicialiter Christum & Apostolos nihil habuisse in communi. Nam manifestè Nicolaus (vt patet in vj. de verborũ significatione. exijt qui seminat) dicit, Egit nanq; Christus & docuit perfectionis opera: egit etiã & infirma, sicut interdũ in fuga patet & loculis: sed vtrũq; perfectè perfectus existens, vt perfectis & imperfectis se viam salutis ostenderet. Hæc ille. Vbi manifestè patet, ꝙ Nicolaus asserit Christũ habuisse aliquid: valet enim sequela, Nicolaus asserit Christũ habuisse aliquid, vt imperfectis se viã salutis ostẽderet: ergo asserit Christũ habuisse aliquid. Ioannes ergo 22. qui determinauit hæreticũ esse, tenere ꝙ Christus & Apostoli nihil habuerũt in cõmuni, quia contradicit sacræ Scripturæ, veritatem fidei determinauit, cuius contrarium non determinauerat Nicolaus.

Propter duas in se naturas, duo operũ genera operatus est Christus

¶ Ad secũdũ dicitur, ꝙ neuter illorũ Põtificũ diffinitiuè determinauit. Nã de Cælestino in cap. quãto, de diuortijs, Innocẽtius dicit, Licet quidã prædecessor noster sensisse aliter videatur: & de seipso subiũgit, rñdendo oppositũ, Nõ credimus ꝙ in hoc casu is qui relinquitur, viuente altero, possit ad secũdas nuptias cõuolare. Vbi verba ipsa (videlicet, videtur aliter sensisse, & Non credimus) ostendunt ꝙ non diffiniendo in materia fidei loquuti sunt.

¶ Ad tertiũ dicitur, ꝙ Pelagius, si statuit illud, nihil contra, sed supra Euãgelium statuit. Quod manifestè patet ex hoc, ꝙ statutũ illud suos obseruatores aut i bono supererogationis locabat, si cõtinerẽt: aut in nullo malo, si nõ cõtinẽtes se suspẽdebãt ab officio: vt quidã subdiaconus fecit.

Est autẽ hic aduertẽdũ, quãtũ crescat infamia p diuersa ora paulatim: nã sanctus Gregorius de hoc statuto loquens dicit, & ꝙ diaconus autoritate tñ Papæ hãc prohibitionẽ fecit, (vt patet. 27. q. 2. c. multorũ,) & ꝙ sibi durũ ac incõpetẽs videtur, vt patet in ca. ante triẽniũ. distin. 31. Glossa vero ibidẽ auget, dicẽs, ꝙ Pelagius hoc fecit, & ꝙ illa cõstitutio fuit iniqua, arguẽs aũt ampliꝰ auget, dicẽs, ꝙ romanus Pontifex statuit contra Euangelium.

¶ Ad quartũ dicitur, Negãdo primã sequelam, scilicet ꝙ Papa nõ possit esse in nõ decisis hæreticus. Nam si ille, qui est Papa, tenuisset pertinaciter, spiritũ sanctũ nõ procedere à Filio, etiã si ab ecclesia sic determinaretur, fuisset hæreticus. Per accidẽs autẽ est, ꝙ ab ipso vel alio determinato ecclesiæ fieret, stãdũ est enim in formalibus & p se, & nõ declinãdũ ad ea, quç sunt p accidẽs in quacũq; materia. Et ex hoc patet rñsio ad secũdã sequelã. Nã determinatio vnius Papæ in materia fidei ligat per se oẽs psonas ecclesiæ, quarum sunt actus credẽdi. & sic persona propria & successoris ligãs, ad tenẽdã determinationẽ semel factã de fide. Ad tertiã autẽ sequelã dicitur, ꝙ cũ id quod imputaret Papæ pro hæresi, nõ esset decisum adhuc per ecclesiã, & ipse nõ teneret hoc pertinaciter: sed defenderet esse cõsonum sacræ Scripturæ & fidei ecclesiæ, nõ esset hæreticus formaliter, etiã si materialiter erraret in his quç sunt fidei. Et propterea nõ sequitur, ꝙ Papa malè posset iudicari de hæresi in casu quo iudicandus est, scilicet de hæresi formaliter: in his enim non habet locũ interpretatio ad istũ vel illũ sensum.

¶ Ad quintũ dicit, ꝙ nulla est cõtradictio in dictis meis allatis. Nã bene simul stat tã Ioannẽ q̃ Clemẽtẽ nõ posse errare, & tñ alterũ esse supra alterũ: possunt enim esse duo oĩno recta subordinata: vt patet apud oẽs de ecclesia vniuersali præsenti, & de sacra Scriptura. Dicẽdo autẽ, ꝙ sententia Ioãnis præualuisset sententiæ Clemẽtis Papæ, nihil aliud dixi, nisi ꝙ Clemẽtis sentẽtia subordinata erat sentẽtiæ Ioannis. Ad id verò, quod adiungitur, ꝙ sequeretur oppositum huius, negatur sequela. Nã cũ dicitur, ꝙ ad Papam spectat finalis determinatio de fide, intelligitur in ordine & gradu suo scilicet sub sacra Scriptura, cuius autor est Spiritus sanctus. Et, quia Ioãnes Euãgelista in doctrina fidei locũ sacrç Scripturæ tenebat, (sicut Euãgeliũ suũ hodie tenet,) ideo nõ sequitur ꝙ magis Clemẽtis q̃ Ioannis esset stãdũ sentẽtiæ, sed ecõtrario. Et ex hoc patet rñsio ad simile allatũ arguẽdo de Clemẽte & Petro, ꝙ scilicet non est eadẽ de vtroq; ratio; quia Petrus non ratione papatus, sed apostolatus, locũ etiã sacrç Scripturç tenebat, sicut nũc tenet Epistolæ eius, & hunc sensum expressè aperuit in libelli illius loco allegato dicẽs, Præualuisset sentẽtia Ioannis sententiæ Clementis Papç in doctrina fidei, sicut modò præualet Euangelium Ioannis sententiæ cuiuscunque Papæ & totius ecclesiæ.

¶ Ad sextũ negatur sequela: ꝙ scilicet frustra fuissent concilia illa principalia in materia fidei cõgregatã. Concilia enim non propter potestatem intensiuam, sed extensiuam, & propter discussionem & collationem cum multitudi

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne vniuersali sapientiã in fide, & propter indubitabiles & acceptatos ab omnibus iudices omni exceptione maiores, cõgregantur in materia fidei. Probatio autem sequelæ procedit, acsi propter habendam solã autoritatẽ intensiua cõciliũ cõgregãdũ esset: qđ falsum est. Nã licet Papa solus tãtæ intẽsiuæ sit autoritatis, quãtæ ipse cũ residuo: non tãtãtæ extẽsiuæ, nõ tãtãtæ sapiẽtiæ, nõ tãtãtæ acceptationis indubitatæ ab oĩbus (vt patet de ipsis oppositũ sentiẽtibus) nõ tãtæ solẽnitatis (quæ animos humanos cõiter multũ afficit.) nõ demũ tãtę bonitatis & gratię corã Deo: quæ apud multitudinẽ hominũ multũ valet ad persuadẽdum q̃ à Spiritu sancto regitur, & errare nõ põt. Oportet enim ea quæ totã ecclesiã tãgũt, in singulis sic fieri, vt acceptabilia facillimẽ oĩbus sint: & ad hoc multũ valẽt vniuersalia concilia à probis præcipuè prælatis celebrata.

¶ Ad septimũ dicitur, q̃ quia duæ sunt leges diuinæ (scilicet vetus & noua) & noua est secũda ordine generationis, ideo vocabulum illud, scilicet secũda lex, nouæ legis cõuenire ex vi vocabuli dicitur: & argumẽtũ ex conuenientia vocabuli sumpsit Innocẽtius. Et hoc expressit, ne intelligeretur q̃ absolutè cõcluderet, sed quãtũ est ex vi vocabuli. Et hoc diminuit argumẽtũ, nõ auget (vt patet) q̃m in voce vna latẽ: multa. Vnde ex hac conueniẽtia quãdã persuasionẽ intẽdebat, qua mãdata in Deuteronomio, nõ ad literam, sed proportionabiliter secũdũ cõueniẽtiã ad tempus gratiæ seruãdo erãt, q̃ũ, vbi, &c. expediret. Vnde ipse mãdatũ vnũ iudiciale ex Deuteronomio assumẽs, & tractãs, nõ ad literã, sed iuxta cõueniẽtiã ad sacerdotiũ Petri exposuit. Nec obstat q̃ oĩa veteris testamẽti hoc modo seruari possunt, cõcediẽ enim q̃ nihil speciale de Deuteronomio intendebat, nisi persuasionem ex conuenientia nominis.

¶ Ad octauũ dicitur, q̃ quia potestas Papæ directè est respectu spiritualiũ ad supremũ simpliciter finẽ humani generis: ideo suæ potestati duo cõuenũt, primò, q̃ non est directè respectu tẽporaliũ, secũdò, q̃ est respectu tẽporaliũ in ordine ad spiritualia: hoc enim habet ex eo, q̃ ad supremũ finẽ oĩa ordinari debẽt, etiã tẽporalia, ab eo proculdubio, cuius interest ad illũ finẽ oẽs dirigere: vt est Christi vicarius: primũ aũt ex natura suæ potestatis cõsequitur. Ex his autẽ sequit, q̃ vtrunq; verè põt terminari de Papa, & q̃ habet supremã potestatẽ in tẽpalib?: & q̃ nõ habet supremã potestatẽ i tẽporalibus: q̃m vtrũq; verũ est ad sanum intellectũ. Affirmatio nãq; est vera in ordine ad spiritualia: negatio verò est vera directè, seu secũdũ seipsa temporalia. Vnde nihil ex vtraque decisione erroris accidit. Aduerte tũ, q̃ quia aliud est determinare de fide formaliter, & aliud de eo, quod est fidei materialiter (nã primum importat determinare quid credẽdũ vel nõ credẽdum est: secundũ autẽ determinare de quæstionibus, quæ in rebus creditis accidũt.) & cõstat, q̃ cùm determinatur quæstio aliqua secũdò modo nõ determinari dicitur de fide, sed de tali vel tali materia: ideo, cũ dicitur, q̃ Papa nõ põt errare in iudicio fidei, nõ accipio dictũ esse nisi de iudicio fidei formaliter, quando scilicet determinatur quid credendum vel non credendum. Contra quod nulla harum obiectionum procedebat, nisi prima apparenter: ne tamen fugere videar, sigillatim solutæ sunt omnes.

¶ Ad nonũ dicitur, q̃ nõ verisimile, sed verũ & humanæ diuinæq; rationi & autoritati consentaneũ est, vt homini potẽti errare secũdũ seipsum, nõ autẽ vt directo à Spiritu sancto, Deus vltimã fidei decisionẽ sub sacra Scriptura cõmiserit. Cũ enim nõ sit differẽtia apud Deũ in vno & in multis saluare, & oẽs in cõcilio præsentes secundum se & proprias vires cõsiderati, possint errare, malè determinando de fide: ob ignorãtiã vel aliquẽ aliũ defectũ, ac per hoc ad assistẽtiam Spiritus sancti recurratur, magis attestatur assistẽtiæ Spiritus sancti & eius virtuti, salus fidei p vnũ, q̃ per totũ cõciliũ; hoc enim humanæ sapientiæ opus esse videtur (propter omniũ Patrũ cõcursum) illud autem solius Dei opus est & apparet. Vnitas quoq; fidei vnitatem quoque iudicis qui præest toti ecclesiæ exposcit: vt in 8es secunda secundæ, q. 1. articulo vltimo diuus Tho. affert.

CAPVT XIIII.

DIXI In eodẽ 9. cap. rationẽ, quare Papa nõ põt errare in iudicio fidei, quia hic error esset error vniuersalis ecclesiæ: quia tenetur sequi diffinitionem Papæ in fide, afferens ad hoc autoritatẽ sancti Thomæ, & post Decretalis in capitulo maiores: & Iesu Christi. Ego rogaui pro te Petre.

OBIICITVR Negando, q̃ ecclesia de necessitate tenetur credere sententiæ diffinitiuæ Papæ in materia fidei: & dicẽdo, q̃ sicut Papæ præcipienti contra Euãgelium non est obediendum, ita nec sententiæ erroneæ in fide. De autoritate sancti Thomæ, non est cura.

¶ Ad capitulum maiores, dicitur dupliciter, primò, q̃ nõ pro vltima & necessariò credenda determinatur, ne habenda, sed regulariter ad Papam est recurrẽdum, quia regulariter non est ecclesia congregata. Secundò, & in idẽ redit, q̃ referendæ sunt summo Pontifici ad fidei, vt cõuocet concilium: quia ad ipsum spectat q̃ congregare illud.

¶ Ad verbum Domini, Ego rogaui pro te, Petre; dicitur quòd non pro sola personã Petri aut successoribus orauit Christus ne deficeret fides eius, sed pro vniuersali ecclesia per Petrum repræsentata.

RESPONDEO, Negationem illam consuetudo ecclesiæ autoritatesq; sanctorũ cõfutant, & ignis experientia cõprobaret, si quis non teneret, qđ sola Ro. ecclesia determinaretur, hæreticũ esse, vt patet, extra, de hæreticis, ad abolẽdã in tex. & glossa. Et hæc responsio manifestat, ad quid fateantur ipsimet se declinare oportere, defendendo subiectionem Papæ reliquo corpori ecclesiæ vel concilii.

¶ Quod aũt additur, q̃ sententiæ erroneæ, sicut nec præceptio diabolico adhærendũ esset, verissimũ est sed nihil obstat: q̃m ex his nihil aliud q̃ cõditionalis veritas haberur, scilicet si determinaret erroneè, si præciperet cõtra Euãgelii, nõ audiretur. Hoc enim nõ solũ de Papa, sed de Angelis sanctis verissimum est, iuxta illud, Si Angelus de cælo Euãgelizet aliud, &c. anathema sit. Ex his enim cõsequitur, q̃ antecedẽs, aut cõsequẽs possit esse verum, vt patet.

Quòd autoritas S. Tho. paruifiat, nõnihil est: q̃m ecclesia nõ paruifacit. Sed esto, q̃ S. Tho. paruifiat, Cyrillus et Maximus ibidẽ allegati etiã paruifiẽt. Hiero. quoq; dicens ad Damasum, (vt habetur 24. q. 1. c. hæc est fides, si hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio cõprobatur, quicunq; me culpare voluerit, se imperitũ, vel maleuolũ, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit, manifestẽq; in his verbis contestans, quòd ex approbata fidei confessione à Papa aliquis obstãs non catholicus fit, paruipendendus erit.

¶ Ad expositionẽ verò dictã de ca. maiores dicitur, q̃ literæ cõtradicit. Nã textus causam quare ad Petri sedẽ sit recurrẽdũ, assignat veritatẽ Petri in cõfitẽdo fidẽ & indefectibilitatẽ eius in eadẽ propter orationem Christi. Ex hac enim causa manifestè sequitur, q̃ ideo ad Papã referẽdas esse maiores causas dicitur, qã ipse cõstitutus est indefectibilis iudex in fide. Et quia eũ, qui certus est, amplius certificari non oportet, sequitur q̃ sententia Papæ in fide est finalis determinatio & necessario credẽda, secũdũ illã Decretalẽ, & sic vtraq; expositio ruit. Quod autẽ de oratione Christi pro Petro dicitur, põt bene & malè intelligi. Malè quidem, si intelligatur q̃ Christus pro ecclesia, siue cũ Papa, siue sine Papa orasse se dicerit: q̃m expressè Christus dixit hæc verba Petro, vt distincto ab alijs, vt patet ex cõtextu inquirẽnti Lucæ 22. Simõ ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret sicut triticũ: ego aũt rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua: & tu aliquã cõuersus cõfirma fratres tuos. Vbi manifestè patet, q̃ distinguit tẽtationis actũ ab oratione quo ad hoc, q̃ cõiter expetiti erant, & tũ ipse singulariter pro Petro rogauerat, dicẽs, Expetiuit vos, ego autẽ pro te rogaui. Apparet quoq; idẽ ex eo, q̃ Petro cõmisit vt confirmaret alios, tanq; diceret, Ego tui, tu autẽ aliorũ curã habeas. Bene autẽ fi intelligatur Dõm orasse pro Petro & alijs, diuersimodẽ tũ. Pro Petro quidẽ immediatè, pro alijs autẽ mediãte Petro: pro Petro in seipso Petro, pro alijs autem in Petro ipsorum capite. Et in hoc sensu magis cõfirmatur intentum nostrũ: vt patet. Et vt vnico verbo dicam, si hæc autoritas de Petro & successoribus verificatur, (vt dictum ea. maiores affert.) satis habetur intentum q̃ Petri sedes non potest errare in fide propter Christi orationem. Et cùm hoc non sit verum de errore personali, sequitur quòd verificatur de errore iudiciali.

CAPVT XV.

DIXI In eodẽ 9. c. exponẽdo illud Hier. Si autoritas quæritur, orbis maior est vrbe, qd verùm est quo ad multa: puta merita, virtutẽ, scientiam, & in proposito vigorem consuetudinis, &c.

OBIICITVR, Tu glossas de maioritate meritorum, & Hiero. non dicit, si merita quærantur, sed si autoritas quæritur: & sic de maioritate potestatis, non meritorum loquitur.

RESPONDEO, Satis diminutè glossa mea adducitur, nã, (vt patet in libello, ego dixi q̃ dictũ Hier. verùm erat quo ad multa: puta, meritũ, scientiã, &c. & q̃ in proposito, & ad literã Hiero. loquit de vigore cõsuetudinis: & obiectio in solis meritis se ponit. Propter qđ etiam addo, q̃ m[illegible] ad autoritatẽ consuetudinis plurimũ valent: q̃m cõsuetudo nõ virorũ malorũ, sed virorũ sanctorũ, maxime [illegible] ecclesia Dei autoritatis, & proponit imitãda. Et propterea stãdo etiã in meritis Hier. textus optimẽ intelligitur, vt quia orbis maior est vrbe in autoritate cõsuetudinis, propter maiora merita orbis q̃ vrbis, ideo cõsuetudo orbis, qua diaconi subesse, nõ præesse cõsueuerunt, imitãda est. Et sic dicẽdo, si autoritas quæreretur ratione materiæ de qua erat sermo, scilicet de loco diaconorum, maioritatẽ meritorũ nõ potestatis in cãm autoritatis afferebat. Facilè tũ cõtendẽtibus in verbis dici potest, q̃ orbis autoritas maior est extensiuè, non intensiuè autoritate vrbis, & similiter potestas.

CAPVT XVI.

XI in eodem cap. 9. multas auroritates ex lib. decretorum, quòd Papa non habet superiorem in terris.

OBIICITVR Duabus glossis. Prima est, q̃ intelligitur hoc in criminibus non scandalosis ecclesiæ. Secunda est, quòd intelligitur hoc regulariter: quia regulariter ad Superiorem summi Pontificis, concilium, scilicet recursus haberi non potest.

RESPONDEO, Quod prima glossa est volũtaria & falsa. Volũtaria quidẽ, qa ecclesiæ Canonũ, aut Sanctorũ autoritas non roborãtur: falsa autẽ, qa fit exceptio de solo crimine fidei. Constat enim q̃ ab vniuersali cũ vna exceptione facta nõ, nisi falsò alia exceptio fit. Cũ ergo solum fidelitatis crimẽ excepũm ab vniuersali sit, restat vt alia crimina oĩa inclusa sint. Secta autẽ gl. manifestè falsa conuincitur ex eo, q̃ ità de crimine hæresis Papa diceret, nõ habere Superiorẽ: q̃m regulariter cõciliũ nõ est cõgregatũ. Tertia aũt glo. q̃ autoritates istæ, aut summorum Pont. qui vt in pluribus fimbrias suas nimis extendẽtes, sibimet tribuerũt quod ecclesiæ est, propriũ: qa nõ procedit de Theologiæ aut sacrorũ Canonũ, &c. autoritate: q̃ bũ sonet, aduertat qui notat in quãta veneratione Decretales summorũ Pontif. in ecclesia sunt. Et tantò plus, quãtò multorum sanctorum Pontificũ autoritates refutandæ sic essent: vt patet de Bonifacio, Antherio, Eusebio, & aliorum sanctorum in libello allatorum. Taceo de tot doctoribus in Theologia & in Iure illustribus ibi allatis.

CAPVT XVII.

XI in ca. 11. q̃ ecclesiæ Dei, secluso Papa, non est data potestas papalis, aut superior papali in Euangelio Matth. 18. & q̃ in ecclesia huiusmodi non est talis potestas.

OBIICITVR, Quod Dõs ibidem dixit. Si ecclesiã non audierit, &c. p hoc ẽm ecclesiæ iurisdictionẽ ostẽdit in effectu, scilicet in pœna excõicationis, & subdidit in plurali numero, Quæcũque solueritis, &c. per hoc enim ostendit, quòd pluribus in ecclesia nomine constitutis, dabat illam potestatem.

¶ Affertur etiam ad hoc vsus primitiuæ ecclesiæ, quando dicit, 15. diffinitũ est ab ecclesia. Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil amplius oneris vobis imponere, &c.

¶ Affertur tertiò autoritas Gregorij, quæ ponitur in cap. sicut sancti. vbi Gregorius fatetur se quatuor cõciliũ, illa, scilicet, Nicenũ, Cõstantinopolitanũ, Ephesinũ & Calcedonẽ, tenere sicut Euãgeliũ: & subdit causam, quia dum vniuersali sunt cõstituta cõsensu, se & nõ illa destruit qs quis præsumit absoluere quos ligãt, aut ligare quos absoluunt. Ecce, q̃ nõ dicit, q̃ summi Pont. sed vniuersali consensu: nec quos pontifex ligat, sed quos illa ligant.

¶ Quartò, ad hoc est capitulũ decruit. 80. di. vbi dr, Decreuit sancta syno. & nõ dicit, decreuit summus Põtifex.

¶ Quintò capitulum nimis de iureiurãdo: vbi autoritate sacri concilij, non propria summus Pontifex præcipit.

¶ Sextò, Ecclesia potest elargiri indulgentias, ergo habet claues iuris dictionis. Probatur antecedens: quia dãtur in dulgentiæ de thesauro ecclesiæ & non Papæ: ergo à fortiori ecclesia potest dispensare.

¶ Septimò, Ecclesia potest condere canones latæ sententiæ, depositionis, excommunicationis: ergo. Antecedẽs patet de concilio Carthaginen. in c. placuit, 8. q. 1. & habetur extra de clericis non residentibus, in capite gestis.

RESPONDEO, Et vt his & similibus rũdendi via detur, quatuor pũcta præ oculis semp habẽda in hac materia & hmõi autoritatibus assigno. Primũ est, aliud est ecclesia seu synodũ habere potestatẽ plenariã rõne partis (puta capitis, sicut homo videt, audit, &c.) & aliud est ecclesiã seu synodũ habere eãdẽ ratione suæ totalitatis. Et ppterea cauẽdũ est, ne à primo in secũm oratio declinet. Secundũ est, Aliud est ecclesia seu synodũ habere potestatẽ plenariam, & aliud est eã habere immediatè à Dõo Iesu Christo. Et ppterea cauẽdũ est, ne à primo in secũm oratio declinet. Tertiũ est, Aliud est ecclesia seu synodũ habere potestatẽ: & aliud est eãdẽ habere potestatẽ talem, scilicet coactiuã respectu talis, scilicet vicarij principis suã potentia ẽm actiua, cũ dicatur nõ absolutè, sed respectu passiuæ, (vt patet 5. & 9. Meta.) plenaria potestas plenissimè est, q̃ũ respectu subiectorũ omnia potest. Cauẽdũ est ppterea, ne à primo in secũm oratio declinet. Quartũ est, Aliud est ecclesiã seu synodũ habere potestatẽ plenariã: & aliud est ecclesiã seu synodũ acephalẽ seu truncã habere eandẽ. Et propterea cauendũ est, ne à primo in secũm oratio declinet.

¶ Ex his siquidẽ quatuor sapiẽter dispẽsatis, vniuersa cõnisistius argumẽta facilè elucescẽt: sic, vt nullũ fortè obscurũ relinquatur. Ad singula tũ descẽdendo rũdetur. Et ad verba Dñi, Matth. 18. dicitur (vt iã probatũ est) q̃ Dõs non dat ibi ecclesiæ autoritatẽ, sed significat eã habituã potestatẽ: nõ explicãdo ibi quõ habitura sit, & an secũdũ se totã primò, an rõne partis: hoc ẽm nõ negamus, sed docemus. Verba quoq; illa in numero plurali nõ cõgũt ad autoritatẽ ecclesiæ rõne suæ totalitatis: imò absq; determinatione ad hũc vel illũ modũ potestatis ecclesiæ, scilicet rõne totius vel partis oportere intelligi, ex hoc conuincit, q̃ vtroq; mõ verificari possunt: vt patet ex dictis, constat ẽm euidenter q̃ cõmune duobus abstrahit ab vtroq;. Potest igitur ille numerus pluralis referri ad pluralitatẽ ecclesiarũ futuram, & ad pluralitatẽ cõuenientium in ecclesia, ad conferendum, discutiendũ, probandum, &c. & ad pluralitatem accumulãtium suas autoritates in cõmuni: propter quod [illegible] illa literã nihil habetur obstans dictis.

¶ Ad secũdũ ex primãtiua ecclesia, dicitur, q̃ gratis cõceditur ecclesiã statuisse, sed an potestate partiũ (puta trium Apostolorũ) an cõitatis per accumulationẽ in cõmuni, an aliquo alio modo (puta à Christo immediatè, vt isti falsò putãt) nihil ibi exprimitur. Et propterea ex ista autoritate, & cæteris subiictis, & similibus, nec habetur ista affirmatiua, scilicet ecclesia, seu synodus habet immediatè à Christo potestatẽ, nec habetur ista negatiua, Synodus non habet potestatẽ à Dõo mediãte Papa. Et de affirmatiua quidem ex eo cõstat: quia, cũ multipliciter possit verificari synodũ habere potestatẽ, (vt patet ex dictis) & ex his nihil aliud habẽatur, nisi q̃ synodus habet potestatem, oportet hoc sic cõiter intelligi, vt à singulis huiusmodi sensib? determinatè abstrahat. De negatiua aũt ex eadẽ radice constat: quia scilicet synodũ habere potestatem, nõ oportet q̃ intelligatur determinatè ad illũ modũ, quo excludatur habere potestatẽ à Dõo mediãte Papa, (vt cõtingit q̃ũ per accumulationẽ ecclesia habet potestatẽ) quia oẽs partiales potestates sunt à Petro, & cõmunicatio potestatis suæ cum alijs ab eodem est, qui solus à Domino, vt potet eius vicarius immediatè potestatem habere: & ratione eius solius synodus integra potest verè dici, quòd habet immediatè potestatem à Christo domino.

¶ Ad autoritatẽ Gre. dicitur, q̃ causa reddita à Gregorio manifestè fauet intento nostro: q̃m nõ reddit pro causa autoritatẽ immediatè datam à Christo, sed vniuersalẽ cõsensum: ac per hoc etiã ipsius summi Pontificis, qui caput est & propterea seipsum negaret Papa, illã negãs: vt ibi dicitur. Ex hac quoq; Gregorij rõne habetur, quòd diximus, q̃ autoritas synodi includit caput: alioquin nõ faceret vniuersali cõsensu quæ facit. Et innuitur q̃ potestatem habet à suis partibus: ad quarum negationem deducitur negans illam. Et rursus ex hac autoritate nihil aliud habet, nisi q̃ synodus habet potestatem diffiniendi, &c. Et per hoc patet responsio ad quartum.

¶ Ad quintũ verò dicitur, q̃ cũ synodus integra habeat potestatem vniuersalem, quocũq; id modo contingat, & autoritas, quæ est ipsius Papæ absolutè, & vt propria sit ipsius synodi pro tunc, & vt cõmunicata: quemadmodũ quilibet alius posset verè dicere autoritate sacri concilij, statuto, &c. ità ipse Papa, cùm non sit deterioris cõditionis

Universidad de Deusto Biblioteca

nis alijs. Neq; enim per hoc, quod affirmat se synodi autoritate facere, negat sua se autoritate facere: imò potius affirmat hoc, quia autoritas synodi de necessitate claudit in se autoritatē capitis. Neq; rursus per hoc, quod affirmat synodi autoritate se facere, affirmat se aliena autoritate facere: licet eñ synodus sit aliud à Papa, sicut ecclesia alicuius epi differt ab epo, non tñ oportet, ꝙ potestas ecclesiæ sit aliud a potestate epi, sed vna & eadē potest esse, vtriusque diuersimode: episcopi vt propria, ecclesiæ vt cōicata. Et ꝑ hoc etiā patet, ꝙ per hoc, ꝙ affirmat se sacri cōcilij autoritate facere, nō propterea affirmat se minorē in autoritate.

Et quis hęc satisfaciat, verūtamē cōdescēdēdo multorū sensui, scito ꝙ dupliciter Papa pōt dici minor synodo secūdum potestatē, scilicet extēsiuè, & quasi intēsiuè secūdum quid: extēsiuè quidē, quia synodus integratur ex tot potestatibus tātæ multitudinis, intēsiue verò secūdū qd, hoc est secūdū illā partē potestatis, quā cōicat Papa cōcilio, quasi proportione sua. Papa enim præsens synodo nō intelligit, (vt prędictū est:) totā suā potestatem totaliter synodo cōicare, sed tātū suæ potestatis quātū ad decernēdū, &c. oportet, & sic ex eo potestatis Papæ & reliquis potestatū aliorum sit vna potestas, quasi intensiuè maior, quā id potestatis papalis solum esset. Et hæc maior potestas intelligitur esse in tota synodo tanq; in subiecto. Dixi autē quasi intensiuè: quia potestas illa papalis, eo ꝙ cōicatur vt limitata sic, vt cum alijs potestatibus possit velut quædā singularis potestas accumulari: intelligitur & superari à tota, proquanto tota pōt vniuersale statutum cōdere, diffinire, &c. ꝙ illa vt sic nō pōt per seipsam solā. Sed, qm̄ tota potestas synodi non plus pōt quā ex singulis huiusmodi potestatibus habeat, ideo nō simpliciter, sed quasi intēsiuè maiorē appellaui. Et ne putes me hāc portionē papalē fingere, cōtēplare potestatē legatorū Papæ in synodo, qñ per legatum Papa synodū celebrat, & videbis clarè, ꝙ quia Papa tūc nō erigit legatū illū in Papā, sed potestatē cōmittit quātā oportet pro synodo haberi, ex sola præsentia Papæ in synodo nō habetur ꝙ plus suę potestatis synodo impartiatur quā oporteat, quis maior dignitas, & infallibilis assistētia Spiritus sancti in synodo, quo ad ea quæ sunt fidei, præsentiā Papæ ꝑ seipsum cōsequatur. Vñ quis nō cogamur, possumus tñ dicere ꝙ Papa tanq; minor extēsiuè & scdm quid intēsiuè synodo, autoritate sacri cōcilij dicitur facere, quod tñ de plenitudine suæ potestatis posset & facere & tollere. Et, qm̄ verba prædicta (scilicet facere autoritate synodi vel cōcilij) in Papa habent speciē minorationis, ideo à sacris Canonibus non sunt extensa: sed more similiū locutionū sunt pię interpretationi relicta, & quasi correcta, dum Papa in concilio dicit, Statuimus sacro approbante concilio: approbare enim commune est potestati, sapientiæ, cōsensui: nec superioritatem, nec æqualitatem potestatis in approbantibus exigit: vt patet.

¶ Ad sextum dicitur, ꝙ licet ecclesia integra possit dare indulgētias, &c. & eius sit thesaurus meritorū, vnde fiunt indulgentię: vt propter cuius vtilitatem est, non tamē eius sunt vt dominæ: quoniā ipsa est serua domini Iesu, & quicquid acquirit seruus, acquirit domino suo: & ipsi dictum est, Cùm feceritis quæcunq; mandauero vobis, dicite, Quod debuimus fecimus, serui inutiles sumus. Vnde non magis ad ecclesiam, sed ad vicarium Domini spectat dispensatio thesauri in vtilitatem ecclesiæ, pro qua est.

¶ Ad vltimum iam patet, quòd gratis concedimus, synodum quæ verè synodus est, scilicet integram potestatē habere deponendi, excommunicandi &c. De hoc enim non est quæstio, sed de modo hañdi: vt patet ex dictis. Et hæc sufficiant ad similia.

CAPVT XVIII.

DIXI In eodem 11. cap. ꝙ ex hoc, ꝙ Apostoli miserunt Petrum & Ioannem ad Samaritanos, nō potest inferri eos subditos esse Apostolis, quia ex Missum esse, nō sequitur, Subditum esse: vt patet de Spiritu sancto.

OBIICITVR, Ista consequentia est optima, Spiritus sanctus mittitur à Filio, ergo est ab eo, vel eo inferior: & sic oportet fateri, quòd Petrus est ab ecclesia, ex quo nō est inferior.

RESPONDEO, Quod cōsequentia illa, quæ vocatur optima, nō est verè optima, cùm nō sit bona gratia materię, quoniā Spiritus sanctus mittitur à seipso, (vt patet in primo sen. di. 16.) & tñ nō est à seipso, nec inferior seipso. Et similiter Filius mittitur à seipso, imò etiā filius mittitur à Spiritu sancto, qui est à Filio: vt patet in eodē lib. dist. 15. Et quia cōsequētia nō est bona de forma: ideo nō infert, Ergo Petrus est inferior ecclesia, vel est ab ecclesia.

CAPVT XIX.

DIXI In eodem ca. 11. ꝙ ex. 36. q. 2. c. ... cuit. fun-cto cap. tria habetur, ꝙ Hieronymi autoritas innixa Sacræ Scripturæ præualet concilio.

OBIICITVR, Quòd Hieronymus, & dictum concilij intelliguntur pro diuersis temporibus: & ꝙ verba Gratiani ibidem inter paleas computanda sunt.

RESPONDEO, Quòd licet certū sit, ꝙ Hieronymus absolutè & nō secūdū hoc vel illud cōcilium futurum loquatur, & ꝙ cōciliū generale posset prohibere qd nō est absolutè prohibitum verba tamen concilij non tanquam constituentia, sed declarantia ius, sumpta Hieronymi autoritati non præiudicant, & hoc intendit Gratianus, & non ꝙ non posset statuere. Verumtamen quicquid de hoc sit, satis habeo intentum meum ibidem, dum ex illo loco habetur siue autoritate Gratiani, siue quacunq; alia, ꝙ Hieronymi autoritas pręualuit cōcilio: & ita, ꝙ iuxta Hieronymi, non iuxta concilij autoritatem seruat ecclesia.

Quòd autem computētur verba Gratiani inter paleas ab arguentibus nihil obstat: quia oportet ꝙ ab alijs & non ab ipsis solis inter paleas computentur.

CAPVT XX.

DIXI In eodem cap. 11. ex autoritate Decretalis de electione in ca. significasti, quòd concilia à Papa autoritatem habent.

OBIICITVR, Dicendo, quòd illud est intelligendum de concilio quantum ad suum congregari, quia regulariter autoritate Romani pontificis congregatur: sed ex quo congregatum est, siue autoritate Romani pontificis, siue aliàs habet immediatè autoritatem à Christo.

RESPONDEO, Quòd expositio ista repugnat textui. Nam ibi duo dicuntur habere concilia à Ro. ecclesiæ autoritate, quòd facta sunt, & quòd robur accipiunt, & primùm, vt patet, refertur ad ipsum Congregari: secundum autem nisi superfluat, ad autoritatem congregati. Et conuincitur hāc esse absque omni ambiguitate intentionem literæ illius: quia reddit rationem, quare conciliorum legibus Apostolica sedes non subest. Si enim dependerent concilia tantum in congregari à Papa, ex quo leges faciūt postquam congregata sunt, nihil valeret ratio assignata ad intentum inferendum. Patet nanque manifestè quòd ex hoc, quòd concilia regulariter nō congregantur nisi per Papam, non sequitur, Ergo non præfigunt legem Papæ: quia stat, quòd congregata præfigant legem si congregata non pendent ab ipso.

CAPVT XXI.

DIXI In eodem 11. cap. quòd concilium vniuersale legitimè congregatū errare potest diffiniendo Papa absente, aut non consentiente: & quasi dixi quòd potest errare eodem modo in his, quæ sunt fidei.

OBIICITVR, Quia ad concilium generale spectat determinatio eorum, quæ sunt fidei: & ipsi promittitur, Quod docebit vos Spiritus sanctus omnem veritatem.

¶ In cuius signum Act. 15. ponitur Spiritus sanctus præsidere concilio Apostolorum, cùm dicitur, Visum est Spiritui sancto & nobis: & non dixerunt, Visum est Petro & nobis.

¶ Hoc satis innuere videtur Augu. Euangelio non crederem, nisi me autoritas ecclesiæ admoneret.

¶ Et in sexta synodo (vt patet distinctio. 16. capitul. placuit) dicitur, Placuit huic sanctæ synodo, vt ammodo confirmata & rata sint canonum Apostolorum 83. capitula.

Hoc quoque deduci potest ex illo, Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, hoc enim successoribus Apostolorum dicitur. concilium enim generale repræsentat concilium Apostolorum & Seniorum.

¶ Hoc idem patet ex eo, quòd quilibet fatetur se credere in vnam sanctam ecclesiam catholicā: ex hoc enim sequitur, quòd ad eam vltima decisio eorum, quæ sunt fidei, spectat. Cùm enim Papa fatetur se credere in vnam sanctam ecclesiam, non dicit se credere in semetipsum.

Præt

¶ Prætereà, Ecclesia vniuersalis non potest errare in fide: & cōcilium gaudet eodem priuilegio, quo ecclesia repræsentata sicut eadem potestate. Imò cùm ecclesia, vt dispersa nullum actum iurisdictionis exercere possit, nec aliquid sententialiter diffinire, infallibilitas in diffiniendo ei competere debet vt congregatæ in concilio.

¶ Et si dicatur, quod Papa repræsentat ecclesiā sicut concilium, dicitur quod Papa repræsentat ecclesiam remotè, concilium autem propinquissimè: quia in eo est aliquis de qualibet ecclesia saltem sufficienter vocatus, & priuilegium ecclesiæ transit in concilium immediatè, eam repræsentans non autem in summum Pontificem.

RESPONDEO, hæc obiecta dupliciter deficiūt: & primus defectus cōmunis est omnibus, secundus autē quibusdam obiectionibus communis. Defectus omniū obiectionum est, quia à concilio declinant ad concilium, secluso Papa. Ex cuius proprio priuilegio, (conciliū quippe generale sine Papæ cōsensu non diffinit,) constat quòd non vniuersali consensu diffinitio illa facta est, cùm Papa supremum in ecclesia Dei teneat locum, officium, & regimen etiā vniuersale. Quod autem vniuersali consensu diffinitum non est, proculdubiò à concilio vt ecclesiam vniuersalem repræsentat, diffinitum non est. Dico igitur, quòd propositio dicens, quòd concilium generale nō potest errare in iudicio fidei, est vera simpliciter & absolutè de concilio iudicante in fide cum Papa, & non est vera de concilio acephalo. Et hæc responsio sufficit ad omnia obiecta quantum ad intentam conclusionem: sed quantū ad vim ipsarum obiectionum, in speciali dicitur. Et ad primam quidem, ꝙ ad cōcilium generale spectat vltima decisio fidei, dicitur quòd hoc verificatur de concilio ratione capitis, sicut de homine quòd videt ratione oculi. Et quòd hoc sit verum, patet de concilio Ariminensi & Ephesino secundo, quorum primum errauit in fide cum Ario, secundū autem etiam errauit in fide cū Euthicete.

Et quod ampliùs est notandū, istud secundū fuit etiam autoritate apostolica congregatū: & in neutro consensit erroneæ diffinitioni Romanus pontifex. Et de Ephesino quidem secundo clarè patet ex multis epistolis Leonis, & gestis Calcedonē. synodi. De arimineñ. verò patet ex Rufino in ecclesiastica historia, & in historia tripartita, li. 5. cap. 39. Ex effectu igitur manifestū est quòd verbum Domini, Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem, non dictū est concilio dissentienti à Papa, quamuis legitimè congregato. Hęc rectè examinent omnes, qui hac de re decertant, vt caueant, & à sensatis non recedat iudicium.

¶ Ad secūdum dicitur, ꝙ etiam si cōcilium illud Apostolorum, &c. fuisset concilium generale, nihil aliud haberetur, nisi ꝙ concilio integro cum Petro præsente & primò Spiritus sanctus præsideret: quod gratis conceditur. Sed quare ibi in cōmuni diffinitum sit, & quod non fuerit generale concilium illud, in libello illo diximus.

¶ Ad tertium patet etiam, ꝙ Augu. dixit, Nisi autoritas me admoneret ecclesiæ, & non dixit ecclesiæ acephalæ.

¶ Ad quartum fateor me nō videre quid probet, nisi cōtra afferentes, quia canones Apostolorū quamuis à synodo confirmati euanuerunt: hoc enim non facit ad celsitudinem potestatis synodi, quàm illi intendunt.

¶ Ad quintum dicitur, ꝙ ad literam loquitur de ecclesia vniuersali, quæ nunquā deficiet: hæc enim est, quæ succedit Apostolis, & alijs quibus Dominus loquebatur. Ab ecclesia autem vel etiam concilio eam repræsentante, ad concilium acephalum, non valet argumentum.

¶ Ad sextum dicitur, ꝙ antecedens assumptū ex Articulo fidei de vna sancta ecclesia potest dupliciter legi, scilicet cū præpositione, In (dicendo, Credo in vnā sanctam ecclesiam catholicā) & sine illa præpositione, quòd melius iudicat diuus Thō. dicendo, Credo vnā sanctam ecclesiā catholicam. Et siquidem dicatur, Credo in vnā, &c. sumitur ecclesia pro ecclesia integra, corpore scilicet & capite, quod est Christus dominus: ratione cuius in ecclesiam dicimur credere. Et tunc optimè valet consequentia: ergo ad huiusmodi ecclesiam pertinet vltima decisio fidei, & quòd Papa non dicitur credere in semetipsum. Sumi quoque potest pro ecclesia in terris, vt iungitur Spiritui sancto, ratione cuius dicimur credere in ecclesiam, vt diuo Thō. placet. Et sic etiam patet ꝙ optimè valet consequentia, ꝙ ad ecclesiam catholicam iunctā Spiritui sancto, vt sic spectat vltima decisio fidei, & quòd Papa nō dicitur propterea credere in seipsum, sed in Spiritum sanctum, vt est ecclesiæ rector, sed non valet vlterior consequentia, ergo ecclesiæ acephalæ. Si autem legatur sine præpositione, tunc dicitur vt supra, ꝙ creditur vna sancta catholica ecclesia: sed non valet, ergo ecclesia acephala. Et conceditur quòd ad vnam sanctam ecclesiam catholicā spectat vltima decisio fidei, sicut & potestas iurisdictionis, quæ conuenit ei ratione partis. Nec Papa credendo ecclesiam dicitur credere seipsum, sed dicitur credere officium suum & aliorum. in cuius signum à fide deuiaret, si non crederet officium suum.

¶ Ad septimum dicitur primò, quòd conciliū etiam integrum nō admitto gaudere de necessitate priuilegio personali ecclesiæ (quale est esse semper in ecclesia fidem formatam) quoniam de ecclesia hoc constat, de concilio autem nullibi inuenisse me fateor autēctica autoritate firmatum, quāuis rationabile sit de facto ita esse, quòd scilicet in aliqua persona concilij sit fides formata. Dicitur secundò, quòd non posse errare in fide iudicialiter est priuilegium ecclesiæ ratione capitis, ad quod spectat iudiciū. Et ideo non est priuilegium ecclesiæ acephalæ, nec ecclesiæ, id est collectionis fidelium, ad quā non spectat potestas iurisdictionis, quā tamen ecclesiā pro collectione fidelium omniū tamen, conciliū repræsentat, & cui promisit Dominus ꝙ secū esset. Et ex hoc patet quantū deficit argumentū illud. nā procedit, ac si ecclesiæ ratione cōmunitatis conueniat priuilegiū illud non posse errare iudicialiter: cū constet ꝙ sicut iurisdictio cōuenit ecclesiæ ratione capitū, ita actus iurisdictionis. Et quia actus iste, scilicet iudicialiter diffinire de fide, concernit vniuersalem ecclesiam, ideo conuenit ecclesiæ ratione capitis, cui cōmissa est cura vniuersalis ecclesiæ: sicut alij actus ratione aliorū capitū proportionaliter. Dicitur ergo tertiò formaliter, ꝙ cōcilium integrum gaudet eodē priuilegio officij non personæ quo gaudet ecclesia, & eodem modo, scilicet ratione partis, puta capitis: & similiter gaudet eadem potestate, & eodem modo: sed ex hoc magis habetur intentum. Et concedo gratis, ꝙ infallibilitas in diffiniendo de fide conuenit concilio integro capitis & non ab ecclesia: cui etiam hoc non conuenit nisi ratione capitis, sed à Domino Iesu, cuius caput vices gerit.

¶ Quod autem dicitur de repræsentatiōe immediata & remota duo importat, scilicet repræsentatione ecclesiæ per Papā & conciliū, & modū repræsentādi. Et quo ad repręsentationē dicitur, ꝙ inter Papā & concilium tanta est in hoc differentia, ꝙ conciliū repræsentat vniuersalē ecclesiā integram (hoc est corpus cū capite) proportionaliter: sic ꝙ caput concilij repræsentat Christū caput ecclesiæ, & corpus concilij corpus ecclesiæ. Et hic est verus & indubitatus sensus, quo conciliū vniuersalem ecclesiā repræsentare dicitur, & à Domino immediatè potestatem habere. Ecclesiam autem in terris positam concilium integrum quo ad potestatē repræsentare dicitur, pro quanto omnis ecclesia potestas in eo inuenitur per seipsam, vel in sua vicaria, quo ad vota verò, quia intelligitur in ipsum cōsentire omniū personarū ecclesiæ vota: vt patet ex autoritate Gregorij supra inducta. Papa aūt vniuersalem ecclesiā integrā, & in terris ecclesiæ potestatem & vota, difformiter repræsentare inuenitur, nā caput Dñm, scilicet Iesum Christū participatiuè, papatum in seipso formaliter, reliquæ ecclesiæ potestatē & vota eminēter repræsentat. De differentia aūt obijciendo tacta, totum oppositū est: quia dū ratione prælaturæ concilij ecclesiā repræsentare dicitur, & solus Papa immediatè à Christo prælatus est, reliquum aūt ecclesiæ corpus à Dño mediāte Petro munus hoc habet, oportet dicere ꝙ Papa, immediatius repræsentat ecclesiam, quàm concilium: quia Papa, mediante solo Christo, concilium autem mediante Christo à Papa.

CAPVT XXII.

DIXI in cap. 13. Quòd potestas applicatiua papatus ad personam regulariter & principaliter est in Papa, & non nisi in casu in concilio, seu ecclesia, & in cap. 6. idem sub alijs verbis, scilicet ꝙ potestas electiua Papæ in Papæ potestate est. Et attuli ad hoc vtrobique duo argumenta. Primum ex facto Petri, 8. q. 1. cap. si Petrus. Secundum ex eo quòd Papa determinat de actu electionis, ita quòd contrario modo factus sit irritus.

OBIICITVR Cōtra quatuor, scilicet cōtra hoc, ꝙ talis potestas est in Papa: & contra hoc, in casu tñ est

Universidad de Deusto Biblioteca

in ecclesia seu concilio: & contra vtrunque argumentum.

¶ Primò ergo arguitur contra primum ex Occham, Si potestas electiua Papæ esset in potestate Papæ, sequeretur, quòd Papa posset relinquere ecclesiam absque potestate electiua: quod est impossibile: ergo. Et tenet sequela, ponendo quòd mortuis vel priuatis electoribus Papa non ordinaret electores. Et si dicatur, quòd in tali casu deuoluitur ad ecclesiam: contrà, quia tunc sequeretur quòd ecclesia esset superior Papa: quod tu negas. Et tenet sequela quia nunquam potestas aliqua ex negligentia alicuius deuoluitur ad alterum, nisi sit simpliciter & absolutè superior, potestas enim papalis non deuoluitur ad Episcopum ex negligentia Papæ non prouidentis alicui beneficio, sed econuerso. Præterea, si ecclesia in illo casu habet potestatē electiuam, quæritur à quo habet immediatè: cum à seipso non habeat. Si dicatur à Christo, difficile erit reperire in sacris literis fundamentum, in quo possit stabiliri quòd in illo casu habeat, & non regulariter.

¶ Secundò principaliter arguitur ex Armachano. Nō est verisimile, quòd Dominus volūtati vnius hominis cōmisisset potestatē electiuā summi Pontificis: quia posset euenire, quòd vna progenies diceret, Hæreditate possideamus sanctuarium Dei: dum quilibet in fine vitæ suū consanguineum subrogaret.

¶ Tertiò, Quia sequeretur, quòd etiam potestas destitutiua Papæ in casu hæresis, quo deponi potest, esset in Papa: & sic par in parem haberet imperium. Et rursus quòd Papa posset constituere, quòd Papa hæreticus à duobus vel tribus deponi posset. Et tenet sequela: quia per easdem causas habent generari & destrui potestates tales.

¶ Quartò, Si in Papa esset potestas electiua Papæ, vel ergo est in eo potestas illa sic, quòd per semetipsum potest successorem eligere vel solum, quia aliquibus potest illam potestatem cōmunicare. Hoc secūdum nihil habet apparentiæ. Ex primo autem si concedatur, sequitur hoc inconueniens, quòd esset in potestate duorum facere quòd alternatis vicibus quilibet per annum in ordine suo esset summus Pontifex, more Annæ & Caiphæ. Et patet cōsequentia: quia vnus Papa pro sua voluntate potest eligere alterum in Papam, & in fine anni ille alter reeliget eundem, & sic deinceps.

¶ Quintò, Christus non contulit Papæ aliquā potestatē perniciosam ecclesiæ: sed (vt habet glossa in ca. si Petrus) hoc est perniciosum, quòd aliquis eligeret sibi successorem: ergo Christus non contulit illam potestatem.

¶ Contra rationē ex facto Petri allatam, dicitur primò, quòd Petrus non instituit Clemētem, sed instituendum ordinauit. Dicitur secūdò, quòd hoc fecit instinctu Spiritus sancti: quo etiā præuidit mortē. Dicitur tertiò, quòd Papa in casu necessitatis, quo electores non possent cōgregari, & pro occurrēti periculo opus sit pastore, potest Papa moriens instituere successorem.

¶ Cōtra rationē aūt, ex hoc quòd Papa statuit circa actum electionis etiā electores determinando, &c. dicitur quòd Papa non dedit potestatē electiuā Cardinalibus, sed ecclesia vniuersalis in sexta synodo in ca. nomine Dñi. vbi Nicolaus papa non propria autoritate, sed sanctorū Patrum statuit. Et propterea vbi Cardinales potestate sibi tradita abuterētur manifestè, vniuersitas fidelium posset eos priuare potestate electiua Papæ, & alijs eam committere.

RESPONDEO, Et primò declaro sensum verborum meorum in libello illo: secundò quid in hac materia mihi videtur: tertiò, satisfacere curabo obiectis.

Quanquā electiua potestas principaliter & regulariter sit in Papa, nō tamē pōt sibi eligere successorem.

¶ Quo ad primū nunquam dixi, quòd Papa potest sibi eligere successorem, nec quòd potestas electiua Papæ sit in Papa formaliter, nec quòd potestas applicatiua papatus ad personam sit in Papa formaliter: sed dixi quòd huiusmodi potestas est in Papa regulariter: & principaliter. Cōstat nanque apud viros doctos, quòd multa sunt in potestate superioris quæ non sunt in illo & eius potestate formaliter: & quæ etiā non potest per seipsum immediatè facere. Sunt enim in intelligentijs, (quas Angelos dicimus,) formæ inferiorū: & eorū potestatis, nō tamē formaliter, nec sic quòd possint earū actus per seipsas exercere, sunt in corporū cœlestium potestate formæ elemētorū & eorū potestates, non tamē formaliter, nec sic quòd eorū operas possint per seipsa exercere. Stat igitur quòd huiusmodi electiua potestas sit in Papa regulariter & principaliter: & non sit in eo formaliter, nec possit per seipsum huiusmodi potestatis actū exercere. Sumantur ergo verba mea in hoc sensu, quòd potestas electiua est in potestate Papæ virtualiter, seu eminēter, & hoc quo ad modū essendi, & quòd est in potestate Papæ regulariter, id est ordinario iure, ad differētiam ecclesiæ viduæ: in qua est eiusmodi potestas in casu, & principaliter ad differētiam eiusdē ecclesiæ, in qua est secundariò: pro quāto in casu potest non solùm eligere, sed facere electores, & ordinare de modo electionis. Hæc de primo.

¶ Quo ad secūdum: quia eius est potentia, cuius est actus, (vt dicitur in De Somno & vigilia,) & electionis Papæ actus simpliciter & absolutè non est Papæ, ideo potestas electiua Papæ non conuenit formaliter Papæ. Probatur minor, Electio papæ est actus factiuus, quātum ex se est tūc papæ: ergo repugnat ei, quod præsupponat pro tunc papam. Et tenet consequētia: quia quod fit, nō est: si enim esset, iam non fieret. Tunc vltra, Ergo elector papæ non est papa: & tenet sequela: quia elector præsupponitur secūdum naturā electionis, & est simul tēpore cum electione. Tūc vltra, Ergo actus electionis papæ non est papæ, & tenet sequela: quia electio papæ est actus electoris papæ. Ex hoc igitur patet, quòd potestas electiua papæ, cuius actus simpliciter & absolutè est electio factiua ex natura sua tūc papæ, non est in papæ potestate formaliter. Et cōfirmatur autoritate cōsuetudinis ecclesiasticæ, qua fit, vt electiones Pastorū non fiant nisi vacationis tēpore, nec nō diuinæ sapiētiæ suauiter omnia disponētis: quæ dixit, Sufficit diei malitia sua: crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi. In subiecto igitur opportuni temporis, quo potestas electiua eligere debet, locata est formaliter, & non in papa: qui solum præueniēdo solicitudinē crastini diei eligere posset: vt patet. Subiectū autē huiusmodi electiuæ potestatis formaliter, iuxta Peripateticam & Apostolicā simul autoritatē, qua inuisibilia ex visibilibus cognoscenda (nobis sunt) ex ipsius electionis actus exercitatiōe inuestigandum est. Apparet autē absque omni ambiguitate, quòd electio papæ ad Romanam ecclesiam spectat: computando intra Romanam ecclesiam Episcopos et Cardinales, qui velut suffraganei Romani archiepiscopi introducti videntur. Et propterea cessante omni humano statuto certisque existētibus ecclesiæ Romanæ membris, eadem regulariter est potestas electiua Papæ, nō minus quàm in cæteris ecclesijs potestas electiua suorum Episcoporum. Ex eo enim quòd Christus Dominus Romanam ecclesiā elegit in Petri ecclesiam propriam, dum ipsi ne ex Roma, sicut ex Antiochia papatū transferret, inhibuit (dicens, Venio Romā iterum crucifigi) ecclesiæ Romanæ potestatem electiuā Papæ non positiuè, sed negatiuè, hoc est oppositum non ordinādo, concessisse dicitur. In casu autē incertorū electorum, ecclesiæ vniuersali eandem potestatem eadem ratione (qui scilicet est Episcopus vniuersalis ecclesiæ) & eodē modo, scilicet negatiuè dedisse intelligitur. Ex statuto autē humano, apostolica autoritate contractū per viā determinationis positiuè est subiectū potestatis electiuæ ad Cardinales Romanæ ecclesiæ solos Papa enim ex eminentia potestatis, curiæ ac regiminis vniuersalis, potest de electiua potestate decernere: ipsamque sic dirigere & ordinare, vt contrario modo faciendo, irrita sit in suo opere & subiecto: vt patet in gestis ipsorum Pontificum, & obseruatione ecclesiæ. Hæc de secundo.

¶ Quo ad tertium, respondeo obiectis pro quanto militant aduersus hæc, dicitur ad primum, quòd impossibile est ad ecclesiam relinqui absque Papa & potestate electiua Papæ: quoniā decedente Papa absque vllo decreto de hoc, negatiuè relinquit potestatem electiuam ecclesiæ Romanæ: sicut Linus successor Petri immediatus electus creditur. Responsio quoque data, quòd per viā deuolutionis potestas applicatiua papatus ad personam esset in ecclesia vniuersali in casu, pro quanto ex meo libello assumitur, non intelligitur de deuolutione propter negligentiā, contra quā obijcitur, sed cōmuniter. & propterea non sic arctatur. Deuolutionis vocabulum, quin siue deuolutionis siue successionis, siue suppletionis, siue cuiuscunque alterius modi in hac sententia viā includat. Vnde non super negligentia electorū, sed super defectu ordinariorū electorum fundaui: & in tali non in alio casu ibi dicta intelligo. Existentibus siquidem certis electoribus, qui hodie sunt Cardinales, non succedit Romana ecclesia vniuersalis: defunctis autem omnibus Cardinalibus Romana ecclesia, à qua Linus est electus ante humana iura nobis nota, immediatè succedit. Quia tamen pars clauditur in toto, & in ecclesia vniuersali clauditur ecclesia Romana,

si conc

si concilium generale cum pace Romanæ ecclesiæ eligeret in tali casu Papā, verus Papa esset ille qui electus sic esset. A quo autem ecclesia Romana aut ecclesia vniuersalis haberet in casu potestatem electiuam Papæ & non regulariter, facilè patet. Nam constat quòd haberet à Christo, & eius vicario negatiuè: quia scilicet neuter ordinauit oppositum, & Christus Dominus statuit Petrū in successoribus perpetuū. Stante siquidē hoc secūdò, cū successio carnis in nouo testamento cōcilio castitatis, maximè cōuenienti perfectissimo statui (qualis Papæ est) dissonet, voluntaria quoque quasi adoptio vel institutio successoris suaui ecclesiæ dispositioni aduersetur: via electionis perpetuandus relinquitur successor Petri, proculdubiò ab ecclesia sua, quæ quia est Romana & vniuersalis, nisi ipse Papa determinet, qui Romanam & vniuersalem ecclesiam repræsentent in eligendo, determinationi ipsius Petri & Domini, qua facto, morte scilicet Petri in episcopatu Romano determinatum est, quòd ecclesia Romana repræsentet ecclesiam vniuersalem in electiua potestate (vt patet si secludamus omne ius positiuū per intellectum, & aspiciamus ad ecclesiæ antiquæ consuetudinem) standum est. Vnde non oportet solicitari de autore potestatis electiuæ in casu, & non regulariter in ecclesia.

¶ Ad secundum dicitur, quòd non est contra sensum declaratum. Argumentum tamen non est ostensiuum, nec ducens ad inconueniens ex natura potestatis, sed ex abusu ex quo si liceret arguere, nescio que potestas vniuersalis rectè committi posset vni homini.

¶ Ad tertium dicitur, quòd quia quælibet potestas ecclesiæ est inferior potestate Papæ cui reliquæ subiacent potestates, nullum inconueniens video concedere, quòd in Papæ potestate eminenter continetur potestas etiam depositiua Papæ hæretici, & quòd posset constituere, & quòd à collegio Cardinalium posset deponi in casu quo deponendus est. Nec sequitur quòd par in parem habeat imperium: quia non suprà Papam, sed suprà coniunctionem papatus cum persona, exercet imperium, in statu in quo coniunctio illa est in Corrumpi ex diuino iure.

¶ Ad quartum dicitur, quòd propriè loquendo, neutro modo est potestas electiua in Papa: sed quia potest determinare electores & modum eligendi. Vnde non oportet ad inconueniens deductū respondere: quod tamen ex abusu potestatis sequeretur.

¶ Ad quintum dicitur, quòd non potestas, sed abusus potestatis si data esset à Christo, esset perniciosus. Ad obiecta verò cōtra rationem ex facto Petri, dicitur, quòd prima glossa videtur contra textum dicentem, tradente sibi Petro, & non dicit ordinante, quòd sibi traderetur. Secunda verò glossa acceptari potest, cùm vis non sit autentica: præsertim quia mortem non instinctu Spiritu sancti, sed Domini voce agnouit, dicentis, Venio Romam iterū crucifigi. Tertia autem glossa acceptatur, eminentiæ potestatis Papæ fauet, vt patet: sed quomodo tunc fuerit talis necessitas, deberet aperiri. Videtur tamen mihi, quòd vel iuxta secundam glossam instinctu Spiritus sancti Petrus hoc fecerit, vel de eminentia potestatis (propter quod dissolutum à Spiritu sancto dicitur factū Petri, non semper erunt Petrus & Clemens) vel potius quàm tanquam incertum factum, autoritatem firmam non faciat. Dico autem incertum, quia ecclesia Linum & Cletū reputans summos Pōtifices, computatis annis, quibus quilibet eorum rexit ecclesiam Ro. ante Clemētem, testari videtur, quòd verba illa Ioannis papæ tertij tanquā narratiua crediti facti accipienda sint, & nō vt autorizātia factum quod narratur. propter quod autoritate illa vtimur, Vt valeat quantū valere potest. Accedit ad hoc versus in glossa ibidem de Clemente dicens.

Disputat hoc mundus, quartus, fueritne secundus.

¶ Ad obiecta demū contra rationem ex hoc, quòd Papa statuit de electoribus Papæ, dicitur quòd manifestè constat ex illo ca. in nomine Domini, quòd propria autoritate Papa illud statuit in synodo: vt patet ex illis verbis, Venerabilis Pontifex decernens autoritate apostolica, inquit, Mirum est autem, quòd arguentes non aduerterint grammaticā constructionem in sequētibus, (vbi dicitur, Quapropter instructi prædecessorū nostrorum, aliorúmque sanctorum Patrum autoritate, decernimus, vt obeunte, &c.) & dixerint propter hæc verba, quòd Papa non propria, sed sanctorum patrū autoritate statuit: cū ly autoritate, determinet ly Instructi, & non ly Decernimus, vnde solidū stat, quòd Papa autoritate propria statutum illud fecit. Quāuis etiā omnia statuta de electione Papæ, quòd summus Pontifex etiam in synodo fecit propria autoritate fecerit: & sancti Patres in synodo congregati nihil possint sine autoritate Romani pontificis statuere. Hæc quoque ex autoritate Papæ fieri comprobantur, dum statutū Gregorij decimi cū concilio Lugdunen. (quod habetur in sexto de elect. vbi periculum: disponens de electione Papæ reuocatum per Adrianum & Ioan. 29. ac deinde reassumptum Cœlestinum quintum & Bonifacium octauū) robur autoritatis habet: vt glo. in eodem ca. dicit. Clementinam quoque ne Romani, de electione Papæ, à Papa non à concilio generali factam esse patet, in clementinis de electione. Multa quoque circa electionem Papæ statuta in di. 79. patet à Gratiano referri. Et nouissimè Iulius 2. qui viuit & regnat, statutum nouum edidit de electione Papæ absque concilio generali. Vnde negare huiusmodi potestatem in Papa, est negare sensum.

CAPVT XXIII.

DIXI in cap. 20. 21. & 22. quòd in ecclesia Dei est potestas autoritatiua super coniunctionem Petri & papatus, non autem super Papam.

OBIICITVR cōtra tripliciter. Primò, quia contrariantur dictis in libello illo. Secundò, quia contrariantur hæc duo inter se. Tertiò, quia falsum est, quòd potestas depositiua Papæ, quæ est in ecclesia, non sit autoritatiua suprà Papam.

¶ Primum ostēditur sic, In ca. 6. & 13. dictum est, quòd potestas applicatiua ecclesiasticæ potestatis ad hanc vel illam personam est in solo Papa, nunc dicitur, quòd potestas autoritatiua super coniunctionem est in ecclesia. ergo contradictio.

¶ Secundum autem ostenditur exemplo, quo vtor retorquendo in me. Habere enim potestatem super hominem, non est habere potestatem super animam, nec super corpus, sed super separationem animæ à corpore, cùm nihil aliud faciat occidens hominē. Quid ergo aliud est habere potestatem autoritatiuam super Papam, quàm posse papatum ab ipso autoritatiuè separare?

¶ Tertium autem (quòd scilicet ecclesia autoritatiua super Papam ipsum deponit) probatur tripliciter. Primò, quia alter Papa hæreticus citatus non tenebitur comparere, nec erit contumax non comparens: iudicabunt ergo inauditum, aut non obligatum respondere. Secūdò, Omnis actus punitiuus personæ ratione proprij peccati, est ab habente iurisdictionem super eum qui punitur. Tertiò arguitur ad hominem, meipsum scilicet, Ecclesia potest excommunicare Papam hæreticum antequam deponat: ergo habet autoritatem iurisdictionis super Papam. patet sequela, & antecedens ex te est: quia quum tu dicas hanc consequentiam esse bonam, non est excommunicatus ipso facto, ergo non est depositus. & ista erit bona, Non potest excommunicare: ergo non potest deponere. & ista potest deponere. ergo potest excommunicare.

RESPONDEO Et ad primum dicitur, quòd nulla est dictis meis contrarietas: quoniam superius de autoritate eminentiæ erat sermo, vbi ecclesiæ potestas Papæ potestati comparabatur. Vnde dictū est ibi, quòd Papa est moderator & director potestatis ecclesiæ, & non econuerso: hoc enim ad eminentiam & non eminentiam potestatis spectat. Hic autē sermo est de autoritate efficaciæ, dum dicimus, quòd potestas ecclesiæ autoritatiuæ potest super coniunctionem, &c. hoc enim nihil aliud sonat, nisi quòd talis potestas tanquam superior cōiunctione illa, potest efficere illam: agens enim vt sic, præstat eo quòd fit vt sic. Cùm hoc nanque patet bene stare, quòd potestas applicatiua potestatis ecclesiasticæ, secundùm eminentiam est in solo Papa.

¶ Ad secundum verò dicitur, quòd hæc duo, scilicet potestas est super cōiūctionē, & nō super Papā, in nullo repugnāt inter se, quia diuersa sunt. Et Papa significat aliqd matus coniunctione: quòd significat formā, papatus, sicut dñs formā dñij. Propter quod retorsio exēpli de homine nihil valet. nā non conuenit Papæ significatum æquiparare significato hominis & simile de vtroque ferre iudiciū: quia homo significat formaliter cōpositū ex aia & corpore, Papa verò significat formaliter purū papatū, quis in cōcreto, vt patet, Sed hoc totū Petrus papa se habet vt ly

Universidad de Deusto Biblioteca

homo,& conceditur: ꝙ potestas illa pōt super Petrū papam ratione subiecti (vt in libello dicitur,) non autē super Papam: quia non potest ex parte formæ. Vnde patet nullam esse repugnantiam,& ꝙ aliud est posse super Papam,& aliud super Petrum Papam: sicut aliud est posse super compositum & aliud super formam.

¶ Ad primū aūt contra tertiū hoc, scilicet ꝙ potestas ecclesiæ nō est supra Papā, respondetur, ꝙ Petrus papa hæreticus tenetur ad omnia quę sunt necessaria ad iudicium depositionis ipsius: vt in libello cap. 21. expressè dictū est, vnde mirandū videtur de obiectionibus. Dico igitur, ꝙ Petrus papa hæreticus ratione subiecti sic dispositi, subditur potestati depositiuæ ecclesiæ, & in omnibus necessariò præambulis & consequētibus. Nec ex hoc sequitur, ꝙ potestas ecclesiæ sit suprà Papā, sed suprà Petrū papam, sic depositū in hoc tātū. Et per hoc patet solutio primi & secundi. Ad tertiū verò dicitur, ꝙ (vt patet ca. 19. libelli, vnde impositum est mihi ꝙ dicam illam consequentiam bonā) nunꝗ ego dixi hoc, nunꝗ somniaui connexionē inter excōmunicationē & depositionem: imò oppositū expressè sensi. Ego enī ex illa cōmuni radice, id quod infligitur à iudicio humano, nō incurritur ipso facto ex solo peccato interiori purè: intuli duo, scilicet negationē excōicationis, & negationem priuationis, & dixi ꝙ si ex hac radice sequitur nō esse excōmunicatum, multòmagis sequitur non esse priuatum: quia ibi non requiritur declaratio apud Iuristas, sicut hic. Argumentum autem procedit contra dicentem illationem formalem à negatione excommunicationis ad negationem depositionis: & ideo non est ad propositum.

CAPVT XXIIII.

DIXI in c. 21. ꝙ Papa posset cōmittere potestatem depositiuam Papæ hæretici collegio Cardinalium.

OBIICITVR quod non possum sic dicendo sustinere, quin par in parē habeat imperium.

RESPONDEO, ꝙ facillimè patet ex hoc non sequi parem in parem habere imperiū: quia potestas depositiua non est supra Papam, sed supra coniunctionē Petri cum papatu: quæ coniunctio non est par Papæ. Quare autē huiusmodi potestas depositiua Papæ quanquam minor papatu, non sit auferibilis ab ecclesia à Papa, in promptu causa est: quia diuino iure illi conuenit cōtra Papam hæreticum, vt patet ex dictis in libello.

CAPVT XXV.

DIXI in ca. 26. rationē, quare Papa pro infidelitate sola potest deponi, quia sola infidelitas inter crimina cōtrariatur ad esse Papę.

OBIICITVR dupl'r cōtra hāc rōnē.

¶ Primò, quia falsum est ꝙ fides requiratur ad esse Papæ, cū Papa si fiat hæreticus, adhuc sit Papa apud me: sufficit enim character baptismalis.

¶ Secundò, quia hæc ratio æquè fortiter probaret, quòd pro hæresi deponi non posset: quia hæresis non opponitur ad esse Papæ.

RESPONDEO, ꝙ ratio mea nō est intellecta vt est, studiosè nāque nō posui inter cōditiones requisitas ad esse Papæ fidē, sed Christianitatem, vt excluderem hanc obiectionē. Nec assumpsi, ꝙ infidelitas sola inter vitia cōtrariatur fidei, sed Christianitati, seu conditioni requisitæ ad esse Papæ, vt patet in libello. Cōstat enim Christianitatis statui, (qui mēbrum Christi cōstituit,) solā infidelitatē inter vitia opponi, & ꝙ Christianitas requiritur necessariò ad esse Papæ. Et in libello eodē, ca. 27. clarè manifestaui differentiā inter Christianitatē & fidem: & ꝙ Christianitas est status quidā ecclesiasticus ex charactere & fide cōstitutus. Sed vt melius vis rationis perspiciatur, ex cōclusione intēta & directa oppositione infidelitatis, cōsiderandū est, ꝙ non est intēta, aut deducta conclusio ex illa ratione, ꝙ Papa habet non esse propter infidelitatē, sed ꝙ est dispositus propinquissimè ad non esse: quod significat cōclusio dicens, ꝙ est deponēdus. Et propterea nō oportet, ꝙ infidelitas sic opponatur Christianitati, ꝙ auferat totaliter esse Christianū: si enim hoc tolleret, non deponēdum, sed depositū Papam inferret, sed sat est, ꝙ opponatur Christianitati sic, ꝙ cōstituat Christianum hominē, quantū est ex parte hominis in non esse Christianitatis. Per hoc siquidē non esse Christianitatis in Petro papa, cōstituitur Petrus papa in esse deponibili: quia per tale non esse est dispositus sic vt deponi possit, vt patet ex dictis in libello. Et manifestatur ex officio Papæ, cū enim Papæ officiū sit pascere doctrina & opere, cūm habet fidē formatā velut sanus viuit in papatu: cūm autē habet fidē informem ob perditā charitatē, non pascit amplius exemplo, sed doctrina tantùm: ac per hoc velut æger in papatu est. Si demum etiam fidē omnino amiserit, iam nec doctrina pascere potens est, & quasi mortuus sit in extremis vitæ constitutus, ad omne opus inualidus, & dispositus est, vt morte depositionis auferatur à vita papali. Vnde patet responsio ad primum: quia non obstat rationi ꝙ infidelitas stat cum esse Papæ: vt patet ex dictis. Et potes eandem sententiam vnico verbo dicere, ꝙ fides est necessaria ad esse Papæ simpliciter, quāuis non sit necessaria ad esse Papæ sic, scilicet quasi mortui: imò ex hoc quòd cōstituit Papam in esse Papæ simpliciter, & eius oppositum constituit in esse Papæ quasi mortui: manifestè sequitur, ꝙ constituit Papam in esse depositibili.

¶ Et per hoc patet solutio secundi: hæresis enim non stat cum esse Christianum simpliciter, nec cum esse Papam simpliciter: quamuis non auferat totaliter vtriusque esse. Sed quia constituit non esse Christianum quantū ex parte hominis, ideo constituit dispositum ad non esse Papæ: quoniam esse Papam simpliciter supponit esse Christianum simpliciter. Sed argumētum in hoc fallitur: quia accepit hanc rationem ac si inferret non esse Papæ sic, quod est depositus: cuius tamen contrarium patet in litera. Manet ergo ratio illa non inuenta adhuc minus habēs, quāuis in statera posita, vt desiderare me dixi.

CAPVT XXVI.

DIXI in eodem 26. ca. iuncto 25. ꝙ ex sacra Scriptura solus casus hæresis excipitur ab impunibilitate Papæ respectu ecclesiæ.

OBIICITVR, Quia in sacra Scriptura inuenitur etiā, aliās criminosum esse separandum, vt patet 1. ad Corinth. 7. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Et Dn̄s Matt. 18. annuit hominem pro quolibet mortali, cui annexa est contumacia, esse excommunicandum. Et si glossati fuerunt hi textus de subditis in terra, similiter glossabūtur textus allegati per te de hæretico. Et ad dicta Saluatoris & Petri conceditur, quòd quandiu bene docent & remanent Prælati, sunt audiendi.

RESPONDEO quòd quum sacra Scriptura tota sit ab vno autore, (qui est Spiritus sanctus,) & velut vna integra doctrina legis diuinæ, non est glossis, sed textui attribuendum quum ex coniunctione diuersorum locorum scripturæ, sensus vnus colligitur: sic autem est in proposito. Quum enim propter hæresim maximè & propter alia etiam crimina sint diuino iure vitiosi multis separandi ab ecclesia, & exceptio fiat de solis prælatis ab ipso diuino iure in criminibus aliis ab infidelitate: manifestè colligitur absq; nostris glossis, quòd reliqui pro multis criminibus: prælatus autem pro sola infidelitate diuino iure separandus ordinatur. Scriptura igitur loquēs de hæretico, communis est prælatis & subditis: quia nulla fit exceptio in ea de prælato. loquens autē de aliis criminibus, prælatū simpliciter non cōprehendit: quia excipit eum.

¶ Ad responsionem verò datam exceptioni Domini & Petri, (quando exceptus est prælatus Matt. 23: Super cathedram Moysi. & 1. Pe. 2. Obedite præpositis discolis.) dicitur quòd responsio illa, scilicet quandiu bene docent, & sunt prælati, potest benè & malè intelligi. Bene quidē, si sit sensus, quòd quandiu per se bene docent & sunt prælati. Et sic nihil obstat proposito, quoniam fides Christi est, qua fit doctrina, & quæ sustinet prælatum in esse simpliciter, ac per hoc quandiu habent fidem, habent vnde per se rectè doceant, & sint prælati, quantū est ex iure diuino: vt patet in libello. Malè autem si sit sensus, quod non dicitur prælatus tolerandus, sed si toleretur, audiendus: quoniam quum in maiori includatur minus, & plus sit malos prælatos audire cum effectu, & obedire eisdem quàm tolerare (vt patet) consequens est, quòd mandatum Domini & Petri de obediētia prælati malæ vitæ & bonæ doctrinæ, claudat in se mandatum de toleratione ab eisdem, quibus obedientiam indidit. Et sic autoritas iuris diuini allata efficax ad propositum restat, supra firmam petram fundata,

CAP

CAPVT XXVII.

DIXI in eodem 26. cap. conclusiuè, ꝙ in solo casu hæresis Papa subiicitur ecclesiæ, ita ꝙ possit deponi.

OBIICITVR primò, quia in epistola Clementis ad Iacobum ex ore Petri apostoli ordinatum est, ꝙ Clemēs papa deponatur propter negligentiā: ecclesia quoque fidē nō spernit illā epistolā, ꝙ sufficit.

¶ Secūdò, quia cum ecclesia in casu hæresis sit iudex Papę, & talē potestatem nō habeat nisi Matt. 18. & ibi nō cōmemoretur magis peccatum hęresis, q̄ quodcūq; aliud cum contumacia, sequitur quòd non solùm in casu hæresis ecclesia sit iudex Papæ.

¶ Tertiò, quia si vicarius regis absentis tyrannicè regeret, communitas posset illum deponere: ergo ecclesia pōt deponere vicarium Christi Domini, si tyrannicè regat.

RESPONDEO, ꝙ Epistola illa eadē facilitate reiicitur, qua recipitur: imò maiori reiicitur, vt patet ex opposito decreto 40. dist. si Papa. vbi manifestè propter negligentiam Papa non iudicandus dicitur, quāuis perniciosam: vnde non sufficit illius autoritas.

¶ Autoritas aūt Dn̄i secūdo loco allata, ptāte ecclesię supra subditos sibi vt sic manifestat. Et ꝓpterea cū Papa ex aliis locis sacræ Scripturę nō sit subdit⁹ ecclesiæ nisi in casu hæresis, cōsequēs est, vt ex illa sententia Dn̄i nō habeat ecclesia ptātē sup eū, qa est Papa, nisi in casu hæresis: ꝙ enī ibi nō est exp̄ssum, sufficit alibi inueniri declaratū.

¶ Ad tertiū dicitur, ꝙ similitudo illa deficit dupliciter. Primò, qa cōitas libera habet potestatē deponēdi principē, & regē, scilicet si tyrānicè regat: & ideò nō est mirū, si pōt deponere ēt Vicariū illius. Ecclesia aūt serua est principis sui Iesu Christi. Secūdò, quia Rex purus homo absens supponitur, & solū per vicariū gubernare: Rex autē noster sic absens est corpore, vt per seipsum audiat q̄relas cōtra Vicariū suū ab ecclesia & mēbris singulis: & propterea non est ab ecclesia eius Vicarius deponendus, sed recurrēdū est ad principē audiētē & optimū vt deponat.

CAPVT XXVIII.

DIXI in eodem 26. ca. ꝙ propter scandalum non est præscindendum caput iuxta Domini sententiam, Matth. 18.

OBIICITVR, Quòd licet nō sit auferendū caput totaliter sic, ꝙ nunꝗ sit futurū aliquod caput: tū auferēdū est istud caput, sine quo in corpore remanet vita, imò ꝙ corpus inficit q̄tū est ex se.

RESPONDEO, ꝙ ex verbis Dn̄i, negatiuè tamē (vt in libello dictū est,) sumitur ꝙ nec totaliter, nec hoc caput p̄scindēdū est: q̄m expressè dicit, si manus tua, oculus tuus, pes tuus. Pronomē siqdē adiunctum ostēdit ꝙ de mēbro hoc loqtur: & cōsequēter de capite isto negatū accipimus ꝙ p̄scindat. Falsum quoq; est, ꝙ sine isto capite sit vita, quum ipsum loco Domini saluificet ecclesiam, vt in ca. si Papa. dist. 40. dicitur. Nec inficit in hoc caput, sed rectè docet: quāuis abusus potestatis capitalis in isto inficiat quantum est ex se, ecclesiam: non hoc caput, sed abusus illius in culpa est: & nō est præscindendū caput, sed illius abusui congruis remediis obuiandum.

CAPVT XXIX.

DIXI in c. 27. Quòd Deus optimè ꝓuidit ecclesię, disponens, ꝙ orationis remedio cōtra Papā malū vteretur, non autē depositionis potestate.

OBIICITVR tripliciter, Primò, qa minus bene instituta esset politia ecclesiastica, q̄ ciuilis. Et tenet sequela, quia ciuilis pōt principem tyrannicè regentem pertinaciter deponere, ecclesiastica autem nō posset.

¶ Secundò, quia Deus ademisset cōitati ecclesiæ potestatē sibi naturaliter conuenientem & necessariam ad pacificam cōuersationem, qualis est potestas depositiua principis in casu tyrannidis. Et tenet sequela: quia talis potestas naturaliter conuenit cōmunitati perfectæ & liberæ.

¶ Tertiò, quia quū Deus opportunius remedium, q̄ oratione ecclesiæ potuerit instituere (scilicet potestatem depositiuam) dicere non aliud remedium quàm orationes reliquisse, est dicere politiam ecclesiasticam non bene institutam & effectam seruam strictissima seruitute.

RESPONDEO, Quòd Deus longè melius & eminētius instituit ecclesiasticā rempublicā, q̄ ciuilē: q̄m illam instituit cū proximo & homogeneo capite viuo in perpetuū sine potētia errādi, præsente spiritualiter votis omniū & singulorū vbiq;. hæc enī est institutio reipublicæ Christianæ simpliciter. De institutione aūt ad tp̄s, scilicet corporalis absentiæ principis nostri, dicitur ēt ꝙ optima est, q̄n cōsonat primariæ institutiōi. Et q̄m respublica Christiana secundū suā primariā institutionē serua est nata, & tota ptās est in suo principe naturali, ideo optimè cōsona institutio ad tp̄s est, vt nō cōitati, sed vicario principis potestas plena cōmittatur, (vt p̄dictū est,) & ꝙ respublica q̄diu Vicarius principis sub principe est simpliciter (qđ fit p esse Christianū) simpl'r recognoscat principē viuū, et recurrat ad eū audiētē & paratū exaudire. Et scito ꝙ cōtingit hoīes in hac re falli quasi à negatiōe modi ad negationē rei. Quū enī deponere Papam cōtingat multis modis, scilicet per prouidētiā humanā, & per orationē ecclesiæ perseuerātē, & neutro modo opus sit nisi in casu verę necessitatis, ex hoc ꝙ ecclesiæ nō est cōcessum, ꝙ possit deponere per viā prouidētię humanæ: nō seqtur ecclesiæ nō esse cōcessum, ꝙ possit deponere Papā: q̄m alia via, scilicet orationis perseuerantis, infallibiliter pōt: quæ enī per amicos possumus, per nos aliqualiter posse testatur philosophus, q̄tò magis quæ per patrē possumus.

AD PRIMVM ergo negatur sequela: & ad probationē dicitur, ꝙ vtraq; politia (scilicet tam ciuilis q̄ ecclesiastica) pōt deponere tyrannicè regentē ipsam, sed diuersimode: qa ciuilis perfecta & libera potestatiuè & p prouidētiā humanā: ecclesiastica aūt per potestatē sui patris per orationis perseuerātiā, q̄n verè oportet. Et hic modus qdē excellētior, et nō potēs errare, sicut prim⁹ est melior. et ꝓpterea nō minus bene, sed melius prouisum est ecclesiasticę reip. q̄ mō abiiciēdi à se malū ministrū q̄ ciuili.

¶ Ad secundū negatur etiā sequela: qa cōmunitas Christiana nata est serua, ad per hoc naturali iure sibi nō cōpetit potestas super principē suū: & cōsequēter nec sup principis vicariū, nisi à principe sibi cōcedat. Vn̄ licet verū sit, ꝙ ecclesiastica cōitas distincta cōtra principē nō habeat sup principē et eius vicariū tyrānizātē autoritatiuā ptātem: nō tn̄ adepta est sibi à Christo, aut quocūq; alio mō, sed ex natura sua: qa serua nata est, contraxit hāc negationē. Ad tertiū aūt dr̄, ꝙ nō fuisset opportun⁹ remediū ꝓuidētia hūana, q̄ orō eccl'ię p̄seuerās. Tū qa ꝓuidētia hūana falli pōt. (cogitatiōes siqdē mortaliū timidè et incertę ꝓuidētię nr̄æ,) orō aūt eccl'ię p̄seuerās falli nō pōt Deponeremus fortè, q̄n nō oportet, nō p̄uidentes futura, nec occulta scrutātes. Oratio aūt eccl'iæ p̄seuerās nō deponet q̄n nō oportet: qa bonus dn̄s negat ꝙ volum⁹, vt tribuat qđ mallemus. Tū qa facilior minus impedibilis, et efficacior cū est orō ecclesiæ p̄seuerās ꝑ se in necessariis ad salutē eccl'iæ, ꝙ tota oīm hoīm ꝓuidētia: hæc enī difficile cōsonat pōtētia impediri pōt, & oīa subiecta nō habet: descripta aūt oratio facilè cōsonat, nō pōt potētia aliqua hūana impediri, et oīa sub Deo subiecta habet. Mirū est aūt de subiūctis. s. ꝙ dicere Deū solū orōnis remediū reliqsse &c. solū enī hoc remediū tāq; supremū et efficax simpl'r relictū dicimus existētib⁹ multis aliis remediis p viā admonitiōis, &c. Mirū aūt dico, qa quū naturaliter ex eisdē tueamur, ex qbus sum⁹ & cōseruamur, & Christiana respu. ex orōne sit adaucta, et in vno ouili cōstituta (dicēte Patre ad Christū, Postula à me et dabo tibi Gētes hæreditatē tuā) et ex orōne cōseruet (dicēte Christo ad Petrū, Ego rogaui ꝓ te, vt nō deficiat fides tua) naturali quoq; ordine orōne defendēda est, cōtra tyrānicè regētē. Mirū dico, nisi qs putet orōnē ecclesiæ p̄seuerātē pro se in vera sui necessitate posse deficere, ꝙ ꝓpè infidelitatē esse, si infidelitas nō est: paruulo meo iudicio vr̄, diuinæ siquidē prouidētiæ, q̄ in specie de ecclesia sua habet, derogare vr̄. Si enī natura nō deficit in necessariis, q̄uō Deus q dedit semetipsum eccl'iæ, deficiet illi in necessariis, seruatis ex parte eccl'iæ seruādis: vt patet ex descriptis cōditionibus orationis. Mirū demū dico, q̄m si efficax hoc orōnis ecclesiæ, &c. remediū indubiè credit, cur insufficiēter prouisum ecclesiæ dicitur de remedio opportuno? Et p hūc modū excludēdi Papā tyrānū ab ecclesia, satisfit oībus quæ obiiciūtur de corpore respectu mēbri cōtagiosi, & simlib⁹, ad oīa siqdē sat est oratio perseuerās ecclesiæ. Pro cuius zelo hāc r̄ndendi curā suscepi: arbitratus qbusdā licet nō oib⁹ friuolis obiectis respōdisse, vituperandū nō esse hac vice. Rogo igit lectores, vt ęquos se præbeāt interpretes aut cēsores: nihil enī hic aut alibi mihi, sed rōni vel autoritati allatæ tribui volo: hoc ēt vbiq; & semper sub sacrosanctæ Romanæ eccl'iæ correctione Romæ die 26. Nouembris, 1512. Ad laudē & gloriā Dn̄i nostri Iesu Christi, Amen.

Maximā orationis uirtutem trine cogitare poteris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD LEONEM DECIMVN PONT. MAX. DE DIVINA INSTITVTIONE PONTIFICATVS TOTIVS ECCLESIAE IN PERSONA PETRI APOSTOLI,

libellus Thomæ de uio, Caietani Cardinalis sancti Xisti.

ILLVSTREM SAPIENTIBVS SENTENTIAM IN VVLGAREM quoque lǽcem proferri exigunt, Pater beatissimæ, qui ea, quæ à seipsis manifesta sunt, ab his quæ per alia nota fiunt, non discernentes, nodum (vt aiunt) in scirpo quærunt: & meridiana in luce cæcutientes, offendunt. Obnubilandi siquidem euangelicam claritatem tanta est licentia his, qui sua non sunt sorte contenti, vt ecclesiæ vultus, licet serenissimus, nouitatum inuolucris perturbetur: quippe quorum studium est certa & lucida in quæstionem vertere, ac obscura alijs reddere. Ea propter Petri, successoriumque eius Romanorum Pont. principatus (tot ætates, tempora, atque æuitates tranquilla possessione obtenti) ius euangelico sole fulgẽs, impetitum argumẽtationibus inuoluentibus exercitatos parum in sacris literis tueri, tenebris exuere atque in medium proferre sic intendimus, vt veritas hæc omnibus luceat, & proprijs splendoribus vniuersæ creaturæ penetralia attingat. Habeat igitur catholica ecclesia tibi credita, Pater benignissimè, lucubratiunculam hanc pro rudioribus, ne obscuritatibus obruantur.

CAPVT PRIMVM.

IN QVATVORDECIM CAPITA *de Romani Pontificis institutione & autoritate,*

SVMMARIA.

1 *Quid quomodo, & quo ordine tractandum est.*
2 *Petri personæ & non dono reuelationis aut beatitudinis promissæ sunt claues.*
3 *Persona Petri in se, & non solùm in persona ecclesiæ promissas esse claues.*
4 *Verba Christi, Tibi Petro dabo, non in persona omnium Apostolorũ dicta esse.*
5 *Apostolis alijs non esse alijs collatum quod Petro.*
6 *Solum Petrum accepisse claues, consonat ei quod est, ecclesiam accepisse claues.*
7 *Promissum esse Petro totius ecclesiæ pontificatum in antedictis promissionibus.*
8 *Personæ Petri quamuis charitate qualificatæ dictam esse, Pasce oues meas.*
9 *Soli Petro, ita quòd non alijs Apostolis dictum est, Pasce oues meas.*
10 *Petro soli vniuersam committi ecclesiam per hæc verba Christi, Pasce oues meas.*
11 *Petro per hæc verba, Pasce oues meas, commissum à Christo pontificatum totius ecclesiæ.*
12 *Petrum habere ex Christi institutione successorem in Pontificatu ecclesiæ catholicæ.*
13 *Romanum Pontificem succedere Petro in pontificatu totius ecclesiæ.*
14 *Autoritates sanctorum antiquorum & conciliorum, affirmãtes Ro. Pontificis successoris Petri pontificatum super totam ecclesiam à Christo institutum à Petro.*

TRACTATVS TERTIVS THO. *de uio Caietani Cardinalis S. Xist. De Romani Pontificis institutione & autoritate in Quatuordecim capita diuisus.*

Quid, quomodo, & quo ordine Romani Pontificis institutione tractandum est.

PRINCIPATVS ROMANI Pontificis super vniuersa Christi ecclesias, quamuis quæstionibus multis pulsatus fuerit, nostro tamen proposito vnica inuestigatione absoluendus occurrit. Non enim vertitur hîc in dubium, an Roma. Pont. sit de facto caput ecclesiæ: nec, an idem potestatem habeat à Deo eo modo quo iuxta Apostolum Roma. 13. Non est potestas nisi à Deo, & quæ à Deo sunt, ordinata sunt: sicut potestas regia in veteri testamento erat à Deo: iuxta illud primi Reg. 8. Audi vocem eorum, & cõstitue super eos regẽ eiusmodi enim omnia aduersariorum multi affirmãt, sed vertitur in quæstionẽ, an à Christo institutus fuerit Ro. pontificis super omnes ecclesias principatus in Beato Petro: ita quòd instituerit Christus Petrum cum eius successoribus suum vicarium ad gubernandum omnes Christi ecclesias. Quo fit vt loca à rationibus & autoritatibus affirmantibus Petrum seu Romanum pontificem fuisse seu esse caput omnium ecclesiarum, à præsenti secreta sint intentione: & ea duntaxat afferenda sint ex quibus Christum Dominum contulisse huiusmodi principatum Petro soli habetur.

QVIA verò ex sacris literis pẽdet omnis quæstionis huius veritas, & duo sunt præcipui textus, scilicet Matt. 16. & Ioã. vlti. expressè de hoc mysterio loquentes: ideò primò iuxta verunq; textũ inuestigandum est, an soli Petro verba Christi dicta sint. Secundò, an per hæc soli Petro Pontificatus totius ecclesiæ à Christo commissus sit. Tertiò, an hic totius ecclesiæ pontificatus Petro à Deo commissus, sit ab eodẽ Dominò datus successori Petri. Quartò, an sit à Christo hic pontificatus datus Roma. pontifici, vt Petri successori. Vt autem primi clara fit absolutio, Matthæi textus prius discutiẽdus sic est: vt in primis tractetur opinio dicentium verba Christi non Petro, sed personæ qualificatæ, deinde dicentium non Petro, sed ecclesiæ: posteà dicentium Petro & Apostolis alijs, demum negantium soli Petro, quia ecclesiæ, dicta esse. Multaria siquidem obnubilare conati sunt dominicam promissionem Matt. 16. relatam. Tibi dabo claues &c. Quidam nanq; adeò restrinxerunt verba hæc, vt personam etiam Petri ab illis eximerent, & ad solum diuinum donum in Petro directa intelligerent. Alij etiam restringentes & eximentes Petri personam, ad solam ecclesiam in Petro significatam Christi verba dirigunt. Multi autem extenderũt Domini promissionem ad alios Apostolos: ita quòd Petro in persona omnium Apostolorum dicta accipiunt. Sed & nonnulli sunt admittentes soli Petro hæc dicta: principatus tamen singularitatem collatã Petro negant: eò quòd similis potestas alijs Apostolis à Christo collata alibi legitur, puta Matt. 18. Quæcunq; alligaueritis super terram: & alibi. Hæsitant denique aliqui, quo pacto soli Petro claues datas esse verificatur, & tamen datas quoq; ecclesiæ esse claues omnes affirmamus. Quo circa ordine quo numerata sunt quinq; hæc, sigillatim tractanda sunt. Præponendo vbique rationes dubitandi, vt opposita iuxta se magis elucescant.

CAPVT II.

Petri personæ, & non dono reuelationis, aut beatitudinis promissæ sunt claues, &c.

NON desunt dogmatizantes pontificiam potestatem homini non immediatè collatam, sed dono virtutis mediante: ita quòd perdito virtutis dono, perire simul pontificiam potestatem necesse sit, tanquam virtus glutinum quoddam sit iungens homini pontificatum. Quo fit, vt horum iudicio claues non Petri personæ, sed eius dono collatæ sint in aliquo singulari ministro, puta sacerdote seu iusto quocunq;

ARGVMENTANTVR autem hi ex huiusmodi Euangelij textu multipliciter.

¶ Primò, quia ante omnia Dominus beatitudinem Petri affirmat, dicens, Beatus es, proculdubiò in spe veræ fidei, non inchoasset enim à Simonis beatitudine, nisi ad subsequentem pontificatum spectaret huiusmodi beatitudo

tudo: nihil enim impertinens dixisse Christum decet.

¶ Secundò, ex eo quòd Dominus adiungit, Simon Bariona, hoc est filius colũbæ: vt Hiero. exponit. Quorsum enim Petrus accepturus pontificatum, filius colũbæ præ nominatur, nisi vel eius simplicitas columba significata: iuxta illud, Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. vel Spiritus sanctus, qui colũba designatur: eo quòd in columbæ specie apparuit in Christi baptismo: ad ecclesiasticum principatum pertineret.

¶ Tertiò ex ratione subiuncta, Quia caro & sanguinis nõ reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Mostrãt enim hæc non à carne & sanguine, sed diuina reuelatione instruendum esse qui alijs præficitur in Christiana fide erudiendis.

¶ Quartò, ex eo q; Dñs addidit, Tu es Petrus: & nõ dixit, Tu vocaris Petrus, vt glo. ibi nota, ob fortitudinẽ fidei & confessionis constantiam. Hoc enim cũ omnibus præcedentibus ad virtutum munera spectant: quę vt dicũ est, aut impertinenter præposita sunt, aut ad principatũ tunc subsequenter promissum opportuna media sunt.

¶ Vnde & quartò arguunt ex subiuncta prima promissione, Super hanc Petram ædificabo ecclesiam meã. Quũ enim ista sit prima promissio Petro facta, quontã vt Cypria. Hiero. & Aug. exponunt per hanc Petram demonstratur ipse Petrus: inquit enim Hiero. super Matth. ædificabo ecclesiam meam super te: & Augu. in lib. retract. refert seipsum dixisse, q; in Apostolo Petro tanquã in petra ædificata est ecclesia: nec retractat hanc sententiã. Cypri. quoq; vbi sup ra dicit, Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi: quia tu es Petrus & super hanc petrã ædificabo ecclesiã meã: super vnũ edificat ecclesiam, &c. Quũ inquam hæc sit prima promissio facta Petro, & hæc promissio non immediatè, sed mediante dono firmitatis & soliditatis ad personam Petri pertineat, vt ipsa Domini verba testantur, dum non dicit, Super te, sed super hãc Petram, hoc est, super te petram ędificabo ecclesiam meam: consequens est vt subiequentes quoq; promissiones intelligantur factæ personæ Simonis, quatenus erat Petrus & filius columbæ & beatus, &c. Et confirmatur: quia ista promissio non solùm est prima, sed principalis: nam præcipuum donum Petro collatum est esse fundamentũ ecclesiæ. Ex hoc autem quòd hæc promissio est prima & principalis: consequens est vt aliæ promissiones cõsequẽtes sequantur naturam principalis: ac per hoc nulla promissio est facta personæ humanæ, nisi mediãte dono virtutis: quod erat intentum manifestandum.

NON est difficile catholico doctori mõstrare falsam esse relatam sententiã, dubitando ad damnata incõuenientia. Nihil enim aliud est huiusmodi dogma, quàm hęresis quorumcunq; dicentium in malis ministris non inueniri ecclesiasticam potestatẽ clauesq; ecclesię in solis & omnibus iustis haberi ecclesiámq; in solis iuitis constare: quæ omnia reprobata & damnata esse constat. Verum, ne hæretici causentur se opprimi autoritate prælatorum, & non Euangelij, ex ipso Euangelij textu catholicæ doctrinæ reddenda est ratio. Ad cuius euidentiam aduerte duas esse in hoc Domini sermone ad Petrum partes: quarum prima secundũ planum Euangelij contextum, ac sensum ad confessionem, quàm Petrus fecerat pertinet. Nã nihil aliud continet, nisi reuelatæ confessionis actorem fructũ seu præmium: & personam seu personæ conditionem, cui reuelatio facta est. Dicendo, Beatus es, fructum seu præmium pronuntiat: dicendo, Simon Bariona, personam ad literam seu conditionem personæ mysticæ, puta simplicitatem seu spiritualitatẽ aperit. & dicendo, Quia caro & sanguis non reuelauit, sed Pater meus, actorem reuelationis monstrat: tota ergo prima pars sermonis ad reuelatã confessionem spectat, & non ad futurum principatum. Quod vt plenius intelligas, vide singula. Meritò ex accepta reuelatione Simon beatus dicitur: quoniam, si secundum philosophiam beatus in hac vita est, qui ad cognitionem supernarum substantiarum peruenit, & secundũ Euangelicam veritatem beatitudo viatorum in spe veræ fidei consistit, (iuxta illud, Beati qui non viderunt & credidérunt) longè magis Simon beatus fuit quum, ad cognoscendum trinitatis mysterium peruenit, non innixus reuelationi alijs factæ, (vt nobis contingit.) sed reuelationi sibiipsi interius factæ. Ad hanc enim cognitionem Petrum peruenisse testantur verba Petri: testatur & Dominus, confessus est enim Petrus, Tu est Christus filius Dei viui. cõfessus fuerat olim Nathanael, Tu es filius Dei. Io. 1. confessi fuerant qui erant in nauicula, Verè filius Dei es, Matth. 14. confessus fuerat & Petrus in persona omniũ, Et nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei, Ioan. 6. Nunquam tamen Dominus beatitudinis præmium apposuit, nisi nunc: quia nunquam cõfessio facta fuerat quòd esset filius Dei naturalis, qualem modo Petrus explicauit, adiungendo illud adiectiuum, Viui. hoc enim dupliciter potest intelligi: primò, vt sit adiectiuum determinans suum substantiuum absolutè: vt ita dictum sit Dei viui, tãquam dictum fuisset, Dei veri, aut Dei omnipotentis: & sic per accidens adiungeretur Petri confessioni ad maiorem expressionem, Veri Dei, ad differentiam deorum lapideorum seu mortuorũ: vt Saturni, Iouis, & reliquorum. Alio modo, vt determinet suum substantiuum, scilicet Dei in ordine ad filium, cuius enuntiatur Pater, dum dicitur, Filius Dei viui: & sic per se & essentialiter apponitur confessioni Petri, & constituit Petri confessionẽ esse per se essentialiter ac formaliter veram, & altissimi sensus: significatur siquidem hinc plenissimè & formaliter modus quo Christus est filius Dei, scilicet quòd est naturalis filius Dei. Et ne altitudo sensus sententiam claram obumbret, manifestatur quòd dicimus ex differenti filiatione nostra & Christi: cõmune nanque est Christo & nobis, quòd sumus filij Dei, (secundum quòd de nobis scriptum est Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri,) sed nos sumus filij Dei, quia vult, iuxta illud Iaco. 1. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis: Christus autem est filius Dei, non quia vult sed quia est. Ratio siquidem quare Deus non genuit filios, est sua voluntas, qua elegit nos: ratio autem quare Deus genuit Christum, est sua essentia, qua genuit vnigenitum Deum, qua & ipse Deus est. Hoc autem vocando ancillas ad theologicam arcem, (quia viuere viuentibus est esse: vt dicitur 2. de Anima) significatum est per Deũ viuum: ex eo nanque quòd viuere viuentibus est esse, id est, Filius Dei viui inquantum viuit, & Filius Dei inquantum est. Meminit tamen Petrus non Dei esse, neq; Dei natura, sed Dei vitæ: quoniam cuicunque est Filius, conueuit generare filium non ea ratione, qua est, nec ea ratione qua res naturalis est, sed ea ratione qua viuit. Quod si altius perspicere cupis: iunge hæc simul, scilicet Filius Dei viui; quum enim constet ex vna parte filium sonare genitum talem qualis eius parens est, & ex altera parte parentem significari Deum viuum: si cointellecta fuerit philosophica traditio, scilicet naturalissimum operum esse omnibus viuentibus facere tale quale ipsum est: vt habetur 2. de Anima. manifestè videbis quòd dicendo Filius Dei viui, significatur naturalis filius Dei. ex eo enim quòd filius Dei ponitur genitus à Deo dicitur, ex eo autem quòd Filius Dei, inquantum est viuus, ponitur, quia naturalissimum opus viuenti quatenus viuẽs est, genitus significatur. Acutissimè ergo & formalissimè, Petri confessio Christum non adoptiuum Dei filium, sed naturalem Dei filium manifestat, dicendo Christum filiũ Dei viui. Et si altius adhuc intuiti fuerimus, percipiemus in hac reponsione claudi non solũ duas trinitatis personas, Filiũ scilicet & Patrem, & rationem ac modũ generationis, scilicet q; ille naturalis Pater & iste naturalis Filius, (vt declaratũ est. (sed substantialitatem coæternitatem ac coæqualitatem vtriusque. nam ex eo quòd naturalis Filius est talis qualis est Pater, & Christus dicitur Filius Dei viui, significatur quoque quòd ipse est Deus viuus: & quum non sint multi dij, significatur quòd est vnus Deus cum Patre, ac per hoc consubstantialis, coæternus, & coæqualis. Nec Spiritus sancti persona omissa est, Christus enim sonat vnctum, Spiritus sanctus, vt ipsemet Petrus declarauit Act. 10. Quo fit vt hac confessione Petrus non minus diuinæ trinitatis ac generationis mysterium docuerit, quàm Ioannes dicendo, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &c. imò licet Ioannes spiritualius, dum ad immaterialem, intelligibilémque gradum penetrauit, Petrus tamen personas nominibus proprijs Filij ac per hoc Patris & generationem naturalem cum ratione generandi clarius significauit, dicens, Tu est Christus filius Dei viui: & ideo iure à Saluatore mundi beatus affirmatur. Ad hunc tam altum huius confessionis sensum intendisse inuenies Origenem, Chrisost. atque Hilar. hunc tam altum istius confessionis sensum testatur ecclesia quotidiana

veneratione repetens prima dici hora, Christe filij Dei viui, &c. Meritò quoq; ad eandem reuelationem spectat bariona. dupliciter siquidem vt Hieronymus dicit, potest intelligi: vel legendo, Bariona: id est filius Ione. (Bar enim idem sonat quòd filius) vel quòd vitio scriptorum detracta sit media syllaba: quum deberet legi Barioana: id est filius Ioannis: Simon si quidē creditur à multis filius Ioānis: secundùm tamen veritatem filius fuit Iona: vt patet Ioan. primo, Simon filius Iona, tu vocaberis cephas: licet vitio scriptorum Latinorum Latini codices sint corrupti. Est ergo primus sensus, mysticus tamen, Tu es filius Iona, id est columbæ: secundus autem literalis, Tu es filius Iona seu Ioanna. Vterq; autem sensus propositū fouet: nam si filius exponitur columbæ, simplicitatem ac spiritualitatem personæ ipsius Petri tanquam habilis ad reuelationem suscipiendam indicat. ad reuelationē nanq; diuinam suscipiendam simplicitas & spiritualitas maximè præparant: Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum (vt dicitur Sapientiæ primo.) & Animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei, primæ Corinth. 2. Si autem filius Iona vel Ioanna intelligitur, ad confirmationem confessæ veritatis valdè spectat: quoniam pertinet ad hæc, quòd ideo Dominus naturalis patris ipsius non Petri, sed Simonis meminit: vt subiungendo, Quia caro & sanguis nō reuelauit, sed Pater meus: ex hoc ipso quòd patrem suū & naturalem Patrem Simonis è regione posuit, tanquam diceret, Beatus es Simon filius Ionæ seu Ioānis: quia non pater tuus secundum carnem, & sanguinem reuelauit tibi: sed Pater meus, qui in cælis est, ex hoc inquam ipso eruditus quisq; intelligat patrem, qui in cælis est, ita esse naturaliter patrem meum, sicut Ionas est naturaliter pater tuus. Et hoc iam notauit Chryso. dicens, Vanum est dicere, Tu es filius Ionæ vel Ioanna. nisi vt ostendat, quoniam ita naturaliter Christus est filius Dei, sicut Petrus filius Ionæ: eiusdem substātiæ cum eo qui genuit. Oportuit autem Saluatorem nostrum commendare Petri confessionem manifestando illius actorē & præmiū, &c. vt Petri confessio vera habeatur: & sic ipse verus ac naturalis filius Dei credatur ex Petri confessione, non à carne & sanguine, sed à cælesti patre deriuata: nisi enim hoc manifestasset, confessionem Petri vt humanum verbum acciperemus: nunc autem vt à Deo prolatam sententiam habemus. Ex quibus omnibus clarè patere potest, quòd hucusque nihil ad principatum Petri pertinens dictum est. Tota igitur prima pars dominici ad Petrum sermonis, circa illius confessionem versatur: & ad probationem fidei de seipso Christo filio Dei viui pertinet: secunda autem ad petro promittendum conuertitur: vnde & inchoata reddendo vices ipsi Simoni & Petro, Et ego dico tibi: tanquàm diceret (vt Hiero. notauit) Tu mihi dixisti, Tu es Christus filius dei viui, & ego dico tibi, Tu es petrus, & super, &c. Vbi aduerte non solum diuersas, verum non vnius, sed diuersorum generum promissiones Petro factas esse. nam prima promissio constructionem respicit ecclesiæ, Aedificabo ecclesiam meam: secunda autem autoritatem, Dabo claues regni cælorum: & quodcunque solueris, &c. illa ad ecclesiæ substantiam, ista ad officium respicit: tantùm que inter se differunt, quantùm est inter substantiam & officium distantia. Et licet in prima promissione triplex inueniatur intellectus, exponendo per hanc petram vel Christum vel Petrum, vel confessionem Petri, vt Chrysost. exponit: si tamen subtilius perspexerimus, vnicus est sensus literalis: hoc est, quòd per hanc petram demonstratur Petrus. Augu. enim in lib. primo retractationum cap. 21. lectoris iudicio relinquit quæ duarum sententiarum sit probabilior. Petrúsne, an Christus demonstretur per hanc petram. Vnde hac libertate freti, ex ipso Euangelij textu dicimus, per hanc petrā Petrum demonstrari: vt patet ex eo quòd Dominus dixit, super hanc Petram ædificabo. Si enim seipsum demonstrasset, non dixisset Aedificabo, sed ædifico: quoniā tunc verè super seipsum ædificabat faciendo de Simone Petrū: super Petrum autem non tunc, sed post resurrectionē ædificare cœpit, & propterea dixit in futuro, ædificabo: ac si apertè diceret, Te quem nūc facio Petrum, postea faciam fundamentum ecclesiæ meæ. Confirmatúrque hic sensus, quia aliter impertinenter præmisisset, Tu es Petrus: quū tamen pro maxima re hoc Petro dictum Euāgelium insinuet: quum Dominus quasi reddens vices Petro, (vt prædictum est.) dixerit, Tu es Petrus: quid enim tam magnū sonaret esse Petrum, aut quorsum, Tu es petrus, nisi subsequenter demonstraretur, Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam? Vnde Hiero. exponens hunc locum ait, secundum autem metaphoram petre, rectè dicitur ei, ædificabo ecclesiam meam super te. Expositio autē Chryso. de confessione Petri, in idem redit: quoniam confessio fidei in idem redit cùm soliditate seu firmitate fidei, quā denotat Petrus: nō enim differt ab ea nisi tanquàm actus ab habitu. & rursus constat quòd ecclesia magis habet pro fundamento fidem, quàm fidei confessionem. Vnde relinquitur quòd ad literam per hanc petram, demonstratur Petrus. Exactius autem loquendo, dic hanc petram, id est in te petram, in te soliditatem fidei, in te Christum creditum, in te Christum confessum: vt complectaris omnes sanctorum expositiones. nam singulæ verè quidem sunt, sed partem tantùm veritatis explicarunt: fidem seu fidei confessionem, aut Petrum, vel Christum exponentes. Quum autem vtrunque simul iungitur, ita quòd & Petri personam & Christi seu fidem simul significari exponitur, integra veritas, integer sensus habetur literæ dicentis non super petram, sed super hanc petram. Indiuiduatur si quidem metaphorica petra, & fit hæc: quia est in hoc demōstrato supposito: sicut quòd licet aliud in Petro existens indiuiduatur: & fit hoc quia est in ipsa Petri persona.

Fuit Petrus Ionæ nō Ioannis filius.

Petri promissio à dicto facta promittēdū.

¶ Hoc igitur integro sensu literali patefacto & admisso, & amplius aperiendo, scito ex Euangelio omnes promissiones Petro factas conuenire in hoc, quòd omnes sunt factæ vnicæ personę ipsius Simonis, qui dicitur Petrus: cui dictum est, Tu es Petrus, Manifestatúrque sic esse primo de prima promissione, & deinde de secunda. In prima promissione tria respice. Primò, Tu, secundo, es Petrus, tertiò, super hanc petram. Ex pronomine, Tu, demonstratur persona illa, cui Christus loquebatur: persona, dico, non qualitas aliqua, nam constat pronomen, Tu, demonstrarē substantiam sine qualitate etiam apud grammaticos. Rursus ex pronomine, Tu, monstratur vnica persona: vt patet. Ex cōiunctione propterea huius quod est esse Petrum ad ly, tu cùm dicit, Tu es Petrus, significatur apertè affirmari à Domino illā vnicā personā esse Petrū: & quia per hāc petrā demōstrat illā eandē, petrā, quā tūc pronomine demōstratiuo mōstrabat, Tu es Petr⁹. Significātissimè si quidem ille articulus hāc exprimit eandem mōstrari petram, de qua tunc erat sermo, quæ & per pronomen, Tu es Petrus, mōstrabatur: & hoc tantò clarius, quantò nulla alia petra tūc monstrata, aut noīata inuenitur in Euangelio. Esse igitur futurum Christi ecclesiæ fundamentum, iungitur huic petræ, quæ quia iungitur personæ monstratæ pronomine, Tu, oportet intelligere, quod esse Christi ecclesiæ fundamentum, permittitur vnicæ personæ demonstratæ per, Tu: cui tunc datum est quòd esset Petrus. Et vt hoc magis & magis notares, inchoauit Dominus, Et ego dico tibi, non beatitudini tuæ, non filio columbæ, non filio reuelationis: sed tibi. De secunda autem promissione clarissimè patet: quia exprimitur pronomen demonstratiuum substantiæ, dicendo, Et tibi dabo claues. Oportet nanque hæc valdè notare: quoniam hinc cōmenta hæreticorum schismaticorum specie tenus sancta, sed re venenosa confutantur: aiunt enim, Super Petram, id est fidei firmitatem ecclesiam fundatam. Verum dicūt, sed diminutum (quoniam Dominus dixit quidem, super petram: sed non hoc solùm dixit, sed addidit articulū, hāc dicens, super hanc Petram: quam proculdubiò tunc mōstrauit, dicens, Tu es Petrus: si enim super fidei soliditatem absolutè ędificaturus esset, nō dearticulasset soliditatē ad personam illam. Sed schismatici personalis fundamēti vnitatem à Christi ecclesia tollere, per hæc commenta nituntur. Dominus autem hos omnes præueniens, sermonem ad Simonem Petrum sub pronomine direxit, inchoans, Et ego tibi dico. & subdens, Tu es Petrus: tu, non beatitudo tua, aut aliquid eiusmodi: tu, non vos, vt vnitas fundamenti ecclesiæ, vnitas quoque personalis à Christo affirmata intelligatur: dū dicitur, Tu es Petrus, tu vnus es Petrus futurus postea fundamentum: quando super hanc Petram, id est te Petrum ædificabo ecclesiam meam. Duplex autem aduertenda est inter has promissiones differentia prima est, quòd esse fundamentum ecclesiæ non permittitur personæ Petri absolutè, sed quatenus est Petrus seu petra: claues autem regni cælorum promittuntur personæ Petri absolutè. Et habes hanc differentiam ex Euangelio: dum de primo dicitur, Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, non dixit. Super te ædificabo ecclesiam meam: per hanc enim petram demonstrauit totū quod dixerat, Tu es Petrus: nam petram reddidit ad ly Petrus, & articulum hanc reddidit ad pronomē, tu, tanquam si diceret, Tu es Petrus, & super te Petrum ædificabo ecclesiam meam. De clauibus autem regni cælorū non dicitur, tibi Petro, neque huic Petræ, sed simpliciter & absolutè, Tibi dabo claues, monstrans per hoc, q; dixit, tibi, quòd personæ non qualitati, per petram significatæ, puta fidei promittebat claues: personæ ergo qualificatæ promissum est fore Christi ecclesiæ fundamētum: personæ verò nudæ promissæ sunt claues regni cælorum. Altera differentia est, quòd in prima promissione Petro promittitur ecclesiam sustinendi officiū, non se petro, sed Christo actore: nam non dixit, Et super hanc Petrā edificabis ecclesiam meam: sed dixit, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: tanquàm si diceret, Tu sustinebis tanquàm petra me ædificante ecclesiam meā super te petra. In promissione verò clauium aperiēdi officiū & claudendi non sibi reseruauit Dominus, sed se daturū claues promisit: vt ipse cui dantur agat aperiendo, vel claudēdo regnum cælorum. Hæc ex Euangelij pleno sensu differētiæ constat. Ex quibus euidenter colligitur differentia inter officium Petri quo ad potestatem vtendi clauibus, & soluendi, atque ligandi, & officium eiusdem ad sustinēdam ecclesiam in fide: dum officium clauium homini committitur: officium verò sustinendi ecclesiam in fide ad Christum vt actorem, ad petram vt rationem sustinēdi, ad hominem verò petrum, vt fundamentum suppositúmq; spectare dicitur. Oportet si quidem hæc diligentius contemplari, vt sciamus hinc rationem reddere poscentibus nos de ea, quæ in nobis est fide: ex his enim facilè est perspicere, q; claues regni cælesti non sunt datæ sanctitati seu iustitiæ hominis, sed promissæ sunt homini futuro pastori ouium Christi. Si quis autem cōtra huiusmodi exactā expositionem verborum Euangelij obijciat, eo q; Petrus non fuit ex tunc re & nomine Petrus: quoniam nō perseuerauit solidus ac firmus in fide, ter si quidem postea dominū negauit: ac per hoc verba Domini sonantia in præsenti, Tu es Petrus, non sunt sic exactè intelligenda: aduertant sic obijciens se falli cōfundendo firmitatem fidei & firmitatem charitatis: Petrus quidem ex tūc factus est firmus in fide, dicente Christo, Tu es Petrus: vt Hiero. testatur, exponens, Et ego tibi dico, non sermone casso & nullum opus habente, sed, dico tibi, quia meum dixisse fecisse est, quia tu es Petrus. Nec defecit negando Dominū in fide, quæ in corde est, quamuis defecerit in confessione fidei: horum enim distinctio à Paulo Apostolo manifesta est ad Ro. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Testatur siquidem Dominus Petrum non defecisse in fide. Luc. 22. dicens, Ego rogaui pro te; vt non deficiat fides tua: constat enim Christum in omnibus exauditum fuisse pro sua reuerentia, vt dicitur Hebr. cap. 5. Defecisse autem ipsum in charitate & periurium manifestat, & Dominus testatur subiungens, Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos: auersus enim fuit à charitate Christi, nō à fide, perseuerauit ergo semper Petrus.

HIS PRAEMISSIS ad obiectiones in oppositum dicendum est. Et circa tres primas non oportet insistere, quia iam declaratum est, quòd impertinentes sunt: nam ad confessionem Petri spectant omnia, quæ in eis afferuntur. Ad alias verò obiectiones, ex illis verbis, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo ecclesiā meā, dicitur quòd hæc quidem spectant ad pontificalem gradum, non secundū officium clauium, sed secundū officiū fundamenti. Et ex proposito Dominus dixit, Non tu vocaberis Petrus, sed tu es Petrus, vt affirmaret, tu es Petrus re & nomine: hoc es solidus, firmus, constans, &c. in fide tanquā petra: vt Leo Greg. Bedáq; exponūt. Nec ex his alius potest inferri nisi quòd soli habenti fidem conuenit esse fundamentum sustinendi ecclesiam in fide, quòd gratis concedimus: nam ex hoc non habetur, q; esse fundamentum mediante charitate seu iustitia conueniat Petro, sed mediante fide. Et rursus hinc non habetur, quòd esse fundamentum promissum sit fidei simpliciter & absolutè: ac per hoc promissum sit cuicūq; in quo inuenitur fides: quoniā Christus non dixit, Et super petrā, sed dearticulauit eam ad persona, adiungens ly, hanc, dicendo, super hanc petram: proculdubiò enim petra tunc demōstrata per præmissa verba, Tu es Petrus, reperitur: vt qui modo est Petrus futurum sit fundamentū. Quocirca clarè patet, q; sicut solus Simon demonstratus est dicendo, Tu es Petrus, solus quoq; repertus est Domino. Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Nulla ergo promissio facta est dono virtutis absolutè: sed sola prima inter eas: scilicet ædificatio ecclesiæ facta est dono fidei, nō in quocūq;, sed in persona fuerit pastoris ouium Christi.

¶ Ad confirmationem autem inferentem simile esse iudicium de officio clauium & officio fundamenti: respondetur q; ex differentibus verbis Domini manifestè declaratum est non esse simile de vtroq; iudicium. Et licet accessorium sequatur naturā principalis cæteris paribus: vbi tamen (vt in proposito) maxima est in cæteris disparitas: non oportet secundarium assimilari principali. Manifestatur autem maxima disparitas in hoc, quòd in officio fundamenti homo se habet quasi totaliter passiuè, dicente Christo, Ego ædificabo super te Petro: in officio autem clauium nō dixit, Ego aperiam, aut claudam, sed absolutè, Tibi dabo claues regni cælorum. Non est propterea mirum, si aliter promissum est fundamenti officium, & aliter officium clauium: illud mediante firmitate fidei, istud homini absolutè. Consentanea est autem huiusmodi differentia à Christo instituta humanæ etiam rationi: nam vsus clauium siue rectus, siue abusus fuerit, non in vniuersalem redundat ecclesiam: officium autem sustinendi fidem si aberraret, ecclesia vniuersalis rueret: de qua tamen Dominus dicit, Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Promissæ sunt ergo claues regni cælorum non dono virtutis (vt hæretici fingunt) sed personæ Simonis Petri, futuri pastoris ouium & agnorum Christi.

Ad cōfirmationē.

CAPVT III.

Personæ Petri in se & non solùm in persona ecclesiæ promissas esse claues.

NON longè à prioribus recedunt affirmantes claues regni cælorum non Petro, sed ecclesiæ à Christo promissas, dicente, Tibi dabo claues regni cælorum: tanquàm dixerit, tibi, hoc est ecclesiæ significatæ per te, nō tibi, dabo claues regni cælorum. Nam istis cum prioribus cōmune est & eximere Petrum ab hac Domini promissione, & nulli singulari homini datas esse claues, sed dono Dei promissas esse claues, solùm in hoc differunt, quòd priores dono Dei in quolibet iusto, aut saltē in quolibet sacerdote, isti dono Dei in ecclesia inuento claues datas asseuerant, eo quòd Petro non vt vni homini, sed vt personam gerebat ecclesiæ Christum dixisse, contendunt, Tibi dabo claues regni cælorum: nituntúrque hoc multis argumentis astruere. Vnde primò arguunt, Christus exponit seipsum in Euangelio, cui loquatur & cui tradat claues dicens, Beatus es Simon Bariona, caro & sanguis nō reuelauit, sed pater meus qui est in cęlis. Vbi apertè Petrus in hac persona non est Petrus, non est caro, neq; sanguis, non Simon Bariona, omnino Petrus extrà hominē ponitur: & iam non est vlla persona per se, sed reuelantis Patris auditor cui dātur claues. Nulli ergo priuato homini datæ sunt claues, sed soli ecclesiæ, quia de nullo priuato homine certi sumus habeat, nécne reuelationē Patris: ecclesia autem ipsa est de qua dubitare non licet: ipsa est ergo ille Petrus auditor reuelatiōis, & acceptator clauiū.

¶ Secundò, ex cohærentibus. Christus enim post gloriosam istam Petri commendationem, quum ei Petrus prohibuit ne moreretur, reprehendit Petrum, Vade post me Satana: non enim sapis ea quæ Dei sunt. Vt ex subsequuta post commendationem vituperatione clarum fiat illum superiorē Petrūm qui claues accepit, non fuisse Petrū filium Bariona, sed ecclesiā filiā Dei: quæ verbo Dei genita: verbū Dei audit & confitetur perseueranter in fide: non aliquando non sapiens quæ Dei sunt, nec vnq; retrò abire iussa, sicut Petrus.

¶ Tertiò, ex eo q; Christus dixit, Super hāc Petram ædificabo ecclesiam meā: hoc est, super fidē à Petro totius ecclesiæ persona cōfessam: ac per hoc in qualibet ecclesia, vbi est fidei petra, illic & claues. Firmatur autem hoc, quia nec ipse Petrus petra fuit in eadem perseuerās cōfessione: quoniā mox post acceptas claues errauit: & tamen non sunt ei claues rursum allatæ: quare non in sua, sed ecclesiæ persona eas accepit.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

¶ Quartò, Quādo Papa eligitur, an secum affert claues vel non? si affert, ergo erat Papa antequā eligeretur: si non affert, à quo accepit? nunquid ab Angelo de cælo? nonne ab ecclesia? Item, quū Papa moritur cui reliquit claues, nisi ecclesiæ à qua accepit? quid igitur pōt dici contra hanc, euidentissimā experiētiā, optimā Euangelij, interpretemā claues nec Petro nec successori, sed soli ecclesiæ datas? cua tanquā minister accepit vsuras eis sacerdos in qualibet ecclesia.

¶ Quintò formatur argumentū similis formæ argumento, quo Paulus Ro. 4. & Gal. 4. vtitur dicens, quòd sicut Abrahæ ex fide reputata est iustitia: ita & omnibus, qui credūt reputabitur ad iustitiā. Quare etiā hic similiter: si Petro habenti reuelationē Patris, & Christū confitenti claues dantur: ita necessē est homini similiter confitēti & reuelationē habenti, claues donatas esse: quod nulli nisi ecclesiæ conuenire potest: quum nullus singularis fidelis constanter certo, ac perseueranter habere possit hanc confessionem: vt etiam de ipso Petro patet.

¶ Sextò: quia non solū, (vt Aug. primo lide doct. Christia. ca. 17. testatur) has claues Christus dedit ecclesię suæ vt quęcunque solueret in terra soluta essent & in cælis: sed etiā, vt ipse testatur super Ioā. Petrus Apostolus propter apostolatus sui primatū ecclesiæ gerebat figurata generalitate personam, in persona ergo non sua, sed ecclesiæ claues accepit. Quod ex Aug. verbis ibidem amplius firmatur quū dicit, Quod enim ad ipsum Petrum propriè pertinet, (nam vnus homo erat gratia vnus Christianus) abūdātiæ gratia vnus, idémque primus Apostolus: sed quū ei dictū est, Tibi dabo claues regni cælorū, vniuersam significabat ecclesiam. Confirmatúrque eadem sentētia ex verbis eiusdem Aug. Psal. 108. Sicut quædā dicūtur quæ ad Apostolū Petrum pertinere videtur: neque tamen habent illustrem intellectū, nisi quum referūtur ad ecclesiā: cuius ille agnoscitur in figura gessisse personam propter primatū, quē in discipulis habuit: sicut est, Tibi dabo claues regni cælorū: ita Iudas personā sustinet inimicorum Christi. Ex his enim verbis apparet Petrū non in sua, sed ecclesiæ figurata persona claues suscepisse, dū hic dicitur non haberi illustrem intellectū, nisi ad Ecclesiam referatur: & ibi contra personales conditiones Petri aduersatiua coniunctione subditur: sed quū ei dictū est, Tibi dabo, ecclesiam significauit. Et cōfirmatur rursus autoritate Euangelistæ describentis interrogāti Christo, Quē dicūt homines esse filiū hominis: nullū certū discipulū respondisse opiniones, quæ de eo erant: interroganti verò de se Apostolos, vnum certū Petrum respondere, & constāter absoluere, ac pronuntiare fidei confessionē, vt verā Christi cognitionē in vnitate & firmitate consistere, non multorum opinionibus velut arundinem agitari doceret. Tenet ergo Petrus ecclesiæ vnitatis figurā. Accedit ad hæc Cypria. autoritas habita 24. q. 1. loquitur Dominus: dicentis, Quāuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem tribuat potestatē: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientē autoritate sua disposuit: hoc vtique erant cæteri Apostoli quod Petrus fuit, pari consortio prædici & honoris & potestatis: sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt ecclesia Christi vna monstraretur. Vnde non vnus, sed vnitas claues accepit: vt attestantur etiam capitula, omnibus: &, quodcunque 24. q. 1. ex Hiero. & Aug.

AD EVIDENTIAM Horum cōsiderandum est, vnū dici à sanctis: scilicet Petrū significasse ecclesiam, quū claues accepit. Duo autem exponi seu deduci: primū est, Ecclesia accepit claues, quum Petrus claues accepit: secundum est, quòd persona Petri non accepit claues. Vnde dupliciter contingit hic errare, vel negando primum, vel affirmando secundū. Et negare quidem Petrum ecclesiam significasse, est contradicere expositioni sanctorum. Affirmare autē ecclesiā sic accepisse claues, quod persona Petri non acceperit, error est plusquā hæreticus: quoniā Euāgelica per hoc negatur historia, & historia in parabolam vertitur. Parum dixi, quoniā omnis etiā veteris testamēti historia in parabolā verteretur. Declaro singula: si enī Petro non in persona propria, sed solummodo in persona significatæ per eum ecclesiæ promissæ sunt claues, quum dictū est ei. Et tibi dabo claues, &c. parabolicus Petrus inducitur, & non narratur historia, sed parabola, quum dicitur, Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogauit Discipulos suos, cū reliquis quæ sequuntur. Et eadem licentia qua hæc historia vertitur in parabolam, omnis alia historia non solùm noui, sed etiam veteris Testamenti in parabolam verti potest: scriptum est enim omnia in figuram contingebant illis. Si enim quia Petrus figuram gerebat ecclesiæ, parabolicus ponitur, & non in propria persona circa claues, parabolā quoque necessē est fateri de Martha & Maria, quæ figuram gerebant vitæ actiuæ & contemplatiuæ: parabolæ quoque sunt resuscitationes trium mortuorum à Christo, qui figuram gerebant trium generum peccatorum spiritualiter resurgentium: quinimo & mors Christi & resurrectio parabola erit: quia illa nos mortuos peccato: ista nos in nouitate vitæ significat: & breuiter vniuersa ruit rerum gestarum fides in sacra Scriptura ex hac licentia. Vera autē & probata sententia est, dupliciter aliquid significari: vno modo per modum parabolæ (sicut filius prodigus significat peccatorem, & operarij conducti ad vineam, significant cultores Dei in Christi ecclesia: & sic de alijs) alio modo per modum rei gestæ: ita quòd res verè gesta significet rem aliam: sicut transitus Hebræorum per Mare rubrum significat transitum nostrum de vitijs ad virtutem: & aduentus Magorum adorantium Christum, significat viatorum progressum ad cælestem partem patriam. Inter hos autem significandi modos hæc est ad propositum disparitas, quòd in parabolica significatione nulla est cura de significantibus personis secundum seipsas: quoniam ad significandum tantùm describuntur: quemadmodū apud Poëtas fit in comœdijs & tragœdijs. Quū autem res gesta significat, oportet primò omnem curam adhibere ad rem, quæ geritur, & ad personas secundum seipsas: quia sensus literalis in hoc cōsistit, ex quo solo secundum Diony. & Aug. efficax trahitur argumentum. Vnde oportet primò verificare in historijs res gestas & dictas de personis secundum seipsas ad veritatem fidei: & deinde potest superaddi sensus spiritualis quo res gesta significat aliā, quo persona historica figurat aliquid aliud: & hoc ad ædificationem Christi fidelium: non ad comprobandum ea fidei, quæ in controuersiam veniunt. Quocirca oportet primò ad veritatem fidei saluandam sensum historicum tenere, & personam Petri non vertere in personam parabolicā, quū de fidei agitur historia, & sensus literalis inuestigatur Euangelicæ historiæ, quādo venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogauit primo ac secundo, audiuit responsiones primò Discipulorum, deinde Petri: respondit Petro, dixit, promisitque claues regni cælorum. Et firmata veritate sensus literalis, quòd personæ Petri dictum promissúmque est, superaddere licet sensum mysticū, quo Petrus figurat ecclesiam, sicut apparet in similibus, puta in significatione vitæ actiuæ per Martham, (cui dictum est, Solicita es & turbaris erga plurima) & cōtemplatiuæ per Mariam, de qua dictum est, Optimam partē elegit, quæ non auferetur ab ea: & sic de alijs. Patet ergo quòd Petro in persona ecclesiæ promissas esse claues, verum est sic, vt personæ ipsius Petri primo, & ad literam promissæ sunt: quia illud verificatur secundū sensum mysticum, hoc autem secundum sensum literalem.

AD PRIMVM ergo in oppositum dicitur, clarum ex antedictis esse verba illa Domini (Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit, sed Pater meus) non ad Petri primatum, sed ad ipsius confessionem, & confessionis fructum spectare: & propterea tanquā impertinentia longè sunt à proposito secundum literalem sensum. Has autem Petri conditiones trahere mystica interpretatione ad ecclesiam, quamuis sustineri possit, intolerabile tamen est, vt sensus mysticus excludat literalem, Petrus excludat seipsum, auditor excludat eum, qui audit, & Simon Ioannis vertatur in parabolicam personā.

¶ Ad secundum verò dicitur, falsò interpretari finem, cur post tantam commendationem Petrus reprehensus fuerit: nam secundum planum literæ sensum commendatur primò persona Petri ratione diuini doni, deinde reprehenditur ratione proprij sensus, neutrum autem secundum historiæ fidem spectat ad alium, quàm ad Petrum: quoniam tam commēdatio, quàm reprehensio personalis fuit. Secus autem est secundum sensum mysticum: quo quilibet proprij sensus & affectus in Petro reprehenditur, & quilibet diuinę reuelationis sectator in Petro commendatur.

¶ Ad tertium dicitur, per hanc Petram demonstrari ad literam fidem in hoc, id est Petro, vt ex dictis patet. Et

propt

propterea non sequitur, quòd cuilibet partiali ecclesiæ, vbi est fides, æqualiter datæ sint claues: sed sufficit cuilibet fideli ecclesiæ datas esse in totius ecclesię capite, quod est hæc petra, super quā Christus ædificat ecclesiam suā.

Et ad confirmationem dicitur, quòd licet Petrus errauerit, non tamen desijt esse petra: tum quia per illa verba, quæ obijciuntur, Absit à te Domine, non erit tibi hoc, Petrus, nec fidem nec charitatem perdidit. Vnde & Dominus non dixit ei, Vade Satana: vt tentatori dixerat sed modificauit dicens, Vade post me Satana tanquā diceret, Sequi tu me debes, nō ego affectum tuū. Tum quia, vt prædictum est, quum postea Christum negauit, fidē non perdidit, sed petra fidei perseuerauit in corde. Et tamen, vt Theop. Lu. 22. notauit Christus iterum ipsum in Apostolico gradu restituit dicens, Confirma fratres tuos.

¶ Ad quartum dicitur, quòd quum Papa eligitur, neque secum claues affert neque ab ecclesia illas accipit: sed à Christo, nō noua traditione, sed antiqua illamet, qua tradidit Petro. Ecclesia siquidem ministerio electionis personam deputat, quę Petro succedat: Christus autem ipse in beato Petro cuilibet successori claues tradidit, & propterea vana est quæstio, à quo accipit, aut cui relinquit moriens: verbum enī Christi semper viuum dat claues cuilibet succedenti, & non vnus alteri relinquit.

¶ Ad quintum dicitur, argumentum esse similis formæ, sed dissimilis materiæ: & propterea non tenere. Iustitia siquidem & fides bona sunt animæ, ad vtilitatē ipsius credentis & iusti: claues autem potestatem significant, ad aliorum regimen ordinatam: & ideo licet cuilibet credenti imitanti Abraham. reputetur fides ad iustitiam, sicut Abrahæ: non tamen cuilibet credenti & confitenti Christum, imò nec cuilibet Petro imitanti Petrum in fide dari oportet claues: id est potestatem aperiendi & claudendi alijs: sicut nec cuilibet imitanti fidem Abrahæ datur, quòd sit pater multarum gentiū, quòd in semine suo benedicantur omnes gentes, quæ tamen Abrahæ credenti data sunt. Quòd autem additur, nulli ecclesiæ conuenire posse constanter, certò ac perseueranter habere Petri confessionem, si ad singulares personas refertur Paulus Apostolus ad Ro. 8. cōfutat, dicens, Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, &c. & subdit, Certus sum enim, &c. loquens ad literam de electis. Quòd si non contra rem, sed contra notitiam nostram arguitur: quia nos nescimus quis perseuerabit, facilè satisfit per hoc, quòd Deus suauiter disponens omnia, non exigit ab homine maiorem certificationem ea, quæ est fidei & humani moris, à fructibus scilicet eorum cognoscendo homines.

¶ Ad sextum dicitur verum esse & quòd ecclesiæ datæ sunt claues, & quòd Petrus personam ecclesiæ figuratæ gerebat, & quòd vnitas Petri vnitatem ecclesiæ significauit. Sed in hoc falluntur argumenta, quòd ex his veritatibus in aliam veritatem insurgunt: hæ siquidem veritates non contrariantur huic alij veritati, quòd Petrus in propria persona accepit claues: sunt hæc enim omnia simul vera. Et primum quidem & vltimum, vt 6. patebit cap. ad veritatem sensus literalis spectant: quoniam ad literam Petrus in propria persona sic accepit claues, quòd etiam Ecclesia accepit easdem. Reliqua autem ad mystici sensus veritatem spectant: secundum spiritualem siquidem sensum, vnus Petrus vnitatē ecclesiæ significat, & vniuersalem ecclesiā repræsentat. Vnde Cypria. Hiero. & Aug. dicta, quæ obijciendo allata sunt, verissima sunt, sed iuxta sensum misticum. Sed non aduersantur sensui literali: quo (vt Euangelica testatur historia) ipse Petrus in propria persona, cui reuelatio facta est, respōdit, clauiūque promissionem accepit. Ad clariorem tamen notitiam habendā verborum Augu. scito duplicem Euangelij sensum: hoc est, literalem (quo verificatur, Tibi, id est Petro, dabo claues regni cælorum.) Et mysticum quo verificatur tibi, id est Ecclesiæ significatæ per te dabo claues regni cælorum esse ab Augusti. comparatum non penes verum vel falsum, sed penes clarum vel minus clarum, Ad sensum siquidem mysticum spectat, quòd Petrus gerat in figura personā ecclesiæ: sicut ad sensum mysticum pertinet, quòd Iudas gerat personam inimicorum Christi: ad literam autem ipse Iudas erat Christi inimicus, & ipse Petrus est cui promissæ sunt claues. Vnde Augusti. quia sensus mysticus clarior est, quàm sensus literalis, in proposito (vt testantur tot quæstiones, quæ circa sensum literalem emergunt) & sensus mysticus ita est omnibus manifestus, vt etiam vulgares sciant claues esse ecclesiæ. comparauit sensum literalem (iuxta quē claues promissæ sunt personæ Petri futuri pastoris totius ecclesiæ) ad sensum mysticum, iuxta quem claues promissæ sunt Petro in figura ecclesiæ: & dixit, quod misticus sensus est clarior: hoc enim sonant illa verba. Nō habent illustrem intellectum, nisi ad ecclesiam referantur, cuius ille gessit in figura personā, Negauit siquidem illustrem, & non negauit verum intellectum nisi ad ecclesiam referantur: constat enim illustre ad claritatem pertinere. Et hoc intendere Augustinum patet ex contextu: volens enī exponere Psal. illum, Deus laudem meam, partim de Iuda, partim de populo Iudæorum inimico Christi, præmittit. si autem de tali genere malorum, id est inimicorum Christi ingratorum Iudæorum, omnia mihi videtur posse clarius aperiri: & statim subdit verba allata, vbi clarè videre quilibet pōt non derogari veritati sensus literalis (quo personæ Petri sunt claues promissæ) ex hoc quod sensus iste non est ita clarus sicut mysticus: neque enim solus est tex. iste talis, sed innumeros habet in sacra Scriptura consodales: quorum sensus illustris non nisi mysticus est. Allata quoque verba Augu. super Ioan. non negant Petro secundum propriam personam dictum esse, Tibi dabo claues: sed affirmāt, Petro in persona ecclesiæ figuratiuè dictum dictum esse, Tibi dabo claues. Ex hac autē vera affirmatione non sequi negationem illius alterius veritatis, satis, patet. Ad vim autem, quæ fit in cōiunctione aduersatiua, respondetur quòd coniunctio illa augmentatiua, est iuxta frequentatiuum loquendi vsum, quo dicimus aliquē virtute bonum virum, sed officio bonum ciuem: & similia. Tanquam enumeratis Augustinus quibusdam personalibus Petri conditionibus, auxerit conditionē Petri, transeundo ad extensionem eius in vniuersam ecclesiam Figuratiuè, cum qua figuratiua conditione stat, quòd per proprietatem pastoralis officij idem Petrus ad vniuersam se extendat ecclesiam: quamuis hoc non sit ibi ab Augu. explicatum, qui de Petro & Ioanne mysticè tractabat, vt ille actiuæ, iste contemplatiuæ vitæ personam gerebat. Vnde quum infertur, quòd non vnus, sed vnitas claues accepit, pro quanto affirmatur vnitatem claues accepisse, verum dicitur, sicut verū est ecclesiam accepisse claues: quatenus verò negatur vnum Petrum accepisse claues, aut falsum dicitur, aut piè exponendum est. Nam si ideo negatur vnus, vt negetur Petrus, falsum dicitur contra Euangelicam historiam: si autem ideo negatur vnus, vt negetur solitudo personalis, hoc est, vt petrus non acceperit claues secum sepeliendas, sed vt in ipso ecclesia vsque ad finē seculi duraturas claues acceperit, verum dicitur: sic enim non vnus, id est, pro se tantum, sed vnitas ecclesiæ in illo vno claues accepit. In nullo tamen citatorum locorum habetur negatiua ista, Non vnus claues accepit. Et ex ijs quæ diximus, soluēdas similes obiectiones relinquimus: vt non sit opus omnia, quæ obijci possunt, afferre. Reliqua ex Cypria. allata de paritate Apostolorum, insertus loco suo patebunt.

CAPVT IIII.

Verba Christi, Tibi dabo claues, Petro non in persona omnium Apostolorum dicta esse.

EXCLVSIS prioribus erroribus, tractanda est eorum opinio, qui Petro intelligunt in persona omnium Apostolorū dictū à Christo, Tibi dabo claues, &c. Asserūt autem ad hoc argumenta quatuor. Primum ex interrogatione Domini: nam non Petrum solum, sed communiter omnes interrogauit, Vos autem quem me esse dicitis.

¶ Secundū ex persona Petri, quia Petrus primus omniū erat Apostolorū, & personam omnium induit, pro omnibus respondendo. Vnde Chryso. dicit omnibus discipulis interrogatis, Petrus tanquam os Apostolorum & caput pro omnibus respōdet. Et confirmatur: quia nisi in persona omniū Petrus respondisset, fuisset expectanda aliorum responsio: aut rei fuissent alij Apostoli omissæ respōsionis ad interrogationem Domini, Vos autem quem me esse dicitis.

¶ Tertium ex fructu: quia claues regni cælorum datæ sunt omnibus Apostolis.

¶ Quartum ex cōmunibus, quia Christus dixit, Quod vni dico, omnibus dico.

ANTEQVAN autem ad hæc respondeatur, ex plano sensu tex. Euang. monstrādum est directa esse hæc Domini verba ad Petrum solū. Patet siquidē hoc primò ex principio sermonis Dominici ad Petrum, quū dixit, Beatus es Simon Bariona: hoc enim non potest referri verè ad omnes. Tum quia exprimitur proprium nomē Simonis: & explicatur cuius sit secundum carnem filius dicēdo, Bariona, id est filius Ionæ. Tum quia falsum hoc fuisset de Iuda: quoniam nō credidit in Christum: vt testatur Io. 6. ca. refert Dominum dixisse, Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt: & statim subdit rationē dicti, Sciebat enim ab initio Iesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum. Et rursus in calce eiusdem cap. dicente Petro pro 12. Apostolis: Et nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei: respōdit ei Iesus, Nōne ego vos 12. elegi? & ex vobis vnus diabolus est? non potest ergo verificari ꝙ ad omnes Apostolos dictum sit, Beatus es: quum vnus eorum non crederet, & diabolus esset. Secundò ex subiuncta ratione: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis. Nam ex his Domini verbis constat, Petro reuelationem factam esse à cælesti Patre, ita ꝙ hoc negare esset contrarium fidei: sed non propterea hinc constat alijs Apostolis huiusmodi reuelationem esse factam: scriptura enim hoc non tradit. & propterea eadem facilitate cōtemnitur, qua affirmatur. Constat igitur hinc, ꝙ ad Petrum verba diriguntur, & nō constat, quòd ad alios extendūtur. Tertiò, ex subiuncta affirmatione, Tu es Petrus: monstrat enī & pronomen, tu, & nomen sibi prius impositum à Christo Io. 1. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, ꝙ ad solum Petrum sermo dirigitur. nam si per pronomen demonstratiuum ad sensum, adiūctis & nomine proprio à natiuitate, scilicet Simon, & nomine Patris carnalis, & nomine quo solus cognominatus est à Christo à principio discipulatus, scilicet Petrus & interiori dono reuelationis (quod non constat alijs fuisse concessum) non sufficienter signatum est quòd ad ipsum solum est sermo: quibus quæso verbis describendum fuit ab Euāgelista, quòd ad solum Petrum erat sermo? Et confirmatur: quia eodē pronomine demōstratiuo ad sensum Christus est Dominus subiungens, Et tibi dabo, &c. Et confirmatur ex eo, ꝙ non pluribus nec maioribus circunstantijs describuntur & nominantur à notarijs personæ hæredes, aut legatariæ, quàm persona Petri in hoc textu descripta ac nominata est: vt patet colligendō, Simonem filium Ionæ Petrū ex interna reuelatione commendatum. Ex verbis igitur & ex sensu verborum clara luce patet, soli Petro esse, Tibi dabo claues, &c.

AD PRIMAM autem obiectionem in oppositum dicitur, ex hoc ꝙ Dominus interrogauit omnes, non cogi reliquum sermonem dirigi ad omnes: frequenter enī diuertitur sermo à pluribus ad vnum, aut econuerso. Mater siquidem filiorum Zebedei petijt, vt sederent duo filij sui, vnus ad dexteram, & alter ad sinistram: Dominus autem ad filios respondendo sermonem dirigit, Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Et si diligenter perspectus fuerit euangelicus tex. ipsa conuersio sermonis attestatur, quòd non omnem sermonem ad omnes dirigebat: inquit enim Matth. ꝙ primò & secundò interrogauit discipulos communiter, deinde ad Petrum sermonem vertit: & rursus ad discipulos sermonem conuertit: nam subditur, Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerēt quia ipse esset Iesus, &c. Si enī totus iste sermo ad omnes fuisset directus non narrasset Euangelista huiusmodi variam cōuersionem sermonis. Nec officit, quòd communis Petro & alijs causa effecta, Domini interrogatione sit, cū hac enim communitate stat, ꝙ appropriata sit Petro, nam in maiori causa, communis scilicet tētationis, solius Petri ratio habita est: vt ipse Dominus testatur Luc. 22. dicens, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Vbi patet omnes expeditos à Satana: & tamen Dominū pro solo Petro orasse: Oraui, inquit, pro te, nō pro vobis: imò alios Petro commendauit.

Vnū pro multis respondere tripliciter cōtingit.

¶ Ad secundam obiectionem ex persona Petri dicitur, ꝙ gerere personam communem, seu respondere pro omnibus Apostolis, potest intelligi tripliciter. Vel ex officio, puta quia habet curam eorum. Vel per viam commissionis: puta quia Apostoli commiserunt Petro vt in persona omnium pro omnibus responderet. Vel per viam ratificationis: vt quia responsio data à Petro, grata fuit communiter Apostolis, vtpotè cōgrua ac eximia. Et quidem quòd Petrus non gereret personam communem ex officio, ex eo patet ꝙ nondū erat constitutus pastor eorum: neqꝫ propriè erat caput eorum, nisi sicut prius inter canonicos potest dici caput canonicorum. Similiter ꝙ non ex commissione Apostolorum responsio... non solum ex eo patet quòd huiusmodi commissio voluntariè affirmaretur, (quoniam ex Scriptura non habetur) sed ex eo conuincitur, quòd Dominus expressè testatur, Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus. Vbi excludit non solum omne humanum consilium, sed etiam disciplinam, & ex sensibili auditu doctrinæ ipsius Christi, dum interiori spirituali reuelationi Patris, qui in cælis est, Petri notitiā, ꝙ Christi filiū Dei viui cōfessus est, attribuit. Si enī ex consultatione cū alijs Apostolis responsum dedisset, non sibi dictum fuisset, Quia caro & sanguis non reuelauit tibi: quum inter eos esset cōsanguinitas & carnalis propinquitas: & similiter nō fuisset ... ad actorem omnino spiritualem & designatum tam à remotis: scilicet in cælis. Hæc enim omnia manifestè testantur Petri confessionem non ex Apostolorum commissione, sed ex interiori ipsi Petro facta reuelatione processisse. Et confirmatur hoc ex contextu Euangelij: nam præposita Domini interrogatione prima Discipulorum (quē dicunt homines esse filium hominis?) quia responsio fuit communis, Euangelista dicit, at illi dixerunt: in secunda verò interrogatione eorumdem (Vos autem quem me esse dicitis?) quia responsio propria fuit Petro, Euangelista dicit, Respondens Simon Petrus dixit. Et confirmatur rursus ex Ioan. 6. cap. Vbi differentiam apertè notare possumus inter Petrum in persona omnium loquentem vel in persona propria: nam ibidem loquens Petrus in persona omnium Christo Domino dicenti, Nunquid & vos vultis abire? respondit ei Simon Petrus in persona omnium, Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus quia tu es Christus filius Dei. Et subdit Euangelista, Respondit eis Iesus, Nonne ego vos 12. elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Vbi cōferendo textus, Ioannis textui Matthæi, apertè apparet, quum tunc apud Ioannem in persona omnium Petrus respōdit, loquutus est in numero plurali primæ personæ, dicens, ad quē ibimus? & nos credimus & cognouimus, & similiter Dn̄s respōdit nō Petro: sed eis, hic verò apud Matt. omnia sunt in numero singulari cū pronominibus demōstratiuis solius Petri, tam in respōsione Petri, ꝙ in replicatione Dn̄i, & promissionibus ac assertionibus, Tibi, inquit, dabo, nō vobis: quodcunque ligaueris non quodcunque ligaueritis: tu es Petrus, nō vos estis Petrus vt patet in litera. Huiusmodi enim differentia manifestat quòd Petrus ex proprijs intus à cælesti Patre habitis solus respondet, solúsqꝫ à Christo mōstratur. Nec putes propterea hanc eandem esse lectionem apud Matthæū & Ioānem: quoniam ista Matthæi fuit postea, quæ referuntur à Ioanne. Quod ex multis patet: illa enī Ioannis fuit post miraculum de quinqꝫ panibus, & in Capernaum: vt ibidem apparet: quod autem refert Matthæus, fuit non solū post miraculum de quinqꝫ panibus, sed etiam post aliud miraculum de septem panibus: vt patet Matt. 16. & fuit in partibus Cæsareæ Philippi. Dicendū est ergo, quòd responsio Petri tanquā grata & rata pro omnibus, dicitur fuisse in persona omnium, sicut frequenter cōtingit, quòd, collegis pluribus interrogatis, primò bene respondente, ab omnibus, vt rata habetur responsio, & pro omnibus respondisse primùm frequētissimo vsu dicimus. Et sic intelligenda sunt verba Chry. & gl. interli. & quorumcunqꝫ aliorum dicentium, quòd Petrus respōdet pro omnibus: erat enim os omnium tanquam ratificatum ab omnibus. Vnde Chry. Homel. 55. super Matth. subdit: Solus Petrus respondet: & confestim præsiliuit, ac præueniens ait, Tu es Christus, &c. Vbi vides non consilio aut commissione aliorum respondisse, sed præuenisse. Et Augu. de verbis Apostoli sermone 3. ait, respondit Petrus vnus pro omnibus, quia vnitas in omnibus. Vbi videre potes quare dicitur Petrū respondisse pro omnibus, non ex commissione omnium, non ex officio, sed ex vnitate omnium: quia scilicet omnes erāt fratres, & quod primus

corum

corū optimè respondit, omnibus placere fecit. Sicut inter fratres vnitos, ac vnanimes quòd ab vno bene dicitur, ab omnibus ratum habetur, & vt ab omnibus dictum sentitur. Et hinc patet responsio ad confirmationem sumptam... ex eo enim, ꝙ Christus Petri respōsionem approbauit & commendauit, Petrúmqꝫ beauit, ac illi tot promissa ... apparet expectationem ingerere, vt audiāt ... alibi. quis enim aliud dicturus esset quàm quod diuinitùs reuelatū, & sic remuneratum videt. Vnde nec remanserunt non respōdentes alij: quia gratam eis esse Petri responsionem suffecit. Insinuatur autem Petri responsionem alijs Apostolis gratam fuisse non solùm ex hoc: quòd est rationi consentaneum iuxta humanum morem: sed ex subiunctis statim Euangelistæ verbis, Tunc præcepit Discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus. Hoc siquidem præcepto monstratur Discipulos Petri confessionem tenuisse: ideo enim ne alijs dicāt inhibentur.

Ad tertiam.

¶ Ad tertiam autem dicitur, quòd si intendit argumentum promissa per verba hęc omnibus Apostolis claues, principium petit: hoc enim est quod probandum erat. Si verò intendit, quòd per alia verba Dominus Apostolis alijs claues regni cælorum tradiderit, ad sequens spectat capitulum, vbi hoc tractabitur.

Ad quartam.

¶ Ad quartam obiectionem dicitur, quòd autoritatem illam, Quòd vni dico, nullibi inuenio in Euangelio. Verumtamen vbicunqꝫ inueniatur, dicitur ꝙ ad literam intelligitur de dicere doctrinali: vt Marcus testatur in fini ca. 8. Quòd vobis dico omnibus dico: vigilate. Potest nihilominus ad proteruos dici, quòd in hac autoritate nō habetur, quòd vni do omnibus do: aliud est enim dicere, & aliud dare: præsens autem sermo non de dicere, sed de dare est: inquit enim Dominus, Tibi dabo claues regni cælorum: & propterea autoritas non est ad propositum. Ex quibus omnibus patere potest, quòd ex his Domini verbis Matth. 18 solus Petrus promissionem accepit clauium regni cælorum.

CAPVT V.

Apostolis alijs non esse aliàs collatum quod Petro.

QVAMVIS fateantur multi præmissum textum Euangelij ad solùm Petrum pertinere, affirmant tamen nonnulli totum id, quod Petro promissum est, datū esse à Christo alijs reliquis Apostolis, idqꝫ verum esse multis affirmant argumentis ex sacra Scriptura. Primò, Matth. 23. Apostolis communiter dicitur, Quæcunqꝫ alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcūque solueritis super terrā erunt soluta & in cælo. Vbiqꝫ apparet potestatem prius Petro promissam, ad omnes extensam esse.

¶ Secundò Io. 20. Apostolis communiter exhibentur claues Petro promissæ, dicendo, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.

¶ Tertiò, Io. quoqꝫ 20. Apostolis cōiter dicit Christus, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et similiter Mar. vlt. & Mat. vlt. Omnes cōmuniter misit ad docēdū, prædicandum, &c. Deinde manifestatur idem ex facto: nam Act. 13. Petrus missus cum Ioanne legitur in Samariam ab Apostolis, qui erant Hierosolymis. Et Act. 15. in synodo de legalium obseruatione præsente Petro Iacobus dedit sententiam, dum dixit, Ego iudico non inquietari eos, &c. Ad Gala. quoqꝫ 2. Petrus & Iaco. & Io. qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt Paulo & Barnabæ societatis. Ex quibus gestis æqualitas comprobatur Petri & aliorum Apostolorum.

¶ Afferuntur denium mille autoritates Sanctorum sonantes æqualitatem Petri & aliorum Apostolorum, vt est illa Cypria. & habetur 24. q. 1. loquitur Dominus, dicentis ꝙ parem potestatem omnibus Apostolis tribuit: & hoc vtiqꝫ erant cæteri Apostoli, ꝙ Petrus fuit, pari cōsortio præditi & honoris & potestatis. Et illa Hier. cōtra Iouinianum lib. 1. ca. 14. At si tu dicis, Super Petrum fundatur ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes apostolos fiat, & claues regni cælorum cuncti accipiant, & ex æquo super eos ecclesiæ fortitudo solidetur. Et quæcūque aliæ similes.

AD EVIDENTIAM Horum scito ex Euāgelico textu duo inueniri singulariter promissa Petro, quibus Origenes addidit tertiū. primū est, Super hāc petrā ædificabo ecclesiā meā. hoc enī soli Petro promissum legimus. Secūdū est, Tibi dabo claues regni cælorū: ꝙ nulli alij inuenitur promissum. Tertiū ab Origene notādū est, ꝙ Petro dicitur, Quodcunqꝫ ligaueris super terrā, erit ligatū & in cælis, in numero singulari: & similiter, Quodcūqꝫ solueris super terrā, erit solutū & in cælis: Apostolis autē communiter dicitur, quòd erūt ligata aut soluta in cælo, in numero singulari. Et rationem subdit: quia non sunt tantæ perfectionis sicut Petrus.

¶ Inter quatuor ergo promissiones Petro factas, primæ ab alijs differentia clara est: nam constat aliud significari per foræ ecclesiæ fundamenti (quod explicat, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam) & aliud per habiturum claues, & soluere, & ligare. Sed differentia inter secūdam (id est inter claues regni cælorū) & tertiam ac quartam, (hoc est ligare & soluere) non est vsquequaque nota apparet siquidem iuxta literæ superficiem per claues potestatem: per ligare autem & soluere explicatos esse actus potestatis: vt efficacia clauium declararetur, quo pacto scilicet ad cælorum regnū pertingerent. Huiusmodi enim efficacia manifestatur dicendo, Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis: & quia pluraliter cælorum regnum præmiserat, ideo pluraliter dixit, in cælis. Et iuxta hunc sensum promissio clauium à promissione soluendi & ligandi differunt, sicut promissio potestatis à promissione actuum illius explicatiua. Sed veram quidem, sed non totam continent Euangelij sententiā. Quod vt plenius intelligas, scito duplicis generis inueniri actus clauium: quidā enim sunt actus adæquati ipsis clauibus: quidā verò minores ipsis. Illi sunt velut actus totales, isti actus partiales. Adæquati autē clauibus actus sunt, aperire, & claudere: partiales autē sunt, ligare, & soluere. Declaro singula. Quòd aperire & claudere sint actus adæquantes claues, & voces sonant, & officium clauium clarissimè testatur, claues enim solummodo ad aperiendum & claudendum sunt. Nec desunt Scripturarum testimonia tam ex veteri quàm ex nouo Testamento. Esa. enim 22. quum dictum esset: Et dabo clauem domus Dauid, subditur, Et aperiet, & claudet: & similiter Apoc. 3. idem repetitur. Quòd verò soluere & ligare sint actus clauium doctores omnes testantur. Quòd autem sint actus partiales, & non adæquati clauibus, ex hoc patet, quòd soluere & ligare se habent ad aperire & claudere, vt partes ad totum: omnis enim, qui soluit aliquem, aperit illi regnū cælorum: sed non omnis qui aperit alicui regnum cælorum, soluit illum: & similiter omnis qui ligat claudit, sed non omnis qui claudit ligat.

¶ Et ne per multa diutius vagemur, sed solida ratio simul cum veritate pateat, soluere & ligare actus sunt iudiciales, siue in sacramento pœnitentię, siue in foro ecclesiastico, aperire & claudere actus sunt superiores, cōprehendentes sub se & actus iudiciales, & actus non iudiciales: vtrisque enim clauditur & aperitur regnum cælorum. Et quidem, quòd cælorum regnum multi claudant alijs absque vinculo iudiciali, testatur Dominus Luc. 11. dicens, Væ vobis legisperitis, qui tulistis clauē scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Quòd verò regnum cælorum aperiant absque actu iudicij, magistra rerum experientia monstrat: dum Pastoris prouidentia, gubernatione, ordinatione, doctrina, dispensatione, cōmutatione, &c. continuè aperitur ecclesiæ regnum cælorum. Differt ergo promissio clauium (Tibi dabo claues regni cælorum) à subiunctis duabus reliquis, (Et quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris: secundum rem promissam, non solùm sicut potestas ab actibus, sed sicut potestas ab actibus inadæquatis, seu minoribus & partialibus: ita quòd quum promissæ sunt claues Petro, promissa est potestas aperiendi & claudendi regnum cælorum: quum autem promissum est eidem, Et quodcunque ligaueris, Et quodcunque solueris explicata est clauium efficacia in actibus minoribus) vt perciperemus: quòd si partialium actuum tanta est efficacia, multò magis adæquatorum actuū efficacia pertinget ad cælos. Quocirca promittendo claues, promittitur totum: promittendo autem actus soluendi & ligandi, nō promittitur totum, sed promittuntur actus partiales. Et propterea ex hoc, quòd soli Petro promissæ sunt claues regni cælorum, fateri oportet soli Petro promissam esse potestatem aperiendi & claudendi regni cælorum: non quòd solus aperire & claudere possit cælorum regnum, nam vt prædictum est, quicunque soluit aliquem, aperit illi regnum cælorum: sed

Universidad de Deusto Biblioteca

sed quia solus potest quicquid pertinet ad aperiẽdum & claudendum regnum cęlorum, non istis vel illis, sed ecclesiæ ædificatæ super eũ à Christo. Hunc sensum, hancque differentiam ad literam verificari ex tribus vltra prædicta declaratur: primò ex interposita semper, coniunctione copulatiua in tex. euangelico. ait enim, Tu es Petrus, & super hanc petram, &, tibi dabo claues, &, quodcunque ligaueris, &, quodcunque solueris: diuersitatem enim promissarum rerum coniunctio copulatiua insinuat. Secũdò, quia Dominus non dixit, & cuicunque aperueris, & cuicunque clauseris, sed dixit, quodcunque solueris, & quodcunque ligaueris. Si enim claues exponere voluisset per adæquatos proculdubio actus, (qui sunt aperire & claudere,) exponẽdæ erant: sed vbi ad ligandũ & soluendum descendit, manifestauit se non exponere claues, sed ad minores actus clauium transire. Tertiò, ex eo quod nunquã Apostolis promisit, aut dedit claues regni cælorum, vel illarũ adæquatos actus, scilicet aperire & claudere regnũ cælorum: sed de partialibus actibus clauiũ locutus legitur cũ Apostolis: & dicẽdo, Quæcunque alligaueritis super terrã, &c. dicẽdo, Quorum remiseritis peccata, &c. *Instãtia.* Et si instetur, quod nec etiam Petro Dominus actus adæquatos clauibus dedit, aut promisit: quia claues quidem illi promisit, sed nunquam promisit, quod aperiret & clauderet. Absit à diuina sapiẽtia, vt silentio inuoluerit actus adæquatos clauiũ: quũ enim explicauit cuius essent claues, vt aperiendi & claudendi, explanauit proculdubiò actus adequatos clauiũ, qui sunt aperire & claudere. Constat autem ideo appositũ, regni cælorum, vt exponeretur, quod claues sunt regni cælorũ, vt aperiendi & claudendi. Eo ipso igitur, quod promisit soli Petro claues regni cælorum, promisit soli Petro adæquatos actus clauiũ: seu, quod idem est, claues secundũ actus adequatos clauibus: & post hanc promissionẽ descendit ad actus iudiciarios, Et quodcunque ligaueris, Et quodcunque solueris: vt prædictum est. Ex euangelico igitur textu duæ euidenter restant soli Petro promissiones: hoc est fore fundamentum ecclesiæ, (Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam) & dandas ei claues regni cælorum: Et tibi dabo claues regni cælorum.

Oppositio cõtra primam promissionem. ¶ Nec carent hæc obiectionibus. Nam contra primã promissionem opponitur aut solũ Christum esse fundamentũ ecclesiæ (iuxta illud primæ ad Cor. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud quod positũ est, quod est Christus Iesus) aut si multiplex fundamentũ admittitur, non solus Petrus est ecclesiæ fundamentũ, sed etiã alij Apostoli: iuxta illud ad Ephe. 2. Super ædificati super fundamentum Apostolorũ: & Apo. 21. Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim. & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum.

Prima oppositio cõtra secundam promissionẽ. Secunda. ¶ Contra secundũ verò opponitur primò, Si promissione clauiũ promittitur tota potestas, cur post, totũ promittuntur partes, Quodcũque ligaueris, &, Quodcunque solueris: fuisset enim hæc promissa in toto. Secundò, Si soluere & ligare sunt partiales actus clauium, cur theologi in 18. & 19 distin. 4. sen. de clauibus tractando, diffiniunt eas per actus iudiciales, qui sunt ligare & soluere: diffinitio enim per proprios & adæquatos actus dari debet.

Tertio. Tertiò, Cur claues apostolicæ in ordinatione presbyterorũ dari affirmantur, si illis non conferũtur nisi minores actus clauium? *Quarto.* Quartò, Cur claues dicuntur claues ecclesiæ, & non dicuntur claues Petri, si soli Petro primò datæ sunt.

Ad obiectã cõtra primam promissionem. ¶ Non est autem difficile his satisfacere. Et obiectis quidem contra primam promissionem Petro factam, vt foret fundamentum ecclesiæ, respondetur, quòd esse ecclesiæ fundamentum simpliciter, id est totaliter propriũ est Christo: esse aũt fundamentũ ecclesiæ secundum aliquod tempus, vel secundum aliquam rationem particolarem, communicatũ est alijs. Et sanctis quidem quibus reuelata est doctrina fidei pro ecclesia, cõmunicatũ est esse fundamentũ sub rationibus Apostolorum & Prophetarũ, Petro autem vltra prædictam rationem promissum est fore fundamentum secundũ rationem Pastoris totius ecclesiæ Christi: secundũ quam rationem non cõuenit alijs Apostolis esse fundamentum. Et propterea diuersimode dicitur fundamentum de hoc triplici modo. de Christo enim dicitur cũ exclusione aliorum, (Fundamentũ aliud nemo põt ponere, &c. de Apostolis verò & Prophetis dicitur cũ additione fundamẽti totalis, id est Christi: dũ & ad Ephe. 2. adiũgitur, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. (vbi August. dicit, Ne Apostoli vel Prophetæ, in quibus fundata est ciuitas, se tenerent in se, in Christo totum innititur primo fundamento: quòd fundamẽtum in summo est non in imò, vt in corporali fabrica.) Et Apoc. 21. subiungitur. Et agni, id est Christi. De Petro verò adiungit ipse Christus, ædificabo ecclesiam meam: vt ostendatur ex Christo principaliter pendere eam ædificiũ.

¶ Ad quæsita verò circa promissas claues respõdẽdo, dicitur ideo post promissum totũ per claues, promissas quoque esse partes per, Quodcũque ligaueris, et, quodcũque solueris. vt monstraretur diuersitas rerũ promissarum. (Si enim sub vnica promissione omnia comprehensa essent absque coniunctionibus copulatiuis, aut solæ claues promissæ fuissent, adæquatas putasses, & exhaustas claues per hæc duo, Quodcũque ligaueris, &, quodcũque solueris. Nunc autem, quia tam apertè promissarum rerum diuersitas monstrata est, exprimendo singula cum coniunctionibus copulatiuis, clarè intelligimus non totũ quod promissum est Petro, promitti aut exhiberi cuicunque alteri per hoc, quod promittitur aut datur, Quodcũque alligaueris, & quodcunque solueris, &c. sed per hoc promitti aut dari tantum quod tertio & quarto loco promissum est & Petro.) Et inde vides remanere primas promissiones apud Petrum solum.

¶ Ad secundũ verò quæsitum respondetur, ideo claues à Theologis per actus iudicij diffinitas, quia de clauibus ordinis tractabant: vt patet in tex. Magistri sen. tã in principio di. 18. (vbi affertur Amb. dicens, Ius enim hoc solis permissum est sacerdotibus) quàm in principio di. 19. vbi dicitur, Dãtur hæ claues per ministeriũ Episcopi in promotione sacerdotij: quũ enim sacerdotalem recipit ordinem simul, & has claues recipit. Et per hoc soluitur per tertium quæsitum.

¶ Ad quartum autem, quod non de re, sed de nomine est, & propterea extraneũ quodãmodo est, respõdetur quod claues dicũtur & ecclesiæ & Petri: solus enim Petrus clauiger dicitur regni cælorum. Et Petri quidem sunt vt capitis vtentis, & vt per quem ad ecclesiam deriuantur: ecclesiæ autem sunt & vt finis (quia propter ecclesiam Petrus habet claues) & vt vtentis in suis episcopis & sacerdotibus: ita tamen quod secundum earum totalitatem ecclesia vtitur illis in suo capite, secundùm autem partiales vsus vtitur in Episcopis & alijs ministris. Remanet ergo solida sententia dicta.

AD PRIMVM autem argumentorũ in principio allatorũ, dicitur Dominũ per illa verba, Quæcũque alligaueritis super terram, &c. non adæquasse promissiões quatuor factas Petro, sed solas duas vltimas, vt litera ipsa testatur. Et propterea non dixit Dominus, Dabo vobis, aut ecclesiæ claues regni cælorum: quum tamen dixisset Petro coram eisdem, Tibi dabo claues regni cælorum. Vnde ex hoc ipso, quod alijs Apostolis Dñs dixit, Quæcũque alligaueritis, &c. non facta mentione de clauibus manifestè habetur quod non totũ quod promiserat Petro repetijt in potestate aliorum, tanquam Petro totum, alijs verò partes commissurus.

¶ Ad secundũ verò dicitur, quod post resurrectionem dicendo, Quorum remiseritis peccata, &c. datæ sunt quidem Apostolis claues, sed non in sua totalitate: quia datæ sunt tãtũ claues ordinis, vt cõmuniter Doct. dicunt, & benè. Vnde ad literam quum dicitur, Quorũ remiseritis: cõstituitur iudex ecclesiasticus in sacramento penitentiæ, quãtũ est ex parte ordinis: quũ verò Matth. 18. dictũ fuit eisdem, Quæcunque alligaueritis super terram, sermo erat de iudicio ecclesiastico in foro iudiciali. Vnde & communiter dicitur & bene, quòd tunc sermo fuit de actibus clauium iurisdictionis: postea autem de actibus clauium ordinis. Et quoniam (vt declaratum est) neutrum iudicium et simul sumptũ adæquat claues Petro promissas, sed soluere & ligare in vtroque foro partiales sunt actus clauium Petro promissarum: ideo per vtranque potestatem simul non adæquatur potestas Petro promissa. Vnde disputationibus vacantes, caueant à sophistis, opponentibus claues iurisdictionis adæquare claues ecclesiæ. Venenum latet hîc: quoniam, propriè & formaliter loquendo, claues Petro promissæ, superiores sunt & clauibus ordinis, & clauibus iurisdictionis. & propterea Dominus non per actus ordinis aut iurisdictionis eas exposuit sed per regni cælorum, proculdubiò aperiendum vel claudendum. Ita quòd perspicacius intuendo (vt prædictum est) Domini verba, Tibi dabo claues regni cælorum: per illam particulam,

regni cælorum, exposuit claues per actum adæquatum scilicet aperire vel claudere: regnum enim cælorum aperiendum vel claudendum, actum aperiendi vel claudendi secũ fert: constat autem, quòd aperire & claudere regnum celorum, actus sunt longè superiores omnibus actibus iudicialibus, tam clauiũ iurisdictionis, quã clauium ordinis. Importunè denique instantibus nouas nunc inferri ecclesiæ claues: hactenus enim non sunt nisi duæ claues ordinis & claues iurisdictiõis. Vnde nũc tertiæ claues Christi ecclesiæ. Respondetur, me non inuenisse, aut finxisse nouas claues re, aut nomine: sed si æqua lance librare fas est, hæc cum obiectis, inuenientur obijcientes seipsos arguere. nam neque claues ordinis, neque claues iurisdictionis tradidit sacra Scriptura, sed doctores explicarunt: claues autem regni cælorũ Christus Dominus ore proprio consecrauit. Ego de clauibus regni cælorum loquor, non nouitates introduco: ex ipsis Domini verbis iuxta sensum literalem perspicacius intellectũ manifesto quæ dico. Oportet autem arguentes considerare subtilius Doctorum sensum, & vel ex hoc ipso, quòd doctores distinguũt regni cælorum claues in claues ordinis & claues iurisdictionis, intelligere superiores esse claues regni cælorum vtrisque, & vtrasque significare partes clauiũ regni cælorum, ac per hoc claues regni cælorũ significare totum maius & superius suis partibus, quum simpliciter, & absolutè dicuntur, vt Petro promissæ sunt: quoniã verò ad partes applicãtur, significare tam claues ordinis, quàm claues iurisdictionis: vtræque enim claues regni cælorum appellantur. Vnde acuti lectoris officium erit discernere quando doctores de clauibus regni cælorum absolutè, & quando de clauibus regni cælorum applicatis ad ordinem vel iurisdictionem loquuntur.

¶ Ad tertium dicitur, quòd ipsa Domini verba testantur quòd de apostolatus autoritate sermo est, quum dicitur, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: mittere enim & mitti ad apostolatũ spectat: iuxta illud Io. 13. Non est seruus maior Domino suo, neque apostolus maior est eo, qui misit illum: & propterea hinc non habetur nisi paritas apostolatus. Et similiter per alios textus, quibus missi sunt pariter ad docendum & prædicandum, &c. non habetur nisi paritas quo ad huiusmodi commissiones: Petro autem supra hæc omnia promissum est, & quòd foret ecclesiæ fundamentum, & quòd sibi darentur claues regni cælorum.

¶ His autem quæ ex gestis Apostolorum adducuntur, facillimè satisfit. Docent siquidem concorditer Theologi in primo sentent. non oportere missum minorem esse mittente, neque etiam esse ab illo: nam Filius missus est à Spiritu sancto, quo non est minor: & à quo non est. Ad literam tamen dicitur, quòd Petrus erat tantæ humilitatis, vt inter Apostolos se gereret, vt vnus ex illis: & non volebat vti potestate quam habebat: & propterea tanquam vnus ex apostolis ab eisdem cum Ioanne missus est. Patet aũt manifestè huiusmodi Petri humilitas Act. 11. quum aduersus illum disceptabant alij fideles ex circuncisione: quod & Grego. & habetur. 2. q. 7. ca. Petrus. notauit dicens, Petrus potestatem regni acceperat & tamen idem Apostolorum primus querimoniæ cõtra eum à fidelibus factæ, cur ad gentes intrasset, non ex potestate officij qua posset dicere, Oues pastorem suum non accusent, nec reprehendant, sed ex autoritate diuinæ virtutis, qua Gentiles acceperant Spiritũ sanctum respondit.

Et per hæc posset similiter dici in synodo de obseruatione legalium, Petrum se habuisse vt vnum Apostolum. Veruntamen si res gesta rectè notetur, non fuit Petrus consultatus, nec soli Apostoli: sed Apostoli & presbyteri in Hierusalem, & propterea conclusio nec a Petro, nec a Iacobo facta est, sed ab Apostolis & Senioribus cum omni ecclesia scribentibus tamen nomine Apostolorum & Seniorum. Vnde falsum est, quòd Iacobus sententiam protulerit: quoniam sententia conclusio est, quam constat ab omnibus factam: sed dum Iacobus dixit, Ego iudico, perinde est acsi dixisset, Hoc est iudicium meum. Vnde non introducitur Iacobus iudicans, sed respondens: sic enim legimus. Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus: imò Petrus Pastoris personam in principio gessisse videtur, quoniam ipse primus surgens allegans diuinam gratiam reprehendit eos, qui libertatem à legalibus vertebant in dubium. Legimus enim sic. Quum autem conquisitio fieret, surgens Petrus dixit, &c. vbi monstratur Petri autoritas. Quòd dexteras demum societatis Petrus cum alijs dederit: hoc fecit quòd quotidie Pontifex facit, omnes episcopos non solùm, vt socios, sed vt fratres habens.

¶ Ad autoritates denique Doctorum sanctorum, sonantes æqualitatem Petri & aliorum Apostolorum, dicitur verificari de paritate eorum secundum apostolatum: fuerunt enim æquales omnes in autoritate apostolica. Et si instetur, sub potestate apostolica cõprehẽdi posse omnia, quæ Petrus poterat: in promptu respõsio est satisfactiua, quòd dato quòd vera esset huiusmodi comprehensio: ex ea tamen non sequeretur omnimoda æqualitas ad Petrũ: essent enim eorum potestas æquales quo ad res, quas facere possent: sed non essent æquales extensiuè, neque quo ad modum. Apostoli siquidem potestatem a Christo acceperunt, vt Apostoli, hoc est, vt legati: Petro autem, suprà apostolatum promissa est, (vt infra manifestabitur.) potestas vt ordinario pastori ecclesiæ. Et hinc patet tam superior gradus atque vnitas potestatis Petri quàm maior extẽsio: quoniam extendebat se ad ipsos etiam Apostolos vtpote Christi oues. Nec paruifacias differentiam pœnes modum habendi: magni siquidem lapsus periculum est si confundantur. Aliud quippe est habere claues vt Apostolos, & aliud habere claues vt caput & Pastorem etiam ipsorum Apostolorum: illud nõ derogat Petri singulari excellentiæ: hoc autem ipsum Petrũ super omnes statuit, omnibúsque præficit Apostolis ac toti ecclesiæ. Ad horum differentiam modorum spectat, quòd Dominus soli Petro claues promittit, alijs autẽ non dat claues, sed ea quæ sunt clauium, legat aut tribuit: siue Matth. 18. siue Ioã. 20. siue Matth. & Mar. vlti. siue Luc. 22. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum. Et vt allatæ primùm autoritates manifestentur, patet Cypria. ita pares fateri Apostolos, vt tamen super vnum Petrum ædificari dicat ecclesiam (ex verbis Domini, Super hanc Petram) & autoritate sua Dominum disposuisse dicat vnitatem ecclesiasticam ab vno Petro originem habere. Hiero. quoque verba Christi apud Matth. Tu es Petrus, &c. soli Petro reliquẽs, ad alium se transfert locum, vbi similia Apostolis data narrantur, tria numerans. Primò fundari ecclesiam super Apostolos omnes: hoc enim fieri promulgatũ est ad Ephe. 2. Superædificati super fundamentum Apostolorũ: secundum verò quòd scilicet cuncti Apostoli claues regni cælorum accipiant, Matth. 18. Quæcunque alligaueritis: & Io. 20. Quorũ remiseritis, habetur. tertium autẽ & ex æquo super eos ecclesiæ fortitudo solidetur, ex relatis textibus: scilicet Matt. & Mar. vlt. & Luc. 22. & Io. 20. aut etiã ex alijs similibus textibus sumptũ est: vnde patet ex iam dictis æqualitatem Apostolorum quatenus Apostoli sunt, & in fundãdo ecclesiam & in clauibus iurisdictionis & ordinis & in robore doctrinæ, miraculorũ & vitæ, ecclesiæ fortitudinem solidantium (quam Hier. affirmat) nihil officere Petri singulari autoritati, qua solus cunctæ præponitur ecclesiæ. Vnde & Hier. ibi subiũgit statim, Propterea tamen vnus inter. 12. eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio. Vbi manifestè vides ita ex æquo apostolatus pares dixisse Apostolos, vt tamen Petrus electus & cõstitutus a Christo sit caput omnium: hoc siquidem est quod tuemur. Hoc ad differentiam modi habendi spectat, quoniam hinc habes omnes hæc habuisse vt Apostolos, præter hunc autem modum, Petrũ singulariter habuisse vt caput omnium. Ex duabus autem his autoritatibus declaratis facilè esse putamus reliquas rectè interpretandas iuxta sensum prædictarum. Manifestatur autem hunc esse verum sensum doctrinæ sanctorum tripliciter. Primò, ex eo quod pares dicunt Apostolos: non solùm potestate, sed honore: quod nisi ad Apostolatum referatur, constat esse falsum: quum Petrus primatum honoris manifestè habuerit secundum omnes: Secundò ex textibus euangelicis, quos Sancti afferunt ad probandam huiusmodi æqualitatem: afferunt enim istos quos nunc discussimus: ex quibus constat non plus haberi, quàm æqualitatem secundum Apostolatum: Tertio ex ratione, qua vtuntur: quia scilicet Petrus in persona ecclesiæ vnus accepit claues, &c. vt vnitas ecclesiæ hinc probaretur. Vbi propter schismaticos siste pedem: & scito dupliciter posse intelligi vnitatem ecclesiæ per Petri vnitatem commendatam, primò, vt significata sit ecclesiæ vnitas in Christo capite vno, vnitatéque articulorum fidei, sacramẽtorum ecclesiæ & spei ac charitatis. secundò, vt significata sit

Universidad de Deusto Biblioteca

ecclesiæ vnitas simpliciter & absolutè vnitæ in capite vno Christi in terris vicario, Petro, scilicet. Primum sensum eligūt schismatici ex Sanctorum vera ac sancta doctrina, sæpe vnitatem ecclesiæ per ea quæ in primo numerantur sensu, explicante: verè quidem, sed nō totaliter, nisi sub vnitate capitis: scilicet Christi intelligatur ipse Christus in se & in suo in terris vicario, ipse Christus vt caput Petrus autē vt vicæcaput. Quod ꝓpterea quādoq; tacitum est: quia acceptato capite, intelligi cōsuetum est acceptari ipsum in se & in suo vicario, dū absens fuerit. ¶ Secundus autem sensus, (in quo clauditur primus adiuncta vnitate capitis in terra,) catholicis omnibus communis est, comprobatúrque quadrupliciter. Primò: quia ad designandam vnitatem ecclesiæ in suo capite cælesti Iesu Christo, non congruit vnitas Petri, sed et sufficiebat & decentissime congruebat vnitas ipsius Christi: quàm Dominus hîc non tacuit, sed expressit dicens, Ego dico tibi: & rursus Aedifi. ecclesiam: & iterū, Dabo claues. Diuinam autem sapientiam, (quæ est Christus,) disponētem omnia suauiter, conuenientissimè per vnitatē Petri, vnitatem ecclesiæ in capite terrestri loco Christi significare nullam habet difficultatem. Secundò, ex eo quòd historiæ fides periclitaretur: nam quasi similis esset Petrus in his paruulo, quem Matth. 24. aduocans ad se Dominus statuit in medio discipulorum dicens, Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus, &c. sicut enim paruulus ille assumptus est ad exemplū seu similitudinem humilitatis, ita Petrus nominatus esset ad exemplum seu similitudinem vnitatis: ac per hoc sicut ad fidem historiæ curæ non est, quis fuerit paruulus ille: ita nihil aut parū curandum ecclesiæ esset, an fuerit. Simon Petrus, cui dictum est, Tibi dabo claues regni cælorum, &c. quod tamen Doctorum omnium & totius ecclesiæ aures offendit. Sanctorum propterea sensus est, quòd secūdùm historiæ fidem res ita gesta est, quòd vni Simoni Petro claues sunt promissæ, vt res rem significaret, vt vnus Petrus primò accepturus claues vnitatē significaret ecclesiæ. Tertiò, ex eo quòd oportet saluare non solùm significationem sed etiam deriuationem: hoc est non solùm vt vnitas ecclesiæ significetur per vnitatem Petri, sed etiam vt vnitas ecclesiæ proficiscatur ab vnitate Petri: vt Cypr. in autoritate allata dicit, Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: super vnum ædificat ecclesiam. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat: dicens, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originē ab vno incipientem autoritate sua disposuit. Vbi manifestè vides ex hoc, quòd Dominus autoritate sua disposuit originem vnitatis ecclesiæ ab vno incipientem: non solam significationem vnitatis ab vno, sed deriuationem vnitatis ab vno assertam. Nam ad significandam autoritatem non erat opus: sed ad hoc quòd initium habeat ecclesię vnitas ab vno Petro, autoritate Christi opus fuit: poterat enim si voluisset instituere vnitatem ecclesiæ à multitudine apostolorum proficisci. Quartò, quia vnitas ecclesiæ catholicæ non solùm opponitur heresi, sed schismati. Si verò vnitas ecclesiæ attenderetur solùm penes vnitatem cælestis capitis, illiúsq; sacramentorum, ac rei separatæ, creditæ & amatæ, vnitas ecclesiæ, non opponeretur schismati; nam cum huiusmodi vnitate stat schisma: vt patet ex eo, quòd schismatici habentur qui ab vnitate apostolicæ sedis separati sunt. Ex hoc igitur, quòd vnitas ecclesiæ per Petrum vnum significatur, non excluditur, imò magis ex modo quo per Petrum significatur, includitur, quòd Petrus vnus claues accepit, vt ecclesiæ vnitatem non solùm significaret, sed etiam inchoaret ac conseruaret. Et si perspectum acutius fuerit hoc, quòd est ecclesiæ vnitatem accipere claues, verius perfectiúsque & fit, & significatur accipiendo claues in suo vno capite Petro, quàm si non in Petro, sed absolutè ecclesia illas acciperet: quoniam vnitas capitis claues accipiens, vnitatem ecclesiæ non solùm significat, sed construit, sicut & conseruat: quibus omnibus careret ecclesia si de vno non fuisset illi capite prouisum à Christo Domino. Et hinc habes, vnde innumeras Sanctorum autoritates rectè intelligere queas.

CAPVT VI.

Solùm Petrum accepisse claues, consonat ei, quòd est ecclesiam accepisse claues.

OCCVRRIT Post præmissa satisfaciendū his qui quærūt qm̄ pacto stant hæc duo simul, Solus Petrus accepit claues, & Ecclesia accepit claues. Apparet enim quòd si solus Petrus, ergo non ecclesia: & si ecclesia, ergo non solus Petrus. Augetúrq; quæstio ex Augu. verbis super Ioan. recitatis. 24. quæstio. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: si hoc Petro tantùm dictum est, non hoc facit ecclesia: si autem & in ecclesia fit, Petrus, quando claues accepit, ecclesiam sanctam significauit.

HVIC Enim quæstioni satisfieri, facilè potest ab exercitatis in sacris literis: ac scientibus has duas veritates sic connexas, quòd secunda non solùm consentit primæ, sed præsupponit & dependet à prima, secundùm Sanctorum doctrinam. Considerandum siquidem est ecclesiam catholicam dupliciter referri ad Petrum, scilicet vt significatam & vt inchoatā: Petrus enim & significauit ecclesiam vniuersalem, & inchoauit eandem, quemadmodum caput principium est corporis. Inter has autem duas relationes duplex ad propositum est differentia. prima est, quòd significatio pertinet ad sensum mysticum, quo Petrus significat ecclesiam: inchoatio autem pertinet ad sensum literalē, quo institutus est Petrus pastor totius ecclesiæ. Secunda est, quòd penes significationem non attenditur dependentia rei a re, sed dependentia significationis a significante: penes inchoationem autem attenditur dependentia rei à re, hoc est corporis à capite. Vnde ecclesia dupliciter accepit claues in Petro: nam & accepit eas vt significata in Petro, & accepit eas, vt inchoata in Petro: & secundùm vtrunque accipiendi modum oportet præsupponere hanc priorem veritatem ad literam, solus Petrus accepit claues. Ad significationem siquidem spectando, quum significatio ista non sit per modum parabolæ, sed per modum rei gestæ, (quia non Petrus parabolicus, seu parabolicè accipiens claues: sed Petrus secundum rem gestam significat vniuersam ecclesiam.) oportet fateri vnum solum Petrum secundùm historiam accepisse claues: vt ex re gesta significetur vnā solam ecclesiam catholicam habere claues: iuxta illud Ambr. Certum est quòd ecclesiæ vtrunque ius, scilicet soluendi & ligandi licet, hæresis vtrunque non habet. Si enim solus Petrus secundùm historiam non accepisset claues, nequaquam per modum rei gestæ figuram gereret vnius ac solius ecclesiæ vniuersalis. Dependet ergo catholicæ ecclesiæ significatio figurata in Petro ex veritate rei gestæ, quòd solus Petrus acceperit claues: & non contrariatur illi. Si ad inchoationem quoque spectetur, nulla est opus declaratione, quoniam manifestum valde est corpus dependere à capite & quod conuenit capiti conuenire quoque corpori in suo capite: & ideo solùm Petrum accepisse claues, est solam ecclesiam, Cuius Petrus est caput accepisse claues in suo capite. Quocirca solùm Petrum accepisse claues, non excludit, sed infert vniuersalem ecclesiam illas accepisse, vt significatam & inchoatam in Petro. Esse autem hanc sanctorū doctrinam, perspicere potes ex Cypria. verbis in præcedenti capitulo declaratis: vbi vtrunque modum, scilicet significationis per modum rei gestæ, & originis ecclesia à Petro docuit: dum dixit, Super vnum ædificat ecclesiam. & subdit, Et vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem autoritate sua disposuit. Et rursus exordium ab vnitate proficiscitur, vt ecclesia Christi vna monstretur: vt prædeclaratum est. Augustini autem verba inducta eundem confirmare sensum patet ex duobus, primò ex eo quòd aduerbio tantùm vtitur ad excludendam extensionem Petri ad ecclesiam: dixit enim, Si Petro tantùm, perinde ac si dixisset, Si Petro secundum seipsum tantū, & non secundum quòd se extendit ad ecclesiā significandam vel figuratè vel connotatiuè, vt caput significat corpus, cuius est caput. Vnde nō intulit Aug. ex secūda veritate, scilicet ecclesia habet claues, negationē primæ, scilicet solus Petrus accepit claues, sed expositionē ipsius, scilicet quòd Petrus accipiens claues significauit ecclesiam: perinde ac si dixisset, quòd non accepit secundum seipsum tantùm, sed vt extenditur ad ecclesiam vniuersam significando illam; hic enim planus est sensus verborum Augu.

Secund

Secundò, ex eo quod subiungit, Si ergo in persona Petri significati sunt in ecclesia boni, & in Iudæ persona significati sunt mali in ecclesia. Hinc enim patet quòd de significatione per modum rei gestæ loquitur: nam Iudam inter Apostolos significare per modum rei gestæ malos in ecclesia, dubium non est. Intendit ergo August. Petrum secundum rem gestam accipientem claues, inferre ecclesiam quoque per illum significatam accipere claues. Modus autem quo ecclesia per Petrum vsque ad consummationem seculi accepit claues, est suauissimè dispositus à diuina sapientia: nam vt vniuersalis ecclesia sicut distribuitur in caput & membra, ita distribuitur in suaui acceptione clauium, vt in capite quidem accipiat per successionem, in membris autem per participationem. In capite nanque habet claues regni cælorum secundum actus clauibus adæquatos: in membris autem hoc est partialibus ecclesijs, claues habet secundum actus ordinis & partialis iurisdictionis.

VNDE Patet oppositum esse eius quod apparebat proponendo quæstionem: quum enim dicimus, Solus Petrus accepit claues regni cælorum, socij compares excluduntur: non illius corpus ecclesia non illius successor excluditur: imò tam ecclesia quàm successor in solo Petro includitur: quia ex hoc quòd solus Petrus accepit claues regni cælorum, infertur easdem accepisse ecclesiam inchoatam, ac significatam in suo capite: ac propterea eandem semper claues habere in capite quidem per successionem, in membris autem per participationem: vt sic verè vnam sit corpus tota ecclesia sub vno capite. Nec fallaris antiqua schismaticorum inuectione in catholicos, tanquam monstra fingentes, dum ecclesiæ caput Petrum dicimus: quandoquidem Christus est caput corporis ecclesiæ (vt dicitur ad Colo. I.) & si Petrus quoque caput ecclesiæ ponitur, duo capita vni corpori non sine monstro iunguntur. Frigida sunt hæc quoniam Petrus alia ratione caput ecclesiæ dicitur, ab ea ratione, qua Christus est caput ecclesiæ: Christus enim est caput ratione suipsius, Petrus autē ratione Christi, Vnde Christus est simpliciter & absolutè caput: Petrus autē ideo caput, quia est vicecaput: est enim loco Christi in cœlis residētis, caput in terris. Vnde totius ecclesiastici corporis vnū tātū ponitur caput simpliciter & absolutè, id est Christus, loco cuius in terris Petrus non aliud caput, sed vicæcaput constitutus est. Vnde nulla interuenit monstruositas in ecclesiastico corpore, nisi apud nolentes intelligere ecclesiastica nomina in sensu, in quo dicuntur omnibus ferè manifesto. Libet autem intueri hoc in loco omnibus huiusmodi obuiationibus commune esse vnum errandi iter: inter omnes siquidem discussas positiones prima ex affirmata iustitiæ qualitate, negauit substantiæ personam: secunda ex affirmata ecclesia significata, negauit personam Petri significantem. tertia ex affirmata Petri principalitate negauit eius singularitatem. quarta ex affirmato communi paríque Apostolatu negauit vnitatem pastoralis officij in Petro. quinta ex affirmatis ecclesiæ clauibus, negauit solum Petrum accepisse claues sexta ex affirmato vnico ecclesiæ capite Christo, negauit Petrum esse caput loco Christi. Et simile inuenies inferius, quum ex affirmata charitate Petri Pastoris, negabitur persona Pastoris sine charitate, & ex affirmato pascendi opere, negabitur Pastoris autoritas. Aperiantur itaque lectorum oculi, & laqueos deprehendant.

CAPVT VII.

Promissum esse Petro totius ecclesiæ Pontificatum in antedictis promissionibus.

QVATVOR Promissa esse, Petro à Domino Matthæus Euangelista in supra allatis refert verbis: quorum duo vltima, Quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris, communicata quoque à Domino alijs Apostolis idem testatur: prima verò duo, Super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorū, propria Petro perseuerarunt. In quibus promitti Petro totius ecclesiæ Pontificatum declarandum est postquàm ambæ promissiones amplius dilucidatæ fuerint.

QVOCIRCA In prima promissione notanda sunt sex: significantius enim vide primò, ecclesiam meam, non, ecclesias meas: secundò, ecclesiam meam, non aliquam ecclesiam meam: tertiò, ecclesiam meam non omnem ecclesiam meam: quartò, ecclesiam meam, non indefinitè: quintò, ecclesiam meam, singulariter seu vnicam: sextò, ecclesiam meam, sine additione aliqua. Attende sigillatim, non dixit ecclesias meas, sed ecclesiam meam, vt vna ecclesia significaretur: quæ quamuis multas comprehendat partiales ecclesias, non propterea scinditur, diuiditur aut multiplicatur ecclesia: sed vnitate numerali retenta multas habet partes, sicut vnum corpus multa habet membra: iuxta verbum Apostoli ad Col. 1. ipse est caput corporis ecclesiæ. & Cant. 6. Vna est columba mea. Dixit non aliquam ecclesiam meam, sed ecclesiam meam: vt nō de parte ecclesiæ, non de particulari aliqua ecclesia, sed de integra seu tota ecclesia intelligeres. neque enim decebat diuinam sapientiam aliquam ecclesiam ædificare super vnum Petrum & aliquam non: Dei siquidem perfecta sunt opera. Non dixit, omnem ecclesiam meam: tùm quia multitudinem ecclesiarum supponeret distributiuum signum, contra Domini sententiam Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor. Tum quia singulare distribui vniuersaliter, implicat contradictoria, nisi vniuersalitas referatur ad partes integrantes ipsum, quod est extra propositum. & inferius nihilominus declarabitur, quomodo partes ecclesiæ ædificatæ sunt super hanc Petram. Dixit, ecclesiam meam: non indefinitè, vagum relinquendo intellectum ad quærendum quæ esset ecclesia Christi ædificanda super hanc Petram: sicut dubium reliquit intellectum, quum in cœna dixit, Vnus vestrum me traditurus est: certificati enim sumus per hæc verba, quòd vnica tota Christi ecclesia ædificata est super hanc petrā, & non sumus suspensi relicti. Dixit ergo, ecclesiam meam: vt singularem vnicam solámque suam ecclesiam integram (de qua in symbolo dicitur, quòd est vna ecclesia catholica) intelligeres. Vnde per solùm pronomen, meam, determinauit illam: vt perciperemus, quòd de illa vna ecclesia loquitur, quæ est Christi ecclesia, sine additione aliqua (quælibet nanque partialis ecclesia vocatur Christi ecclesia cum aliqua additione) puta Romana, Antiochena, Constantinopolitana, &c. Et hoc non solùm secundum modernum vsum, sed secundum sacras Scripturas: vt patet in principio vtriusque Epistolæ ad Corin. vbi dicitur Ecclesiæ quæ est Corinthi: & in principio ad Gala. Ecclesijs Galatiæ: & ad Thessal. Ecclesiæ Thessalonicensium, &c. Habes igitur quid intelligere debeas per ecclesiam meam: idem scilicet quod intelligis per vnam ecclesiam catholicam. Non desunt tamen sophisticæ importunitates, ex eo quòd quælibet particularis ecclesia verè est Christi ecclesia arguentes. De illa ecclesia Christus loquitur, de qua verificatur quòd est ecclesia mea, id est Christi: sed de qualibet particulari ecclesia verificatur, quòd est ecclesia mea: ergo de qualibet particulari ecclesia Christus loquitur, quum dixit, Super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Potest siquidem facilè detegi fallacia argumenti, ad rem spectando, & discendo, quòd quælibet particularis ecclesia est quidem ecclesia Christi, sed non tota, nec sine additione aliqua, sed talis, puta Mediolanen. nec ita est ecclesia quin sit pars ecclesiæ: Christus autem loquitur de ecclesia integra, quæ nō est ecclesia talis, nec ecclesia aliqua sed est absolutè ipsius ecclesia. Nihilominus dicendum est, quòd eo modo quo quælibet ecclesia est ecclesia mea, id est Christi, illo eodem modo verificatur de ea quòd est ædificata super hanc Petram. Quòd vt plenius intelligas, perspice differentiā in modo, quo ecclesia catholica est Christi, & quo quælibet particularis ecclesia est Christi: conueniunt siquidem omnes partiales ecclesiæ cum ecclesia catholica in hoc, quòd sunt Christi (nam quælibet partialis est Christi ecclesia & ecclesia catholica est Christi ecclesia) sed differunt in modo: quia ecclesia catholica est Christi vt totum, quælibet autem ecclesia est Christi vt pars. & propterea ecclesia catholica est ædificata vt totum super hanc Petram: quælibet autem ecclesia particularis est ædificata super hanc petram vt pars. Illo igitur modo, quo verificatur de ecclesia particulari, quòd est ecclesia mea, eodemmet modo verificatur de illa, quòd est ædificata super hanc petram, & propterea quia est ecclesia mea

Dixit Christus Petro Aedificabo ecclesiā meā, non ecclesias meas, non aliquā, non omnem, non ecclesiam, non ecclesias, non aliquid addendo, sed, ecclesiā meam.

Obiectio.

Solutio.

Universidad de Deusto Biblioteca

vt pars, est quoque ædificata, vt pars super hanc Petram ecclesia verò catholic:, quia est ecclesia mea vt tota, est quoque ædificata vt tota super hanc petram. Et quia totũ comprehendit quamlibet partem, & ad partes se habet vt perfectũ ad perfecta, & vnitas & integritas ecclesiæ pari passu currunt: ideo verbum Christi ad literam intelligitur de ecclesia vna catholica, ratione cuius intelligitur quælibet particularis ecclesia, vt pars vnius ecclesiæ catholicæ ædificata sup Petrũ sicut rõne vnius ecclesiæ catholicæ quęlibet partialis ecclesia vocari põt à Christo ecclesia mea, tanquam pars ecclesiæ catholicæ, nec aliter verificaretur: quoniam si ab vnitate ecclesiæ diuisa esset, nõ esset ecclesia Christi. Nec putes aduersari hæc sacris canonibus, aut Sanctorum dictis; quæ sonare videtur ecclesiam Ro. ædificatam esse à Christo super hanc petrã. Appellatione si quidem Ro. ecclesiæ, (vt multi putãt) ex verbis concilij Constantien. in condemnatione articulorum Ioannis Vvicler, intelligitur quandoque ecclesia catholica: & secundũ hunc sensum nulla esset in proposito quæstio nisi de nomine. Sed quoniam sensus hic non consonat intentioni scribentium de Ro. ecclesia, intelligentiũ ipsius nomine quandam particularem ecclesiam, distinctam cõtra alias particulares ecclesias: ideo aliter dicendũ est Ro. ecclesiam ædificatam esse à Christo super hanc Petrã verificari, non per proprietatem, sed per appropriationem. Quod ex conuenientia & differentia inter ecclesiam Ro. & alias manifestatur: commune siquidẽ est cuilibet particulari ecclesiæ esse partem. Et hinc fit quòd non per proprietatem verificatur de quacunque particulari ecclesia, sed tantummodo de ecclesia catholica, quòd est ædificata super hanc petram: de ipsa enim sola ad literam loquitur Christus, dicens, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: in qua tamẽ omnes partiales Christi ecclesiæ clauduntur, vt partes in toto. Differt autem Ro. ecclesia ab alijs partialibus ecclesijs propinquitate ad caput ecclesiæ catholicæ: nam ecclesia Ro. in suo proprio capite non solùm proxima, sed eadẽ facta est cũ capite ecclesiæ catholicæ: ex facto enim Petri vnus atq; idẽ factus est pontifex Ro. & pontifex ecclesiæ catholicæ: secundũ seipsam verò immediatè hæret Pontifici ecclesiæ catholicæ. Alia autem quæcunque partialis ecclesia nec secundum seipsam immediatè iungitur Pastori ecclesiæ catholicæ, nec secũdũ suũ caput coincidit cũ capite ecclesiæ catholicæ, Ob hanc igitur proximitatẽ & coniunctionẽ ecclesiæ Ro. ad Pastorẽ ecclesiæ catholicæ, appropriantur verba Christi ad Ro. ecclesiam potius, quàm ad alias: nõ quòd illi sint propria, sed ecclesiæ catholicæ: vt dictum est. Promisit igitur Dominus Petro prima promissione, super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, futurum ipsum fundamẽtum ecclesiæ catholicæ.

Claues regni cælorũ Petro promissæ plena fuit ecclesiæ potestas in quatuor genera diuisa: in eam quæ est iurisdictionis, Gubernatiuã, & eam quæ ad purgatorium extenditur.

PER SECVNDAM Autem promissionẽ, (Tibi dabo claues regni cælorum,) plenitudinẽ potestatis ecclesiasticæ eidem promisit: quòd tripliciter manifestatur. Primò, ex ipsa re significata per claues regni cælorum: potestate scilicet aperiendi & claudendi cælorum regnum, non his vel illis, sed absolutè: vt comprehendantur omnes viatores, quibus claudi vel aperiri regnum cælorum potest. Huiusmodi siquidem potestas quadruplex potestatis genus sub se comprehendit: hoc est iudiciariam tàm in foro pœnitentiæ, quàm in foro ecclesiæ: quoniam omnis ecclesiasticus iudex vtriusque fori, soluendo, vel ligando aperit, vel claudit regnum cælorum illi, qui soluitur vel ligatur. Potestatem quoque gubernatiuam ecclesiæ catholicæ, nam prouidendo, gubernando, instituendo, disponendo, &c. eiusmodi faciendo, nihil aliud fit quàm aperitur vel clauditur regnum cælorum. Potestatem etiam ad purgatorium extensam comprehendit: vbi nota quòd licet Christus non dederit Petro iudiciariam potestatem super purgatorium; dedit tamen illi claues regni cælorum, aperiendi etiam vel claudendi his, qui sunt in purgatorio. Et propterea de potestate iudiciaria loquens apposuit locum: scilicet super terram dicens, Quodcunq; solueris super terram, & quodcunque ligaueris super terrã: eximens per hoc eos, qui super terram amplius non sunt, à iudiciali potestate Petri Loquens autem de clauibus regni cælorum: nullum exemit viatorem, cui per ecclesiam potest aperiri vel claudi regnum cælorum: sed absolutè & illimitatè dixit, Tibi dabo claues regni cælorum: vt posset Petrus cuicunque viatori regnum cælorum aperire positiuè, claudere verò saltem negatiuè. Hæc autem dicentes, nequaquam August. sacrósque canones potestatem Petri ad excommunicandum etiam defunctos tuites oppugnamus: imò hinc quod diximus, confirmamus. Nam ecclesiastica censura in defunctos quatenus soluit aut ligat, ad id respicit, quod super terram est, hoc est viuos, qui ligantur ne communicent, aut soluuntur vt communicet defuncto; quatenus verò aperit aut claudit regnum cælorum, ad defunctorum animas respicit, quibus verè hinc aperitur, aut clauditur regnum cælorum. Terminatur ergo iudiciaria potestas super terram, claues autem regni cælorũ ad oẽs viatores se extendunt. Potestatẽ demũ imperatiuam vniuersis ad ecclesiã quomodolibet spectãtibus in ordine tamen ad regnum cælorum: exigit siquidem recta ratio, vt potestas, quæ supremum sortita est finem, reliquis omnibus imperet in ordine ad supremum finem: vt facilè manifestatur inducendo tam in artibus, quàm in rectoribus ducibus & principibus. Quilibet nempe artifex, rector, dux, princeps, Superiorem sortitus finem, ordinat, alios artifices rectores, duces, principes ad suum finem, ac per hoc illis quatenus ad suum diriguntur finem, præcipit. Cõstat autem regnum cælorum supremum esse finem, potestátique clauium Petro promissarum respondere: reliqua verò omnia temporalia ad hunc finem quandoq; oportere disponi. Sub hac igitur Petri potestate comprehenditur posse imperare regnis & principibus omnibus in ordine ad regnum cælorum: nec enim huiusmodi imperium aliud est quàm aperire & claudere regnum cælorum, vt de se patet. Ex re igitur promissa per claues regni cælorum, patet primò quòd plenitudo potestatis ecclesiasticæ Petro promissa est, à Christo, dicente, Tibi dabo claues regni cælorum. Declaratur deinde idem ex modo loquendi sacræ Scripturæ. Isa. quidem 22. de Eliachim summi Sacerdotis plena potestate; dicitur, Et dabo clauẽ domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat. In nouo quoque Testamento Apoc. 3. de Christi potestate dicitur, Qui habet clauem Dauid, aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Nec obstat si obijciatur, in textu Euangelij non haberi, quòd si Petrus aperiat, nemo claudit, & si claudat, nemo aperit: quia etsi non habeatur hæc verba, habetur tamen idem sensus. Ex eo siquidem quòd de minoribus actibus clauium in Euangelio habetur: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis: manifestè habetur, quòd ita Petrus ligat, quòd nemo soluit, & ita soluit, quòd nemo ligat: quod enim in terra ligatum, in cælo quoque ligatum est, constat ita esse ligatum, quòd nemo soluit: & similiter quod in terra solutum: in cælis quoque solutum est, constat ita esse solutum, quòd nemo ligat. Ex hoc autem sufficienter habetur, ꝙ ita Petrus aperit regnum cælorũ, ꝙ nemo claudit, & ita claudit, ꝙ nemo aperit: æquum est enim, vt non minus, sed potiori modo possint claues Petri adæquatos sibi actus, ꝙ actus minores exercere. Et aduerte, quòd verba illa Isa. 22. dicta sunt de Eliachim in persona Christi: vt glossa ibi dicit, cuius signum Ioan. Euangelista eadem repetit de Christo, tanquam monstrans illum esse in Eliachim significatum; & ipsemet Isaiæ. 10. capite, de Christo scripserat, & factus est principatus super humerum eius: vt ostenditur clauis super humerum eius, principatus super humerum eius: ac per hoc vndique percipiamus per claues regni cælorum plenitudinem potestatis significatam. Accedit autem ad hoc testimonium à consuetudine: in signum enim summæ potestatis claues regni regi offeruntur. Quocirca iungendo ambas promissiones, quum ex prima Petrus futurus sit fundamentum ecclesiæ catholicæ (vbi in Petro officium sustinendi ecclesiam catholicam in fidei soliditate statuitur, & pariter ecclesiæ catholicæ autoritas inhærendi Petro vt fundamento imponitur: ædificationis enim ratio exposcit, vt ædificium necessitatem habeat inhærendi Petræ, super quam fundatum est) ex altera verò Petro ecclesiæ potestatis plenitudo pollicita sit, manifestè liquet promissum huiusmodi verbis Petro ecclesiæ catholicæ Pontificatum esse: hæc enim duo præcipua esse in totius Christianæ ecclesiæ Pontifice constat. Ex Matthæi Euangelistæ igitur verbis, Tu es Petrus, &c. collatis cum alijs Euangelijs, ac discusis, manifestatum credimus soli Petro Pontificatum ecclesiæ catholicæ esse promissum à Christo.

Pers

CAPVT VIII.

Persona Petri, quamuis charitate qualificatæ, dictum esse Pasce oues meas.

EXPEDITO Tractatu de promissionibus soli Petro factis à Domino apud Matthæum, explicãda occurrit commisso quam Saluator Petro fecit apud Ioannem, quum toties dixit, Pasce oues meas. Vbi sicut in antecedentis, quatuor dilucidanda occurrunt: hoc est, quòd personæ Petri, quòd soli dicta hæc intelliguntur ita quòd nusquam alias cæteris similia dicta sunt, quòd tota ecclesia pascenda commissa est Petro, & quòd per hæc pontificatus ecclesiæ catholicæ datus est Petro.

¶ Quoniam autem soluere nescit, qui nodũ ignorat, quæ rem dubiam reddere possunt, in horum singulis afferenda sunt. Ex duobus in primis apparet, quòd non personę, sed qualificatæ psonæ dictũ est, Pasce oues meas. Primò, ex cognominatione Petri: dum appellatus est Simon Ioãnis, hoc est obediens gratiæ: neque enim frustra (vt Beda hic dicit) sic eum Dominus appellauit: sed ad hoc mysterium insinuantẽ. Deinde ex trina interrogatione, Diligis me? Vbi manifeste amanti dixit, Pasce oues meas. Ex his enim apparet, quòd non personæ, sed personæ qualificatæ obedientia diuinæ gratiæ & amore ipsius Christi dictum est, Pasce oues meas.

HOC IN loco obseruãdum est ne in extremos declinemus errores, sed media incedamus via: quũ enim de qualificatæ personæ officio agitur, quatuor occurrunt, scilicet persona, qualitas eius, vsus officij, & rectitudo eius. Quæ omnia licet diuersa sunt, hæretici tamen nolẽtes discernere inter potestatis vsum & rectitudinem vsus, totum qualitati tribuũt: malos Christi ministros cognoscere recusantes: quia qualificati Christi charitate non sunt: tanq; potestas & rectus potestatis vsus idem sint, vel saltẽ vtrũque qualitati, hoc est charitati commissum sit: vnde latius aberrantes, cuilibet iusto ecclesiasticam arrogant potestatem. Stulti autem (quorum infinitus est numerus) rectitudinem vsus paruipendentes, si personæ ecclesiasticam tribuunt potestatem, quicquid sit de charitatis qualitate, se esse putant satis. Recta verò ac catholica ratio mediã amplectitur viam, personæ qualificatæ datam & dari debere ecclesiasticam potestatem censens: ea tamen ratione, vt personæ potestas seu potestatis vsus, qualitati verò rectitudo vsus respondeat. Sic enim vterque vitatur error, dũ sapienter qualificatæ personæ committitur, vt rectè vtatur ecclesiastico ministerio: et si cõtingit malos esse ministros, ecclesia ambiguitati, aut fallaciæ periculo non subsit, sed per malos etiam bona suscipiat. Et si sapiens quicunque qualificatæ debet personę committere rectũ vsum officij, hoc maximè decuit Sapientiam incarnatam. & propterea tertiò à Petro exigit qualitatem charitatis, committendo ei actum optimum, ita quòd exacta charitas bonitatem actus respicit & ipsa rectitudo seu bonitas actus charitati tribuitur: vt omnes communiter Doc. sonant. Patet autem actum optimum à Saluatore Petro committi dicẽdo, Pasce oues meas, ex singulis trium dictionũ: pascere enim est conferre nutrimentum, quo oues nutriuntur, augẽtur, multiplicantur, & viuunt. Oues dixit, non hœdos, non boues, nõ lupos, & id generis homines, luxuriosos, superbos, rapaces, inuidos, maledicos, &c. Meas addidit, vt proprio amore subtracto, amor Christi ratio pascendi oues significata explicetur. Ex quibus tribus simul iũctis perspicuũ fit, quod actum optimum cõmittebat Petro dicẽs, Pasce oues meas: & quia (vt dictum est) actus optimus non potest nisi à charitate Christi prodire, ideo personę qualificatæ charitate à Domino commissus est. Ex hoc autem non sequitur (vt hæretici fingunt) quòd qualitati commissum est pastorale officium: sed charitati quidem commissa intelligitur bonitas, seu rectitudo vsus officij pastoralis: ipse autem vsus personæ commissus intelligitur. Vnde & Dominus hoc in loco ter exacta charitate non dixit, Charitas tua pascat oues meas: sed personam ter alloquitur dicens, Pasce tu agnos, seu oues meas. Et sicut apud Matth. persona Petri descripta est nomine proprio, & nomine proprio patris carnalis quo ad corpus, & internè reuelationis gratia quo ad animam, vt ex his singulariter Petro cõuenientibus personam eius intelligeremus: ita quoque hoc in loco non semel, sed ter eodem nomine proprio & patris carnalis persona Petri secundum carnem describitur, Simon Ioannis, seu Ionæ (vt correctiores codices habent) & secũdum animam ex propria humilitatione, qua cor Christi scientiæ submittit, ter repetens Domine scis, quia amo te: & ex propria contristatione, contristatus est Petrus, &c. vt ex his sibi proprijs, Petri personam apertè intelligeremus esse illam, cui Christus dixit, Pasce oues meas: ac proinde non dono charitatis, sed personæ commissum officiũ pastorale perciperemus: ex exacta autem charitate intelligeremus charitati committi rectitudinem vsus officij pastoralis: nemo enim sine charitate potest officio pastorali rectè vti. Et hæc secũdũ literalem Euangelij sensum sunt: ad mysticum verò sensum (vnde efficax non potest argumentum trahi) spectat quòd Simon Ioannis interpretatur, Obediens gratiæ. Vnde patet, quòd Christus non qualitati, sed personæ Petri qualificatæ charitate dixit. Pasce oues meas: ac proinde si decidisset Petrus à charitate, non amisisset pastorale officium, sed rectum vsum illius: quoniam à charitate pendet non officium, sed rectitudo vsus: vt planum est apud quemlibet catholicum Doctorem, & solos habet hæreticos contradictores.

Exclusio obiectionum.

CAPVT IX.

Soli Petro ita, quòd non alijs Apostolis, dictum esse, Pasce oues meas.

QVOD Autem soli Petro dictũ sit à Christo, Pasce oues meas, textus ipse clarè manifestat, tũ ex nomine proprio suo & patris carnalis tertiò repetito, tum ex comparatione apposita ad alios, Diligis me plus his: cõparatiuum enim diuersitatem monstrat ipsius ad alios Apostolos præsentes, quibus comparatur. tũ ex propria Petri passione, qua contristatus describitur ex tertia interrogatione memor negationis Christi prædictæ sibi olim ipso parato mori: ita vt locus dubitationi non relinquatur. Et quoniam hæc fuerunt Petro data post resurrectionẽ Domini, & alijs Apostolis, nec anteà, nec posteà inuenitur simile quid dictum, restat vt omnino soli Petro dictum sit, Pasce oues meas. Nec obstat, ꝙ ecclesia Apostolos omnes vocat pastores dominici gregis in præfatione (quos operis tui vicarios eidẽ cõtulisti præesse pastores) quãdo hoc ad Apostolatum manifestè refertur: & propterea eo modo dicuntur pastores dñici gregis, quo ad Apostolatũ spectat pastoralis cura: vt aũt apostoli nomen testatur, pastorale exercitiũ ad Apostolos spectat, vt ad legatos Christi: & sic hoc est, vt legati Christi dicũtur pastores dñici gregis. Petrus autẽ (vt ex supradictis & dicendis patebit) constitutus est, vt ordinarius pastor etiam ipsorum Apostolorum: & hoc significant Christi verba, Pasce oues meas.

CAPVT X.

Petro soli vniuersam committi ecclesiam, per hæc verba Christi, Pasce oues meas.

VNIVERSAM autem committi ecclesiã Petro per hæc verba, Pasce oues meas, sophisticè in dubium vertitur ex sex.

¶ Primò, Quia nõ dicitur, Pasce oues meas omnes: si enim tota ecclesia comprehensa esset, dici debuisset, omnes oues meas: sicut dictum est: Docete omnes gentes, Matth. vlti.

¶ Secundò, Quia nihil impossibile cõmissum est à Christo, vniuersam autem per orbem ecclesiam pasci ab vno est impossibile. Et si dicatur, quòd vnus per alios posset pascere totum orbem: contra, quia Dominus dixit, Pasce, & non dixit fac pascere oues meas: hoc enim etiam ethnicus posset facere, cõmittere, scilicet alijs, vt pascerent oues Christi.

¶ Tertiò, Quia peccasset Petrus si non omnes solus pauisset, si omnes soli commissæ sunt.

¶ Quartò, Quia Petrus, nullum Apostolũ misit: & quilibet Apostolus ordinauit episcopos absq; Petri autoritate.

¶ Quintò, Quia confitemur Apostolos in diuersas mũdi partes tanquam suas portiones distributos.

¶ Sextò, Quia Petrus circuncisionis tãtum oues sortitus est: vt patet ad Gal. 2. Vbi dicit Paulus, Quum vidissent, ꝙ creditum est mihi Euãgelium præputij, sicut & Petro circuncisionis: qui enim operatus est Petro in apostolatu circũcisionis, operatur est mihi inter Gentes.

QVOD Manifestè aũt exorbitẽt hæc à verò Euãgelij sensu, nõ est difficilè aperire, dicendo siquidẽ, Pasce oues meas: oportet aut oẽs, aut istas, aut nullas, vel vagè oues committi pascendas. Et quidem quòd non has vel illas

determinatè commiserit, verba ipsa testantur: quòd verò nullas, veritati aduersatur, quòd autem vagè reliquerit, & Christi sapientiæ derogat, & veritati pronominis adiuncti cõtrariatur. sapientis enim gubernatoris & potentis diffinitè prouidere, non est vagam relinquere prouisionem suã. Et constat quòd ex hoc ipso, quòd solo pronomine Meas demonstrat oues, non vagè, seu indefinitè loquitur, sed ex hoc ipso, quòd nullas suas eximit, omnes suas comprehendit dicendo Pasce oues meas. Et obserua peruersitatẽ exponendi, quando apud Matth. dicitur, Super hãc Petram ædificabo ecclesiam meam, de omni ecclesia Christi intelligendum putant, ne vnam solam ecclesiam super petram ædificatam fateantur: quando verò apud Ioannem Petro dicitur, Pasce oues meas, indefinitè exponũt, ne oues Christi sub vno pastore comprehendant. Ibi rem singularem, vnam scilicet ecclesiam catholicam, contra omnem rationem distribuunt vniuersaliter, hic res diuersas, multas scilicet oues distribuere vniuersaliter recusant: vt hinc videas falsos esse eorum sensus: falsum enim etiam à seipso dissonat. Et per oppositum: quia verò omnia consonãt, ecclesiasticus sensus sicut habet, quòd ibi ita vnica intelligitur ecclesia catholica, vt comprehendantur omnes Christi particulares ecclesiæ in ea tanquam partes in toto: ita hic oues Christi ita intelliguntur explicatè per pronomẽ meas: vt nulla relinquatur, quæ sub pronomine. Meas cõprehenditur.

Ad primum. ET PROPTEREA Non oportuit apponere omnes: quia quæcunque oues, ad quas extenditur pronomen Meas, comprehenduntur: quum dicitur, Pasce oues meas: sicut Io. 10. omnes comprehensæ sunt Christi oues, quum dixit Dominus, Animam meam pono pro ouibus meis: & rursus, Oues meæ vocem meã audiunt, &c. Vnde ly meas, vniuersalis signi supplere effectum altiori ratione necessario appositum patet: & propterea non esse simile iudicium de hoc tex. & illo, Docete omnes gẽtes: ibi enim tam suas, quàm non suas per electionem gentes docendas mandauit, hic verò, oues suas pascendas commisit sufficienter, per ly meas, comprehendens omnes: vt ratione & testimonio Scripturæ monstratũ est clarissimè constare ex eodem Euangelista. Et hinc confirmatur sensus catholicus: quoniam quod ibi Christus promisit, hic exhibuit: & propterea quia ibi totam ecclesiam promisit, hic omnes oues commisit. Et confirmatur rursus ex verbis domini Io. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnus pastor: si enim ex ouibus omnibus ouile vnum constare debet sub vno pastore, consequens est: vt quum vnus pastor instituitur, & dicitur, Pasce oues meas: illius vnius ouilis cura committatur. Dubitandum enim fortè fuisset si plura haberet Christus ouilia, de quibus suis ouibus loqueretur: quum autem vnum tantum ouile se habere testetur, dubitari non potest, quas suas oues cõmittat: nisi quis adeo desipiat, vt de parte tantũ ouilis curam committat. Et confirmatur rursus hic sensus ex Sanctorum expositione: quorum autoritates latius inferius afferentur. Vnde Theophilus hic dicit, finito prãdio commissionem ouium mundi Petro commendat, non alij.

Ad secundam. ¶ Ad secundam verò obiectionem dicitur, quòd non est impossibile, sed necessarium atque vtile, omnes Christi oues pasci ab vno, vt catholicæ ecclesiæ capite. In hoc autem pascendi modo, scilicet vt à capite catholicæ ecclesiæ, clauditur quòd Christi oues diuersis coadiuuantibus mẽbris pascuntur à capite: sicut totum corpus à capite regitur coadiuuantibus alijs membris. Vnde non est dicendũ, quòd Petrus pascit: id est facit pascere: sed quòd ipse vt caput per alia cõmembra coadiuuantia pascit omnes Christi oues, quod non posse per principem laicum, aut quemcunque aliũ, qui non est caput ecclesiæ, fieri constat. Tantòque possibilius est à Petro pasci omnes Christi oues, quãtò Petrus vicarius est Christi viuentis, regnantis & assistentis ad dirigendum, inspirandum atque adiuuandum.

Ad tertiam. ¶ Vnde patet solutio tertiæ obiectionis: commissum est enim Petro soli, non vt solus omni modo, sed vt solus tanquam caput catholicę ecclesię pascat omnes Christi oues. & propterea non peccat si per commembra adiuuatur ad pascendum Christi oues, sed peccaret si concaput ecclesiæ catholicæ sustineret.

Ad quartum. ¶ Ad quartam dicit, Petrum nullum misisse Apostolum quia præuẽtus est à Christo domino, qui misit Apostolos, Ioan. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et propterea poterant autoritate Apostolatus episcopos ordinare absque habita à Petro facultate.

Ad quintum. ¶ Ad quintam dicitur, quòd distributio Apostolorũ ad apostolatus exequutionẽ spectat: & nihil penitus obstat pastorali officio Petri, sicut in nullo eius autoritas imminuitur ex hoc, quòd Christus Apostolos misit: hoc enim ad legationem, illud verò ad exequutionem pertinet.

¶ Et per hoc etiam soluitur sexta obiectio: nam quãtum ad exequutionẽ apostolatus Paulus loquitur: vt ipsa verba clarè testantur, Qui operatus est in apostolatu. Cũ his enim diuersis exequutionibus euidenter stat vnitas pastoralis curæ apud Petrum.

CAPVT XI.

Petro per hæc verba, Pasce oues meas, commissum à Christo pontificatum totius ecclesiæ esse.

ECCLESIAE Totius pontificatum Petro per hęc verba collatum inficiatur aliqui.

¶ Primò, Quia pascere non significat principari aut esse primum.

¶ Secundò, Quia verbũ Christi est vel exhortatorium vel præceptorium ad pascendum, non ad subijciendum oues. Et si dicatur, pascere non potest nisi Superior, quid ad me: quære locum vbi verba sunt conferentia Petro potestatem super ecclesiam: hîc enim solummodo pascere committitur.

VERVM Difficile non est pontificatum monstrare sub his verbis datum. Pascere siquidem Christi oues, actus est autoritatis in pascente, vtilitatis in ouibus, finis in Christo. Eo nanque ipso quòd Christus suos vt oues pascendas Petro cõmisit, meridiana luce clarius patet, quòd ipsum præfecit alijs vt pastorem ouibus.

¶ Non oportet ergo alium quærere locum, vbi Petro potestas data est super ecclesiam: quoniam hic locus eam aperte testatur datam: nisi quis vsque adeò desipiat, vt Petro dictum putet, Pasce oues meas, non officio pastoris, sed officio mercenarij. Quæ etiam insipientia confutatur ex trina exactione charitatis Christi à Petro: cui enim amore Christi pascendæ oues committuntur, procul abest amor mercenarius. Vnde etsi pascere non significat principari, significat tamen actum ecclesiastici principis, & rursus si non significat principari, præsupponit tamen principatum, quia præsupponit pastorem. Vnde & bene respondebatur, quòd pascere non potest nisi superior. Et quum dicitur, Quid ad me: respõdetur multum profectò ex ipsa ratione cõnexorum: habent enim hoc vt altero collato reliquum tributum intelligatur. Quo fit vt si pascere nõ potest nisi Superior, cui datum est pascere, datum quoque est esse Superiorem: vnde ex hoc etiam capite liquet, quòd nõ est alius quærendus locus Scripturæ, vbi Petrus factus est super ecclesiam: quoniam hîc clare habetur.

¶ Affirmamus autem Christi verbum præceptoriũ esse: nã si Apostolo Paulo væ est, si non euangelizauerit, multò magis Petro væ est, si non pauerit oues Christi. Sed nõ præceptorium solummodo est Christi verbum, sed institutorium: nam, si in conditione primæ partis vniuersi verbum Dei instituit creaturas præcipuas, & simul propriũ earum opus præcepit (iuxta illud, Statuit ea in æternũ, & in seculum seculi, præceptum posuit, & nõ præteribit) par est, vt in creatione Christianæ ecclesiæ primum eius membrum eodem verbo perfecerit, præcipiendo summũ pontificatus opus, & instituendo ipsum pontificatum. Eo verò ipso, quo Petro, vt pascat Christi oues, committuntur, Christianus populus, vt oues, iubetur se habere ad Petrum: frustra enim committerent vt oues pascendę à Petro, nisi vt oues exhiberentur eidem a communi Domino. Vnde necessitas non solũ pastus, sed subiectionis in verbis Domini significatur, quum dicitur, Pasce oues meas. Attestante etiam hoc Augu. hîc exponente, pascere non solum docere, sed regere, dum dicit, oues ipsas pascendas, hoc est docendas regendásque committit. & Chrysost. Pasce oues meas, fratrum curam suscipe: & gloss. ex Alchui. Pascere oues est credentes in Christo, ne a fide deficiant, confortare, terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere, & exempla virtutis cum verbo prædicationis impendere, aduersarijs obsistere, errantes subditos corrigere. Quod circa etsi pascere non significat principari: significat tamen Christi oues regere, in quo clauditur principari: etsi non significat principari: trahit tamen secum principatum

sic

sicut trahit secum requirere, reducere alligare, consolidare, custodire & sanare: quorũ meminit Dominus Ezech. 34. Vnde & Petrus princeps Apostolorum, & princeps super plebẽ Christi cõstitutus dicitur: & iuxta Greg. verba ad Mauricium cura ei totius ecclesię & principatus committitur.

¶ Et si quæratur quare Dominus commisit põtificatum Petro nõ sub vocabulo prælationis, seu autoritatis, vel dignitatis, sed actus pascendi suas oues: In promptu ratio est, & ex parte rei, quia prælatio seu autoritas est propter pascere oues Christi, & non econtra. Et ex parte appetitus regulandi, quia non locus superior, non dignitas aut autoritas ambienda est, sed pastus ouium Christi appetendus in põtificatu, iuxta quod Apostolus postea dixit, Qui episcopatum desiderat, bonũ opus desiderat. Et ex parte Scripturæ adimplendæ: dixerat enim ante passionem Luc. 22. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatẽ exercent in eos, benefici vocantur: vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor. Hinc enim à ministeriali actu pascendi Christi oues significauit pontificatũ tacitum tanquam annexum quid, & non æstimandum nisi propter vtilitatem ouium Christi: cuius oppositũ contingit in Regibus & dominis gentium: qui ad hoc vt regnẽt & domini sint, omnia ordinant.

¶ Porrò commissum inter actus pontificios opus præcipuum, Petri monstrat pontificatum: pascere siquidem electos præcipuus est pontificis actus. Nam sicut ad supremam diuinæ prouidentiæ partem spectat cura electorum (ad quorum fœlicitatem non solũ cæli motum ordinauit: testante Io. in Apo. cap. 6. Dictum est illis, vt requiescerẽt adhuc modicum tempus, donec impleatur numerus cõseruorum eorum: sed etiam ipsemet descendit de cælis, & homo factus crucifixus, mortuus sepultus, &c. omnia sustinuit propter electos) ita ad summam ecclesiasticam curã, quam pontificatũ vocamus spectare oportet, pascere electos. Cõstat autem solos electos significari, quum dicitur, Pasce oues meas: testante hoc ipso Domino Io. 10. dicente, Oues meæ vocẽ meam audiũt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & nõ peribũt in æternum, & non rapiet eas quisquã de manu mea. Nec propterea Petri pontificatus quasi ad solos electos se extẽdat, restrictus est: sed subordinatus electorum pastui. hinc est omnis circa alios pontificatus actus. Sicut enim secundum vniuersi ordinem vnicus cæli motus propter implendum numerum est electorum, & idem tamen etiã ad propagandos non electos se extendit: & secũdum ordinẽ gratiæ summæ bonus pastor Christus animam suam posuit pro ouibus suis, hoc est electis, & tamen eadem mors pro totius mũdi vita fuit: ita in sacris mysterijs summus Pontificatus propter pascendos est electos, & idem nõ electos comprehẽdit. Nec immeritò: quoniam eiusdem est cura finis & dispositio eorum, quæ sunt ad finem: vita autẽ electorum finis est gubernationis aliorum. Omnia, inquit Apostolos. 2. Tim. 2. sustineo propter electos. & ad Rom. 8. Omnia electis donata testatur: & super omnia bona Domini constituendi affirmantur electi Matt. 22. Nec sic etiã inuocatos propterea dixerim præscitos: quoniã sub agnorum nomine comprehendi aliquos præscitorum nõ inconueniens: sunt enim Christiani multi imperfecti semper discẽtes & nunquam ad perfectionem ouis peruenientes: quos Dominus pascendos simul cũ ouibus hoc est electis, commisit Petro. Vnde bis commisit agnos, & tertiò oues: non solum quia imperfecti maiore egẽt cura, sed vt ipso numero diuersitatem insinuaret agnorum suorum, hoc est Christianorum communem vitam ducentium, dum alij reprobi, alij electi sunt. oues autem semel & vltimò cõmittuntur, quia omnes Christi oues inter electos sunt, & crescens oratio ad summum terminatur. Et quum omnes pastorali Petri curæ committantur, soli agni & oues pascẽdæ committuntur: lupi siquidem leones & vrsi commissi intelligũtur cauendi, fugiẽdi, aut exterminandi. Vnde nullus à Petri põtificatu exemptus relinquitur: etiam si solum fuisset illi cõmissum: Pasce oues meas: propter quas fiunt omnia, propter quibus omnia cooperantur in bonum, vt Apostolus ad Ro. 8. testatur. Fit autem rursum huius excellẽtia commissi operis manifestior, discurrendo per pastoralia pontificatus opera: nam sex illos actus pastorales Ezech. 34. positos, scilicet requirere quod perierat, reducere quod abiectum erat, alligare quod confractum fuerat, consolidare quod erat infirmum, sanare quod erat ægrotum, custodire quod pingue: & forte, ad pastum ouium ordinari testatur Dominus, arguens de his pastores dicens, Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur: lac comedebatis & lanis operiebamini, &c. Vbi rationem omissionis manifestè reddit ex eo & non oues, sed semetipsos pastores mali pascant, tanquã omnium horum operum ratio sit vacare ad pascendum ipsas oues. Actus quoque iudiciales, qui in ecclesia fiũt tam in foro pœnitentiæ, quàm in foro contentioso, ad pascendas Christi oues ordinari non est dubium. Aperire demũ & claudere regnum cælorum ad pastum ouium sic spectant, quòd aperire regnum cælorum est pascere oues Christi claudere autem illud ad pastum eorundẽ ordinatur: qui quidem ad bonum refertur electorum quibus omnia cooperantur in bonum. Constat igitur, si colligantur cuncta significata per hanc promissionem, Pasce oues meas, commissum Petro esse totius ecclesiæ põtificatum. Nec vt noua hæc cudimus, sed à Patribus, quæ didicimus, proferimus, eorundem attestatione Petri pontificatum firmãtes: vt in vltimo patebit capitulo.

CAPVT XII.

Petrum habere ex Christi institutione successorem in pontificatu ecclesiæ catholicæ.

FIRMATO Petri pontificatu ecclesiæ catholicæ oportet de successore eius tractare. Et vt intelligatur manifestè differentia inter catholicos & schismaticos, prænotandum est in quo cõuenimus, et in quo dissentimus. Concorditer siquidem fatemur Petrum Apostolorũ principem, &c. fuisse Ro. pontificem, sicut Iacobus Apostolus fuit pontifex Hierosolymitanus: & propterea quemlibet Ro. episcopum successorem esse Petri in pontificatu Ro. ecclesiæ, sicut quilibet Hierosolymitanus episcopus successor est Iacobi in põtificatu Hierosolymitanæ ecclesiæ. Cõcorditer quoque affirmamus: Hierosolymitanum episcopũ nõ succedere Iacobo nisi in Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopatu: non enim succedit Iacobo in autoritate apostolatus. Sed statim dissentimus, quia inferre conantur Ro. põtificem nõ succedere Petro nisi in episcopatu Ro. ecclesiæ: fatentur enim catholici Ro. põtificem succedere Petro nõ solum in episcopatu Ro. ecclesiæ, sed etiam in pontificatu ecclesiæ catholicæ. Vbi si perspicaciter scrutati fuerimus, videbimus duo superesse tractanda: an scilicet Petrus habeat diuino iure successorem in põtificatu ecclesiæ catholicæ, & an huiusmodi successor sit Ro. pontifex. Schismatici enim negant Ro. pontificem episcopum esse ecclesiæ catholicæ: & pernegant oportere institutione diuina aliquem vnum succedere Petro in regimine totius ecclesiæ; & ante omnia negant Petrum institutum à Christo pontificem ecclesiæ catholicæ. Quum autem iam declarauerimus huiusmodi Petri pontificatum, superest vt primò an habeat aliquem successorem, & demũ an ille sit Ro. Pontifex, tractemus.

Num catholicæ ecclesiæ sit aliquis Petri successor. ET IVXTA præfixum modum afferenda censui argumenta, quibus contra vnicum Petri successorem in pontificatu ecclesiæ catholicæ insurgitur.

Primò. ¶ Arguitur ergo primò ex coniunctis, Si hæc verba Christi ad Petrum, Tibi dabo claues regni cęlorum, Matt. 16. &, Pasce oues meas Io. vlti. extenduntur ad successorẽ, par est vt verba antecedentia concomitantia, & subsequẽtia dicta Petro à Christo, intelligantur quoque dicta non soli Petro, sed successori. sed hoc cõstat esse falsum: vt patet singillatim discurrendo. Nam apud Matt. Dominus præmittit, Tu es Petrus: & post subiungit reprehẽdendo Petrũ, Vade post me Satana, quia non sapis quæ Dei sunt. similiter apud Io. præmittitur, Diligis me plus his: & similia cõcomitanter interponuntur cum Petri responsionibus: & postea subiungitur. Quum esses iunior, cingebas te, &c. nihil autem horum spectat ad successorem secundum literalẽ sensum: ergo nec illa verba, Tibi dabo, &, Pasce oues meas, sunt ad literam dicta Petro & successori: sed sicut reliqua mysticè applicantur ad successores, ita & hæc.

¶ Secundò ex similibus, Verba Christi Luc. 22. Ego rogaui pro te, &c. non sunt ad literam dicta Petro & successori: ergo nec ista, Tibi dabo claues, &, Pasce oues meas, &c. sunt dicta Petro pro se & successore. Consequentia tenet à simili: præsertim quum iste text. à sacris Doctoribus afferatur pro soliditate successionis Petri in fide. Antecedens verò manifestatur ex eo, quòd ibi dicitur, Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos

si enim de quolibet successore hæc dicta sint oporteret successorem quemlibet auersum quandoq; esse vel fuisse, vt de ipso posit verificari, & tu aliquando conuersus: sicut Petrus auersus fuit negando Christum cum periurio, & postea conuersus confirmauit fratres suos.

¶ Tertiò ex alijs eidē Petro à Domino dictis, puta, Antequam gallus cantet, ter me negabis, Matth. 26. &, Vade ad mare & mitte hamum, &c. Matth. 17. cur enim huiusmodi soli personæ Petri ita q nō successori dicta exponūtur: illa autem, Tibi dabo, &, Pasce, ad successorem referuntur? voluntariè enim hoc fieri videtur.

¶ Quartò ex omisis, Nullibi siquidem dixit Christus se loqui in illis verbis Petro pro se & successore: quum tamē debuisset hoc docere, quum hoc vt vnū de necessariò credibilibus proponatur ecclesiæ: & ipse Isa. v. dixerit, Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? si enim totum quod debitum erat, effecit synagogæ Iudeorum, multò magis totum effecit ecclesiæ Christianæ. Et augetur hoc argumentum ex hoc, q Dominus Matt. vlti. dicit. Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi. Vbi quia se fore in toto hoc tēpore cum ecclesia nos certificare voluit, dicendo, Ecce ego vobiscum sum vsq; ad cōsummationem seculi, manifestauit q ad discipulos pro se & successoribus eorū loquebatur. Hinc enim arguitur, q si Petro & successori intendisset hæc dicere: explicasset aut insinuasset successorem, sicut insinuauit ibi successores discipulorum.

¶ Quintò ex coapostolis. Quænā ratio est, vt nullus aliorum Apostolorum habeat successorem in Apostolatu, & solus Petrus habeat? Et rursus quæ ratio est, vt Apostolorum successores sint, & dicantur episcopi (quos cōstat esse æquales: vnde & fratres vocantur,) & vnus tantum episcopus successor sit Petri super totā ecclesiam? Et rursus, vt prætactum est, quæ ratio suffert, vt episcopus Hierosolymitanus succedat Iacobo in episcopatu illius ecclesiæ, & non in apostolatu: successor autem Petri succedat ei in apostolatu ac pontificatu totius ecclesiæ? hoc enim nō nisi humana ratione aut voluntate factum videtur: quū Scripturæ desit autoritas.

Primò,

¶ Deinde arguitur ducendo ad inconuenientia multa. Et primò, Si ad solum Petrum refertur Christi verbum ergo non ad successorem: & iterum, ergo cum Petro claues venerunt, & abierunt. Et probantur sequelæ: quia nō potest ad plus pertinere quod ad vnum tantum dicitur. *Secundò,* Secundò: Quia, si ad successorem extenditur, ergo necessaria ratione, & ad alios Apostolos: quia tunc erant præsentes, successores autem Petri nondum erant. *Tertiò,* Tertiò: quia ridiculum esset, q omnium ecclesiarum idem Baptisma, eadem Eucharistia, eadem Cōfirmatio, idem Verbum Dei, idem Sacerdotium, eadem Pœnitentię, Vnctionis, Matrimonij, & reliqua sacramenta, eadem fides, spes, charitas, gratia, mors, vita, gloria esset, vna hæc tēporalis potentia vni tributa esset successori Petri per Verbum Dei quod cōmune est omnibus. *Quartò,* Quartò, Si vnus episcopus iure diuino cæteris præfertur, manifestè Hier. in epistola ad Euandrū, quæ habetur. 93. di. ca. legimus. hæresim docet, non solum ipse, sed Petrus, Paulus, Ioannes, Lucas, quos inducit irrefragabiles autores. Patet enim ibi episcopos eosdem esse cum presbyteris, & episcopos æquales esse. *Quintò,* Quintò: quia idem Hiero. super epistolam ad Tim. & habet. 95. di. cap. olim. dicit, Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita episcopi nouerint se magis consuetudine, q̄ dispensationis dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in cōmuni debere ecclesiam regere. Non ergo diuino iure vnus Petri successor episcopus maior est alijs.

Non modo Petro sed successoribus dictū, est pasce oues meas.

AD HVIVS rei euidentiam considerandum est, triplici via manifestum fieri hæc Christi verba toties repetita Petro, non solum pro se, sed pro successore suo dicta esse. Prima via ex ipsis verbis Domini, quum dixit, Pasce oues meas, procedit. Nam dicendo, Pasce oues meas, vnū ouium suarum pastorem instituit, vt ipsa verba testātur, absq; vlteriori probatione) Pastor autem significat ordinarium rectorem ouiū: vt patet tum ex ipsis nominibus Pastoris & Ouium, tum ex ipsa ratione pascendi: tū quia oportet eum qui ordinariè gerit curam ouium, vel mercenarium vel pastorem esse, sed mercenarius non est: quia cū videt lupum venientem fugit, & non pertinet ad eum de ouibus, quia mercenarius est: vt dicitur Io. 10. scilicet relinquitur ergo q is, qui ordinariè curā ouiū gerit, pastor est, Constat autem pastorem vtpote ordinarium Officialem, non finiri morte illius, qui pastorale officiū exercebat, sed per successionem oportere durare. Et hinc fit, vt institutio Pastoris sit institutio perpetui officij: ac per hoc q in prima institutione Pastori tribuitur, pro quolibet successore eidem datur. Vnde ex hoc ipso, q Dominus dicendo, Pasce oues meas, pastorē totius ecclesiæ instituit, pastorale officium totius ecclesiæ statuit ex tūc & in finem vsque seculi. & consequenter, q dedit tunc Petro, significauit se dare cuilibet Petri successori in Petro. Rursus dicendo, Pasce oues meas, perpetuitatem pastoris intelligendam ex alio capite monstrauit: nam oues suas duraturas sciebat, & dixit vsq; ad consummationē seculi in præsentis miseriæ ouili vno: & propterea eo ipso quo ouibus in vno ouili duraturis vsq; ad consummationem seculi prouidit de pastore vno, dicendo Petro Pasce oues meas, significauit se prouidere de vno Pastore vsq; ad consummationem seculi. Habemus ergo dupliciter ex ipsis Euangelij verbis à Domino institutum esse quemlibet Petri successorem pastorem totius ecclesiæ in ipso beato Petro.

¶ Secunda via ex rationibus fundatis super sacra Scriptura procedit, tum quia despientis est putare Christū prouidisse de Pastore suarum ouium pro parte temporis, & ea minima qua, scilicet vixit Petrus: & non pro toto & tam prolixo tempore vsq; ad consummationem seculi, quo duraturæ sunt suæ oues. Tum quia rationabile est, vt vniuersalitas temporis cointelligatur vniuersalitati locorū: & proinde quia dicendo, Pasce oues meas, oues suas vbique terrarū comprehendit, consequens est vt easdem pro quocunq; futuro tempore comprehēdat. Tum quia Christus synagogæ dicens, Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci, insufficienter prouidisset Christianæ Ecclesiæ cōstituens eam vnum ouile sine vno pastore coæuo ouili: conuersante cum ouibus suauiter, hoc est sensibiliter secundum modum ipsarum ouiū: vtpote, quæ viuunt nō sola spirituali, sed sensitiua natura: quum tū de ipso scriptū sit. Attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, cap. 8.

¶ Tertia autē & ea optima pariter & certissima via procedit ex expressa diuina reuelatione facta ecclesiæ suæ sanctæ. Vt enim inferius de verbo ad verbum afferentur autoritates, manifestè habetur q in hoc sensu à Sanctis innumeris, & à sacris concilijs vniuersalibus intellecta est institutio pontificatus Petri super totam ecclesiam à Christo facta. Certò autem certius est illum esse verum Scripturæ sensum, quem concorditer tradentibus Sanctis, vniuersalis synodi diffinitione accedente habemus. Fatemur igitur absque omni hæsitatione quemlibet Petri successorē institutum in beato Petro esse pastorem totius ecclesiæ.

AD PRIMVM ergo argumentum in oppositū de concomitantibus, dicitur, præcedentia concomitantia & subsequentia inueniri duplicia, vel pertinentia ad pastorale officium, vel non pertinentia ad hoc. Et de pertinentibus quidem ad pastorale officium (quale est illud, Vade post me Satana: vt patet in ipso Euangelij textu) nō oportet esse solicitum an spectent ad successorem: de pertinentibus autem dicitur, q eo modo, quo pertinent ad officium pastorale, eodem modo pertinēt ad successorem. Vnde, vt ad singula descendatur, quia verba præmissa apud Matt. Beatus es Simon Bariona, &c. non spectant ad pontificatum sed ad cōfessionē, quā fecerat Petrus (vt declaratum est) nec ad successorē pertinent. Quod verò dicitur, Tu es Petrus, & super hāc petrā, &c. q a ad pōtificatū totius ecclesię necessariò pertinet, ad successorē quoq; ptinere oportet: necesse est enim successorē Petri esse Petrū, idest in fide solidū, vt super hanc petrā Christus ædificet ecclesiā suā. Difficultates autē, quę circa hoc sunt, in sequēti tractabuntur capitulo. Quod autē dicitur apud Ioan. diligis me & amas me? quodammodo ad pastorale officium spectat, & quodammodo non. Nam rectitudo pastoralis officij amorem Christi exigit, ipsum autem pastorale officium sine Christi amore potest & haberi & exerceri: & propterea amor Christi ad successorem quoque spectat, quātum ad rectitudinem vtendi pastorali officio: non autem quantum ad habendum vel exercendum ipsum pastorale officium. Et similiter q adiungitur, Quum esses iunior, licet cum Petro finitum sit, quātum ad prophetiæ consummationem: quantum tamen ad insinuatam præparationem animi pastoralis ad ponendum animam pro ouibus Christi, & frequentem euentum persecutionum, aut mortis pro Christi ouibus bono pastori, ad successoris rectitudinem atq; for-

titudinem pertinet.

¶ Ad secundū dicitur, quòd verba illa Domini iuxta regulam de pertinentibus vel impertinentibus ad officium pastorale (quia ad pastorale spectat officiū confirmare fratres) Petro pro se & successore dicta intelliguntur. Vnde Theo. hoc dicit, Hoc autem Petro dixit, eo quòd superbire poterat in his, quę promissa erāt à Christo. Et rursus, Postquam me negaueris, ploraueris, ac pœnitueris, corrobora cæteros: quum te principem Apostolorū deputauerim: hoc enim decet te, qui mecum robur es & petra ecclesiæ. Cyrillus quoque hoc dicit, Omisis cæteris venit ad Petrum cæteris prælatum. Nec propterea oportet quemlibet petri successorem cadere à Christi charitate: hæc enim Domini verba non necessitatem, sed possibilitatem auersionis à charitate cum indeficientia fidei significant: sic vt si auerti contingat, conuersus confirmet fratres suos. Indeficientia itaque fidei in Petro & ipsius successione impetrata asseritur, confirmatio fratrum imponitur, auersio possibilis significatur, cōuersio prædicitur. Et hoc insinuat aduerbium. Aliquando: ex hoc enim, quòd non semper, sed aliquando conuersus prædicitur, auersio quoque, q quandoque futura sit, insinuatur. Ad quod verificandum non oportet quemlibet successorem auerti: sed sat est & nimis etiam, quòd quandoque successor aliquis auertatur à Christi charitate.

¶ Ad tertium patere potest iam solutio: nam sola ea quæ dicta sunt Petro pertinentia ad pastorale officium, dicta sunt sibi pro se & successore ad literam: reliqua autem ad literam dicta sunt sibi soli.

¶ Ad quartum (quòd maximè vrgebat) iam patet responsio: significauit enim Christus ipse in Petro, cuilibet eius successori se loqui, eo ipso quòd instituit eum pastorē ouiū suarum, tum ex parte officij pastoralis: tum ex perpetuitate ouium suarum: vt prædeclaratum est. Vnde nō minus aperuit hic in Petro eius successorē, quam aperuerit apud Matth. in discipulis suis eorū successores: ibi enim ex vno tantum capite, scilicet diuturnitate successionem significauit, hic verò ex duobus, scilicet & ex officio pastorali, & ex perpetuitate ouium suarum: vt prædeclaratum est.

¶ Ad quintum dicitur, q non est eadē ratio de successione in apostolatu, & de successione in pontificatu: Apostolus enim, vt ipsum nomen testatur, sonat, ab alio missum seu legatum (iuxta illud Apostoli. 2. ad Cor. 5. Legatione pro Christo fungimur: & ad Ephe. 6. Legatione fungor in catena ista) non est autem legatorum vēdicare sibi successores: sed finitur legatio cum legato, nisi à domino alius mittatur. Pastor autem ordinarium officium sonat: cuius est habere successorē, & propterea ecclesia non habet Apostolos qui successerint in apostolatu, Christi Apostolis, sed habet episcopos succedentes Apostolis, nō quo ad apostolatus autoritatē, sed quantum ad episcopalē tam dignitatem, q̄ autoritatem. Vnde si formaliter & exactissimè loquendum est, nec Petrus habet successorē in apostolatu tum quia apostolatum communem habebat cū reliquis Apostolis, paresq; in apostolatu omnes fuerūt, ac per hoc par est ratio in apostolatus successione de omnibus: tum quia experientia testatur nullius Petri successoris libellos quantumcunq; sanctos inter sacras esse Scripturas: vsque adeo, vt Epistola Pauli ad Philemonē, q̄uis cōmendatitia vnius serui inter sacras cōputetur Scripturas. Verū tamē quia successor Petri succedens ei in pastorali officio ouium Christi (quod est pontificatus mundi) ex hoc ipso succedit in præcipuo apostolatus officio: quod, vt diuus Tho. dicit, erat gubernare catholicam ecclesiam: hoc enim communiter Apostolis omnibus à Christo delegatū fuit: hoc Petro singulariter pastorali officio datū est, hoc solus Petri successor hæreditat: ex hoc ipso q succedit Petro in pontificatu ecclesiæ catholicæ. Hinc igitur sola successoris Petri sedes, vocatur, & est sedes apostolica: vtpote ea, in qua sola autoritas gubernandi ecclesiā catholicā (quæ inter facultates legatas apostolis summū tenet locū) residet: hinc successor Petri apostolicus, hinc eius dignitas seu officium apostolatus, hinc eius autoritas apostolica vocatur: vtpote complectens supremā omnibus Apostolis tributam autoritatem. Vnde solutio patet omnium quæsitorum: & cur solus Petrus inter Apostolos habet successorem in apostolica autoritate: quia scilicet solus institutus est à Christo pastor ouium suarum. Et quo pacto cū hoc stet, episcopos omnes succedere Apostolis in episcopali dignitate & autoritate, & quatenus episcopos esse omnes pares: hoc enim nihil omnino obstat veritati declaratæ. Et quare episcopus Hierosolymitanus nō succedit Iacobo in autoritate apostolica, episcopus autem Ro. succedit Petro in apostolica autoritate: quia scilicet Petrus autoritatem apostolicam habuit, etiam vt ordinarius pastor à Christo institutus super vniuerso ouili suo: Iacobus autem eā habuit tantum vt Apostolus. Et hoc non ratione aut voluntate humana factum, sed Christi veri Dei institutione ordinatum esse mōstratum est: dum Petrum solū pastorem suarum ouium instituit dicens, Pasce oues meas.

Ad primum vltimo allatorum.

AD ARGVMENTA deinde allata ducendo ad inconueniens, respondendo ad primum dicitur, sequelas nihil valere. Ad probationem autem (quia nō potest ad plures pertinere quod ad vnū tm̄ dicitur) rn̄detur ad innumeros successores posse pertinere quod ad vnum tantum officialem instituēdo dicitur: quoniam quod sibi dicitur, cuilibet succedēti intelligitur dictum. & propterea dictum Petro primo pastori Christi ouium instituto, cuilibet sibi succedenti in huiusmodi officio pastorali dictū est. Et eadem est ratio de promissionibus eidem factis.

Ad secundum.

¶ Ad secundum similiter dicitur, sequelam nihil valere: nec esse maiorem aut parem rationem, q extēdantur hæc verba ad alios Apostolos, qui erant præsentes, q̄ ad successorem Petri: quoniam quilibet successor, licet in seipso tūc non esset. erat tamē in ipso Petro, sed eadem officij forma: quo constat modo nō fuisse alios Apostolos in Petro: quoniam nullus sub eadē officij forma fuit, aut futurus fuit.

Ad tertium.

¶ Ad tertium dicitur, q non ridiculum, sed diuinæ rationi consentaneum est, vt omnium ecclesiarum communicantium in eisdem sacramentis, &c. sicut est vnum numero ouile institutum à verbo Dei cōmuni omnibus, ita sit vnus numero pastor illius vnius ouilis institutus ab eodē verbo de cōmuni omnibus. Hoc siquidem diligenter perspectum, non est vni particulari ecclesiæ aut personæ consulere, sed vnitati ouilis prouidere: ac per hoc sicut vnitas ouilis communis est ecclesijs omnibus particularibus, ita vnitas pastoris ad omnium est vtilitatem ecclesiarum. Et sic optimè adimpletur quod Apostolus dixit 1. ad Cor. 3. Omnia vestra sunt, siue Paulus siue Apollo siue Cephas.

Ad quartum & quintū,

¶ Ad quartum dicitur simul & ad quintum, consequentias nihil valere, vtpote ex impertinentibus ad propositū deductas. Dicta siquidem à Hiero. in vtroq; loco. impertinētia sunt ad propositū: vtpote quæ de episcopis & presbyteris quatenus episcopi & presbyteri sunt dicūtur: æqualitas nāq; seu idētitas diuino iure inter episcopos & presbyteros, siue sit, siue non sit, nihil refert ad vnitatem pastoris totius ecclesiæ: non enim ideo vnus est pastor totius ecclesiæ: quia episcopus maior est presbytero: sed ideo quia vnus est successor Petri. siue presbyteratus, siue episcopatus sit maximus in ecclesia Dei ordo Aequalitas autē diuino iure episcoporum inter se, quatenus episcopi sunt, nō eget probatione: quoniam illam asserimus, sed impertinēs est proposito, quoniam non ideo vnus est pastor totius ecclesiæ: quia vnus episcopus est sacratior altero (omnes enī episcopi sunt æquales in episcopatus ordine, & nō est magis aut plus episcopus successor Petri quicūq; alius episcopus: sicut non est magis presbyter, q̄ quicunq; alius presbyter) sed ideo vnus est pastor totius ecclesiæ & reliquis prælatus episcopis atq; presbyteris, quia vnus est successor Petri. Vnde patet ex hoc, q diuino iure à Christo instituto vnus presbyter siue episcopus Petri successor cæteris episcopis & presbyteris, imò toti ecclesiæ præfertur, non sequi Hiero. & allatos à Hiero. Petrum, Paulū Ioannem, Lucam, hæresim docere: vt arguentes audent inferre, sed prudens lector intelliget dicta horum impertinēter deducta ad proprium.

CAPVT XIII.

Romanum Pontificem succedere Petro in pontificatu toti ecclesiæ.

SVPPOSITA Petri successione, oportet mōstrare quis sit ille successor Petri in pastorali cura totius ecclesiæ: habet enim proprias difficultates an is sit Ro. episcopus.

Primò.

OBIICITVR igitur in primis ex parte tēporis quia Ro. pon. natus est per multos annos post Petri pōtificatum: quum primus Petrus sederit Antiochiæ, & per multos annos ante absque particulari aliqua sede fuerit.

¶ Et cōfirmatur hæc ratio arguendo sicut arguit Apostolus ad Ro. 4. vbi pbat ex circūstātia tpis & facti Abrahā non ex circūcisione, sed ex fide iustificatū, nulla alia rōne

Universidad de Deusto Biblioteca

vsus, quàm quòd Abraham ante circuncisionem fuerit iustus apud Deum per fidem. Si hoc eius argumentum valet, necesse est valere & hoc, scilicet Petrus quando claues accepit à Christo, nondum erat episcopus vrbis Romæ, sed erat vnus inter Apostolos: ergo claues non sunt ei datæ, secundum quòd postea, vel factus vel mutatus est, vel loco vel officio, (sicut Abrahæ non est iustitia reputata qualiscunque post fidem factus fuerit) sed prout fuit Apostolus tantum.

Secundò. ¶ Secundò. Si Roma. Pontif. esset Petri successor in cura totius ecclesiæ (de hac tantùm successione ne contingat idẽ sæpius replicari, semper loquimur nisi quandoque explicemus de sola successione in episcopatu Romano nos loqui) oporteret de quolibet Roma. Ponti. verificari verba Christi spectantia necessariò ad successorem Petri, sed non de quolibet Roma. Ponti. hæc verificari oportet: ergo Ro. Ponti. non est successor Petri. Probatur autem destructio consequentis, ex eo quòd Roma. Ponti. potest labi in hæresim, & sic non verificabuntur de eo verba Christi, Tu es Petrus, id est, in fide solidus: neque super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam: quoniam soliditas fidei in ipso, super quam ædificanda est ecclesia, nõ inueniretur: nec Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: quæ omnia ad successorem Petri dicta esse monstratum est. *Tertiò.* Tertiò, quia non omnis Roma. Ponti. habet Christi charitatem, quam tamen tertiò Christus exegit in institutione officij pastoralis: non est ergo Petri successor, qui exactè à Christo tũc in Petro charitati non succedit. *Quartò.* Quartò, quia nõ omnis Ro. Pon. pascit oues Christi, sed multi eorum pascũt oues suas: dum ad propriam gloriam, autoritatem, vtilitatẽ & alia huiusmodi pontificatum exercent. Dicente autẽ Domino Pasce oues meas, significauit Petri successores aut pastores esse debere ouium Christi, ipsum amantes, & illas pascentes doctrina, iustitia, & alijs huiusmodi: aut si non amant & docent, nihil hoc verbum ad eos pertinere: ac per hoc nõ esse Petri successores. *Quintò.* Quintò, quia prisci Romani ponti. recusauerunt se vniuersales appellari Grego. enim senis epistolis hoc reprehendit: & narrat prædecessores suos hoc tenuisse. Si enim Grego. cum alijs noluit vocari episcopus vniuersalis, consequens est quòd non erat aut non se credebat vniuersalem episcopum idem autem sonat Ponti. ex vniuersalis, & Ponti. totius ecclesiæ. Non succedit ergo Roma. Ponti. Petro in pontificatu totius ecclesiæ. *Sextò.* Sextò concilium Nicenum (vt scribitur lib. 10. cap. 6. histo. ecclesiæ statuit sic. Et apud Alexandriam vel in vrbe Roma, vetusta consuetudo seruetur: vt vel ille Aegypti, vel hic suburbanarum ecclesiarum solicitudinẽ gerat. Si enim Roma. Ponti. successor esse Petri in pontificatu totius ecclesiæ, non præsumpsisset Nicenum conciliũ fines suæ solicitudini decernere in suburbanis ecclesijs.

Septimò. Septimò, si Ro. Ponti. Christi institutione præest toti ecclesiæ, vt Christi vicarius generalis, sequitur peccasse, & peccare omnes, qui non fuerunt, & qui non sunt sub Roma. ponti. obedientia. Et hinc sequitur primò primitiuam ecclesiam totam errasse: quum adhuc non esset Ro. ponti. Sequitur deinde tot Sanctos & Martyres vsque ad 40. annos post Christum, errasse: quum tunc non recognosceretur Roma. Ponti. vt pastor totius ecclesiæ. Sequitur posteà Asiam Aphricam, atque Græciam in damnatione fuisse: vtpote non recognoscentes Roma. Pontifi. vt omnium caput. Sequitur demum Christianos, qui hodie sunt in Perside, India Scythia, totóque Oriente, damnari: eo quòd non subsunt Roma. ponti. Manifestatur autẽ hos non recognouisse Roma. pontifi. eo quòd non ab ipso seu eius autoritate eorum episcopi sunt instituti, eorum concilia sunt celebrata. *Octauò.* Octauò, Hiero. de viris illust. scribit, quòd Achatius episcopus Cæsariensis discipulus Eusebij Pamphili, imperante Constantio liberium Papam deposuerit, & Felicem constituerit. Constat autem hoc repugnare primatui Roma. Ponti. si totius ecclesiæ Antistes esset. *Nonò.* Nonò, Si vlla ecclesia est prima & mater omnium ecclesiarũ, & à Christo Domino immediatè fundata, non est alia nisi ecclesia Hierosolymitana, quæ per multos annos fuit ante Romanam: vnde exierunt omnes Apostoli & episcopi ad vniuersum orbem terrarum. In cuius signum ab omnibus ecclesijs etiam Romana collectæ soluebantur ecclesiæ Hierosolymitanæ.

Romanus Pontifex nõ

AD HVIVS rei euidentiam consideranda sunt duo, primum vnde est, secundum vnde scitur Roma. Ponti. succedere Petro. Circa primum autem distinguendum est de ratione succedendi & ratione succedẽtis. nam ratio succedendi est non euangelica institutio, sed subsequutum factum Petri, quo ecclesia Roma. appropriata est Petro appropriatione firmata. Declaro singula, cautè reddendo lectorem in primis, quòd aliud est succedere Petro, & aliud est succedere Petro hunc, scilicet Ro. pontif. Ratio enim quòd Petrus habeat successorem, institutio est euangelica: qua Dominus in Petro pastorale totius mundi instituit officium, vt in præcedentibus manifestatũ est. Ratio verò, quòd Petro succedat hic, hoc est, Roma. pont. non est institutio euangelica: tum quia euangelica voce non est ecclesia Roma. appropriata Petro, sed tota ecclesia commissa sibi, dum dicitur Pasce oues meas: & propterea si Petrus perseuerasset vsque ad finem, vt incepit absque appropriatione alicuius particularis ecclesiæ, nec Roma. ponti. nec aliquis alius particularis episcopus esset Petri successor: sed migrante ad cœlum Petro fuisset vnus electus in episcopum catholicæ ecclesiæ, qui successor fuisset Petri. Tum quia si Petrus in sede Antiochena, quam sibi prius appropriauit, perseuerasset vsque ad mortem, non Roma. pontifex, sed Antiochenus successor esset Petri. Tum quia si Petrus discessisset ex Roma, non tantum loco, sed sede, ita quòd alibi sedem elegisset, non successisset Ro. pontifex Petro, sicut nec modò succedit Petro Antiochenus: quia inde discessit mutando non solùm locum, sed sedem. Ex his enim patet, non ex euangelica institutione ortum habere, quòd Ro. pontifex succedat Petro: euangelica siquidem institutio de his mutationibus non se impedit: sed subsequentibus factis disponendum hoc reliquit. Quocirca ex eo, quòd appropriatione firmata, Ro. ecclesia Petri pontificatui addicta est, inde ortum est, vt Ro. pontifex Petro succedat. Appropriationem autem firmatam dicimus, quia Petri morte firmata est: & quia Christi autoritate robur firmitatis obtinuit. Nam (vt ecclesia cantat, & Ambr. in oratione contra Auxentium. de Basilicis tradẽdis, quã habes in lib. 5. Epistolarũ Amb. post. 32. Epistolã asserit, & ante ipsum in li. 3. de excidio Hierosolymitano, capit. 2. Egisippus affirmat) volenti Petro ex vrbe Roma discedere obuiam Christus iussit, vt Romæ mortem pateretur, eidem dicendo, Venio Romam iterum crucifigi: vt non nuda Petri mors Romæ sed mors iussa à Christo in vrbe Roma firmaret Romanam sedem in Petri successione. Si ad ortum itaque atque initium successionis Ro. pontificis Petro spectes, rationem succedendi inuenies fuisse ecclesiæ Ro. appropriationem ad pontificatum Petri, firmatam & Petri morte & Christi mandato. Quum autem dicimus, Petrum & Ro. pontificem & Põtificem ecclesiæ catholicæ, non duos intelligas pontificatus: non enim sunt duo in actu, sed in potentia tantum, hoc est, quia potuissent esse duo, vt patet ex dictis. Vnde non se habent sicut duo Episcopatus vniti: non erat siquidem in Ro. ecclesia episcopatus ante Petrum: sed ipse Petrus Ro. ecclesiam euexit in pontificatum, non alium, quàm suum, quẽ secum vehebat: ita quòd pontificatus Petri, quem à Christo habuit relatum ad ecclesiam catholicam, retulit ipse Petrus ad ecclesiam Ro. appropriando sibi illam. Conuenit autem nonnihil hæc pontificatus vnitas ad hoc, vt idem sit Romanus pontifex, & pontifex ecclesiæ catholicæ: nõ solùm vnitatẽ personæ, sed identitate pontificatus. In cuius signum non dantur Romano pontifici duo pallia, sed vnum tantum: quum tamen plura dari constet habenti plures pontificatus, quibus debentur pallia. Si autẽ de ratione succedentis est sermo, euangelica institutio, ratio inuenitur succedentis. Ro. siquidem Ponti. Petro succedẽs autoritatem habet apostolicam ab euangelica Christi voce, Pasce oues meas: nam cuilibet Petri successori, in Petro dixit Christus, Pasce oues meas. Licet itaque apostolicam sedem Ro. esse Pon. initium habuerit ex appropriatiõe ecclesiæ Ro. ad Petrũ ex quo tũ firmatũ sic est eo ipso quo aliqs verus est Ro. pon. verus est ponti. ecclesiæ catho. Christo in beato Petro institutus. Manifestum est igitur, vnde Ro. põti. est Petri successor, ac totius ecclesiæ pastor.

Scitur autem hoc diuina reuelatione facta, tum vniuersali ecclesiæ, tum sanctis Doc. innumeris, tum sacris concilijs. Nullus siquidem Christianus dubitare permittitur ex diuina prodire reuelatione quicquid ad fidei Christianæ rationem spectans (de quorum numero hoc cõstat per Decre. vnam sanctam esse) comestatum inuenitur à præfatis. Communis Christianorum & olim & nũc & semper confessio fuit, est, & erit, Ro. pon. sedem solam esse sedem

apostolicam: hoc autẽ nihil aliud est quàm fateri Ro. pon. Petri successorẽ, esse rectorem Cath. ecclesiæ, nam in Apostolica sede (nisi quis propriam ignoret vocem) clauditur apostolica autoritas: in apostolica autem autoritate facultatem regendi totam ecclesiam includi, intelligunt exercitati in sacris literis. Et hoc vsque adeò est clarũ, vt concorditer dicatur Apostolicæ autoritati à Christo orbem commissum terrarum: sic vt quilibet Apostolus vbicunque contingeret ipsum fore instituebat ecclesias, instituebat episcopos, & id genus reliqua faciebat: vt eorum etiam gesta testantur. Vnde quum 1. ad Cor. 12. dicitur, Posuit Deus in ecclesia primum Apostolos: dicit glo. interli. omnium ordinatores & iudices: manifestans apostolicam autoritatẽ esse omnium ordinatricem & iudicẽ. Confitentes igitur apostolicæ autoritatis sedem, confitemur velimus nolimus sedem ordinatricem & iudicem omnium. Hanc autem esse intentionem confitentium, ex eo etiam cõperitur, quòd solam successoris Petri sedẽ apostolicam confitemur. Extat siquidem Hierosolymitana sedes, in qua Iaco. Apostolus sedit, cuius successor est episcopus Hierosolymitanus: sedes illa, in qua Iacob. Apostolus sedit (quæ prius tempore fuit, quàm quæcunque alia partialis sedes) non est ipsa quoque sedes apostolica, nisi quia in illa non est autoritas apostolica, & in ista est? Nam si ex sola successione ad personam apostoli affirmaretur, à Christi fidelibus sedes apostolica, dubium non est, quòd multæ essent sedes apostolicæ: & Hieroso. sedes esset apostolica, & Ro. sedes esset apostolica, modò autem, quòd vnicam tantum nouit Christianus populus sedẽ apostolicam, eámque Ro. ponti. sedem esse plena voce confitentur, clarum relinquitur, per sedem apostolicam intelligi sedem autoritatis apostolicæ. Et confirmatur: quia sicut in episcopali sede clauditur pontificia autoritas, & in Archiepiscopali sede autoritas archiepiscopalis, & in sede patriarchali autoritas patriarchalis: ita in sede apostolica clauditur auto. apostolica, ac per hoc quemadmodum Christianus populus ad huiusmodi sedes recurrẽs, ad dictas autoritates recurrere intendit: ita ad apostolicã sedem recurrens, aut ipsam quomodolibet venerans, autoritatem apostolicam confitetur. Porro in professione sedis apostolicæ clauditur eius diuinæ institutionis confessio nam quia secundum veritatem, Apostolica tam sedes, quàm autoritas à solo Christo est vel esse potest, à quo solo possunt Apostoli fieri (neque enim minus est apostolicam sedem ac autoritatem, quàm apostolum instituere: sicut non minus est episcopalem autoritatem ac sedem facere, quàm episcopum) necesse est vt qui apostolicam confitẽtur sedem, ab Iesu Christo immediatè illius esse autoritatem fateantur, diuinóque proinde iure institutam illam esse profiteãtur. Et hinc habes quòd doct. confitentes Ro. pon. sedem apostolicam aut apostolatum, aut autoritatem apostolicam, fateantur Ro. pontificem esse totius ecclesiæ rectorem: quod notandum valde est, & secundum se, & ne oporteat sæpe repeti in autoritatibus sanctorum, &c.

ANTEQVAM autem autoritates adferãtur, ad obiecta, respondendum est. Ad primum ergo dicitur, nihil obstare successioni Ro. pon. Petrum, quatenus Ro. ponti. fuit, natũ esse post acceptas claues: sufficit enim successori natum esse ante mortem eius, cui succedit. Ad argumentum autem formatum ad similitudinem argumenti Pauli Apostoli de iustificatione Abrahæ: respondetur, militare illud non contra nostram sententiam, sed potius contra arguentes. Manifestatur autem hoc distinguendo, sicut in Abraham reputationem iustitiæ à iustitia reputata, ita proportionaliter in Petro acceptationem clauium à clauibus acceptis. Nam quemadmodum reputatio ad iustitiam Abrahæ conuenit ex fide, & non ex circunsione postea subsequuta: ita Petro acceptio clauium cõuenit ex pontificatu ecclesiæ catho. (tunc enim datæ sunt ei claues, quãdo factus est pastor Christiani ouilis) & non ex ecclesia Ro. seu pon. Ro. postea subsequuta. Et similiter quẽadmodum iustitia reputata Abrahæ, non est restricta ad statum præputij, sed est extensa ad subsequutum statum circuncisionis (dicente Apostolo ibidẽ: ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solùm, &c.) ita acceptæ claues extensæ sunt ad subsequutum postea Petri pontificatum Ro. Rursus quẽadmodum Abrahæ iustitia reputata appropriata est subsequutæ circuncisioni, seu ipsi Abrahæ, vt postea pater factus est circũcisionis, sic, vt eius semen ex circunsione prælatum sit omnibus in consummatione iustitiæ promissionum, & benedictionum Abrahæ (dicente Apostolo ad Gal. 3. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius, qui est Christus: quem constat ex circunsione natum) ita acceptæ claues appropriatæ sunt ecclesiæ Ro. seu Petro, vt factus postea est pon. Ro. sic vt per ipsam aperiatur regnũ cælorum omnibus cognationibus terræ. Vnde patet quòd ex huiusmodi argumento etsi habetur, quòd acceptio clauium non pertinet ad Petrum nisi secundum, quòd erat tunc quum accepit claues (erat autem nõ solum Apostolus sed pastor ouium Christi) non tamen habetur quòd acceptæ claues restrictæ sint & conclusæ ad statum illum præcise: sed subsequendo similitudinem Abrahæ habetur, quòd claues acceptæ & extensæ & appropriatæ sunt ad pon. Ro. secundum mutationem, qua & loco & officio appropriata est Petro ecclesia Roma.

Ad secundum. ¶ Ad secundum dicitur, posse dupliciter intelligi successorem Petri seu Ro. pon. non posse esse infidelem seu hæreticum. Vel de ipsius persona in ordine ad ecclesiam catholicam: vel de ipsius persona secundum seipsam. Et vtroque modo verificatur: & vtrunque expressit Dominus in Euãgelio. Fidem enim solidam in Petro & successoribus suis secundum proprias personas, significauit Dominus, & dicens, Tu es Petrus: in præsenti, & dicens, Ego rogaui pro te, vt nõ deficiat fides tua, in futuro. Fidem verò eiusdem in ordine ad ecclesiam significauit Dominus, & dicens, Super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam: & dicẽs, Confirma fratres tuos. Nec obstat personæ Roma. pontif. fidei secundum propriam personam, quòd illa persona potest esse heretica: quoniam quamprimum desinit esse fidelis, desinit etiam esse Petri successor secundum rei veritatẽ & apud Deum: apud cuius tribunal qui non credit, iam iudicatus est: vt dicitur Io. 3. quicquid sit secundum forum ecclesiasticum. Ex quo tamen idem habetur: nam ex hoc ipso, quòd ille homo qui vocatur Petri successor, ex casu à fide, iudicio etiam inuitus subijcitur ecclesiæ, manifestatur ipsum non esse amplius Petri successorem secundum veritatem: nam si verè esset Petri successor, iudex esset totius ecclesiæ, & non esset illi subiectus inuitus. Ex soliditate autem in fide personæ Ro. pon. in ordine ad ecclesiam, prouenit vt errare non possit sententialiter diffiniendo de fide Christiana: quoniam in huiusmodi diffinitione construitur fides vniuersalis ecclesiæ, & per eã ædificatur ecclesia Christi ab ipso Christo super petrã sedis apostolicæ. ædificata. Impossibile autem esse constat vniuersalẽ ecclesiã errare in fide. Libet autem intueri quàm suauiter commẽdata sit huiusmodi fidei diffinitio voce euangelica, fide siquidem construi ecclesiam constat quum sit (vt ad Hebr. 10. dicitur) sperandarum substantia rerum & ideo ædificandi & confirmandi actui respondet. vterque enim substantiã ædificij respicit. Sed quoniam fides donum Dei est, idcirco Christus sibijpsi attribuit ędificationem ecclesiæ super sedem apostolicam: dicens, Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meã, firmare verò fideles fluctuantes in ambiguitatibus & quæstionibus, quæ circa fidem emergũt. quia ministeriale opus est Petri & successoris: ideo dicitur Petro & successori, Cõfirma fratres tuos: quicquid enim agit sedes apostolica diffiniendo de fide, nihil aliud est quàm declarare quid sub fide à Christo data cõtinetur: sic enim confirmat fratres suos. Vnde & in Calcedon. synodo dixerunt patres, quòd congregati in Constantinopolitano concilio doctrinam de Spiritu San. tradiderunt: non quòd minus esset in præcedentibus, qui apud Niceam congregati sunt inferentes, sed intelligendum aduersus hæreticos declarantes. Et hinc oritur vt diffinitis de fide ab apostolica sede subsit etiam ipse Roma. pontif. sicut subest fidei: non enim alicui propterea de nouo subijcitur, sed quòd implicitè credebat, tenetur explicitè credere, ex hoc quòd fides sufficienter explicata est, quo ad hæc, quæ prius explicata non erant fidei veritati subesse. At si cuiquam mira in hac responsione dicta apparebunt: meminerit scriptũ esse, Mirabilia testimonia tua, sunt enim hæc Iesu Christi testimonia. Sed quid mirari fidelis debet de tali tantáque diuinæ gratiæ assistentia suo in terris Vicario: quum Caiphæ Ponti. synagogæ minus legitimo ac persecutori ipsius Christi astiterit ad prophetandũ ratione pontificatus: testante Ioan. Euãgelista, dum dicit, A semetipso non dixit, sed quum esset pontifex anni illius, prophetauit quòd Iesus erat moriturus pro gente Ioann. 11. Cur enim Ioannes hoc docuit, cur hoc reuelauit, nisi vt diuinam assi

Ad tertium. fictiam peculiarem Pontifici esse reuelaret? Ad tertium dicitur, quòd exacta trina dilectio à Petro rectitudinem respicit pastoralis officij, & propterea qui nō succedit Petro in dilectione Christi, nequaquam succedit eidem in bonitate pastoralis exercitij: sed pastor est officio & nomine, mercenarius autem studio & exercitatione. *Ad quartum.* Ad quartū dicitur, quòd amare, & pascere oues Christi, spectat ad successores Petri sub ratione commissi & debiti: Christus enim commisit, vt pasceret oues suas, & ad hoc successor tenetur, & ad hoc se obligauit suscipiendo pontificatum. Vnde si nec amat nec pascit, non propterea locus iste ad ipsum non spectat: nam multum ad eum spectat pascere Christi oues: ad quem spectat vt præceptum & ex officio debitum. Exigit quippe locus iste pascentem & amantē, quia exigit, vt amare & pascere debeat. Et quamuis non amans nec pascens indignus sit pastorali officio, & mereretur illo priuari: non esse tamen propterea priuatum, ex vtroque testamento dicimus. Ezechi. siquidem 34. reprehēduntur mali pastores, qui non Dei gregē, sed semetipsos pascebant, appositis propheticis minis priuationis pastoralis officij per ipsum Deum exercendæ: pastores tamen relinquuntur. Matth. quoque. 23. Super cathedram, inquit Dominus, Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcunque dixerint vobis seruate & facite, secundum verò opera eorum nolite facere. *Ad quintum.* Ad quintum dicitur, Greg. prædecessorum vestigia imitatum refutasse se vniuersalem appellari, ea ratione, vt ipse millies dicit, quia si vnus vniuersalis episcopus dicitur, solus ipse episcopus videtur dici: & sic cæteris episcopatus tolleretur. Non autem ea ratione, quòd Roma. Ponti. autoritas restricta sit, & ad vniuersalem non se extendat ecclesiam: superbum enim vocabulum, vtpote reliquorum episcoporum iniuriam præse ferens, horruit Greg. & non rem apostolicæ autoritatis extendentis se ad vniuersalem ecclesiam. Vnde post inferius ad Mauricium Imperatorem afferenda verba de Petri autoritate super totam ecclesiam, subiungit de Petro, Cura ei totius ecclesiæ & principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur. Vbi patet Gregor. simul affirmare curam totius ecclesiæ, & negare vniuersalis vocabulum. Propter quod posteriores pontifices Ro. rem tenentes, nec à Greg. humilitate discedentes, Vniuersalis nomen à recto in obliquum transtulerunt: & subscribunt se in hodiernum diem, Ego enim episcopus ecclesiæ catholicæ. *Ad sextum.* Ad sextum dicitur, quòd aliud est loqui de autoritate, & aliud de executione cum autoritate. siquidē Romā. Pont. super totam ecclesiam, mos fuit laudabilis, vt non exequeretur Papa ea, quæ ad particulares aliarum ecclesiarum curas pertinebant, nisi casus aliquis id exegisset. Et hinc mos fuit, vt Episcopi ab Archiepiscopis confirmarētur, curati ab episcopis darētur, & innumera similia fiebāt. Et hæc est illa vetusta cōsuetudo, cuius meminit Nicenum Conci. quod annuente Roma. Pont. ibi per suos legatos præsente de obseruatione huiusmodi vetustæ consuetudinis statuit. Ex hoc autem non sequitur statutū esse de autoritate Roma. Ponti. aut læsam fuisse illius autoritatem: sicut nec hodie minuitur, aut læditur Roma. Ponti. autoritas ex eo quòd in multis prouincijs Roma. Pontif. obedientibus, huiusmodi executiones per prouinciales fiunt. *Ad septimum.* Ad septimum dicitur, quòd Roma. Pontif. Christi institutione esse prælatum cæteris, potest dupliciter intelligi, vel quo ad rationem initij: & sic falsum est, iuxta superius declarata. Vel præsupposita appropriatione ecclesiæ Roma. ad Petrum, & sic verissimū est: & propterea conceditur sequela, scilicet omnes peccare & peccasse, qui eum non cognouerūt vt prælatum. *Ad primam illationē.* Et quum infertur primò, quod primitiua ecclesia errasset, negatur sequela: quoniam tunc adhuc non fuerat appropriatio ecclesiæ Ro. ad Petrum: qua præsupposita ponti. Ro. præest omnibus. Sufficiebat siquidem tunc, quod tota ecclesia recognosceret Petrum, vt totius ecclesiæ pastorem: post appropriatam autem Ro. ecclesiam oportet recognoscere Ro. pon. successorem Petri pastorem totius ecclesiæ, non quatenus est Ro. pont. sed quatenus est successor Petri per se, & formaliter loquendo. *Ad secundam.* Quum verò infertur secūdò, quod tot Martyres & Sācti ad quadringētos annos peccassent, *Ad tertium.* quia non recognouerunt Ro. pon. respondetur falsum esse, huiusmodi Martyres & Sanctos non recognouisse Ro. pō. à principio enim ecclesiæ Petrus recognitus est, & successiuē Ro. pon. ei succedens: vt subsequentes manifestant autoritates Sanctorum. Et similiter quum tertio infertur, Asiam Aphricam & Græciā errasse, quia non fuerūt subditæ Ro. ecclesiæ, manifestè erratur & quæ falsissima comprobantur inducuntur: plenum siquidem registrum Greg. curis, Asiæ, Aphricæ, & Græciæ, testatur oppositū.

Quod demum inducitur Christianos hodie Orientales non subesse Ro. ecclesiæ (nisi de schismaticis sit sermo) falsum esse, ex gestis in concilio Floren. sub Eugenio IIII. patere potest: ibi siquidem Iacobitæ Armeni, & Græci Romanum pontificem vt pastorem totius ecclesiæ recognoscere se confessi sunt. Ad probationem autem subiūctā: quia nec episcopi ibi à Papa instituuntur, nec concilia eorum Papæ fiunt autoritate, iam patet quid dicendum est, scilicet quod huiusmodi exequutionū consuetudo in quibuscunque prouincijs, Papæ nec tollit, nec lędit autoritatē. Verumtamen pluries nostra ætate visum est, ab Orientalibus missum ad Ro. pont. pro surrogando episcopo seu confirmando electo: & tempore Alexandri VI. & Iulij II. *Ad octauum.* Ad octauum dicitur, nos de iure diuino loqui, arguentes autē obijciunt damnatum violentiæ factum: vt ipsa etiam verba Hier. testantur: ait enim, Achatius intantum claruit, vt in locum Liberij Felicem Arrianū substitueret. Vnde Felix ille in catalogo Pontificum non est computandus: vt testatur Aug. in Epistola ad Generosum: & est Epistola 165. Ibi siquidem Aug. à Petro vsque ad tūc temporis Ro. pon. Anastasiū singulos successiuè recensens, Liberio Damasum successorem ponit, non Felicem. *Ad nonum.* Ad nonū dicitur Ro. ecclesiæ appellatione intelligi posse, vel ipsum corpus Ro. ecclesiæ secundum se, vel secundum suū caput: & quod licet Ro. ecclesia secundum reliqua eius membra nō sit prima, nec mater omnium ecclesiarum, nec immediatè instituta à Christo: ipsa tamen eadem ecclesia Ro. secūdum suum caput Petrum ac Petri successorē, prima est ac mater & magistra oīm ecclesiarū: & immediatè à Christo euangelica voce autoritatem, ac firmitatē habens: vt præs declaratum est. Vnde tam Canonum quam Sanctorū sententiæ Romanam ecclesiam primam, magistram, matremque ecclesiarum omniū, aut à Christo domino euāgelica voce fundatam firmatamque sonantes, veræ sunt ratione capitis. Et hoc intendunt qui hæc scripserunt: vt ex eo patet, quorum sentētia fundatur super verbis Domini ad Petrum, qui caput fuit, & in suis successoribus est ecclesiæ Ro. Vnde nihil obstant huic primatui quæ de Hierosolymitana ecclesia afferuntur: nam illa non fuit prior Petro: sed subdita fuit Petro. Collectæ autem ecclesiæ Hierosolymitanæ non vt prælatæ, sed vt indigenti ab alijs dabantur: vt patet ad Gal. 2. vnde impertinentes sunt ad propositum.

CAPVT XIIII.

Autoritates Sanctorum antiquorum & conciliorum, affirmantes, in Petro ac Ro. Pon. successore Petri, totius ecclesiæ pontificatum institutum.

RELIQVVM Est, vt illis quoque fiat satis qui nesciunt à priscis ecclesiæ Patribus in Asia, Aphrica, & Europa veneratū esse Ro. pon. vt totius ecclesiæ patrem non humana, sed diuina ratione, scilicet quia in Petro institutus est rector ecclesiæ vniuersalis. Afferēdas propterea censui Græcorum ac Latinorum antiquorum ecclesiæ Patrum ac Doctorū sententias nō omnes, nec omniū, sed tot vt sufficiant ad claram notitiā, quod Ro. pon. Petri successor est, & habitus est semper in Petro institutus Pastor & rector totius ecclesiæ. Et à græcis incipiendo, Chry. homi. 55. super Matt. exponens illud, Super hanc petrā, dicit Petrum ecclesiæ futuræ pastorē cōstituit. Et infra, Deus concedere solus potest peccatorū remissionē, & vt futura ecclesia tot, tantisque fluctibus impetu irrūpentibus immobilis maneat: cuius pastor et caput piscator homo, atque ignobilis terrarū orbe reluctāte adamātis naturā firmitate superet. hæc inquā omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturū. Et infra, Hunc, scilicet Petrū, vniuerso terrarū orbi Christus præposuit. Et licet superius glossauerit, per hanc petrā ædificabo ecclesiā meā, id est fidē atque cōfessionem: inferius tamen ait. Ego dico tibi, Tu es Petrus, & ego super te ædificabo ecclesiā meā. Et homi. vlti. super Io. tractans illud. Simō Ioānis diligis me plus his, &c. dicit, Alijs omissis, dūtaxat Petrū affatur, fratrū ei curā cōmittit: neque negotiationis meminit, neque exprobat: tantū dicit, Si amas me, fratrū curā suscipias. Et infra, tractans illud, Sequere me, ait, Inquit ei, Sequere me: quibus verbis iterū curā & familiarē in eū affectū ostendit. Quod si petro

percontaretur quomodo Iacobus Hierosolymis sedē acceperit, responderem, hunc totius orbis magistrum præpositum fuisse. Et infra, tractans illud, Domine hic autem quidē dicit? Nam quum magna Dominus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset martyrium prædixisset, & maiora, &c.

¶ Theophilus quoque Luc. 22. tractans illud, Et tu aliquādo conuersus confirma fratres tuos, ait, Postquā me negato ploraueris, ac pœnitueris, corrobora cæteros: quam te principem Apostolorū deputauerim: hoc enim decet te, qui mecum robur es, & petra ecclesiæ. Et infra, Quū esset Apostolus, denegauit: ac iterum per pœnitentiā obtinuit prærogatiuam, vt esset Antistes mundi. Et super Io. vlt. cap. super illud, Quū ergo prandissent, ait, Finito prandio cōmissionem ouium mundi Petro commendabat, non alij. Et super illud Sequere me, ait. In hoc quod dicit Dominus Petro, Sequere me, cunctorum fidelium prælaturam ei instituit. Et infrà, super illud, Donec veniam, ait, Id est, dū hunc scilicet Io. volens dirigam ad prædicandum: te nanque nūc dirigo ad orbis pontificatum. & in hoc me sequere.

¶ Cyrillus Patriarcha Alexādrinus in lib. Thesau. Sicut Christus accepit à Patre sceptrum ecclesiæ gentium, dux ex Israel egrediens super omnē principatum & potestatē super omne quodcunque est, vt ei cuncta curuētur: sic & Petro & eius successoribus plenissimè cōmisit, & nulli alij quam Petro Christus quod suū est plenū, sed ipsi soli dedit. Et rursus. Pedes Christi humanitas est, scilicet ipse homo cui tota trinitas plenissimā dedit potestatē: quē vnus triū assumpsit in vnitatem personæ, transuexit ad Patrē super omnem principatū & potestatē, vt adorent eū omnes Angeli Dei, quē totū dimisit per sacramentū & potestatē Petro & ecclesiæ eius. Et iterū, Petro omnes iure diuino caput inclinant: & primates mūdi tanquam ipsi dño Iesu obediunt. Et iterū, Ipsius Apostolici throni Romanorū pōtificum solius est reprehendere, corrigere, statuere, soluere, disponere, & loco illius ligare, qui ipsum ædificauit.

¶ Maximus in Epistola Orientalibus directa, Omnes fines orbis, qui Dominum syncerè recipiunt: & vbique terrarum catholici veram fidē confitētes, in ecclesiā Romanorum tanquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen catholicæ & apostolicæ fidei recipiunt.

¶ Cyrillus Patriarcha Hierosolymitanus, ex persona Christi loquens dicit Petro. Tu cum fine & ego fine fine cum omnibus, quos loco tui ponam, plenè & perfectè sacramento & autoritate ero sicut sum & tecum.

¶ Concilium Calcedon. (vt in eius gestis legitur) tēpore sancti Leonis & Martiani Imperatoris acclamauit Leoni Papæ: Leo sanctissimus Apostolicus & vniuersalis. Et prius tempore Diocletiani & Maximiani imperatorū (vt habetur di. 21. nunc autē) quū Marcellinus papa, & posteà Martyr timore ductus thurificasset idolis, synodus episcoporum collecta huius rei gratia dixit, Prima sedes nō iudicabitur à quoquā. Et lōge antè Anacletus Martyr Traiani tempore natione Græcus, patria Atheniē. ait. Sacrosancta Ro. & apostolica ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Dño & Saluatore nostro primatum obtinuit: sicut beato Petro Apostolo dixit, Tu es Petrus, & super hāc petrā ædi. ecclesiā meā: & tibi dabo claues, &c. vt habetur di. 22. Sacrosan. Et rursus, vt habetur di. 21. in nouo. idē dicit. In nouo Testamēto post Christū dominū à Petro sacerdotalis cœpit ordo: quia ipsi primo pontificatus in ecclesia Christi datus est: Domino dicente ad eum, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Et iterū, Electionē summorum pontificum sibi Dominus reseruauit. 79. dist. electionem.

¶ Marcellus Papa & Martyr tempore Diocletiani & Maximiani, seu Cōstantij & Galeri, qui imperij gubernacula susceperunt, post Diocletianum & Maximianum in cap. rogamus vos. 24. q. 1. ait de Petro. Ipse est caput totius ecclesiæ: cui Dominus ait, Tu es Petrus & super hāc Petram ædificabo ecclesiam meam, &c.

¶ Cyprianus quoque Martyr in tract. de simplicitate prælatorū dicit ea, quę referuntur. 24. q. 1. loquitur Dominus, quę breuitatis causa non duxi referēda. In illis siquidem Petri pontificatus satis patet: vt declaratum superius est.

¶ Amb. in sermone. 47. de fide Petri Apostoli, & habetur dist. 50. cap. fidelior. dicit de Petro, Tanquā bonus pastor tuendum gregem accepit: vt qui sibi infirmus antè fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipse interrogationis tentatione mutauerat, cæteros fidei soliditate fundaret. Deniq; pro soliditate deuotionis ecclesiarum petra dicitur: sicut ait Dominus, Tu es Petrus, & super hanc petram ædific. eccle. meam: petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat. Et idem in hymno Dominicali Petrum petrā ecclesiæ appellat, dicens, Hæc ipsa petra ecclesiæ canente culpam diluit. Testatur siquidem Aug. in lib. 1. Retrac. c. 21. hunc hymnum Ambr. esse. Et in serm. 11. de mirabilibus: Hāc igitur solā ecclesiæ nauē ascēdit Dñs, in qua Petrus magister est cōstitutus: dicēte Domino. Super hāc petram ædi. eccl. meā. Quæ nauis in altū seculi istius ita natat, vt pereunte mundo omnes, quos suscipit, seruet illæsos. Cuius figuram iam in veteri videmus Testamento. Sicut enim Noe arca, naufragante mundo cūctos, quos susceperat incolumes reseruauit: ita & Petri ecclesia cōflagrante seculo, oēs quos amplectitur, repræsentabit illæsos. Et sicut tunc translacto diluuio ad arcā Noe columba signū pacis detulit: ita & trāsacto iudicio ad ecclesiā Petri Christus gaudiū pacis referet: quia ipse colūba, vel pax est. Et idem super Epist. 1. ad Tim. ca. 3. tractans illud, Vt scias quēadmodū oporteat te in domo Dei cōuersari, quæ est ecclesia Dei viui, &c. ait: Quū totus mundus Dei sit, ecclesia, tū domus eius dicitur, cuius hodie rector est Damasus: mundus enī in præuaricatione est diuerso turbatus errore: ideo illic necesse est dicatur esse domus Dei & veritas, vbi secūdum volūtatē suā timetur. Et in lib. de excessu fratris sui nomine Satyri, narrat, cōmendat ac tuetur cautelā ac sapientiā eiusdē in peregrinis partibus percunctantis, si eps esset catholicus, hoc est cū Ro. ecclesia cōueniret: dicēs ca. 7. Aduocauit ad se epm nec vllam putauit verā nisi verè fidei gratiā: percūctatusque ex eo est, vtrū nā cū episcopis catholicis, hoc est cū Ro. ecclesia cōueniret. Cū Ro., dixit, nō Hierosolymitana, nō Antiochena, nō Constantinopolitana, &c. cur hoc nisi, quia Ro. cōmunis est omnibus catholicis, proculdubio vt caput? Simile siquidem apud Hiero. refugiū inuenies, scribētē ad Damasum Epistola. 7. Ego interim clamito, si quis cathedræ Petri iungitur, meus est.

Hieronymus. ¶ Hieronymus, super Mat. ait. Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomē: ac secundū metaphoram petræ rectè dicitur ei, Aedifi. eccle. meam super te.

Rursus ad Damasum: & habetur. 24. q. 1. quoniam vetus. Ego nullum præmium nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri cōmunionē cōsortior: super illam Petram ædificatā ecclesiam suā scio. Et infra, Quicunque tecum non colligit, spargit: hoc est qui Christi non est, Antichristi est. Vbi nota, Hiero. pro eodem computare Christū & papā quātū ad ea quæ sunt fidei: de his enim eū loqui clarè patet videnti Epistolā 4. Idē quoque 1. lib. cōtra Iouinianū cap. 14. ait. Inter. 12. vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio. & loquitur proculdubio de electione Petri nō ab Apostolis, sed a Christo: vt patet ex solutione subiunctæ mox quæstionis, sed cur non Ioānes virgo electus est: soluit enim, Ne magister bonus, quod dixerat, Pacē meā do vobis &c. in adolescentē, quē dilexerat, causam præbere videretur inuidiæ. Idē rursus Epistola 2. ad Damasum: & habetur 24. q. 1. Hæc est fides, ait, & hæc nostra cōfessio apostolatus tui iudicio cōprobatur, quicūque me culpare voluerit, se imperitū vel maleuolum, vel etiā nō catholicū, nō me hæreticū cōprobabit. Vbi quia vides, ex sedis apostolicę iudicio pēdere esse vel nō esse catholicū, aut hæreticū summū Christi in terris tribunal agnoscere potes: ad quod de fide iudiciū spectare constat.

Augustin. ¶ Aug. non solū Petrū principē Apostolorū affirmat: sed quū cōsuleretur sedes apostolica de fide cōtra Pelagianā hæresim, à duobus cōcilijs Carthagin. & Mileuitano subscriptus inuenitur. Et respōdēte Innocētio Papa ad Carthaginēse quidē cōciliū. Patrū instituta sacerdotali custodiētes officio nō cēsetis esse calcāda, quod illi nō humana, sed diuina decreuere sentētia, vt quicquid de disiūctis remotisque prouincijs ageretur, nō prius ducerēt finiēdū, nisi ad huius sedis notitiā perueniret: vbi tota huius autoritate iusta, quæ fuerit pronūciatio firmaretur: indéque sumerēt cæteræ ecclesiæ, velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent. Et per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manerent: quid præcipere, quos abluere, quos velut in cœno inemundabili sordidatos mūdis digna corporibus vnda vitaret. Cōciliū verò Mileuitanū. Quoties fidei ratio ventilatur arbitror oēs fratres & coepiscopos nostros nō nisi ad Petrū, id est, sui nominis & honoris autore referre debere: velut nūc retulit vestra dilectio, quod per

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

totũ mundũ poſsit omnibus eccleſijs in cõmuni prodeſſe.

Et idem ad Paulinum Epiſtola.106.referens hæc geſta,commendat Innocentij literas reſponſiuas,ſubiungẽs. Ad omnia nobis ille reſcripſit eodem modo, quo fas erat atque oportebat apoſtolicẽ ſedis Antiſtiten. Rurſus ſecundò lib.de Baptiſmo,contra Donatiſtas cap.1.(& habetur 2.q.7.puto)Petri cathedram cuilibet præfert epiſcopatui,quum comparando Cyprianum Petro ait, Vereri debeo ne in Petrum contumelioſus exiſtam: quis enim neſcit illum apoſtolatus principatum cuilibet epiſcopatui præferendum:ſed etſi diſtat cathedrarum gratia, vna tamen eſt Martyrum gloria. Idẽ in 2.lib.de Doc.Chriſtia.non longè verſus principiũ,decretales Epiſtolas apoſtolicæ ſedis inter canonicas habendas Scripturas cenſet, dicẽs,In canonicis Scripturis eccleſiarum Catholicarum quamplurium diuinarum Scripturarum ſolertiſsimus indagator,autoritatẽ ſequatur:inter quas ſanè illæ ſint, quas apoſtolica ſedes habere, & ab ea alij meruerunt accipere Epiſtolas.Qui enim Decretales fidei,quas apud ſe habet, vel alijs miſit apoſtolica ſedes inter canonicas eſſe habendas Scripturas affirmat,ſupponit proculdubio apoſtolicã ſedem non ſolùm cunctis prælatam ſedibus: ſed diuinam vtpote fidei magiſtram.

Gregorius. ¶ Greg.in regiſtri lib.4.Epiſtola.32.ad Mauricium Auguſtum ait:Cunctis Euangelium ſcientibus liquet,quòd voce Dominica ſancto & omnium apoſtolorum principi Petro apoſtolo totius eccleſiæ cura commiſſa eſt: ipſi quippe dicitur,Petre amas me?paſce oues meas. Ipſi dicitur,Ecce Satanas expetijt cribrare vos ſicut triticum: & ego pro te rogaui,vt non deficiat fides tua:& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos Ipſi dicitur,Tu es petrus,& ſuper hanc Petram ædifi.eccle.meam:& portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cælorum:& quodcũque ligaueris ſuper terram, erit ligatũ,& in cœlis.& quodcunq; ſolueris ſuper terrã, erit ſolutum & in cœlis.Ecce claues regni cœleſtis accepit:poteſtas ei ligandi & ſoluendi tribuitur:cura ei totius eccleſiæ & principatus committitur.

Leo primus. ¶ Sanctus Leo primus in ſermone 3.de anniuerſario ſuæ aſſumptionis die ait, De toto mundo vnus Petrus eligitur qui & vniuerſarum gẽtium vocationi & omnibus Apoſtolis cunctiſque eccleſiæ partibus præponatur vt quamuis in populo dei multi ſacerdotes ſint, multíque paſtores,omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit Chriſtus.Magnũ & mirabile,dilectiſsimi,huic verò conſortium potentiæ ſuæ tribuit diuina dignatio: & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe principibus,nunquã niſi per ipſum dedit quicquid alijs negauit.

Beda. ¶ Venerabilis Beda ſuper illud Ioan.1.Intuitus autem in eum Ieſus,dicit,Vidit cordis eius ſimplicitatẽ,animi ſublimitatẽ:cuius meritò cunctæ eſſet præferendus eccleſiæ.

Bernardus. ¶ Bernardus non ſolùm pluries Ro.pon.Ieſu Chriſti vicarium & totius eccleſiæ caput appellat: ſed in Epiſtola prima ad Eugenium Papam,237.in ordine Epiſtolarum ait,Locus in quo ſtas,terra ſancta eſt,locus Petri eſt, locus principis Apoſtolorum,vbi ſteterunt pedes eius:locus illius eſt,quem cõſtituit Dominus dominum domus ſuæ & principem omnis poſſeſsionis ſuæ: meritò tali paſtori,tali nutritio commiſſa eſt eccleſia, quum adhuc tenera adhuc in cunabulis eſſet. Et in Epiſtola 242.ad Rom.quando diſceſſerunt à Domino Papa,ait. Cur regẽ terræ,cur dominum cæli furore tam intolerabili,quàm irrationabili in vos pariter prouocatis,dum ſacram & apoſtolicam ſedem diuinis regalibúſque priuilegijs ſingulariter ſublimatam,auſu ſacrilego inceſſere, ſuóque minuere honore contenditis? Et in Epiſtola 131.ad Mediolanen. de plenitudine poteſtatis apoſtolicæ ait,Ro.eccleſia valde clemens eſt,ſed nihilominus potens: fidele conſilium & omni acceptione dignum,noli abuti clementia,ne potentia opprimaris.Sed dicit aliquis,Debitam ei reuerentiam exhibebo,& nihil amplius.Eſto. Fac quod dicis: quia ſi exhibeas debitam,& omnimodam. Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper vniuerſas orbis eccleſias ſingulari prærogatiua apoſtolicæ ſedi donata eſt:qui igitur huic poteſtati reſiſtit,Dei ordinationi reſiſtit.Poteſt ſi vtile iudicauerit nouos ordinare epiſcopatus, vbi hactenus non fuerunt: poteſt eos,qui ſunt,alios deprimere,alios ſublimare,prout ratio ſibi dictauerit:ita vt de epiſcopis creare archiepiſcopos liceat,& econuerſo ſi neceſſe viſum fuerit.Poteſt à finibus terræ ſublimes quaſcunque perſonas eccleſiaſticas euocare,& cogere ad ſuam præſentiam:nõ ſemel aut bis, ſed quoties expedire videbit. Porrò in promptu eſt ei omnem vlciſci inobedientiam,ſi quis forte reluctari conatus fuerit.

¶ In geſtis concilij Conſtantienſ. inter damnatos articulos Ioan.VViclef,& Ioan.Hus reperiuntur hi duo,ſcilicet Petrus non eſt nec fuit caput ſanctæ eccleſiæ catholicæ,nõ eſt de neceſsitate ſalutis credere Ro.eccleſiam eſſe ſupremam inter alias eccleſias.Et ſubditur,Error eſt,pro quanto negaret primatum ſummi Pontif.ſuper alias eccleſias particulares.

¶ Sanctus Tho.in 4.contra Gen.cap.76.poſtquã multipliciter probauit vnum epiſcopum prælatum à Chriſto, toti eccleſiæ,ſubdit,Per hoc autem excluditur quorundam præſumptuoſus error,qui ſe ſubducere nituntur ab obedientia & ſubiectione Petri,ſucceſſorem eius Romanum ponti.vniuerſalis eccleſiæ paſtorem non recognoſcentes.

¶ In concilio quoque vniuerſali Florentiæ ſub Eugenio. 4.vbi Græcorum,Armenorum,& Iacobitarum cũ Ro. eccleſia facta legitur vnio, habentur hæc verba, Diffinimus ſanctam apoſtolicam ſedem & Ro.pontif.in vniuerſum orbem tenere primatum,& ipſum Ro.pont.ſucceſſorem eſſe beati Petri principis apoſtolorum,& verũ Chriſti vicarium,totiúſque eccleſiæ caput & omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere: & ipſi in beato Petro paſcendi,regendi, & gubernandi vniuerſalem eccleſiam à domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe,quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum conciliorum & in ſacris canonibus continetur.hæc ibi. Vbi non nouiter ab hac ſynodo inuentã fuiſſe hanc diffinitionem,ſed ipſam contineri in aliorum vniuerſalium conciliorum geſtis,& propterea hoc vnum concilium ſufficit pro omnibus ad firmandam fidem huiuſmodi veritatis.

¶ Præterea turbam Canonum & Doctorum (quam dinumerare nemo poteſt)idem ſentientium. Tam euidenter ſiquidem ex his,quæ attulimus,clarum eſt Roma.pontif. Petri ſucceſſorem,à Chriſto in Petro inſtitutum eſſe totius eccleſiæ paſtorem, vt locus dubitationi nullus relictus ſit. Si quis autem poſt hæc hæſitans inuenitur, aut rudis & ineptus,aut cum hæreticis ſeu ſchiſmaticis ſapit, aut certè Chriſtianus non eſt,ineruditus quippe valde & indocilis eſt quiſquis certitudinem mathematicam in omnibus quærit:vt Philoſophi tradunt.Hæreticorum atque ſchiſmaticorum proprium eſt ſacra vti Scriptura, ſecundum ſenſum tamen quo ipſi faciunt illam ſonare.Chriſtianorum autem,qui verè catholici ſunt, ſapiẽtia ſacram Scripturam intelligit ſecundum ſenſum,quem ſancti Doctores,quem ſacra concilia,apoſtolica autoritate roborata interpretantur. Hunc ſciendi Chriſtianam veritatem modum quiſquis repellit Chriſtianus non eſt:ab hac via qui recedit,infidelis inuenitur.Nam licentia exorbitandi ab hac via ſi admittitur,trinitatis vnam ſubſtantiam reuocare in dubium cum Arrio fas eſt:Spiritum quoq; ſanctum procedere à filio,ambiguum adhuc cum priſcis erit: panem in ſacramento altaris conuerti in corpus Chriſti dubitatur.Hæc enim omnia nulla alia via aut autoritate ſunt Chriſtianis reddita certa & indubia fide tenenda,niſi interpretatione ſacræ Scripturæ, iuxta Sanctorum documenta, & ſacrorum Conciliorum autoritate apoſtolica firmatorum diffinitionem. Quocirca quum textus euangelici ad propoſitum adſint,& Sanctorum doctrina conformis in propoſito pateat,nullo penitus Sanctorum reluctante,ſacrorúmque conciliorum cum Apoſtolica autoritate inueniatur definitio, omníſque Chriſtianorum ætas à Petro hucúſque in ſancta eccleſia catholica hoc confeſſa inueniatur, reliquorúmque Doctorum teſtimonia innumera ſint: certum ita redditur Roma.pon.Petri ſucceſſorem in Petro à Chriſto inſtitutum totius eccleſiæ paſtorem, vt certificatio fidei haberi non poſsit.

Amen.

❦

¶ Romæ,anno Chriſtianæ ſalutis, 1521.ætatis verò propriæ.52.die 17.Februarij.

FINIS.

Inc

TRACTATVS QVARTUS De Attritione & Contritione in quatuor Quæſtiones diuiſus.

SVMMARIVM.

1 An attritio poſsit fieri contritio.
2 Num Contritio debeat eſſe ſingulorum peccatorum.
3 Num peccator teneatur ad contritionẽ quandocunque recordatur ſuorum peccatorum.
4 Num contritio non modo culpam,ſed pœnam debitam peccatis remittat.

Prologus.

INTENTIO MEA IN ſubſequentibus, quæ ab autore tractanda erant ad perfectionem operis, eſt non aggredi ordinem per quæſtiones & articulos ſigillatim decidendo, quaſi complere vellem tertiam partẽ (imparem enim me tanto negotio & cognoſco & fateor)ſed dubia aliqua vtilia necnon diſcuſſione digna tractare,& iuxta ingenij vires diuina aſpirante gratia determinare. Seruabóque ordinem ſacramentorum ſuprapoſitum.

¶ De partibus igitur pœnitentiæ in ſpeciali tractãdis primùm occurrit de prima parte pœnitentiæ dubium circa quidditatem eius:quæ ex differentia inter attritionem & contritionem facilius cognoſcetur.

QVAESTIO I.

An attritio poſsit fieri contritio.

ET PROPTEREA Quæritur primò, an attritio poſsit fieri contritio. Videtur enim quòd non. Tum quia contritio & attritio differunt pœnes principia: quoniam contritio eſt à charitate,attritio autem eſt à voluntate ſine charitate. Tum quia imperfectio attritionis eſt de ratione eius:ac per hoc remota imperfectione non remanet attritionis actus,qui poſsit perfici per charitatem.

AD EVIDENTIAM Huius tria facienda ſunt,primò dicetur quid nominis:ſecundò manifeſtabitur quotuplex eſt tam attritio,quam contritio tertiò reſpondebitur quæſito.

¶ Quo ad primum,attritio ſonat imperfectam diſplicentiam peccati:contritio autem ſonat diſplicentiam perfectam peccati.Et eſt ſermo de peccato mortali. Notanter autem dico diſplicentiam,& non dico dolorem ſeu triſtitiam:quoniam contritio propriè ſignificat diſplicentiam quæ eſt cauſa triſtitiæ ſeu doloris, quamuis ſequenti vſu dicatur,quòd contritio eſt dolor,ſignificando cauſam ab effectu. Quanta autem differentia ſit inter diſplicentiam & triſtitiam,quæ eſt in voluntate,manifeſtat ſtatus cæleſtis patriæ:in qua ſanctis diſplicebant peccata olim ab eis commiſſa, nullam tamen triſtitiam de eis habebant. Ex hoc enim quòd in prima erit diſplicentia,& non erit triſtitia,manifeſte patet quòd triſtitia ipſa,quæ eſt in voluntate,non eſt eſſentialiter diſplicentia,ſed ad diſplicentiam ſequitur triſtitia in ijs,qui ſunt triſtitiæ capaces.Et hanc doctrinam habes ſuperius ab Autore in quæſt.84.artic.4. Hæc de primo.

¶ Quo ad ſecundum,quia imperfectum dicit negationẽ perfecti,& negatio per affirmationem oppoſitam cognoſcitur:ideo inchoandum eſt à contritione, quæ eſt diſplicentia perfecta. Ex tribus ſiquidem conſtat huiuſmodi perfectam diſplicentiam:primum eſt ipſa diſplicentia peccati:ſecundum eſt propoſitum decætero nõ peccandi mortaliter: tertium eſt quòd ſit charitate informata. Et ſiquidem primum defecerit totaliter, nec attritio,nec contritio eſt:quoniam diſplicentia communis eſt vtrique. Si verò defecerit ſecundum quid(puta quia adeſt peccati diſplicentia modica,ſeu leuis)tunc attritio eſſe poteſt, verum vſque ad quem terminum quantitas diſplicentiæ limites habeat,ita quòd ibi ſint confines attritio & contritio, in tertia conditione declarabitur. Si verò ſecunda defecerit conditio(ſcilicet propoſitum decætero non peccandi mortaliter)tripliciter hoc cõtingere poteſt. Vel per poſitionem contrarij propoſiti in actu:puta,quia actualiter intendit peccare mortaliter:& tunc non habet locum attritio. Vel per poſitionem contrarij habitualiter tantùm: puta quia non intẽdit actualiter cõmittere peccatũ mortale, nec intendit mutare ſtatũ ſuũ,quo detinetur in peccato mortali,vt patet in vſurarijs,concubinarijs, & alijs ſimilibus: qui confitentur peccata ſua,diſplicétque eis peccaſſe, habentque velleitatem relinquendi peccatum,non tamẽ deſerunt concubinatum,aut reſtituunt vſuras, &c. Et hæc diſplicentia cum huiuſmodi velleitate attritio dici poteſt, vel per negationem propoſiti explicitè,puta quia pœnitẽs eſt ſic diſpoſitus quòd diſplicent ei peccata præterita, & non intendit peccatum mortale aliquod committere, & intendit tanquam in quodam confuſo cauere à peccatis: ita quòd duo prima,ſcilicet affirmatio diſplicentiæ & negatio intentionis peccandi habentur explicitè:tertium autem ſcilicet affirmatio propoſiti decætero non peccandi mortaliter,non niſi in confuſo habetur:pro quanto in voluntate non peccandi confunditur & tempus proximè futurum,& totum tempus vitæ ſuæ:ad quod non explicitè extendit ſe hoc debile propoſitum, de quo eſt ſermo. Et talis diſplicentia forte eſt valde communis:& illa quę communiter vocatur attritio. Circa defectum verò tertiæ conditionis aduertendum eſt,quod in conditione illa clauduntur duo,quorum vnum eſt in poteſtate noſtra,& de eo certi eſſe poſſumus. alterum eſt ex diuina gratia, & nobis incertum.Horum primum eſt, diligere Deum ſuper omnia:ſecundum eſt,quòd huiuſmodi diligere ſit informatum charitate diffuſa à Spiritu ſancto in corporibus filiorum Dei.Et ſiquidem defecerit primum, (ſcilicet dilectio Dei ſuper omnia,)attritio non contritio eſt:ſi verò primum affuerit,contritio vocatur. Eſſe autem hanc dilectionem in poteſtate noſtra,ex eo patet:quòd ſicut in poteſtate noſtra eſt cõſtituere nobis pro vltimo fine delectationem veneream,aut lucra,aut regnum:ita in poteſtate noſtra eſt habere Deum etiam vt beatitudo eſt Sanctorum,pro vltimo fine:ita quòd intendamus & deliberemus præferre ipſum in voluntate noſtra omnibus, quæ deſiderari haberíve poſsint. Quòd etiam huiuſmodi dilectio exigatur ad cõtritionem,& diſtinguat ab attritione,ex eo patet,quòd ſine huiuſmodi dilectione non poteſt eſſe informatio charitatis:ſubſternitur enim huiuſmodi dilectio acquiſita charitatis formationi,& tunc tam ſapientes,quàm boni fideles,tam ſeipſos,quàm alios habent pro contritis,quum hæc dilectio teſtimoniũ perhibet. Quod demum huiuſmodi tam dilectio, quàm contritio poſsit eſſe ſine charitate,ex eo patet,quòd multi ſciunt ſe habere hanc dilectionem,& neſciunt ſe eſſe in charitate. Si enim huiuſmodi tam contritio, quàm dilectio non poſſet eſſe informis manifeſtè ſequeretur, quòd ſcire poſſemus euidenter,nos eſſe in Dei gratia:quia euidenter certi ſumus de nobiſipſis quòd habemus hanc voluntatem deliberatam præferendi omnibus Deum,&c.Et hæc eſt dilectio ſimilis charitati infuſæ intantum quòd propter ſimilitudinem actuum cenſet diuus Thomas non diſcerni à nobis,an dilectio noſtra,qua Deum diligimus & proximũ ſit ex infuſa gratia,vel non? Et ab hoc amore prouenire poteſt quòd Apoſtolus ait,Si diſtribuero facultates meas in cibum pauperum,& ſi tradidero corpus meum ita, vt ardeam: charitatem autem non habeam, &c. Et hinc habere potes terminos quantitatis tam diſplicentiæ peccati, quàm propoſiti non peccandi: quantificatur enim vtrunque horum ex quantitate amoris Dei:ita quòd ſicut amor Dei eſt ſuper omnia amabilia, ita propoſitum vitandi peccati debet eſſe ſuper omnia euitabilia, & ſimiliter diſplicentia peccati ſuper omnia odibilia. Ac per hoc diſplicentia peccati modica, quæ non peruenit ad diſplicentiam contritionis,eſt illa quam minus odio habemus peccatum,quàm aliquod aliud damnum,& ſimiliter propoſitum illud eſt debile ac deficiens à propoſito contritionis,quo plus proponimus cauere ab aliquo alio malo, quàm à peccato mortali.Si poſtremò deficiat charitas ſtantibus reliquis conditionibus, contritio, vt dictum eſt, vocatur quamuis appelletur attritio ab illis,qui ſine charitate contritionem non nouerunt. *Quantã oporteat eſſe peccatorum diſplicentiã in contritione.*

¶ Ex quibus omnibus colligere poſſumus duplicem eſſe attritionem & duplicem contritionem. Prima attritio eſt diſplicentia peccati cum velleitate non peccandi, in ſtatu tamen peccati:& hæc eſt attritio meretricum, vſurario

Universidad de Deusto Biblioteca

rum,& aliorum huiusmodi: & hæc vocatur attritio impœnitentium. Secunda attritio est displicẽtia peccati cum non voluntate peccandi, & cum voluntate non peccandi in confuso: & hæc est attritio pœnitentium, qui sic in confuso, tam totum tempus futurum, quàm comparationem peccati ad alia odibilia, quàm etiam comparationem Dei ad alia amabilia in voluntate sua habent: & hæc vocatur attritio imperfectorum. Prima verò contritio est acquisita displicentia peccati supra omne odibile, cum proposito vitandi peccatum supra omne vitabile, ex amore Dei supra omne amabile: & hæc vocatur contritio informis. Secunda autem contritio est hæc eadem displicentia condicto tam proposito, quàm amore, charitate informata: & hæc vocatur contritio formata. Hæc de secundo,

CONCLVSIO.

Quanquam de attrito possit fieri contritus, attritio tamen imperfectorum & impœnitentium contritio fieri non valet: & informis contritio, quæ perfecta attritio dicitur Dei munere fit contritio.

¶ Quo ad tertium, prænotãdum est, quòd aliud est quærere an de attrito fiat contritus, & an attritio fiat cõtritio. Prima enim quæstio clara est: quoniam constat multos peccatores paulatim ad pœnitentiam conuerti, & ex imperfecta displicentia ac ex imperfecto proposito imperfectóque Dei amore ad perfectionem contritionis deduci: ita vt verè contritionem charitate informatam assequantur. Secunda autem quæstio (de qua est sermo) non est vsquequaque clara: quoniam permanentia actuum interiorum in identitate numerali satis occulta videtur. Veruntamen dicendum est, quod attritio impœnitentiũ non potest fieri contritio. Quod probatur non solũ, ex eo quod velleitas non est idem actus cum voluntate deliberata: & similiter displicentia proportionalis velleitati nõ est idem actus cum displicentia proportionali voluntati deliberatæ, sed præcipuè ex eo quod actus vnus speciei nõ transit in actum alterius speciei: displicentia autem summi odibilis, quæ est contritio, & displicentia odibilis, non summi, quæ est attritio, differunt specie: quia summum odibile ex suo genere specie differt ab odibili non summo: & hoc tam genere mali, quàm in genere odibilis. Et hæc intellige formaliter, id est quia attritio est displicentia peccati sub ratione non summè odibilis, contritio autem sub ratione summè odibilis. Cui enim offensa Dei est summè odibilis, illi Deus est summè amabilis: & à quo Deus nõ summè amatur, illi offensa Dei non est summè odibilis.

Attritio quoque imperfectorum non fit contritio eadem ratione, qua cognitio confusa non fit cognitio distincta: sed sicut cognitio confusa approximat intellectũ ad cognitionem distinctam: ita displicentia confusa, quæ attritio dicitur, ducit & appropinquat voluntatem & displicentiam distinctam, quæ est contritio. De acquisita autem contritione, quæ contritio informis dicitur, dicendum est quòd potest fieri contritio formata: quoniam potest continuari idem numero actus acquisitę contritionis vsq; ad charitatis infusionẽ inclusiuè, et sic charitate informari. Et quia huiusmodi cõtritio anteq; informetur charitate, vocatur etiã quandoq; attritio: ideo hoc tertio modo sumpta attritio potest fieri contritio. Et hoc iam habere potes à diuo Tho. superius in q. 89. vbi dixit, quòd contritio est vltima dispositio ad charitatem.

¶ Sed occurrit hic non dissimulandum dubium, per quid seu quomodo huiusmodi attritio seu cõtritio acquisita sit vltima dispositio ad gratiam. Est enim quandoque non vltima dispositio: vt patet ex eo quod potest esse informis. Si enim semper esset vltima dispositio, quum Deus tam in naturalibus, quàm in gratuitis det semper vltimò dispositis formam, pro qua sunt vltimò disposita, sequeretur quod homo habens huiusmodi contritionem acquisitã, certus esset se esse in gratia Dei. Quandoque autem est vltima dispositio: vt diuus Tho. dixit, & ratio approbat: quia gratia perficit naturam, ac per hoc rationabile est, vt à nobis acquisita displicentia peccati suprema, perficiatur quandoque gratuita charitate. Si dicatur, quòd huiusmodi trãsitus sit per motũ intentionis, ita q acquisita huiusmodi perfecta displicẽtia peccati, si est remissa, est attritio, & non habet rationem vltimæ dispositionis ad charitatẽ: si aũt intẽditur & crescit, est contritio & vltima dispositio ad charitatẽ: vt sic verificetur quasi cõe dictũ, q contritio & attritio differunt secundum magis & minus. Contra: Nam loquendo de attritione tam impœnitentium quàm imperfectorum, constat quòd differt à contritione non penes obiectum materiale: quia vtriusque materia est peccatum mortale, sed penes obiectum formale: quia cõtritio attingit mortale peccatum sub ratione summi odibilis: attritio autem tam impœnitentium, quàm imperfectorum attingit mortale peccatum non sub ratione summi odibilis. Et, propterea neutra differt à contritione penes magis & minus, tum quia differentia secundum magis & minus, non est differentia formalis: tamen quia quantumcunque cresceret displicentia mortalis peccati extra formalem rationem summi odibilis, nunquam esset contritio. Tertio verò modo sumpta attritio, nec penes materiam nec penes rationem formalem obiecti differt à contritione acquisita: quia sunt respectu eiusdẽ mortalis peccati, & sub ratione summi odibilis. Et quòd nec differant penes magis & minus, ex eo patet. quòd minimus gradus huiusmodi displicentiæ sufficit ad charitatem operientem multitudinem peccatorum. Quod ex ecclesiæ testimonio cõprobatur: credimus enim omnes tam nosmetipsos, quàm alios esse in charitate, quum ad huiusmodi displicentiam quantumcunque remissam peruenimus. Vnde nec est verum cõtritionem & attritionem differre secundum magis & minus in eadem specie, licet sit verum secũdum magis & minus in diuersis speciebus: sicut album habet magis de luce, quàm viride. Nec allata responsio satisfacit quæsito. Aliter ergo dicendum mihi videtur, quòd gratuita Dei motio est, quæ huiusmodi acquisitam contritionem efficit vltimam dispositionem ad gratiam seu charitatem: ita quòd ex hoc ipso, q Deus non per aliquod superadditum donum habituale: sed per gratuitam dilectionem, qua dignatur vti nostra acquisita contritione: vt dispositione vltima ad suum proprium opus, quod est charitas, quæ infunditur, transfertur nostra contritio in fore vltimam dispositionem pro gratia habituali: iuxta illud Hiere. Ad Deum postquam conuertisti me, pœnitentiam egi. Hæc de tertio.

AD ARGVMENTA in oppositũ, pro quarto contra attritionem tertio modo dictã militant, respondendo dicitur: quòd quicquid sit de diuersitate penes principia inesse naturæ, diuersitas tamen principiorum in genere motis seu meriti non infert vnum eundẽmque actum non posse esse sine tali principio, & cum tali principio: vnus nanque & idem actus exterior, qui à principio non fuit bonus moraliter, potest esse bonus moraliter in prosequutione. Et similiter in proposito cõtritio acquisita, quæ à principio non est meritoria, potest in sui prosequutione fieri meritoria, superueniente charitate: nec oportet re inchoare actum quo ad substantiam actus, sed sufficit quòd inchoetur actus quo ad esse meritorium. Quum enim dicitur actum meritorium inchoari à charitate, est sermo formalis: hoc est non de actu simpliciter, sed inquantum est meritorius: & propterea stat actũ esse simpliciter inchoatum sine merito & charitate, & eundem continuari cum merito, & inchoari à charitate secundum esse meritorium.

¶ Adsecũdum dicitur, quòd licet imperfectio attritionis tam impœnitentium, quàm imperfectorum sit de illius ratione, quia penes defectum obiecti formalis attenditur: imperfectio tamen contritionis acquisitæ, quæ attritio tertio modo vocatur, non est de ratione illius: quoniam penes solam negationem potentis superuenire diuini doni attenditur: non enim informitas huiusmodi contritionis seu attritionis est magis de ratione ipsius, quàm informitas fidei sit de ratione fidei. Et proprerea sicut actus fidei informis potest in sui persequutione formari charitate, ita actus acquisitæ contritionis potest superueniente charitate imperfectionem suæ informitatis deserere, & formatus continuari.

QVAESTIO. II.

An exigatur ad contritionem, quòd sit singulorum peccatorum mortalium.

SECVNDO QVAERITVR de materia contritionis, an exigatur ad contritionem, quòd sit singulorum peccatorum mortalium. Videtur enim quòd sic. ¶ Tum quia contritio debet adæquare confes-

fessionem: confessio autem comprehendit omnia mortalia: vt patet in ca. omnis vtriusque sexus: ergo.

¶ Tum quia hæc est differentia inter pœnitentiã mortalium & pœnitentiam venialium: quòd ad remissionem venialium sufficit virtualis displicentia, ad remissionem autem mortalium exigitur, vt homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur. Et confirmatur hoc auctoritate diui Tho. superius in calce corporis primi ar. q. 87. dicentis quòd displicentia virtualis non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.

CONCLVSIO.

Non oportet contritionem, quæ ad sacramentum pœnitentiæ ordinatur, terminari formaliter, sed virtualiter tantum ad omnia & singula peccata mortalia.

AD HVIVS EVIDENTIAM sciendum est, quæstionem hanc posse intelligi tripliciter. Primo an exigatur, quòd singulis secundum numerum peccatis mortalibus respondeant totidem contritiones. Et sic intellecta quæstio, facilè soluitur negatiuè: quoniam nec quo ad actum displicentiæ, nec quo ad actum confessionis, nec quo ad actum satisfactionis oportet multiplicari actus pœnitentiæ iuxta multitudinem actuum peccatorum: vnicus siquidem satisfactionis actus potest satisfacere pro multis mortalibus commissis. Et similiter vnica enuntiatione potest quis simul confiteri mille mortalia: dicendo, percussi millies. Et similiter vnica displicentia potest respondere mille peccatis, non minus quàm confessio & satisfactio. Tum quia ridiculum est ita velle adæquare numerum contritionum numero peccatorum, tanquam in multitudine actuum, & non in perfectione potius actus consistat virtus: quasi non possit vna perfecta displicentia æquiualere decem millibus imperfectis: quum tamen etiam in sensibilibus videamus, quòd vnum numisma aureum æquiualet mille æreis.

Secundo verò modo potest quæstio intelligi, an singula peccata mortalia in seipsis seu formaliter attingi debeant à contritione: ita quòd non sufficiat homini displicere sibi in generali quæcunque commisit contra Deum, sed exigatur, vt displiceant sibi in speciali peccata à se patrata: puta decem adulteria, centum furta mille blasphemiæ, &c. & hoc quo ad peccata quorum memoria subest.

¶ Et sic intellecta quæstio, dupliciter examinanda est. Primo, de contritione relata ad sacramentũ pœnitentiæ: deinde de contritione absolutè. Multum enim refert sic vel sic loqui: quoniam contritio relata ad sacramentum pœnitentiæ, sub euangelica lege incepit: contritio autem absolutè, post Adæ peccatum, & ante scriptam legem, & sub lege Moysi, omnibus peccatoribus necessaria fuit. Si igitur contritio relata ad sacramentum pœnitentiæ, exigat q terminetur ad singula mortalia formaliter siue in seipsis, oportet q hoc habeat vel ex satisfactione, vel ex cõfessione, vel ex seipsa, vel ex absolutione sacerdotali: plura enim in sacramẽto pœnitẽtiæ nõ inueniũtur. Sed non conuenire sibi ex satisfactione, patet ex hoc quod vna satisfactio virtualiter potest adæquare multa mortalia. Quod nec etiam ex confessione, ex eo patet, quòd ratio quare confessio exigit singula mortalia, pro materia est: quia confessio fit humano Iudici, qui non potest iudicare nisi de cognitis: incognita autem sibi vt Iudici remanerent quæcunque non essent à pœnitente in seipsis explicata. Quæ ratio non habet locum in contritione, quæ Deo offertur: qui non pensat quantum aut quot, sed ex quanto offertur. Vnde de Magdalena legitur, Dimissa sunt ei peccata multa: quoniam dilexit multum: & non dixit quoniam displicuerunt ei multa. Quòd etiam hoc nõ proueniat ex absolutione, manifestat vnica absolutio: quæ simul fit absque explicatione singulorum. Quòd demum contritio non habeat hoc ex seipsa, ex eo patet, quòd communis doctrina tenet sufficere post singulorum peccatorum mortalium attritiones, vnam contritionem in generali. Ex hoc enim dicto manifestè habetur, quòd licet aggregatum ex contritione & attritione seu attritionibus terminetur ad singula mortalia in seipsis: ipsa tamen contritio nõ terminatur ad singula mortalia in seipsis seu formaliter, sed tantum virtualiter.

¶ Et si dicatur, quòd contritio sequẽs tot attritiones, operatur in vi illarum, ac per hoc terminatur ad obiecta illarum formaliter, manifeste patet, nihil valere illationem hanc, sed destruere commune dictum: quoniam hinc non sequitur contritionem terminari formaliter ad obiecta attritionum, sed virtualiter tantum: sicut non formaliter, sed virtualiter claudit in se attritiones. Et falsum esset, quòd contritio sequens esset vna contritio generalis. Ex quibus omnibus apparet, quòd, propriè loquendo, contritio relata ad sacramentum pœnitentiæ, non exigit quòd terminetur formaliter ad singula mortalia, sed sufficit quòd terminetur formaliter ad singula mortalia, sed sufficit quòd terminetur ad ea virtualiter. Si autem spectemus ad contritionem simpliciter & absolutè, dicendum est, quòd nõ exigit determinari formaliter ad singula mortalia peccata: sed exigit virtualiter attingere singula mortalia etiã oblita & incognita. Dico autem virtualiter attingere singula: quia per hoc simpliciter & absolutè differt contritio remittens peccata venialia, à contritione remittente peccata mortalia. Ad remissionem siquidẽ peccatorum mortalium, exigitur quòd contritionis displicentia sit adeò perfecta extensiuè, quòd formaliter, aut virtualiter attingat omnia & singula mortalia, quorum pœnitẽs est reus: & hoc manifestatur ex eo, quòd impium est dimidiam à Deo sperare veniam mortalium peccatorum. Ad remissionem autem venialium non exigitur hæc extensiua perfectio: potest siquidem vnum peccatum veniale dimitti sine alio, & illa tantum venialia remittuntur, ad quæ displicentia virtualis se extendit. Probatur ergo declarata conclusio, ex eo quòd contritio generalis virtualiter se extendens ad omnia mortalia, sufficit ad remissionem eorum concurrente charitate, &c. Probatur hoc: quia in instanti sit iustificatio impij, & conuerti potest peccator ad Deũ: scriptum est enim, In quacunque hora ingemuerit peccator, &c. Et si fortè obijciatur contra hoc, dicendo quòd huiusmodi momentanea ac generalis contritio fert secum propositum specialis contritionis de singulis mortalibus in seipsis, sicut Baptismus flaminis fert secum propositum baptismi fluminis: & ideo contritio illa generalis, vtpote imperfecta, concurrit ad remissionem peccati, vt tendens ad contritionem specialem, quæ est perfecta. Aduertat hic obijciens, quòd voluntariè opponitur iste ordo contritionis perfectæ virtualiter ad contritionem perfectam formaliter: tum quia nec ex sacra Scriptura, nec ex sacris Doctoribus traditus, communi sententiæ superius recitatæ aduersatur: nam si contritio perfecta virtualiter remittit peccata, vt tendens in contritionem perfectam formaliter, sequeretur quòd post omnes attritiones in speciali, subsequuta vna contritio generalis perfecta virtualiter, non sufficeret ad salutem: quoniam exigeretur, quòd post generalem contritionem perfectam virtualiter, sequeretur contritio specialis perfecta formaliter. Si enim perfecta virtualiter, fert secum propositum perfectæ formaliter, oporteret post illam hanc exequi, cuius contrarium pro certo habemus. Et bene nota, quòd aliud est dicere contritionem generalem perfectam virtualiter, coëxigere antè vel pòst detestationes speciales peccatorũ mortalium in seipsis: & aliud est dicere contritionem generalem perfectam virtualiter, coëxigere antè vel pòst contritiones speciales peccatorum in seipsis. Nos enim hoc secundum dicimus esse falsum tam nunc, quàm omnibus præteritis temporibus primum autem sacri Doctores tradunt. Et verum proculdubio est tempore euangelicæ legis: in quo contritio fert secum propositum confessionis sacramentalis, ratione cuius exiguntur speciales detestationes peccatorum: siue vt præcedentes contritionem generalem virtualiter perfectam (vt contingit illis, qui suscipiendo actualiter sacramentum pœnitentiæ fiunt de attritis contriti) siue vt consequentes sæpe dictam contritionem, vt contingit illis qui ex toto corde statim conuertuntur ad Deum habentes virtualiter saltem propositum confitendi suo tempore peccata sua. Vtrũ autẽ hoc sacrorum Doctorum dictum, verum etiam sit de contritione simpliciter & absolutè, ex dictis apparere potest, quòd non. Nulla siquidem apparet ratio cogens ad huiusmodi detestationes speciales secluso sacramento pœnitentiæ: nã & voluntas potest perfectè mutari & exercitari in necessarijs virtutum actibus & pro peccatis potest perfectè satisfieri absque huiusmodi specialibus detestationibus: vt patet ponendo peccatorem pœnitentem, qui totum se di-

Universidad de Deusto Biblioteca

ginæ dilectioni, eleemosynis, ieiuniisque daret: hic enim prisco tempore perfectè satisfecisset pro peccatis absque tot detestationibus. Et hinc patet quid dicendum sit ad quæstionem tertio modo intellectam: scilicet an contritio exigat quòd terminetur ad omnia & singula peccata mortalia, non curando de modo terminandi. Ex dictis siquidem patet, respondendum esse affirmatiuè: quoniam non curando de modo, hoc est an formaliter vel virtualiter, certum est oportere sub contritione comprehendi omnia mortalia peccata commissa: siue sint sibi cognita, siue incognita: quoniam (vt dictum est) impium est à Deo dimidiam sperare veniam.

AD PRIMVM Ergo in oppositum dicitur, quòd, propriissimè loquendo, contritio respondet absolutioni, & detestationes respondent confessioni: & propterea detestationes sunt æquales numero actibus confessionis: & sæpe sunt simul tempore, quando scilicet pœnitens simul recordatur peccati, & confitetur illud. Vnde contritio secundum annexas detestationes, adæquat confessionem quo ad modum attingendi peccata, scilicet in speciali, & non conuenit hoc contritioni secundum se.

¶ Ad secundum dicitur, quòd assumptum verum est de pœnitentia seu contritione relata ad sacramentum pœnitentiæ: & similiter intelligenda sunt verba diui Tho.

Potest quoque & aliter dici iuxta differentiam vltimò explicatam inter perfectionem displicentiæ requisitam ad remissionem mortalium & requisitam ad remissionem venialium, quòd remissio mortalium exigit generalem contritionem perfectam virtualiter, sic quòd actualiter homo huiusmodi displicentiam perfectam extensiuè ad omnia & singula mortalia habeat: remissio autem venialium non requirit huiusmodi extensiuè perfectam displicentiam, Sed cùm hoc quod aliquis in solis venialibus constitutus non habuerit generalem displicentiam de omnibus suis venialibus, stat quòd ex aliquo feruore charitatis, in quo si occurrerent, displicerent contrariantia venialia, consequatur remissionem venialium illorum, quæ displicerent: quod non sufficere dicitur ad remissionem peccati mortalis, nisi obliti: quia (vt dictum est) oportet actualiter habere illam contritionem generalē perfectam virtualiter, ad remissionem mortalium.

QVAESTIO III.

An peccator teneatur ad contritionem, quando recordatur peccatorum suorum.

TERTIO QVAERITVR circa tempus contritionis, An peccator teneatur ad contritionem quando recordatur peccatorum suorum. Et quia quæstionem hanc discussimus in quolibetis nostris, ideo quære ibi, sat sit hîc scire partem negatiuam esse veram.

QVAESTIO IIII.

An contritio remittat non solùm culpam, sed pœnam debitam peccato.

QVARTO QVAERITVR circa effectum contritionis, An contritio remittat non solum culpam, sed pœnam debitam peccato.

¶ Videtur enim quòd non. Tum quia ad remissionem pœnæ ordinatur tertia pars pœnitentiæ, scilicet satisfactio: non ergo ad illam ordinatur contritio, nisi quatenus fortè habet satisfactionem annexam.

¶ Tum quia contritio sufficiens ordinatur per se ad remissionem culpæ: nec apparet vnde habeat quòd pœnam sensus remittat.

CONCLVSIO.

Contritio non modo culpam sed pœnam damni valet, non autem pœnam sensus nisi æternam: charitate autem formata pro gradu suæ quantitatis omnem pœnam delere potest.

AD HVIVS Euidentiam sciendum est, duplicem esse modum dicendi de hac re: quamuis omnium sententia in idem tandem concurrat. Primus est, quòd alia est pœna, quæ debetur incontrito, & alia, & quæ debetur contrito: nam incontrito debetur pœna inferni, contrito autem pœna temporalis. Et propterea quū contritio tollat pœnam inferni (nunquam enim contritus perseuerans, ad pœnam infernalem ibit) dici potest, quòd contritio tollit totam pœnam peccato mortali prius debitam. Alter verò dicendi modus est, quòd contritio non tollit totam pœnam, sed commutat pœnam æternam in temporalem: nam incontritus reus erat æternæ pœnæ, contritus autem reus est pœnæ temporalis. Sed vterque dicendi modus deficit. Primus quidem tripliciter, scilicet & dicendo pœnam deberi contrito, nam non nisi per accidens hoc verificatur: Contritio enim vt sic, non ponit reatum pœnæ: alioquin cuilibet contrito deberetur pœna: & dicendo alietatem pœnæ debitæ contrito & incontrito: nam, vt patebit, non alia pœna est quæ vtrique, siqua contrito alicui debetur, & inferendo, quòd dici potest totam pœnam incontrito prius debitam per contritionem remitti: nam, vt patebit, pars quædam pœnæ sibi prius debitæ communiter remanet (scilicet pœna sensus) absque æternitate tamen. Secundus autem modus deficit ponendo commutationem: nam idem est quòd Deus interius operatur in pœnitente, & quòd Dei minister sacramentum adhibendo significat: exterior enim sacramentalis actus significat interiorem Dei operationem. Sed sacramentalis actio in sacramento pœnitentiæ non significat commutationem, sed absolutionem: ergo interior Dei operatio, quæ in contritione interuenit, non est commutatio, sed absolutio.

¶ Ad cuius pleniorem intelligentiam aduertendum est, in pœna inferni inueniri tria: pœnam damni, pœnam sensus, & æternitatem pœne: iuxta tria quæ sunt in peccato mortali. Per peccatum siquidem mortale fit auersio ab incommutabili bono, cui respondet pœna damni, separans animam à Deo, & fit conuersio ad commutabile bonum, cui respōdet pœna sensus: & constituitur inimicus Dei, cui respondet æternitas pœnæ, inimicus enim quia est hostiliter exterminandus, est æternaliter puniendus. Quum autem peccator conteritur, quia charitate Deo coniungitur, tollit contritio pœnam damni, quæ separationem à Deo ponebat, & quia per eādem charitatem amicus Dei constituitur, tollit contritio æternitatem pœnæ: amicus enim non est æternaliter puniendus. Et si nihil aliud efficit contritio, remanet contritus obligatus ad pœnam sensus, ad quam prius tenebatur: sed non æternaliter sustinendam, sicut prius tenebatur. Et sic licet contritus perseuerans nunquam ad infernum iret, passurus totam pœnam inferni: nihil tamen prohibet obligatum eum remanere ad partem illius pœnæ quæ in inferno sustinēda ab ipso erat: scilicet ad pœnam sensus.

¶ Vbi vides, quòd non est alia pœna, quæ debetur alicui contrito, ab illa, quæ sibimet incontrito debebatur: sed est illamet pœna sensus relicta, & hoc contra primum modum dicendi. Nec interuenit commutatio pœnæ æternæ in temporalem: sed expoliatio pœnæ ab æternitate, & hoc contra secundum modum dicendi.

¶ Vt autem restans dubitatio (an scilicet contritio remittat pœnam sensus) soluatur, sciendum est, quòd hic certa sunt duo, primum est, quòd quantò contritio est maior, tantò plus tollit de pœna sensus peccato debita. Secundum est, quòd tanta potest esse contritio, quòd tolleret totam pœnam sensus. Ambiguum verò est, an quantulacunque contritio charitate informata (de tali enim est sermo) tollat aliquid de illa pœna sensus: multi enim videntur de hoc dubitare, mihi autem apparet, quòd pars affirmatiua est vera propter duas rationes: quarum quælibet verificata sufficiens est. Potest enim contritio ex duplici capite tollere in toto, vel in parte pœnam sensus. Primò, ex pœnalitate sibi annexa, displicentia enim commissi criminis non fert secum necessariò pœnalitatem: quum sit in patria, vbi nulla est pœnalitas: sed in subiecto susceptiuo doloris seu pœnæ, fert secum naturaliter displicentia pœnalitatem quandam: dolemus enim communiter de nostris, quæ nobis displicent. Et quoniam huiusmodi pœnam parere, contritioni conuenit seclusa relatione ad sacramentum pœnitentiæ: ideo secundum hoc caput dicendum est, quòd contritio qualibet simpliciter & absolutè ex annexa pœnalitate tollit aliquid pœnæ sensus: habet enim satisfactoriā vim pœna voluntariè assumpta secundum deū. Secundò ex merito passionis Christi: est enim passionis Christi meritum remissiuum suis membris pœnæ pro peccatis debitæ, plus & minus prout illis coniungitur. Quod primò apparet in baptismo: vbi quia passio Christi totaliter cōmunicatur baptizato, quasi ipse baptizatus passus esset, tota pœna tollitur. Apparet deinde & in sacramento pœnitentiæ actualiter suscepto, dum ex vi sacramenti communicatur meritum passionis Christi ad remissionem aliquantæ saltem pœnæ sensus. Et quia coniunctio ad meritum passionis Christi conuenit contritioni non simpliciter & absolutè, sed relatæ ad sacramentum pœnitentiæ: ex hoc quòd contritio fert secum votum sacramenti pœnitentiæ, coniungit merito passionis Christi per sacramenta nobis communicato. Et secundum hoc caput dicendum est, quòd quæcunque nostra contritio tollit aliquid pœnæ sensus ex merito passionis Christi: nam rationabile est, quòd plus pœnæ tollat charitas extensa ad sacramentum, quam non extensa ad illud: sed charitas non extensa ad sacramentum (qualis erat antiquorum pœnitentium charitas) tollebat ex vi & charitatis & pœnam damni, & æternitatem pœnæ, ex annexa autem pœnalitate tollebat in toto vel in parte pœnam sensus: ergo charitas pœnitentium in noua lege, quæ est charitas extensa ad sacramentum pœnitentiæ, plus pœnæ tollit. Minor huius rationis propositio clarà est. Maior autem facilè suadetur, ex eo quòd pœnitentiæ sacramentum actualiter exhibitum, est proculdubio remissiuum pœnæ sensus in toto vel in parte: ex hoc enim consequens est, vt idem ipsum sacramentum in voto charitatis existens apud contritum, aliquid huiusmodi pœnæ remittat. Simile enim quid perspicimus in Baptismo: quòd scilicet id quod operatur Baptismus exhibitus, operatur etiam in voto charitatis habitus non ita copiosè. Nec excluditur maioris huius veritas: si dicatur, quòd charitas extensa ad sacramentum, habet ex extensione ad sacramentum, quòd tollat illamet, quæ tollebat charitas antiquorum pœnitentium absolutæ. Nam hoc non est charitatem extensam ad sacramentum efficere plus, sed est efficere pluribus rationibus vnum & idem. extensè siquidem charitas ad sacramentum duplici ratione tollit pœnam damni & æternitatem pœnæ, scilicet ex vi charitatis, & ex vi sacramenti in voto. Sed hæc veritas non excludit quin verum quoque esse debeat, quòd huiusmodi extensa charitas plus efficiat, plus pœnæ tollat: quia hoc ad vim sacramenti spectat. Ex quibus omnibus patet dicendum esse ad quæsitum, quòd contritio ratione charitatis, qua formatur non solùm tollit culpam, sed & pœnam damni & æternitatem pœnæ: ratione verò annexæ pœnalitatis tollit aliquit pœnæ sensus: & ratione sacramenti in voto, tollit rursus aliquid pœnæ sensus. Et tam vehemens, inquit diuus Tho. in 27. ca. 4. contra Gen. pōt esse huiusmodi coniūctio contriti ad meritū passionis Christi, quòd tolleret totam pœnam sensus.

AD PRIMVM Ergo argumentum in oppositum, dicitur quòd satisfactio distincta est à contritione secundum ea, quæ communiter in humano genere inueniuntur: communiter enim contriti non tam vehementer iunguntur passioni Christi, vt non sit opus satisfactione ad arbitrium sacerdotis. Traditur enim tam doctrina quàm lex moralis secundum ea quæ vt in pluribus contingunt.

¶ Ad secundum dicitur, quòd iam ex dictis apparent duo capita, vnde quantulacūque contritio tollat aliquid pœnæ sensus, inter quæ capita coniunctio ad meritum Christi præcipuè perspici debet: quoniam illud est de ratione contritionis annexus autem dolor quasi vicem satisfactionis tenere videtur.

TRACTATVS QVINTVS de Confeßione, in quinque quæstiones diuisus.

1 *Num omnis teneatur ad confessionem.*
2 *Num peccata mortalia totaliter occulta, vt in solo corde latentia sint necessariò confitenda.*
3 *Num oporteat confiteri singulas species singulorum peccatorum.*
4 *Num peccata semel inter confessa, subsecuta absolutione, & satisfactione possint iterum fructuosè confiteri.*
5 *Num informis confessio sit iteranda.*

QVAESTIO I.

An omnes teneantur ad confessionem.

DE CONFESSIONE Quę secunda est pars pœnitentiæ, quæritur primò circa eius necessitatem, an omnes teneantur ad cōfessionem. Et est ratio dubitandi: quia nonnulli sunt viuentes absque peccato mortali: & propterea in dubium vertitur an omnes teneantur confiteri.

¶ Videtur enim quòd sic: quia extrema de pœniten. & re. expressè dicitur, Omnis vtriusque sexus quum ad annos discretionis peruenerit, &c. Et confirmatur: quia quum nullus excipiatur, sequeretur quòd ecclesia in hoc statuto præsupponeret omnes fideles singulis annis peccare mortaliter. Et patet sequela, si sola peccata mortalia præcipiuntur confitenda. Et rursus confirmatur, ex hoc quòd absque distinctione aliqua omnis vtriusque sexus ibidem obligatus est semel in anno ad confessionem & ad communionem in Pascha: sed constat, quòd omnis vtriusque sexus, &c. siue peccauerit mortaliter, siue non, comprehenditur sub illo præcepto quo ad communionem: ergo omnis etiam vtriusque sexus, &c. siue peccauerit mortaliter siue non, comprehenditur sub eodem præcepto quo ad confessionem.

CONCLVSIO.

Ex vi sacramenti, & ecclesiæ institutione non tenentur confiteri, nisi mortalia peccata Christi fideles.

IN OPPOSITVM Est, quòd nullus tenetur confiteri venialia. Ad hanc quæstionem respondetur distinguendo & bene, de necessitate vel sacramenti, vel præcepti ecclesiastici. Et dicitur, quòd de necessitate sacramenti, nullus tenetur confiteri nisi peccatum mortale certum, vel dubium: quia post Baptismum non potest aliter remitti mortale peccatum nisi per sacramentum pœnitentiæ in re vel in voto. De necessitate autē præcepti ecclesiæ duplex est opinio. Vna est, quòd carens peccato mortali tenetur confiteri semel in anno aliquod veniale, vt sic impleat ecclesiæ præceptum. Altera est, quòd carens peccato mortali, non tenetur confiteri aliquod veniale: quia non comprehenditur sub ecclesiæ præcepto.

¶ Et licet prima opinio sit tutior, secunda tamen est verior, imò sola vera: quod probatur multipliciter. Primò ex ratione præcepti: ratio enim ecclesiastici præcepti non est præcipere confessionem, sed præceptam diuino iure confessionem determinare quo ad tempus executionis: & propterea sub ecclesiæ præcepto non alia comprehenditur confessio, quàm illa, quæ à Christo est præcepta: sed à Christo non est præcepta nisi confessio mortalium: ergo ab ecclesia sola peccatorum mortalium confessio præcepta est. Secundò, & est confirmatio præcedentis, patet idem ex verbis ipsius statuti, dū dicit, Omnia sua peccata. non enim hoc potest intelligi de peccatis venialibus: quum constet neminem quocunque præcepto teneri ad omnium venialium confessionem: oportet ergo intelligi de mortalibus. Et propterea ex explicata materia confessionis, scilicet quod sint omnia sua peccata, clarè patet quòd de sola confessione præcepta ex diuino iure ecclesiasticum statutum loquitur: est enim materia confessionis à Christo præceptæ omnia pœnitentis peccata comprehendens: materia autem confessionis venialium non comprehendit omnia pœnitentis peccata. Tertiò patet idem ex pœna subiuncta: scilicet quòd viuus arceatur ab ingressu ecclesiæ & moriens Christiana careat sepultura. Huiusmodi enim pœnæ non sunt à pia matre ecclesia perfectioribus viris, quales sunt viuentes sine peccato mortali, pro omissione confessionis venialiū, ad quā alij non tenentur infligēdæ: quinimo ex hoc sequeretur, quòd meliores essent deterioris cōditionis. Quartò patet idē ex subiūcta causa frequētis publicationis dicti statuti: scilicet, ne quisquis ignorātiæ cæcitate velamē excusationis assumat. Hoc enim in hmōi confessione venialiū locū habere non videtur. Et cōfirman

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur hæc omnia ex Clemen. ne in agro dominico, de sta. mona. vbi menstrua cõfessio nigris mõachis imponitur, absque explicatione materiæ non enim dicitur, q̃ cõfitean tur omnia sua peccata, vt ex hoc intelligat astringi illos, etiam si mortali peccato careant ad confessionem semel in mense, vnde non supradicta, sed pœna regularis disciplinæ subiungitur imponenda temerariò violatori: sicut enim religiosi ex suis statutis obligantur ad alia, quæ absolutè sunt bona supererogationis, ita obligantur ad confessiones statutas, etiam si mortali careant peccato. In cuius signum puniuntur in religionibus qui statutis diebus non confitentur, quantumcunque nullum habeant mortale.

AD OBIECTIONEM Ergo primam dicitur, quòd materia confessionis explicata per ly, omnia sua peccata, restringit ly, omnis vtriusq; sexus, ad indigentes confessione: ac per hoc excipit omnes carentes mortali peccato: ita quòd sensus est, omnis vtriusq; sexus indigens confessione, &c. Et ad primam confirmationem dicitur, quòd falsum assumit seu supponit: scilicet nullum excipi ab illa vniuersali, omnis vtriusque sexus, &c. imò ideo ecclesia apposuit ly, omnia sua peccata, vt exciperet multos, quos credit sine peccato mortali vitam ducere. Ad secundam autem confirmationem dicitur, quòd quum duo prædicata exigant duo subiecta, enuntiatio illa, qua omnis vtriusque sexus confiteri & communicare præcipitur, est enuntiatio non vna, sed plures: licet secundum vocem sit vna. Vnde sensus primo est, omnis vtriusque sexus indigens confessione, omnia sua peccata confiteatur, &c. Sensus verò secundæ est, Omnis vtriusque sexus communicet in pascha, &c. Et ratio diuersitatis iam dicta est: quia ibi explicatur materia restringens ly omnis vtriusque sexus respectu confessionis, & non restringens respectu communionis.

QVAESTIO II.

An peccata mortalia totaliter occulta (vt sunt peccata in solo corde) sint necessario confitenda.

CIRCA Materiam confessionis quæritur secundò, an peccata mortalia totaliter occulta, (vt sunt peccata in solo corde) sint necessariò confitenda. Videtur enim quòd non. Tum quia non sunt de necessitate ecclesiastici præcepti: non potest enim ecclesia de huiusmodi occultis secundum se præcipere aut iudicare. Et si dicatur, quòd occultorum confessio cadit sub præcepto ecclesiæ indirectè, scilicet ratione integritatis, pro quanto is, qui tenetur singulis annis alia peccata confiteri tenetur quoque ex consequenti peccata cordis singulis annis confiteri, vt confessio omni anno sit integra. Hæc instantia nihil valet: quoniam posito homine, qui sola peccata cordis mortalia haberet aliquo anno, sequeretur, quòd illo anno non teneretur confiteri; quoniam tunc non haberet locum ratio integritatis.

¶ Tum quia huiusmodi occultorum confessio non est de necessitate sacramenti: quoniam sola illa peccata sunt de necessitate sacramenti, quæ sub iudicio hominis commisso à Christo comprehenduntur; sed nullum iudicium commissum homini à Christo extendit se ad huiusmodi occulta: ergo occulta hæc non sunt de necessitate confitenda. Maior patet: quoniam iudicium fori pœnitentialis homini commissum est à Christo, & non angelis, aut quibuscunque alijs. Minor verò probatur autoritate Apostoli, Nolite ante tempus iudicare, &c. Si dicatur, quòd duplex iudicium commissum est homini à Christo: alterũ secundũ potestatẽ iurisdictionis, & hoc non se extendit ad huiusmodi occulta: & de hoc loquitur Apostolus) alterum secundum potestatem ordinis & hoc extendit se ad occulta: & est iudicium quod exercet ecclesia per suos ministros in foro pœnitentiali) contra dupliciter. Primò: quia iudicium pœnitentiale licet exigat potestatem ordinis: exigit quoque potestatem iurisdictionis: quoniam solus sacerdos ordinariam vel delegatam iurisdictionem habens, est minister huius sacramenti, vt patet in cap. omnis vtriusque sexus, & alibi. Secundò: quia vnumquodque recipitur in alio secundum modum recipientis: ac per hoc iudicium secundum potestatem ordinis à Christo commissum homini ex hoc ipso, quòd homini commissum est, modificari oportet secundum conditionem ipsius hominis, quæ est non se extendere ad occulta cordium: hæc enim soli Deo sunt reseruata, non minus in iudicando, quam in cognoscendo. Et confirmatur hæc ratio ex hoc, quòd quum apud ipsum dominum Iesum Christum redideat vtraque potestas, scilicet ordinis & iurisdictionis, non diminutè, sed plenissimè: & vtramque inueniatur ecclesiæ suæ commisisse non imperfectè, sed latissimè (vt de potestate iurisdictionis patet Matthæi 18. & de potestate ordinis Ioã. 20.) sicut potestas iurisdictionis ex hoc ipso, quòd commissa est homini, non extendit se ad occulta omnino, ita potestas ordinis ex hoc ipso, quòd commissa est homini, non debet se extendere ad occulta occulta.

CONCLVSIO.

Non modò manifesta peccata mortalia Christi fidelei confiteri tenentur, sed quæ ita occulta sunt, vt in solo corde peccata sint.

AD VERITATEM Dubij huius plenius percipiendam, sciendum est, quòd licet quidam ex huiusmodi fortè rationibus, aut melioribus moti opinari videantur peccata omnino occulta non esse necessariò confitenda sacerdoti, sed soli Deo, eorum tamen error ex tribus patet. Primò ex formali ratione materiæ confessionis, seu, (quod in idem redit,) iudicij pœnitentialis, quã enim Dominus pœnitentiale iudicium instituerit ac commiserit post resurrectionem suam, dicens Ioan. 20. Apostolis iam sacerdotibus, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: & materiam iudicij explicauerit quo ad substantiam tantum, dum remittendo vel retinendo explicauit peccata: & nõ potuit intelligi sta nudè, vt sonat litera (quoniam certum est, quòd per huiusmodi commissionem non potuerunt ministri noui Testamenti remittere peccata eis totaliter incognita, inconfessa, obstinata) oportet aliquas subintelligere conditiones peccatorum remittendorum: & quia iudicium præsupponit cognitionem, & modus iudicij modum cognitionis: ideo communi catholicæ ecclesiæ sensu subintelligitur, spontanea confessione ad vos delata: ita quòd sensus est, Quorũ remiseritis peccata spontanea confessione eorum ad vos delata, remittuntur eis, & cætera. Vbi clarè patet materiam iudicij pœnitentialis esse peccata spontanea eorum confessione delata: hæc est enim formalis ratio materiæ huius iudicij ad quam totam, se extendit, & extra quam non se extendit pœnitentiale iudicium; quoniam hæc omnia & sola remittere vel retinere potest. Ex hac autem formali ratione materiæ huius iudicij, habetur facile quòd peccata quantumcunque occulta, sunt materia huius iudicij: nã quantumcunque occulta peccata, comprehenduntur sub ijs, quæ sunt spontanea confessione detegenda: nullum enim est ità latens, quod non possit eius, qui commisit, confessione spontanea aperiri. Et confirmatur ratio hæc ex parte formalis materiæ ex ipsis verbis Domini. Differenter siquidem significauit Dominus materiam iudicij pœnitentialis seu potestatis ordinis, & materiam iudicij secundum potestatem iurisdictionis: quoniam respectu potestatis ordinis explicauit pro materia peccata, dicens, Quorum remiseritis peccata: respectu verò potestatis iurisdictionis explicauit pro materia peccatum in alium, dicens, Si peccauerit in te frater tuus, &c. Ex qua differentia docuit nos diuina sapientia, à materia iudicij pœnitentialis nullum peccatum excipi: ac per hoc comprehendi præcipuè peccatum in sua primaria sede residens, hoc est peccatum cordis: sub materia verò potestatis iurisdictionis non comprehendi peccatum omne, sed exterius tantum, quod solum potest alium offendere: & propterea ab illa excipi peccatum cordis, nisi pro quanto esset ratio exterioris commissionis vel omissionis.

¶ Secundò, ex ratione proprij finis ipsius confessionis, ex quo sine sumitur formalis rõ eiusdẽ cõfessionis, quatenus est actus pœnitẽtiæ: ordinatur enim cõfessio ad subiciendũ volũtariè reum ministro Dei offensi: vt ad arbitriũ ipsius ei

recompenset. Et hinc confessio ipsa, quæ est actus veritatis, sit actus pœnitentiæ: dum reus veraciter proponendo in quo offendit, seipsum accusat ac subiicit ad recompensandum non de quibusdam sic, & de quibusdam nõ: sed omnes accusando offensas, vt de omnibus arbitrari possit minister offensi. Hoc autem constat, quòd non fieret si omnino occulta peccata cordis nõ accusarentur: vt igitur de peccatis cordis possit ad arbitrium offensi recompensare, oportet peccatorem offensas cordis subiicere ipsius Dei offensi iudicio, in persona sui ministri.

¶ Tertiò, ex vsu ecclesiæ. Nam communis animi conceptio Christianorum est, peccata omnia siue occulta, siue manifesta oportere in sacramento pœnitentiæ confiteri. Et ad hoc est determinatio generalis concilij primò Lateranensis sub Innocentio 3. Vbi dicitur, q̃ omnis vtriusq; sexus confiteatur peccata sua omnia. nullum ergo excipitur peccatũ. Et deinde in cõcilio Flor. sub Eug. 4. Vbi dicitur omnia sua peccata, quorum memoriam habet, confiteatur, vbi patet etiãm peccatum cordis non excipi.

AD PRIMAM Autem obiectionem in oppositum dicitur, quòd ecclesia potest præcipere & præcipit singulis annis confiteri omnia sua peccata mortalia, etiam si solum peccatum cordis occultissimum haberet: non quia ipsa habeat iudicare de occultis. sed quia ipsius est determinare præcepta Christi ad certum tempus. Hinc enim fit, vt præcipiente Christo confessionẽ cuiuscunque mortalis peccati post Baptismum, siue peccatum sit solum in corde, siue ad extra prodierit, ecclesia determinans tempus confessionis ad singulos annos, obligat ad confitendum singulis annis omnem, qui pro tunc habet aliquod peccatum mortale, siue occultum, siue non. Nam determinatio ecclesiæ non minuit aut restringit materiam confessionis præceptæ à Christo: sed tempus tantum confessionis determinat, relinquens materiam in suis limitibus.

¶ Ad secundam verò dicitur, quòd responsio ibi data vera est. Et ad primam illius impugnationem dicitur, quòd concursus potestatis ordinis & potestatis iurisdictionis, non tollit aliquid à potestate ordinis: & ideo cum hoc quòd potestas ordinis extendit se ad occulta cordium peccata, stat quòd cum ea concurrat potestas iurisdictionis, quæ secundum se ad huiusmodi occulta non se extendit. Et si perspicacius fueris intuitu, videbis quòd quo ad forum pœnitentialem potestas ordinis concurrit directè respiciens ipsa peccata: potestas autem iurisdictionis concurrit: directè respiciens personam peccatoris: vt scilicet peccator sit subditus sacerdoti, vt habeat potestas ordinis, in quem exerceat actum suum remissionis vel retentionis peccatorum. Ad secundam verò dicitur, quòd quia omne iudicium homini commissum intelligitur de cognitis, & diuersus est institutus à Deo modus cognoscendi in vtroque iudicio: ideo ex huiusmodi instituta diuersitate modi cognoscendi, prouenit diuersitas ista: scilicet quòd iudicium pœnitentiale extendit se ad omnino occulta peccata, iudicium verò iurisdictionis purè extendit se ad externa tantum: ideo non est miranda disparitas vtriusque potestatis in homine. Quod enim iudicium omne commissum homini à Christo intelligatur cum cognitione causæ, probatione non egeo: quum non sit delegatum purum ministerium, sed commissa sit autoritas iudicandi, remittendo vel retinendo, absoluendo vel ligando. Quòd etiam diuersus modus cognoscendi sit vtrobique à Christo institutus, patet: nam modus cognoscendi in potestate iurisdictionis est cognitio per testes: vt patet Matth. 18. modus autem cognoscendi in iudicio potestatis ordinis, est spontanea confessio secreta, &c. vt vniuersalis ecclesia testatur. Quòd demum ex hac diuersitate modi cognoscendi, prouenitat differentia dicta inter materiam & materiam, ex supra dictis clarè patet: quoniam ex hoc, quòd peccatum spontanea rei confessione accusandum, est materia iudicij pœnitentialis, conclusum est sub hac materia comprehendi peccatum cordis, quantumcunque occultissimum & per oppositum, quia solum peccatũ testificabile est materia iudicij exterioris: ideo peccata in solo corde manentia exempta remanent à materia ecclesiæ iurisdictionis. Quum ergo obiicitur, vnũquodq; recipi in alio per modum recipientis, admittatur. Et quũ infertur, ergo iudicium secundũ potestatem ordinis commissum homini, modificatur secundum conditionem hominis, conceditur, formaliter loquẽdo: quoniam nullum actum commisit Christus ministro sacramenti pœnitentiæ, qui non exerceatur ab eodem secundum cõditionem hominis: nam & audire peccata, & discernere inter ea, & interrogare circunstantias peccati & peccatoris, & retinere seu remittere, facit humano more, vtendo diuina potestate. Et ideo quum vlterius infertur, ergo non se extendit ad occulta negatur illatio: quã aliũde prouenit, q̃ iudicũ se extendat, prouenit eũ ex modo accusandi quo reus tenetur se accusare, scilicet spontanea confessione. &c. & hoc quia Christus sic instituit. Cognoscere autem & iudicare de occultissimis spontanea confessione accusatis, nõ excedit modum conditionis humanæ, vtentis potestate diuina. Vnde ad confirmationem ex simili ratione in potestate iurisdictionis, dupliciter dici potest (vt patet ex dictis) quòd nõ est similis ratio de vtriusq; potestatis iudicio. Primò, quia modus cognoscẽdi in vtroq; iudicio est ex diuina institutione diuersus. Secundò, quia ipse Dominus expressit diuersimode vtriusque materiã, dum vnius materiam dixit peccata absque limitatione aliqua: alterius verò dixit peccatum in alium, limitando peccatum in alium.

QVAESTIO III.

An oporteat confiteri in speciali singulas species, & numerum certum peccatorum.

CIRCA Materiam rursus cõfessionis quæritur tertiò, vtrum oporteat confiteri in speciali singulas species, & numerum certum peccatorum. Et est ratio dubij: quoniam pars affirmatiua communi autoritate Doctorum firmata videtur. Et ratione comprobatur. Tum quia circunstantia varians speciem peccati mortalis, est necessariò confitẽda: ergo à fortiori quælibet species mortalis peccati est exprimenda. Et similiter numerus peccatorum, quum non sit circunstantia peccati, sed multiplicatio eiusdem, necessariò est exprimendus, prout memoriæ occurrit: quum non magis teneatur pœnitens accusare se de decimo, q̃ de vnimo secundo peccato vel conuerso. Et confirmatur, quia si non omnes species & omnia singularia oportet exprimere, consequens est quòd aut nulla species nullaq; singularia, aut quasdam species & quædam singularia sic & quasdam ac quædam non, necessè est explicari: & quum non possit affirmari primum, oportet reddere rationem quare quædam sic, & quædam non.

¶ Tũ quia pœnitens tenetur explicare omnia quæ oportet, cognosci à cõfessore ad hoc, vt possit suo arbitrio adæquare pœnam culpæ: quoniam confitẽdo nihil aliud facit pœnitens quã q̃ submittit se sacerdoti in persona Christi ad recompensandum secundum illius arbitrium. sed confessor non posset arbitrari de æqualitate recompensationis, nisi cognosceret diuersitatem offensarum, quæ in diuersitate specifica consistit, & numerum peccatorũ: quoniam recompensa adæquans centum offensas, non adæquat mille. & sic de alijs ergo.

PRO PARTE Autem negatiua videtur esse vsus maioris fortè partis confessorum, ac pœnitentiũ nõ curantium de huiusmodi subtili discussione. Et confirmatur ratione: quia huiusmodi discussio est molesta, inutilis atq; melioris boni impeditiua. Et molesta quidem satis patet expertis. Quòd verò sit inutilis, ex eo patet, q̃ tã cum huiusmodi discussione, q̃ sine ea pœnitentibus prouidetur eodem modo. Quòd autem sit impeditiua maioris boni, testatur experientia: quoniam & confessores circa huiusmodi discussionem soliciti impediuntur à multorum confitentium audientia, dum fortè totum tempus consumunt circa vnum: & pœnitentes minus deuotè confitentur implicati huiusmodi discussionibus.

CONCLVSIO.

In salutari pœnitentia iudicio confitẽi oportet singulas peccatorũ species & numerum certum prout expediens ad salutem, & peccatori possibile fuerit omni ad hoc diligentia præmissa.

AD HVIVS Quæstionis euidentiã sciendũ est, duplex esse iudiciũ: quoddã est, cuius actus est propter seipsum intẽtus: quoddã verò, cuius actus est ꝓpter aliud. Ad primum iudicium, quia spectat facere iuitũ absolutè,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pertinet quóque cognoscere singula peccata, vt singula posit adæquare puniendo. Ad alterum verò iudicium, quia non tendit ad punitionem secundùm se, sed in ordine ad alium finem, puta bonum commune: sicut sufficit punire prout expedit illi fini, ita sufficit cognoscere quantum opus est ad illum finem. Inter præsentis autem vitæ tempus & futuræ hoc interest, quantum ad iudicium, quòd nullum præsentis vitæ iudicium tendit ad punitionem secundũ se, sed vt medicinalem, eo quòd præsentis vitæ tempus non est tempus punitionis, sed in quo pœnæ sunt medicinæ: vel ipsius qui punitur, vel aliorum. Iudicium autem futuræ vitæ est id, quod ad punitionem secundum seipsam tendet: quoniam ad adæquandam pœnam culpæ ordinatur: non ad bonum puniti, nec ad cautelam aliorum, sed vt reus patiatur quod meretur.

¶ Nec puter aliquis iudicium quod in foro pœnitentiali exercetur, locari debere sub iudicio primo modo, propterea quia iudicium hoc est magis diuinum, quàm humanum, & confessor in tantum personam Dei in actu tilo tenet, vt nesciat ipse quod scit, vt Deus. Falsa est magnacio ista. Tum quia iudicium pœnitentiale ad præsentis vitæ tempus spectat, ac per hoc non est exemptum à communissima ratione iudicij præsentis vitæ. Tum quia Saluator noster hoc attestatur, dicens, Ioan. 3. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundũ, sed vt saluetur mundus per ipsum. Hinc enim apparet, cp Christus nõ venit in primo adũtu ad iudicandũ mundum per ministros suos, hoc est ad iudicium secundum se exercendum, sed ad saluandum, hoc est quantum ad pœnitentiæ sacramentum spectat, ad iudiciũ salutare per suos iudices exercendum: Idem est autem iudicium salutare et iudicium medicinale, & pœnitentiale iudicium ad primum Domini aduentum spectat proculdubio, ad quem spectat sacramentum pœnitentiæ. Est igitur pœnitentiale iudicium non iudicium absolutè ad iudicium salutare seu medicinale: ac per hoc non tendit ad punitionem secundum se, sed in ordine ad salutem, non aliorũ, sed ipsius rei solius.

¶ Et quia hoc propriè est officium confessoris, ideo hinc perspicere oportet, quanta debet esse cognitio peccatorũ: oportet enim tantum manifestari peccata, quantum exigit huiusmodi salutare iudicium. Si enim ad hoc salutare iudicium exigitur manifestatio omnium, & singularum specierum, & certi numeri singularium, consequens est, quòd oportet pœnitentem hæc explicare iuxta possibilitatem suam: si verò huiusmodi discussio non exigitur, consequens est quòd non oportet pœnitentem hæc explicare. Et si hæc negatiua admittitur, consequens est vt declaretur, quæ & quanta discutio exigitur ad hoc salutare iudicium. Dicamus igitur, quòd iudiciũ huiusmodi claudit in se duo, scilicet esse iudiciũ & esse salutare: ita quòd secundum est finis primi: & propterea ex secundo manifestãdum est primum: tantum enim debet concurrere de eo quod est iudicij, quantum expedit vel saltem opus est ad hoc, vt iudicium sit salutare pœnitenti. Et quia salutare pœnitenti iudicium à iudicio absolutè differt, (vt dictũ est,) quantum ad punitionem, in hoc cp in iudicio absolutè intendit ad punitionem secundum se, in iudicio verò salutari intenditur punitio salutaris pœnitenti: consequens est vt differentia quoque fit quo ad cognitionem. Nam quia punitio secundum se cõsistit in adæquatione pœnæ ad culpam, oportet in iudicio absolutè cognoscere exactè culpas omnes & singulas: vt æquari illi posit pœna. Et quia punitio medicinalis consistit in commensuratione pœnæ ad pœnitentem & illius salutem (sicut medicina consistit in commensuratione tam ad infirmũ, quàm ad sanitatem acquirendam) & commensurata pœna cum pœnitenti, cũ ipsius saluti absq; exacta cognitione omniũ & singularũ culparum rectè iudicatur, atq; imponitur (vt patet quantum ad peccatorũ species de superstitionis seu diuinationis, & similium speciebus) absq; discutione harũ, cõmensurata tam pœnitenti, cũ tetus saluti punitio atq; prouisio fit. Quantũ verò ad peccatorũ numerũ, ex eo cp medicinalis tam punitio, cũ prouisio idẽ habet iudiciũ, si certificatus fuerit numerus vicenarius & si incertus relictus fit, an duobus demptis, vel adiunctis: et similiter si certificatus fuerit cẽtenarius, an dubiũ inter nonagenariũ & decem supra centũ: & sic de aliis. Hæc enim et similia manifestant cp salutare iudiciũ non exigit exactã omniũ & singularum culparũ cognitionẽ: sed ex sua formali ratione exigit omnes & singulas mortales culpas cognosci vsque ad hoc, quòd notum fiat confessori, quæ, qualis, quanta, &c. pœna commensurari debeat huic pœnitenti rectè disposito, & illius saluti. Dico autem rectè disposito: quia licet aliquis pœnitens sit minus deuotè dispositus, ac per hoc commensurata sit indispositio pœnitentia erit fortè oratio dominica semel: manifestatio tamẽ peccatorum in iudicio salutari debet perducere confessorẽ ad cognoscendum, quanta, qualis, & c. pœna deberet sibi commensurari, si esset rectè dispositus: huiusmodi enim indispositio pœnitentis: quia est per accidens, non variat id quod per se exigit salutaris iudicij ratio. Notanter quoque dixi, iudicium salutare nõ requirere cognitionem exactam omnium & singulorum peccatorum mortaliũ, & non dixi quòd requirit imperfectam eorum cognitionem: quoniam nec exigit nec excludit plenam eorũ cognitionem. sub formali nanque ratione iudicij medicinalis potest materialiter quandoque contineri exacta notitia peccatorum.

¶ Et quoniam practica nimis est & valde communis notitia de confessione, idcirco ad particularia descendendo dicimus. quòd species peccatorum mortalium sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt, quarum diuersitas diuersitatem iudicij salutaris inducit: aliter enim iudicãdus est pro sua salute blasphemus, aliter adulter, aliter homicida, &c. & tales sunt species peccatorum, quæ in communi habentur notitia: vt adulterium, fornicatio, furtũ rapina, cõtumelia, detractio, & c. Quædam verò species sunt quæ nullam videntur facere in salutari iudicio differentiã vt sunt species diuinationis. idem est enim iudicium pœnitentiale si quis aqua vel terra abusus fuerit: & sic de aliis, & huiusmodi videntur esse species gulæ, & vniuersaliter omnes latentes: quas fortè vix doctores discernunt. Et propterea explicare primas peccatorum species in confessione oportet: secundas verò sufficit explicare in generibus subalternis: puta peccaui in necromantia: & sic de aliis.

¶ Circa numerum verò peccatorum sciendum est, quòd duplicter accusandus occurrit. primò secundum se, secundò vt circunstantia peccatoris. Et secundum cp est circunstantia peccatoris, differentiam quodammodo inducit in iudicio salutari: & quodammodo non inducit: nam aliter iudicandus est & medendus qui semel tantum, aut bis offendit, & aliter qui centies offendit. Sed qui toties quoties potuit offendit, eodem modo iudicatur ac medetur si millies, & si centies millies offendit, nec hoc eget probatione: quoniam experientia testatur. Secundum se autem numerus peccatorum accusandus venit, non vt facit differentiam in iudicio absolutè, sed vt facit differentiam in iudicio salutari: & propterea si nescitur, sufficit explicare illum crassa quadam æstimatione: nam salutaris iudicij ratio non variatur ex hoc. Verbi gratia. Commisit quis furtum multoties: videtur sibi quòd parum plus aut minus fuerit, quàm vigesies, non est opus solicitari, fortè fuerunt viginti duo, fortè 19. sed sat est, ita confusè numerum explicare, vt occurrit. Quocirca numerum peccatorũ tam vt circunstantiam peccatoris, quàm secundum se, si certus non est (nam ad certum numerũ occultandum nulla conducit ratio) vel explicandus est sub quodam verisimili numero: vel quum consuetudo peccandi præcessit, explicato tempore, puta quòd per decennium fuit in hac mala consuetudine: & frequentia delinquendi, puta quòd quotidie aut ferè: seu quouis alio modo multitudine maxima seu frequentia manifestata aperiendus est. Nec oportet in huiusmodi numeris pœnitentem aut confessorem multum solicitari: quoniam par est salutaris iudicij ratio. Et quandoque vtrique nocet solicitudo circa hoc: magis enim debet manifestari frequentia cum pronitate, quàm indagari verisimilis certus numerus: puta ter centum, seu mille, &c. Vnde si meretrix audienda est ad pœnitentiam conuersa, facillimè potest quo ad hæc expediri, narrando discursum vitæ suæ in annis meretricijs: nec oportet solicitari quoties cum coniugatis, quoties cum clericis potuit peccare, sed ex discursu vitæ suæ discretè manifestato arbitretur & medeatur prudens confessor. Hæc sunt quæ ex parte salutaris iudicij exprimenda videntur in confessione. Quibus si adiunxeris, quòd ex parte pœnitentis tenetur reus ipse accusare se de omnibus, vt reconciliario amicitiæ fiat, dicendum est, quòd penitens debet habere intentionem explicandi omnia mortalia: ac per hoc sub quoc

quocunq; modo dicendi debet intendere comprehendere omnia: ita quòd explicare species, vel indiuidua tali, vel tali modo, non exigitur à pœnitente, aut confessore ad occultandum aliquid, sed ad facilitorem modum explicandi omnia. Et sic dicendo euitatur error putantium, quòd sufficit explicare numerũ in communi: puta dicendo quòd pluries furatus sum, hoc enim non sufficere manifestè patet, ex eo, quòd aliter iudicãdus est & medendus qui bis tantum, & qui centies furatus est. Et vitatur molestia ac solicitudo reducendi incertum numerum ad certum: media siquidem via incedendum est, vt salutaris iudicij ratio habeatur: quod medium est inter purum iudiciũ & certum iudicium. Et vtraque pars quæsiti aliqualiter est vera: & autoritati doctorum & vsui confessorum ac pœnitentium simul desertur.

AD OBIECTIONES Tamen primò allatas, pro quanto contra conclusa militant respondendum est. Et ad autoritatem quidem Doctorum dicitur, cp intelligitur quando certus est numerus peccatorum: ex quo enim pœnitens incẽdit omnia dicere, & certus est de numero peccatorum, nulla apparet ratio quare non debeat numerum illum explicare: de incerto autem numero in solis forte verbis ab aliquo doctore discordare credimus. De speciebus verò dicitur, quòd Deo communiter notis species verificatur eorum dictum: alioquin non relinqueretur in ecclesia Dei millesimus quisque confessor, non errans: quum huiusmodi latentes species rarissimis sint manifestæ.

¶ Et per hoc patet solutio sequentis obiectionis & suæ confirmationis: nam non dicimus quædam singularia esse confitenda, & quædam non: nec dicimus quasdam species peccatorum esse manifestandas, & quasdam occultandas: sed dicimus hoc modo aperiri quasdam species, scilicet communiter notas: & alio modo aperiri quasdã alias species, scilicet quarum diuersitas est latens: illas in speciali, istas in vna earum, seu aliquo huiusmodi. Et similiter dicimus omnia singularia confitenda: sed non eodem modo, nam certa in numero certo, i. certa autẽ non, excesiuo tamen multitudinis in numero verisimili (etiã si aliqualiter crassa fuerit æstimatio) seu frequentia idem infinuante: incerta autem excesiuæ multitudinis sufficit in confuso significare, vt prudens confessor intelligat. Et ratio diuersitatis est diuersa habitudo ad salutare iudiciũ hinc enim omnia pendent. Et quia non omnes confessores sunt æqualis perspicacitatis ac prudẽtiæ: ideo aliquis applicandi modus sufficit apud aliquem confessorẽ, perpendentem inde totum quantum sufficit ad iudicium salutare, qui alteri non sufficeret. Similis quoq; accidit quãdoq; disparitas ex parte pœnitentium, quibusdam scientibus ante cõfessoris oculos breuissimè & clarè omnia sua peccata, vt ipsimet sciunt proponere: quibusdam autem nolentibus, aut laborantibus in singulorum explicatione.

¶ Ad rationem autem magis vrgentem, dicitur cp, quòd, vt iam dictum est, adæquare pœnam culpæ contingit dupliciter, vel simpliciter propter se vel quodammodo in ordine ad aliud. Et quòd primo modo exigit exactam cognitionem cuiuscũq; tam culpæ quàm pœnæ: quia in æquatione pœnæ ad culpam consistit: secundo autem modo non exigit exactã cognitionem culpę & pœnæ: quia non consistit in vtriusq; equalitate, sed exigit cognitionẽ commensurationis pœnæ ad finem. Et quoniam primo modo non est actus iudicij præsentis vitæ, ideo ad confessorem non spectat actus iste: & quum potest fit propter actum, non est opus vt confessori sic exactè notaretur peccata, vt posit pœnam culpæ adæquare simpliciter & absolutè. Sed quia ad confessorem spectant commensurare pœnam pœnitenti in ordine ad suam salutem (quoniam hic est actus iudicij salutaris sibi commissus) & huiusmodi commensuratio in quadam proportione media inter pœnitentem & illius salutem consistit: sicut medicinam oportet esse proportionatam & sanitati recuperandæ & infirmo (sunt enim medicinales pœnæ præsentis temporis) ideo & vera est doctorum sententia dicentium, quòd confessor debet posse adæquatam pœnitentiam arbitrari, saluatur enim commensurationis adæquatio: licet non interueniat æqualitas inter culpam & pœnam. Et verum est, quòd peccatorum notitia non exacta sufficit ad adæquatam pœnitentiam arbitrandam à confessore.

QVAESTIO IIII.

An peccata semel ritè confessa, subsequutæ absolutione & satisfactione, possint iterum fructuosè confiteri, &c.

QVAERITVR Quartò adhuc circa materiã confessionis, an peccata semel ritè confessa, subsecuta absolutione & satisfactione, possint iterum fructuosè confiteri, &c. Videtur enim quod non.

¶ Primò, quia nulla forma sacramẽti est iterabilis super eadem numero materia: peccata autem sunt materia in hoc sacramento: ergo.

¶ Secundò, quia oportet saluari veritatem efficacem in formis sacramentorum, quæ in hoc casu non saluaretur: falsum nanque diceret sacerdos, dicendo, Absoluo te à peccatis tuis, &c. quoniam non absoluitur nisi ligatus: hic autem præsupponitur absolutus.

¶ Tertiò, quia hoc sacramentum quum ministretur per modum iudicij, exigit cognitionem vinculi: quæ in proposito non haberetur, si confitens denuò, peccata alias cõfessa solummodo exprimeret: lateret enim confessorem istum esse alias ab his absolutũ: ac per hoc lateret ipsum, pœnitentem hunc vinculis horum peccatorum astringi vel non astringi: quòd est inconueniens.

¶ Quartò, quia si replicatio confessionis eorũdem esset fructuosa, sequeretur quòd aliquis eidem confessori repletando solummodo in communi confessionem, puta dico meam culpam de his, quæ alias dixi, &c. fructum sacramenti perciperet: & sic in vno die centies replicando, centies fructum sacramenti perciperet: quod est ponere sacramenta in ridiculum.

¶ Quintò quia iudicium semel latum sine errore à confessore, Deus sic ratificat, quòd est irreuocabile. Ergo rationabile est, inquit, Sco. quòd etiam si ratificet quod fit irreiterabile, quo ad fructum.

¶ Et confirmatur ex his, quæ videmus in foro litigioso: nam sententia diffinitiua absolutoria accusati innocẽtis, non replicatur: nec si replicaretur, absolueret: quia non est amplius obligatus, vt à solui posit.

CONCLVSIO.

Non tantum licet peccata semel confessa pluries confiteri, sed ex sacramenti, si ritè confiteatur peccator, maximã assequitur utilitatem quo ad pœnæ remissionem, & gratiæ augmentum.

IN OPPOSITVM Videtur esse cõmunis opinio. Ad cuiusdẽtiã huius sciendũ est cõtineri hic duo quę scilicet an iterare eorundẽ confessionẽ sit licitũ, & an sit fructuosum. Et est sermo de confessione nõ mixta, quę scilicet continet quædam peccata aliàs cõfessa, & quædã nũcũ confessa: sed de cõfessione cõtinente solũmodo aliàs confessa. Et similiter est sermo de fructu ex parte sacramẽti seu clauiũ, & nõ de fructu ex parte pœnitentis, scilicet erubescentia & amplori satisfactione & huiusmodi. Nullus enim dubitat huiusmodi erubescentiam ac satisfactionem esse fructuosam: & similiter nullus dubitat confessionem istam esse licitam et fructuosam, saltem ea ratione, quia vtile per inutile adiunctum non vitiatur.

¶ De primo igitur quæsito non memini legisse me aliquem tenentẽ esse illicitum iterare eorũdem puram cõfessionẽ. Et quæ circa hoc ingerere possent ambiguitatẽ, in primis argumentis tangũtur, ex quorũ solutione manifestum erit, licitũ esse eadem peccata pluries cõfiteri purè.

¶ Et quia ratio, cũ in secũdo quæsito adducemus, hoc idẽ cõcludit, ideo trãseo ad secundũ quæsitũ. In quo inuenio Sco. in 4. sen. di. 15 respõdẽdo ad primũ, tenere, partẽ negatiuã esse probabiliorem: ita cp sentit iteratã confessionẽ non esse fructuosam ex parte clauiũ, hoc est nec remittere culpã, (quæ iam dimissa supponitur) nec remittere partẽ aliquã pœnæ. Mouetur autẽ ex argumẽto quinto loco allato cũ sua cõfirmatione. Sed reuera non solũ minus probabilis, sed falsa est eius opinio. Quod sic patet: Quicũq; suscipit quodcũq; eccle. siæ sacramentũ ritè ac dignè, concurrẽtibus omnibus requisitis ad sacramẽtũ (puta forma, materia, partibus omnibus, ministerio idoneo, & c.) non solũ licitè recipit sacramentũ, sed etiã recipit fructũ sacramẽti: sed in casu proposito pœnitens ritè ac dignè suscipit sacramentũ, &c. ergo est illi fructuosum sacramẽtũ: cp est intentũ. Maior est per se nota: positis eiũ omnibus tam ex parte agẽtis, cũ ipsius sacramenti, cũ suscipiẽtis, non est intelligibile, regulariter loquẽdo, non esse fructuosum sacramentũ. Et patet inductiuè in singulis sacramẽtis. Minor autẽ facilè patet discurrẽti per singula requisita ad sacra

Universidad de Deusto Biblioteca

mentum pœnitentiæ,tam ex parte ministri, quàm suscipientis, quàm ipsius sacramenti. Vnde dicendum est, quòd fructus iteratæ confessionis præsupposito, fructu primæ,est augmẽtum gratiæ & remissio aliquantæ pœnæ:si tota,prius non est remissa. Similem enim fructum habet prima confessio,ad quam heri contritus hodie accessit:augmentauit enim gratiam,& remisit aliquantam partem temporalis pœnæ,si pœnitens adhuc debitor illius erat.

AD PRIMAM Ergo argumenta, quæ contra primàm militant quæsitum, respondendo dicitur, quòd materia sacramenti pœnitentiæ existente duplici,scilicet remota,& propinqua (nam remota est peccatum propinqua verò est ipse actus pœnitentis, scilicet confessio) non inconuenit super eadem materia remota, diuersa tamen existente materia propinqua, iterari formam sacramenti.Et propterea quia confessio non est eadem,licet sit eorundem peccatorum,potest licitè replicari forma,imò rectè loquendo,sicut materia propinqua est alia numero,& non est replicatio eiusdem : ita forma est alia numero,& non est replicatio eiusdem.

¶ Ad secundum dicitur, quòd hoc argumentum petit difficultatem communem huic quæsito, & alteri quæsito,quid scilicet soluit quando totaliter contritus & solutus à culpa & pœna accedit prima confessione ad sacramentum pœnitentiæ,eadem est enim vtrobique difficultas.Et eadem responsione satisfit vtrique,dicendo, quòd quia sacramentum est exterius sensibile signum, secundũ ea, quæ exterius geruntur ab ecclesia iudicatur & ministratur,ac per hoc quia pœnitens proponit peccata sua, vt expiabilia,ac vt ea,quibus se ipsum alligauit:ideo ecclesiæ minister absoluat, id est sacramentum absolutionis impendit licitè profitenti alligationem.Et quia in sacramento efficitur intus quod significatur extra, ideo intus communiter fit absolutio peccati,saltem quo ad aliquam partem pœnæ.Et licet hoc sufficere videatur, quia ad id quod communiter inuenitur,leges respiciunt :subiungendum tamen est stringentibus casum ad immunes etiam à pœna,quòd ipsa gratia augmentata, quæ per sacramentalem absolutionem confertur, habet rationem magis absolutorij.Quia enim sacramentum pœnitentiæ ex propria ratione habet quòd sit medicinale, & curatiuum infirmitatis peccati actualis:& peccati,actualis infirmitas consistit non solùm in culpa & vocata pœna siue æterna,siue temporali,sed in multis alijs malis (vt clarè patet in augmento vulnerum originalium) ideo absolutio sacramentalis non solùm extendit se ad culpam & pœnam,sed ad alia ex peccato actuali incursa mala. Ita quòd gratia per sacramentalem absolutionem significata & collata,quatenus est sacramentalis huius sacramenti,eoipso quòd extenditur ad amplius sanandum à morbo peccati actualis,habet rationem magis absolutorij à peccato:sicut gratia baptismalis,si baptizaretur quis plenè prius consequutus baptismalem gratiam ex baptismo flaminis, esset magis ablutiua à peccato, dum à peccati reliquijs magis mundaret.Cuilibet siquidem Christiano sicut conuenit orare,Amplius laua me Domine ab iniquitate mea:ita conuenit orare,Amplius, sana Domine: & amplius,Absolue Domine,&c. Nec putes nouam me introducere de effectu sacramenti pœnitentiæ doctrinam.Vide superius diuum Tho.in articul.1.quæstio.65. dicentem, Extrema vnctio ordinatur contra reliquias peccatorum,quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ aut ex negligentia aut ex ignorantia.Et percipe ex his sacramentum pœnitentiæ ad tollendas etiã reliquias peccatorum se extendere, si ignorantia aut negligentia ex parte nostra non impediat sufficientem illarum ablationem.

¶ Ad tertium dicitur,ꝙ quia confessio fit de actibus peccatorum,& non de esse sub peccato, (debemus enim confiteri,quòd fecimus tale & tale peccatum : an autem adhuc detineamur illius peccati vinculo,vel sub peccato non simus, sub confessione non cadit) ideo satis est confessori cognoscere pœnitentem confitentem se perpetrasse tale peccatum,& paratum ad pœnitentiam, &c.sufficit enim quòd subijciat se iudicio,accusando seipsum,&c.Et confirmatur:quia pœnitentiam egisse de talibus peccatis,pertinet ad circunstantias alleuiantes sententiam iudicis, quas constat non esse opus confiteri.

¶ Ad quartum dicitur,quòd quia præcipuus sacramẽti effectus est gratia prima vel eius augmentum : ideo frequentia sacramenti illis solis cõuenit,qui seipsos paratos reddunt ad gratiæ augmentum.Et propterea non sequitur quòd fructus sacramentorum exponat ea ridiculo : non sunt enim frequentanda quantũcunq; fructuosa sint,nisi à dispositis ad præcipuum eorum effectum.communiter autem huiusmodi dispositio nõ tam frequenter inuenitur in hominibus,vt totiens expediat confiteri.

¶ Ad quintum dicitur,quòd sequela nihil valet : quoniã irreuocabilitas sententiæ pertinet ad firmitatem iudicis & iudicij,infructuositas autẽ supposita iterabilitate præ se fert aut infirmitatem,aut minorem largitatem iudicis vel iudicij,iudicis quidem,si non vult,aut non potest virtutem dare similem iterato iudicio.iudicij autem si iudicium ipsum secundum se non est virtuosum, quale est humanum iudicium in foro litigioso. Et per hoc patet responsio ad confirmationem. Notanter autem dixi, supposita iterabilitate:quoniam ex hoc ipso quòd Deus iterabile instituit sacramentum pœnitentiæ super eisdem peccatis,consequens est vt fructuosum replicet. Secus autẽ est in nõ iterabilibus sacramẽtis: huiusmodi enim eoipso quòd sunt non iterabilia,vana sunt si iterantur.

QVAESTIO V.

An confessio informis sit iteranda.

CIRCA Qualitatem confessionis quæritur an confessio informis sit iteranda. Videtur enim quòd sic. Primò,quia instrumentum oportet moueri à principali agẽte, alioquin instrumenti ratio non saluatur : ergo iudicium pœnitentiale oportet à ministro exerceri,prout mouetur à Deo:sed confessione existente informi non exercetur iudicium pœnitentiale secundum motionem diuinã: ergo oportet denuò confiteri,vt exerceatur pœnitentiale iudicium vt instrumentum motum à Deo, principaliter absoluente.

¶ Secundò,Cõfessione existente informi,deest vna pars sacramenti,quæ est contritio:ergo sacramentum non valet:sed est iterandum:vt patet in alijs sacramentis, quando deficit aliqua pars.

¶ Tertiò,quia confessione existente informi, necessè est peccatum aliquod mortale subtrahi à materia absolutionis,ac per hoc necessè est confessionem non esse integram, & consequenter esse reiterandam. Assumptum probatur, tum quia communiter cõfessio informis accidit propter aliquid non explicatum in confessione. Tum quia peccatum illud,quòd dum absolutio fit à pœnitente committitur,irreuerenter suscipiendo sacramentum,non est materia absolutionis: quoniam nõ potest simul pœnitens peccare & absolui ab illo peccato.

¶ Quartò,quia fructus sacramenti pœnitentiæ est remissio peccati ex cõiunctione passionis Christi per sacramentum ad pœnitentem:sed confessione existente informi nõ fit huiusmodi coniunctio,nec habetur hic fructus : ergo vanũ fuit huiusmodi sacramentum,& consequẽter iterandum est.

IN OPPOSITVM Est autoritas diui Tho. in quarto sen.distinct. 7.

CONCLVSIO.

Informis illorum confessio,& si illis diuina non absit gratia,sic sunt quod in se est,non est in fructuosa,sed valida.

¶ Circa hanc difficultatẽ,(quæ propter diuersas opiniones adhuc sub iudice videtur esse,) sciendũ est, ꝙ vitandi sunt duo extremi errores. Alter est,ꝙ omnis cõfessio informis est valida,ita vt nõ sit iterãda: clarè siquidẽ patet cõfessionem illius,qui propter verecundiã peccatũ aliquod mortale tacuit,esse informem & reiterandã. Alter est, ꝙ nulla confessio informis est valida,ita ꝙ non sit iteranda. Nã clarè constat nescire nos an aliqua nostra cõfessio fuerit formata, quia nescimus nos esse in gratia, & cum hoc dubio non curare nos amplius de memoria peccatorũ,vt denuo cõfitendorũ:quũ tamen oportet nos esse solicitos ad pluries confitendũ,vt quandoq; fieret confessio formata:& sic nunq; finis imponẽdus esset cõfessioni,vt tutior pars eligeretur:quod cõstat vniuersalis ecclesiæ auribus offendere. Ex vtroque autem errore perspiciendum est, quòd non ad ipsam informitatem, sed ad informitatis causam resoluere oportet validitatem vel nõ validitatẽ informis confessionis:ex eo enim,ꝙ aliqua informis confessio est valida,& aliqua nõ est valida,non ex ipsa informitate,sed aliũde,puta ipsius informitatis causa,puenire debet,quòd aliqua sit valida,& aliqua non.Et quoniam causa hæc se tenet ex parte pœnitentis, cuius duo sunt actus vsq; ad absolutionem,scilicet contritio & cõfessio: ideo hinc scrutandum est quid veri appareat. Ex parte igitur confessionis certum est confessionem ex proposito non integram propter verecundiam,aut aliquid huiusmodi,esse inualidam ac reiterandam:& in hoc nulla est quæstio. ¶ Ex defectu autem contritionis tota oritur difficultas,quæ,vt clarius elucescat,distinguendus est cõtritionis defectus:habet enim multos gradus. Minimus autem contritionis defectus est ipsa absentia charitatis: qui enim sunt ita attriti,ꝙ dolẽt de præteritis omnibus, vt de summo odibili,& proponunt vitare mortale peccatum vt summum vitabile,si confessionem subeunt informem,non tenentur iterare confessionem,sed est eorũ confessio valida. Nec alia hoc eget probatione, quàm superius adducta ex vniuersalis ecclesiæ testimonio: omnes enim sapientes & timorati viri sic dispositis mandãt imponendum esse confessioni finem. In inferiori autẽ gradu in contritionis,sunt sic attriti,vt doleant quidem de omnibus præteritis:non tamen ascẽdunt vsque ad hoc, vt doleant de eis tanquã summo odibili:& similiter proponunt cauere de futuro non tamen tanquam à summo vitabili. Et hoc bifariam contingit.Primò sine discutione talis defectus:quia scilicet non discutit pœnitens dolorem suum de commisso mortali,an sit tanquam de summo vitabili,& similiter propositum suum vitandi mortale,an intendat vitare tanquam summum vitabile : sed occurrit tantùm eis dolere de peccato & cauere de futuro,(sicut si offendisset vnũ hominem & doleret de offensa præterita, & intenderet amplius illum non offendere: in eorum tamen animo non ita dominatur affectus tam vitandi offensam in futuro,quàm detestandi commissam in peccato,vt pro summis malis hęc habeant. De horum numero vtinam non maxima pars Christianorum pœnitentium sit,quos non sicut primos puto virtute clauium de attritis regulariter fieri contritos : sed in sua attritione absolui & communicare. Cuius signum est, quòd charitas sicut positiuè præfert Deum omni amabili, ita facit apud habentem ipsam offensam Dei odibiliorem omni odibili,& magis vitandam omni alio vitabili, operatur enim hæc magna amor, Dei si est:& si hæc non operatur, non est charitas Dei. De istorum confessione intelligo doctrinam diu: Tho. quòd confessio informis per defectum contritionis est valida, ita vt non sit iteranda : & erit eis fructuosa quando ascendent ad cor altum, vt habeant peccatum pro summo odibili & summo vitabili, & confitebuntur fictionem suãm hanc,quia vt contriti sacramentum susceperunt:quum in veritate contriti nõ essent. Quare autem huiusmodi confessio sit valida, inferius declarabitur. Si verò huiusmodi attriti animaduerterint,se non esse contritos,simile est de eorum confessione iudicium & de confessione illorum qui sunt in tertio gradu:de quibus modò subiungimus, quòd in infimo loco attritorum sunt,qui ambas contritionis partes,aut parum attingũt, aut saltem altera carent. Ad contritionem enim quum duo spectent dolor de peccato, & propositũ cauendi de cætero,infimi proculdubio sunt,qui de præteritis quidem aliqualiter dolẽt, & de futuro velleitatem habent cauendi. Inter quos est etiam latitudo,non solùm secundum gradus doloris & velleitatis, sed etiam secũdũ differentiam percipientis,vel non percipientis statũ proprium : & similiter secundùm differentiam explicantis, vel non explicantis in confessione plenæ seipsum. Nam qui huiusmodi statum suum non percipit, ac per hoc nõ explicat confitendo,integrè quidem confitetur quantum est ex intentione:qui autem percipit & confitetur,etiam integrè ex intentione confitetur:qui verò percipit & non confitetur,quia non occurrit sibi hoc quasi peccatum cõfitendum,adhuc integrè ex intentione cõfitetur,secus autem si nollet hoc confiteri:tunc enim ex proposito dimidiaretur confessio.Et similes distinctiones fieri possunt de attritis in secũdo gradu positis. Quocirca de omnibus dicitur,quòd quum ex proposito tacetur peccatũ sacrilegij ex tali statu pœnitentis consurgens,confessio non est valida,sed iteranda: deest siquidem confessioni non sola contritio sed integritas ex proposito. Quando verò cõfessio ex proposito est integra,omnium confessio videtur valida: ita quòd non est necessariò iteranda. Quamuis differentia sit inter eos, quo ad vitandum sacrilegij peccatum:quia percipientes statũ suum malum, & confitentes eundem, putantésque se non sacrilegio, sed bono operam dare, rogando confessorem, vt eos absoluat, excusantur, si bona fide cum sacerdote docto id tractent, à sacrilegij peccato. Nec obstat, si dicatur, quòd ista est ignorantia iuris diuini : quoniã in huiusmodi, quæ sunt iuris diuini positiui, excusantur indocti, quando à doctoribus iudicibus sic erudiuntur : statuit enim Deus leges suas ad infimos per medios peruenire. Vnde & Apostolus, mulierem à viro suo interrogari iubet, si quid voluerit scire. Illos autem, qui non explicant, confitendo, huiusmodi malum statum suum, nescio excusare à nouo sacrilegij peccato : deberent enim saltem sacerdotis arbitrio iudicandos offerre seipsos in his, quæ communiter pœnitentes nosse & confiteri consueuerũt:communissimum autem est pœnitentibus omnibus confiteri voluntatem suam de non cauendo decætero hoc enim etiam mulierculæ & sciunt & seruant.

¶ Communis autem ratio quare attritorum omnium integra quidem, sed informis confessio est valida, ita quòd non est iteranda, assignatur à diuo Thom.quia sacramentum pœnitentiæ verum inuenitur & fructuosum non tunc, sed quando aderit contritio. Et quidem quòd verum inueniatur sacramentum, non solùm secundum illorum opinionem, qui negant contritionem esse partem sacramenti pœnitentiæ, apparet, quia nihil deest huic sacramento nisi contritio : sed etiam tenendo contritionem esse partem sacramenti pœnitentiæ, manifestatur ex eo quòd contritio non secundùm se, sed relata ad confessionem, (hoc est vt est spontanea voluntas recompensandi ad arbitrium sacerdotis) pars sacramenti est posita superius à diuo Thom. Hæc autem in proposita confessione inuenitur, dum quilibet sponte eligit submittere se iudicandum sacerdoti, &c. Quia concurrunt igitur ad sacramentum huiusmodi, omnes partes eius, quæ se tenent loco materiæ, & forma minister debitus, consequens est vt sit verum ecclesiasticum sacramentum. Quòd autem existente vero sacramento, informitas non patiatur reiterationem, sed fructum futuro tempore à diuo Thom. probatur: quia sic est in alijs sacramentis, & verè sic est de baptismo, Confirmatione, Ordine, &c. Nec obstat, dicere quòd hoc verificatur in istis sacramentis, quia non sunt iterabilia, sed quia imprimunt characterem: vtrunque enim per accidens se habet ad fructum pro futuro tempore. Ex quo inferri potest, quòd non oportet iterari, etiam si esset iterabile : ex eo namque quòd sacramentum est propter fructum eius : & fructus eius potest in futurum haberi sine ipsius iteratione, optimè sequitur, quòd non oportet sacramentum ipsum iterari. Amplius extrema vnctio est sacramentum iterabile: & tamen, si incontritus suscipit quis extremam vnctionem, & post horam conteratur, non reiterabitur extrema vnctio, nec carebit infirmus moriens illius fructu.quoniam si careret illius fructu, petenti infirmo iterari extremam vnctionem. ob suam incontritionem ecclesia non negaret : quam tamen negat, dum super eundem morbum, &c. ordinat non repetendam. Ex hoc ergo, quòd informiter suscipiens sacramenta, siue iterabilia, siue non, ex ipsa informitate licet perdat fructum pro tunc, imò quandoque addat nouum peccatum mortale pro tunc, non tamen perdit fructum sacramenti,pro quanto erit contritus, habetur non oportere iterari sacramentum. Nec oportet aliam huius rationem quærere, quàm ipsam sacramenti vim ritúmque ecclesiæ. Augustinus enim primus hoc docuisse videtur de Baptismi fructu : diuus Thomas ad alia sacramenta hoc extendit ecclesiæ ritus hoc videtur semper seruasse: fructu quoque extremæ vnctionis attestante. Et propterea concludendum videtur hoc loco, non plus sapere quàm oportet.

AD PRIMVM In oppositum dicitur,ꝙ sacerdote præsumente soluere in pœnitentẽ,sacramentale iudiciũ exercetur,vt Rei instrumentũ quodãmodo non, & quodammodo sic.Nam quo ad modum exercendi nõ procedit à Deo:qm̃ sacrilegè exercetur:quo ad substantiã verò sacramẽti,à Deo procedit simpliciter & absolutè.Et qa sacramẽtũ secũdũ se est fructuosum, ideo à Deo procedit vt sacramentũ fructuosum sortiturũ effectũ, qñ susci

Universidad de Deusto Biblioteca

piens est dispositus. Et licet tempus dispositionis ex parte recipientis arctetur ad tunc; tamen ex diuina largitate extensum intelligimus ad tunc, vel postea, quando erit dispositus: vt in baptismo contingit. ideo non oportet sacramentum repetere, vt Deo actore exerceatur.

¶ Ad secundum dicitur, quòd in cõtritione duo sunt: scilicet velle recompensare, & charitas informans illud velle. Et respectu quidem sacramenti pœnitentiæ absolutè, sufficit contritio quo ad primũ, respectu autem eiusdem fructuosi in ipsius præsentia, concurrit contritio etiam quo ad secundum; & hoc solùm deest in proposito. Vnde nulla pars sacramenti vt necessaria est ad sacramentum, deficit: quamuis deficiat vt necessaria ad sacramenti effectum nunc.

¶ Ad tertium dicitur, quòd quia actus morales ex per se obiecto iudicantur, ille solus dimidiat confessionem, qui ex intentione integritatem violat; & propterea quum in proposito supponatur, confessionem esse ex intẽtione integram, licet materialiter non sit integra, non sequitur, cõfessionem esse iterandam. Aduerte tamen hic, quòd sicut in alijs vitijs tam enormiter contingit errare materialiter, vt actus redeat ad naturam formalem sui generis, (vt patet in detractione, contumelia, & huiusmodi: contingit enim tam grauiter absq; intentione detrahendi detrahere famæ proximi, vt ipsa magna læsio incursa minus æstimata, detrahendi actum in detractionis naturam reducat) ita potest contingere quòd ex nulla aut tam crassa & supina conscientiæ discussione, aliquorum peccatorum mortalium confessio omittitur, vt materialis violatio integritatis in formalem reducatur, tãquam dimidiationis incursus ille, qui pro nihilo æstimatus est, intentus fuerit. Vnde tales ad reiterandam confessionem inducendi sunt. In quorum numero videntur esse illi, qui cum sola velleitate abstinendi à peccato cõfitentur & absoluuntur, tacẽtes huiusmodi peccatũ & impedimentum, quòd etiam mulierculæ nouerunt, & consueuerunt explicare.

¶ Ad quartum dicitur proportionaliter sicut ad primũ quòd licet sacrilegè, sacramentum tamen coniunctionis fructuosæ secundum se passionis Christi ad pœnitentem exercetur: cuius fructus etsi non nunc, quãdo tamen erit dispositus pœnitens, percipietur. Vnde non fuit sacramentum vanum, quòd Deus adeò acceptat, vt non exacta repetitione sacramentalem gratiam conferat, quamprimũ pœnitens fuerit dispositus, quam per sacramentum præsens erat daturus, si tunc pœnitens fuisset dispositus.

TRACTATVS SExtus, De satisfactione pœnitentiali in Duas quæstiones diuisus.

1 Num pœnitentialis satisfactio de aliàs debito fieri possit.
2 Num pro contrito & confesso peccato imposita satisfactio si exoluatur in peccato mortali sit iteranda.

QVAESTIO I.

An satisfactio pœnitentialis possit esse de aliàs debito.

CIRCA Satisfactionem pœnitentialem quæritur primò, an possit esse de aliàs debito. Et videtur quòd non. Primò ex ipsa ratione satisfactionis. nam satisfacere est facere æquale debito: nõ fieret aũt equalitas, si aliàs id, quod fit, esset debitum. minus enim fieret quàm deberetur. Et confirmatur hoc ex simili in reliquis satisfactionibus.

¶ Secundò, quia ritus ecclesiæ hoc habet vt pœnitentias iniungat non de ieiunijs & orationibus, quæ sunt in præcepto.

¶ Tertiò, quia secundum Ansel. in lib. Cur Deus homo, per illa fit satisfactio, quæ non possent ab homine exigi nisi peccasset: sed precepta possent ab homine exigi, etiam si non peccasset: ergo de præceptis non potest fieri satisfactio pœnitentialis.

CONCLVSIO.

Potest homo pro peccatis suis satisfacere ex operibus aliàs Deo debitis vel ex præcepto diuini iuris, vel positiui.

IN OPPOSITVM est, quòd in casu quo martyrium est in præcepto, satisfactio per illud fit: non derogat ergo satisfactioni pœnitentiali esse alias debitum.

¶ Ad huius euidentiam sciendum est, plures tenuisse doctores partem negatiuam quæstionis propter argumenta inducta. Et quoniam pars affirmatiua mihi videtur vera, ideo eius veritas monstranda est, assumendo pro fundamento, quòd vnum & idem opus à diuersis directum seu assumptum principijs, multiplicis est efficaciæ in his, quæ sunt iustitiæ mixtæ, qualis est inter hominem & Deum. Sub qua constat comprehendi satisfactionem pœnitentialem: quoniam nulla nostra satisfactio est sufficiens secundum æquiualentiam exactam à pura iustitia, sed secundum diuinam acceptationem. Probatur ergo primò intentum sic: Eadem pœna si à minori charitate procedit, est minus satisfactoria, & à maiore charitate procedens est magis satisfactoria; ergo pœna aliàs debita, si procedat à maiore charitate, vel à virtute clauium, erit plus satisfactoria, quàm ipsa secundum se, vt erat aliàs debita: ergo pœna alias debita potest assumi in satisfactionem pœnitentialem assumptum est notum & approbatum de excellentia satisfactionis in passione Christi propter excellentissimam illius charitatẽ, a qua procedebat. Consequentia autem est per se euidens, & tantò euidentior, quantò in satisfactione pœnitentiali plus pensatur quantitas ex diuina acceptationẽ, quàm secundum substãtiam operis seu pœnæ, quam pura iustitia consideraret.

¶ Prætereà vnũ & idem opus cũ hoc quod est alias debitum Deo, est meritorium de condigno æternæ vitæ; ergo potest esse etiam satisfactorium pœnæ pro peccatis debitæ. Assumptum patet: quia honorando parentes (quod est opus præceptum) mereor si ex charitate illos honoro, vitã æterna condignor. Consequentia probatur, ex eo quòd ratio aliàs debiti non minus officit ad constituendum ius futuræ mercedis, quàm ad cõstituendum ius recompensandi peccatum debitum: opus siquidem alias debitum, si potest cum hoc efficere, vt exigente iustitia merces sibi debeatur, tam excellens qualis est æterna fœlicitas, multò magis sufficiens est, vt constituat ius soluti pretij debiti tam minimi, quale est temporalis pœna. Et confirmatur: quia tribus existentibus virtutibus, scilicet charitate, gratificatione, & pœnitentia, & actus alias debitus potest ex charitate efficaciã meritoriã, ex gratificatione efficaciã gratiarũ actionis sortiri: cur non assumptus à pœnitentia vim satisfactoriã sortietur: nunquid diuina acceptatio tã larga in merito & gratificatione, manca est in satisfactione? an fortè plus iustitiæ locum habet in amico circa solutionem pœnæ, quam circa gratiarum actionem aut meritum?

¶ Prætereà, ad particularia descendendo, & discurrendo per consilia, quando sunt in præcepto, idem apparet; in casu enim quo tenetur quòd eleemosynam facere, cur non potest pœnitens ordinare illam pro satisfactione pœnitentiali? & similiter in casu quo præbere alteram maxillam, vel angariari, vel esurire, aut sitire, penuriam pati, aut huiusmodi aliquid, esset in præcepto, quis sapiẽs prohibeat pœnitentem offerre hæc duo in satisfactionem, aut neget solui per hæc pœnam debitam pro peccatis? an fortè huiusmodi opera debita ex præcepto, possunt ab ipso quidẽ pœnitente assumi in satisfactionem pœnitentialem, sed per confessoris ministerium non possunt hæc in pœnitentiam dari. Hoc enim ecclesiæ clauibus est derogare, maiorẽmque virtutem humanæ intentioni, quàm Christi clauibus tribuere: tanquam humana intentio, quædam possit pro satisfactione assumere, ad quæ claues non se extendunt: quod à fidelium æstimatione longè fit. In cuius signum laudabilis multorum confessorum consuetudo antiqua, absoluendo pœnitentem dicit. Quicquid boni feceris, & facere intendis, & mala quæ sustines, & sustinebis, sint tibi in remissionem peccatorum, &c. & non dicit, Quicquid supererogationis boni feceris, aut mali, sustinebis.

AD PRIMVM Ergo in oppositum dicitur, quod aliud est loqui de satisfactione infra limites puræ iustitiæ, & aliud est loqui de satisfactione sapiẽte magis naturam amicitiæ quàm iustitię: argumentum enim procedit de satisfactione infra limites iustitiæ conclusa, de qua non est hic sermo. Vnde & pœnitentia posita est à diuo Tho. differens a iustitia vindicatiua: quia illa ius attendit, hæc autem voluntatem offensi & offendentis, quòd amicitiæ magis est, quàm iustitiæ.

¶ Ad secũdum dicitur, quia ecclesiasticus minister homo est, (qui nõ intuetur cor, quem latet pœnitentis charitas,) ideò prouidè ad tutiorem partem iudicium suum declinat: & id quod est amicitiæ præteriens, ad id quod est iustitiæ se conuertit. Et quoniam ex parte iustitiæ satisfactio habet, quòd sit de non aliàs debito, ideo confessores non imponunt ieiunia aliàs debita, sed opera ad quę aliàs pœnitens non tenetur: cum quo stat, quòd si opera, ad quæ aliàs pœnitens tenetur, imponeret in satisfactionem peccatorum, prodesset saltem virtute clauium pœnitenti satisfactio huiusmodi ex charitate adimpleta.

¶ Ad tertium dicitur, quòd autoritas non videtur adduci ad propositum, quoniam ex illa nihil aliud habetur, nisi quòd satisfactio fit per pœnalia: hæc enim sunt, quæ si homo non posset, ab eo non exigerentur. De hoc enim nulla est quæstio: sed an huiusmodi pœnalia sint satisfactoria, si sint aliàs debita, de quo nihil dicit autoritas allegata. Verumtamen scito, quòd opus hoc, quod est honorare parentes (quòd etiam si homo non peccasset, prę ceptum fuisset) si in præsenti statu exercendum cum pœnalitate aliqua occurrat, illud vnum opus præceptum, quatenus est pietatis esset meritorium, vt est à charitate, & gratiarum actio Deo, vt est à super excellenti gratitudine vocatur religio, & esset satisfactorium, quatenus esset à pœnitentia: & simile est in alijs. Vnde habes, quòd etiam per ea quæ si homo non peccasset, essent exacta. alio tamen modo post peccatum exercita satisfactio fit.

QVAESTIO II.

An pro contrito & confesso peccato imposita satisfactio, si exoluatur, in peccato mortali sit iteranda.

SECVNDO Circa satisfactionem pœnitentialem quæritur, an pro contrito & confesso peccato imposita satisfactio, si exoluatur in peccato mortali, sit iteranda. Videtur enim quòd non.

¶ Primò ex ipsa ratione iustitiæ. Ex quo enim secundùm plenam iustitiam punitiuam semel imposita est pœna temporalis pro peccato, de quo verè pœnituit, nunquam pro illo debebitur, nisi pœna temporalis: & illa soluta nulla. Et confirmatur hoc in actibus humanis. Si enim alicui culpæ præcisè correspondeat secundùm legem abscisio manus, non debet secundũ iustitiam manu abscissa exigi maior punitio: ergo a simili si quis remanet debitor præcisè temporalis pœnæ (puta quatuor dierum) non debet secundum diuinam iustitiam illa soluta plus exigi.

¶ Prætereà, Si huiusmodi satisfactio extra charitatem dicatur non sufficere, sententia nimis dura & occasio peccandi videtur: quoniam pœnitens quum hoc audierit, post lapsum in peccatum mortale non prosequetur executionem pœnitentiæ, vtpote inutiliter: & sic incidet in nouum peccatum mortale, transgrediendo præceptum ecclesiæ & vicarij Dei in illo actu. Et hinc formatur, inquit, Sco. talis ratio. Si post lapsum non exequatur quis satisfactionem pristinam sibi impositã peccat mortaliter: ergo si exequatur, bene facit: quia actum obedientiæ facit: sed non facit actum obedientiæ nisi inquantum illud est sibi impositum, tanquam pars satisfactionis: ergo, &c.

¶ Prætereà. Sequitur aliud inconueniens, scilicet quòd huiusmodi peccator si damnaretur, æternaliter puniretur pro peccatis semel dimissis: ac per hoc dimissa peccata redirent simpliciter: quia redirent quo ad pœnam æternam. Et vlterius sequitur, quòd ita æternaliter puniatur quis pro peccatis dimissis, sicut pro non dimissis.

CONCLVSIO.

Quamuis pœnitentialis satisfactio à confessore pœnitentibus imposita, in foro militantis ecclesiæ, quamuis extra charitatem fiat sufficiens tamen est, & si pro tunc non valeat, valere tamen incipiet charitate accedente ad illum, qui ad cor aliquando redibit.

IN OPPOSITVM Est, quòd satisfactio mortua non est satisfactio, sicut nec homo mortuus est homo. Hæc quæstio sub iudice ab omnibus cõmuniter videtur derelicta, quũ ipse Scotus, qui partem negatiuã tenet, (cuius sunt argumenta inducta,) non audeat eam asserere: sed dicat se absque præiudicio loqui in prima quæstio. distinct. 15. 4. senten. & diuus Tho. varia videatur sentire: Durandus soluat ad vtranque partem, &c. Quocirca vt radicales rationes examinentur, & rationabilior pars eligatur, hanc mouimus. Et quoniam rectum est iudex sui & obliqui, hinc incipiendum reor. quòd secundum omnes nulla nostra pœnitentialis satisfactio apud Deum est sufficiens sine charitate: quia nulla est sufficiens secundum æquiualentiam simpliciter, sed quæcunque est sufficiens, ex diuina acceptatione est sufficiens: acceptabilem autem charitas reddit. Ex hoc communi principio oportet doctrinam procedere per se, absque diuersione ad ea, quæ sunt per accidens, aut extranea: alioquin doctrina magis sapit voluntarium dogma, quàm vera doctrina. Ex hoc autem principio manifestè deducitur, nullam satisfactionem sufficere nisi charitas reddat eam acceptabilem: nec oportet in hac deductione laborare: sed tantummodo subsumere, sed hæc est satisfactio: ergo. Vnde quum reliqua ista de qua quæritur satisfactio, sit verè satisfactio pro peccati pœna, & nullam habeat conditionem diminuentem rationem satisfactionis, mirum, vt non dicam voluntarium, videtur eximere huiusmodi satisfactionem à communi regula satisfaciendi: aut enim oportet negare illud vniuersale ac commune principium, aut illo concesso oportet vniuersaliter dicere, nullam satisfactionem pœnitentialem sufficere nisi secundum acceptationem: quæ extra charitatem non inuenitur. Et confirmatur ex casu simili, ponendo hominem post contritionem suorum peccatorum, & aliquot dies pœnitentiæ, citra tamen confessionem, relapsum, & nihilominus prosequi actus pœnitentiales pro peccatis pristinis. Hoc enim sic se habente, quæratur an huiusmodi actus pœnitẽtiales per relapsum sint satisfactorij, an non. Si dicitur quòd sunt satisfactorij, sequitur quòd non oportet recurrere ad determinationem pœnæ statam per diffinitiuam iustitiam claue non errante, &c. quum in hoc casu huiusmodi determinatio per claues non interuenerit: & vltra hoc videtur negari communis doctorum sententia. Si verò non sunt satisfactorij, quum sola tẽporalis pœna pro pristinis peccatis in vtroque casu remanserit soluenda, nulla est ratio, quare solutio vnius extra charitatem valeat, & alterius non: si enim iniustum est plus exigere in primo casu, iniustum quoq; est plus exigere in secundo: quoniam secundum diuinam iustitiam vtrobique debitum solius pœnæ temporalis remanet. Et si illa soluitur extra charitatem, nullius restat pœnæ debitum: si autem charitas exigitur ad hoc, vt solutio sit sufficiens, neutrius solutio aliquid valet. Concludendum igitur ex communi hoc principio videtur, quòd nulla satisfactio pœnitentialis est sufficiens nisi secundum diuinam acceptationem, quam constat (vt sæpe dictum est) extra charitatem non inueniri. Et confirmatur hoc ex ipso modo remissionis peccatorum. fit enim remissio mortalis peccati per modum amicabilis reconciliationis, ex hoc enim modo fit, vt peccator ex proprio demerito hostiliter puniendus, amicabiliter corripiendus restet: hoc est enim auferri reatum pœnæ æternæ, & transire in reatum pœnæ temporalis. Ex hoc autem quòd peccator de hostiliter puniendo, transit in amicabiliter puniendum hic, vel in purgatorio, sequitur quòd nisi amicabiliter pœna exoluatur, nunquam soluetur; quia quod amicè debeo nunquam exoluo nisi amicè tribuam.

¶ Ex eodem quoque principio deducitur, exceptionem aliam de satisfactionibus relinquentibus post se effectum, non esse vsquequaque veram: sed ex famosa apparentia humanáque compassione processisse videtur distinctio inter satisfactiones relinquentes post se effectum, & satisfactiones non relinquentes post se effectum; ita vt licet vtræque extra charitatem factæ sint mortuæ, effectus tamen primarum remanens, potest verificari per subsequentem charitatem: & ideo primæ non sunt reiterandæ, secundæ autem quia totaliter transierunt, sunt reiterandæ.

Fauorabilis siquidem magis, quàm vera videtur interpretatio hæc. Nam opus satisfactorium relinquẽs post se effectum (puta ieiunium, vel eleemosyna extra charitatem) si est sic per sequentem charitatem viuificabile, vel hoc habet ex sacramentalitate sola, & hoc non: quia sic etiam conueniret satisfactionibus non relinquentibus effectum: quoniam ipsæ etiam sunt sacramẽtales. Vel hoc

Universidad de Deusto Biblioteca

habet ex relicto effectu solo: & hoc non: quia hoc conueniret similibus satisfactionibus factis ante contritionem & confessionem: quòd omnes negamus, dicentes cum August. quòd peccator non est dignus etiam pane quo vescitur: & cum Apostolo, Si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, &c. Vel hoc habet ex vtroque simul, scilicet sacramentalitate & effectu relicto: & hoc non: tum quia ad hoc, quòd opus sacramentale sortiatur effectum per sequentem charitatem, non requiritur relictus effectus: vt de confessione informi patet. Tum quia huiusmodi relictus effectus non est sacramentalis: quoniam non est effectus operis satisfactorij, vt est sacramentale, aut morale, sed secundum naturam operis: afflictio enim carnis non est effectus ieiunij, vt est actus moralis, aut sacramentalis, sed vt est subtractio cibi. Et similiter diminutio boni exterioris non est effectus eleemosynæ, nisi secundum naturam operis: puta quia subtrahit illud à se. vnde effectus iste est valde remotus à sacramentalitate: Tum quia vacillans, aut claudicans inueniretur hoc verum: nam non esset verum vniuersaliter, sed in solo illo casu quo relictus effectus duraret vsque ad aduentum nouæ charitatis: vt sic inuentus possit a charitate viuificari. Nam si non perduraret, non posset per illam viuificari plusquam transitoria quæ præterijt oratio. & sic si quis extra charitatem ieiuniorum iniunctam pœnitentiam peregisset, & debilitatis seu afflictionis derelictus effectus non duraret, post duos menses (quia iterum pœnitens bene se confortauit) & noua charitas non fuisset recuperata vsque ad quartum mensem, iteranda essent prædicta ieiunia.

¶ Quia igitur neutra via solidè fundata videtur, occurrit media via incedendum, dicendo tria. Primum est, quòd omnis pœnitentialis satisfactio à confessore imposita etiam si extra charitatem fiat, sufficiens est quo ad forum militantis ecclesiæ. Probatur hoc: quia satisfactio huiusmodi est sacramentalis: est enim tertia pars sacramenti, ac per hoc satisfacit ecclesiæ, si est informis, sicut confessio informis. Et hinc oritur, vt non solùm ieiunia & eleemosynas, verum etiam orationes non sit solicita ecclesia, iterum imponere pœnitentibus, qui eas semel soluerunt, quamuis iuniores nonnulli trepidantes timore vbi non est timor, & adinuenerint quandam momentaneam satisfactiunculam pro pœnitentia sacramentali: & deinde arbitrantur quasi condignam pœnitẽtiam, quæ aut non est pœnitentia sacramentalis, aut si est, vanum monstrat eorum timorem. Nec hoc facere sunt edocti à sancta catholica ecclesia, & propterea reprehensione magis dignum est, quàm visu. Secundum est, quòd quæcunque sacramentalis satisfactio si extra charitatem fit, nihil tunc valet ad expiationem pœnæ pro peccato debitæ apud Deum. Hoc ex supra dictis satis probatum est, & à Magistro sen. multis autoritatibus in 15. distin. 4. firmatur. Tertium est, quòd omnis satisfactio sacramentalis si extra charitatem fit, valere incipiet quando recuperata charitate pœnitens ad cor redibit, &c. Probatur hoc ex eo quòd regulariter opus sacramentale vtpote opus Dei recedente fictione sortitur effectum (vt de Baptismo confessione, & extrema vnctione dictum est) satisfactio autem sacramentalis pars sacramenti est, vimque habet ex clauibus: ergo, si est informis, sortietur postea recedente fictione effectum. An autem totum effectum sortiatur postquàm sortita fuisset si in charitate peracta esset, non facile dixerim. Videtur tamen mihi, quòd non totum satisfactionis effectum sortiatur postea: quia sacramentalis satisfactio plus se tenet ex parte humani operis, quàm ex parte diuini, hoc est sacramenti. Cuius oppositum accidit in alijs: vt patet in Baptismo, in quo totum opus est Dei, & hominis est solùm ministerium: in satisfactione verò sacramentali opus est præcipuè pœnitentis, & tam parum habet sacramẽti, vt multi doctores negent ipsam esse partem sacramenti. Et proptereà rationabile videtur, quòd satisfactio sacramentalis informis aliquem effectum postea sortiatur ex illa parte qua sacramentalis est: non totum autem ex illa præcipua sui parte, qua humanum opus mortuum habuit.

AD PRIMVM Ergo in oppositum dicitur, quòd obiectio confecta est ex lana & lino, quoniam orsa est ex amicitia, & contexta est ex mera iustitia. Supponit enim pœnitentem secundum meram iustitiam debere pœnam solummodo temporalem, & cum hoc reconciliatum esse ex gratia, quasi post reconciliationem satisfactio sit sufficiens secundum æquiualentiam simpliciter, & non secundum acceptationem. Et quoniam satisfactio secundum æquiualentiam simpliciter, non consonat satisfactioni amicabili & possibili inter hominem et Deum: ideo, vt prædictum est, repetitur dicendo satisfactionem impositam temporalem pro pœna peccati siue imposita sit à sacerdote, siue non, esse amicabiliter soluendam: & sic amicabiliter non soluitur, nunquam soluitur. Et propterea quæ de mera iustitia & humanis punitionibus adducuntur extra propositum sunt: quoniam de vindicatiua loquuntur iustitia in qua attenditur æqualitas rei ad rem: nos autem de satisfactione pœnitentiali loquimur, in qua attenditur æqualitas secundum acceptationem Dei offensi.

¶ Ad secundum dicitur, quòd sententia hæc non est dura, sed dulcedine amicitiæ diuinæ plena, nec est occasio peccandi, nisi fortè accepta. Et ad formam rationis dicitur primò, ipsam valde errare: vt patet applicando eam ad peccatorem communicaturum in Paschate, dicendo, Si non communicat, peccat nouo peccato: ergo si cõmunicat, bene facit obediendo. Quod patet esse ridiculum.

Et quia multiplicare inconuenientia, non est soluere, dicitur secundò, quòd huiusmodi ratione in quacũque materia fiat respondendum est sic: Si non exequitur peccat, admittitur: ergo si exequitur condignè, bene facit: alioquin negetur sequela: quoniam & communicando & non communicando in Paschate peccat nouo peccato indignus. Dicitur tertiò quantum ad materiam quæ tangitur de nouo peccato mortali omittentis pœnitentiam iniunctam a confessore pro mortalibus, quòd nulla ratione apparet omissionem huiusmodi esse peccatum mortale, vt patet discurrendo per omnia concurrentia ad huiusmodi actum. iniuncta siquidem à confessore pro mortalibus satisfactio, quatuor habet capita. primum est, quòd est iudicata & præcepta à Christi vicario: & hinc satisfactio fit actus iustitiæ cuiusdam & obedientiæ: & hinc satisfactionis omissio non habet peccati mortalis rationem, si desit contemptus, qui contrariatur præcepto: & abijceret gratiam iudicij facti. Secundum est ex parte pœnitentis, quòd est actus pœnitentiæ & charitatis: & hinc nulla est in omissione ratio peccati mortalis, nisi actus iste iustitiæ, pœnitẽtiæ & charitatis sit necessarius ad salutem. Quod constat esse falsum: quia actus iste non est necessarius ad dilectionem Dei, aut suipsius, aut proximi: quoniam versatur circa ea, quæ sunt ad finem scilicet solutionem pœnæ temporalis: quam potest pœnitens reseruare sibi in purgatorio absque mortali offensa Dei. Tertium est ex parte finis, quòd est expiatiua pœnæ pro peccato debitæ: & hinc, vt nunc monstratum est, non habet omissio, quòd sit mortale peccatum, sed quòd sit reseruatio luendæ pœnæ. Quartum est, quòd est pars sacramenti: & hinc, quòd omissio non constituat sacrilegium, ex eo apparet, quòd ecclesia vtitur pœnitentiæ sacramento quandoque absque hac tertia parte (vt patet de pœnitentibus in fine, quibus non imponitur secundum canones satisfactio) & ex eo quòd si quis sua sponte ante confessionem satisfecisset, non esset imponenda satisfactio aliqua à confessore. Nec desunt dicentes posse pœnitentem malè paratum ad suscipiendam satisfactionem in hac vita, absolui reseruata satisfactione in purgatorio: ex his enim omnibus habetur, quòd omissio huius partis sacramenti non est peccatum mortale ex suo genere. Vnde quum satisfactio à confessore non imponatur, nisi vt descripta est. & vt sic illius omissio non habeat ex suo genere rationem peccati mortalis, concludendum est peccare quidem omittentem iniunctam satisfactionem (quum agat præter obedientiam & alias virtutes) non tamen mortaliter, deficiente contemptu, quum nec contra obedientiam, charitatémve omittat.

¶ Ad tertium dicitur, quòd distinctio inter per se & per accidens euitat hæc inconuenientia: pœnam siquidem temporalem fieri per se æternam est inconueniens: per accidens autem æternari non inconuenit. Sic autem est in proposito: quoniam temporalis pœna amicè soluenda propterea ordinatur in inferno, quia nunquam amicè soluitur. Vnde nec propterea redeunt simpliciter dimissa peccata, nec æquè punitur pro peccato dimisso & pro non dimisso, si enim redirent simpliciter deberetur per se pœna æterna: & similiter peccato nõ dimisso deberetur per se pœna æterna. In proposito autem æternitas pœnæ inuenitur per accidens: non tamen sicut in pœna venialium: ratio enim proxima æternitatis pœnæ perseuerantium venialium in inferno est æternitas culpæ: perseuerante enim culpa semper debet perseuerare pœna. Ratio autem æternitatis pœnę in proposito est defectus acceptabilitatis: quia scilicet solutio pœnæ nunquam est acceptabilis, quia nunquam soluitur amicè.

TRACTATVS SEPTImus de Ministro sacramenti pœnitentiæ, cuius unicum est Quæsitum.

QVAESTIO VNICA.

An sacramenti pœnitentiæ minister possit esse sacerdos absque iurisdictione.

CIRCA Ministrum sacramenti pœnitentiæ quæritur an possit esse sacerdos absque iurisdictione. Et est ratio dubij. Tum quia confessor summi pontificis ministrat ei sacramentum pœnitentię sola potestate ordinis: quũ potestatem iurisdictionis super eum habere nequeat. Tum quia videtur communiter dici, quòd sola potestas ordinis sufficit ad absoluendum à peccatis venialibus. Tum quia videtur etiam communiter dici, quòd potestas ordinis ex se, se extenderet ad omnes absoluendos, nisi per ecclesiam essent limitatæ iurisdictiones.

CONCLVSIO.

Sacerdos sola ordinis potestate fultus, non est idoneus sacramenti pœnitentiæ minister, sed necessaria est illi iurisdictionis autoritas à superioribus sibi collata.

IN OPPOSITVM Est decretum omnis vtriusque sexus.

¶ Ad euidentiam huius sciendum est, quòd licet multa doctorum verba sonare videantur, solam ordinis potestatem quandoque sufficere ad hoc sacramentum, secundum tamen rei veritatem nunquam sufficit, sed semper exigitur vltra potestatem ordinis, autoritas iurisdictionis aliquo modo. Et hoc quidem non solùm per ecclesiã determinatum est, sed ex ipsa sacramenti natura habetur. legimus enim in concilio Floren. sub Eugenio 4. quod minister huius sacramenti est sacerdos habens autoritatem ordinariam vel delegatam. Ex quo patet quòd sacerdos sola ordinis potestate fultus, non est minister huius sacramenti. Et quum in proposito non habeat locum distinctio illa de ministro ex officio vel in articulo necessitatis sicut in Baptismo, oportet dicere quòd si sacerdos sola ordinis potestate absoluat, sacramentum nullum est: quia deficit minister. Est quoque sacramentum hoc ex sua natura iudiciale: quoniam forma eius consistit in actu iudicis, vt sic, actus autem iudicialis, etiam si fingendi detur licentia, non potest intelligi exerceri nisi in subditum: igitur non ex ecclesiæ constitutione, sed ex ipsius sacramenti iudicialis natura exigitur potestas iurisdictionis in hoc sacramento. Dupliciter autem contingit haberi potestatem iurisdictionis, primò ex parte principij iudicandi, ita quòd potestas ipsa iurisdictionis sit principium iudicij: sicut in naturalibus calor est principium calefaciendi, & in politicis potestas principis est principium puniendi, & in ecclesiasticis potestas pontificia est principium excommunicandi, & huiusmodi. Alio modo inuenitur iurisdictio ex parte eius, qui iudicandus est: sicut contingit in iudicio arbitrorum, à partibus tantum potestatem habentium, ex hoc ipso quòd illis se submittunt in illa causa. In ministro verò sacramenti pœnitentiæ quum ordinaria vel delegata à superiori potestate est minister, licet inueniatur potestas iurisdictionis primo modo, ad ministrandum tamen sacramentum pœnitentiæ, sufficit potestas iurisdictionis secundo modo. Et ratio est: quia sacramentalis absolutionis principium non est potestas iurisdictionis, sed potestas ordinis: potestas autem iurisdictionis concurrit quo ad hoc solum, quòd facit de peccatore subditum: vel simpliciter vel quo ad talia peccata. Et hinc fit, vt quicunque potest se subijcere in foro pœnitentiali cui vult, non egeat aliundè iurisdictione in ministrante ei hoc sacramentum.

ET PER hoc patet responsio ad primum: ex hoc enim quòd summus Pontifex nulli in terris subditus est, potest seipsum subdere in foro pœnitentiali cuilibet sacerdoti, nec confessor ille habet, propriè loquendo, potestatem iurisdictionis super Papa pœnitente, à Christo, vel ab ipso Papa tanquam à superiore: sed ex hoc ipso quòd Papa se subdit illi. Et hic modus iurisdictionis reductiuè spectat ad iurisdictionem delegatam: quamuis propriè non sit delegata.

¶ Ad secundm dicitur, quòd quia quo ad peccata venialia quilibet est liber respectu sacramenti pœnitentiæ (eo quòd nullus tenetur confiteri venialia) ideo satis rationabile est, quòd quilibet potest se subdere cui vult sacerdoti pro sacramento pœnitentiæ venialium. Et sic inuenitur hic non sola potestas ordinis, sed potestas iurisdictionis reductiuè: quæ quia non est propriè delegata, tacita videtur à dicentibus, quòd sola potestas ordinis ministrat sacramentum venialibus: quum tamen secundum veritatem si nullo modo iurisdictio interueniret, nullum esset peccatum, vt dictum est. Caue tamen ne huiusmodi iurisdictionem extendas ad absolutionem ab excommunicatione minori, etiam per peccatum veniale incursa: nam quia excommunicatio minor vinculum est introductum à potestate iurisdictionis, quæ est principium iudicij, impossibile est quòd sine huiusmodi potestate iurisdictionis, quæ est principium actuum iudicialium, absoluat quis ab excommunicatione minori. Vnde quamuis habens venialia tantum possit à quocunque sacerdote pœnitentiæ sacramentum suscipere ex hoc ipso, quòd se subdit illi: non potest tamen à quocunque sacerdote absolui ab excommunicatione minori: sed si illam habet, oportet prius à proprio sacerdote ab illa absolui.

¶ Ad tertium dicitur, quòd illud dictum potest dupliciter intelligi: vel vt omnes sacerdotes à principio ex hoc ipso, quòd erant sacerdotes, poterant omnes absoluere: vel quòd omnes sacerdotes instituebantur non solùm sacerdotes communes: sed iudices communes in foro pœnitentiali. Primus sensus est falsus: quia de necessitate sacramenti iudicialis est iurisdictio. Secundus sensus est verus, supposita veritate dicti, quoniam ante distinctiones parochiarum, &c. sacerdotes vtranque potestatem accipiebant: ita quòd tunc erant & sacerdotes communes & iudices communes, postea autem ordinantur quidam sacerdotes communes, fiunt autem iudices proprij, assignando eis plebes proprias. Et multi relinquuntur sacerdotes communes qui nunquam fiunt iudices, nec communes, nec proprij: vt patet de his: qui non sunt expositi ad audientiam confessionum, nec aliquis se subdit eis quo ad venialia.

TRACTATVS OCTAuus. De Indulgentiarum Thesauro in Quatuor Quæstiones diuisus.

1 *Num aliquis Thesaurus sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum.*
2 *Num, & quibus satisfactionibus & meritis constet Thesaurus indulgentiarum.*
3 *Num satisfactiones, ex quibus est Thesaurus indulgentiarũ sint Christi merita, & sanctorum.*
4 *Num Thesaurus indulgentiarum subdatur Papæ absque sacramentorum collatione.*

CIRCA Indulgentias post tractatum quendam alias editum, & plures quæstiones in secundo quolib. positas, iam tertiò scribendum occurrit tripertita consideratione. Primò de thesauro. Secundò de causa. Tertiò de suscipientibus.

Universidad de Deusto Biblioteca

¶ Circa thesaurum occurrunt quatuor quærenda: primum, an aliquis thesaurus sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum. Secundò, ex quibus constat dictus thesaurus. Tertiò, quorum sint vel fuerint reposita in dicto thesauro. Quartò, an dictus thesaurus subsit dispensationi summi Pontificis.

QVAESTIO I.

An thesaurus aliquis sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum.

CONCLVSIO.

Non minus necessarius est ad indulgentiarum efficaciam aliquis thesaurus meritorum Christi, quàm sacramentorum.

CIRCA Primum, (an thesaurus aliquis sit necessarius ad efficaciam indulgentiarum,) sciendum est, quòd ex duplici capite dubitatio hæc oritur. Vel ex eo quòd creditur Papam posse facere effectũ indulgentiæ autoritatiuè, sicut potest absoluere ab excommunicatione: sic quòd ita potest absoluere à debito pœnarum temporalium, quas pœnitentes pro suis debent peccatis, sicut potest absoluere à vinculis suspensionis, interdicti & huiusmodi. Vel ex eo quòd creditur effectũ indulgentiarum non esse aliud, quàm solutionem ecclesiastici vinculi, quo pœnitens alligatus est ad iniunctas pœnitentias. Ex vtraque siquidem opinione sequitur nullo opus esse thesauro ad efficaciam indulgentiarum; vt manifestè patet.

¶ Prima autem opinio est Francisci Maironis in 4. distin. 19. Et fundatur super verbo Christi, Quodcunque solueris super terram, &c. Hinc enim vult Papam veluti principem Christianæ Reipub. constitutum: & postea ex regulari potestate principum, qua quilibet princeps habens plenariam potestatem, potest remittere debita peccatoribus in sua politia, infert Papam posse remittere debita pœnarum temporalium, quas pœnitens tenetur in hac vita vel in purgatorio exoluere. Firmatúrque hoc, inducendo quòd sacerdos absoluendo transfert pœnam æternam in temporalem: ac per hoc de foro inferni in forum temporalem, &c. Sed hic dicendi modus tripliciter errat. Primò in hoc, quòd non distinguit inter forum pœnitentialem & forum extrinsecæ iurisdictionis ecclesiasticæ: Papa enim, licet sit quasi princeps in foro ecclesiasticæ iurisdictionis exterioris, (cuius signum est, quòd est solutus ecclesiasticis pœnis & legibus, vt princeps) in foro tamen pœnitentiali est subditus: vnde & potest & solui & ligari à sacerdote in foro pœnitentiali, & potest & debet sibi negari absolutio, sicut & reliquis fictè accedentibus ad sacramentum pœnitentiæ. pœna autem temporalis pro peccatis actualibus post contritionem & confessionem debita non spectat ad extrinsecum forum, sed ad forum pœnitentialem. Quod etiam ex eo patet, quòd est eiusdem rationis cum suis alijs partibus, quæ remissæ sunt ex virtute clauium, vel per satisfactionem pœnitentialem, vnde quo ad hoc non habet Papa à Christo potestatem tanquam princeps, sed tanquam minister. Secundò errat in hoc quòd non discernit inter causas debitorum: nam si princeps nõ posset remittere causam debiti, nec ipsum debitum remittere posset. Vnde quum Papa non possit remittere causam debiti (quoniam causa debiti est peccatum: Papa autem non potest etiam veniale remittere peccatum) non igitur ad potestatem principatus eius spectat remittere pœnam ex peccato debitam. Tertiò errat non discernens modum potentiæ, aliud est enim Papam posse remittere huiusmodi pœnas. Dato enim, quòd Papa possit sicut rei veritas est, quòd potest ex illo Christi verbo, Quodcunque solueris, &c. non tamen sequitur, potest hoc tali modo, puta solo iussu: stat enim quòd potest hoc alio modo, puta per ecclesiastici thesauri dispensationem. Et hoc patet in simili: nam sicut Christus dixit Petro, Quodcunque solueris, &c. ita dixit discipulis, Quorum remiseritis peccata, &c. & sicut non valet, Discipuli seu sacerdotes possunt remittere peccata, ergo possunt solo iussu seu autoritate, (sed stat, quòd possunt alio modo, scilicet ministrando sacramentum pœnitentiæ,) ita non valet, Papa potest quodcunque soluere super terram: ergo solo iussu seu autoritate hoc potest: stat enim quòd hoc possit diuersimode, quo ad exteriora quidem solo iussu, quo ad intima verò, peccata scilicet & eorum pœnas, apud Deum mediante sacramento, quo ad peccata: mediante verò dispensatione thesauri, quo ad dictas pœnas. Nec sacerdos aliter quàm per sacramentum transfert pœnam æternam in temporalem.

¶ Secunda autem opinio verborum sonum habens pro se (pro quanto indulgentiæ sonant pro iniunctis pœnitentijs) fundatur super hoc, quòd pœna debita pœnitente apud diuinam iustitiam est reseruata Superiori tribunali, scilicet ipsius diuinæ iustitiæ: ac per hoc non potest ab inferiori (qualis est Papa) remitti, nisi Papa posset supra ius diuinum: quod constat esse falsum.

Et hæc opinio tripliciter errat, Primò diminutiuè exponendo remissionem iniunctarum pœnitentiarum, dum exponit, pro remissione solius vinculi: quum etiam ipsa verba sonent remissionem ipsarum iniunctarum pœnitentiarum, & non solius vinculi iniunctionis: non enim dicitur, quòd relaxamus iniunctionem, sed quòd relaxamus iniunctas pœnitentias. Secundò, quod impietatem tribuit ecclesiæ, nam si indulgentia liberaret à sola iniunctione pœnitentiæ, impiè ageret ecclesia dando indulgentias: quoniam absoluendo à vinculo iniunctionis, transmitteret pœnitentes ad pœnas purgatorij, à quibus liberati fuissent exequendo iniunctas pœnitentias. Vnde magna impietas esset, dicere se facere gratiam dando indulgentiam. Tertiò errat in hoc, quod non discernit inter posse remittere ministerialiter, & posse remittere autoritatiuè. Licet enim Deo debita solus Deus autoritatiuè remittere possit: homo tamen minister Dei diuina autoritate sibi concessa potest Deo debita remittere ministerialiter, nec solum debita pœnarum, sed etiam debita culparum: vt patet in sacramento pœnitentiæ. Nec hoc est posse supra ius diuinum: sed est ministerialiter fungi autoritate diuina.

HIS IGITVR Exclusis opinionibus, quia ex fine necessitas medij sumitur, finis autem & effectus in huiusmodi coincidunt: (sanitas enim est finis, & effectus medicinæ,) ideò stabiliendus est effectus indulgentiarum ex his quæ certa sunt. Et quoniam certum est, omni hoc attestante ecclesia, indulgentias succedere loco iniunctarum pœnitentiarum: consequens est quòd idem est effectus indulgentiæ, qui erat futurus effectus iniunctæ satisfactionis pœnitentialis. Constat autem quòd per iniunctam satisfactionem pœnitentialem dignè exequutam soluitur pœna temporalis pro actuali peccato debita apud diuinam iustitiam (hoc enim vniuersalis credit ecclesia) igitur per indulgentiam loco satisfactionis succedentem, si veraciter ac dignè acquisita fuerit, soluetur quoque tantùm de pœna temporali pro actuali peccato debita apud diuinam iustitiam, quantum apud eandem æquiualet indulgentia acquisita. Et hæc ratio non eget ampliori confirmatione: quum iam determinatum sit per ecclesiam Romanam id quod communis doctorum opinio sentiebat, scilicet effectum indulgentiarum esse remissionem pœnæ temporalis pro peccato actuali debitæ apud diuinam iustitiam: sed hinc sumenda est necessitas quæsiti thesauri. Vnde considerandum est, quòd remissio peccatorum, vt tota clamat Scriptura, effectus est passionis Christi: ita quòd cuicunque remittitur peccatum, siue quo ad culpam siue quo ad pœnam, ex virtute passionis Christi remittitur. Credimus autem in huiusmodi remissione sicut & in vniuersis vijs Domini non solùm misericordiam, sed etiam iustitiam inueniri: misericordiam quidem in hoc, quòd miseriam peccatoris computat Christus quasi suam: iustitiam verò in hoc, quòd meritum ac passio Christi communicatur peccatori, quasi peccator ipse pateretur: vt sic peccator debitum Deo soluat de suo, non per seipsum sed per Christi communionem acquisito: vt patet in Baptismo: in quo propterea fit plenaria peccatorum remissio, quia plenissimè commoritur & consepelitur Christo baptizatus. Ex quibus formatur talis ratio, Ad remissionem peccatorum siue quo ad culpam, siue quo ad pœnam per sacramenta habendam, exigitur thesaurus aliquis, puta meritorum passionis Christi remittentium in diuina acceptatione: ergo à fortiori ad remissionem

missionem peccatorum quo ad pœnam tantum per indulgentiam, exigitur aliquis similis thesaurus. Antecedens patet discurrendo per sacramenta, & ecclesiæ doctrinam, quam diximus. Consequentia verò ex se est satis euidens: quoniam omnis ratio exposcit quòd diuina prouidentia si subijcientibus se sacramentis, ordinauit, non remitti pœnam peccatorum, nisi computando pœnam Christi pro his, quibus remittitur, multò magis ordinauit non remitti pœnas peccatorum per indulgentias, nisi computando alienas pœnas pro acquirentibus indulgentias: quando quidem submittere se indulgentijs, multominus est, quàm submittere se sacramentis. Est igitur ad efficaciam indulgentiarum thesaurus aliquis necessarius, non minus quàm ad efficaciam sacramentorum.

QVAESTIO II.

Ex quibus constet thesaurus, vnde fiunt indulgentiæ.

CIRCA Secundum quæsitum, ex quibus constet thesaurus, vnde fiunt indulgentiæ) ratio dubitandi est: quoniam interdum merita, interdum passiones, interdũ satisfactiones dicuntur esse ea, quæ sunt in hoc thesauro reposita. Veritas autem (vt patebit) formaliter explicatur per satisfactiones superfluas.

CONCLVSIO.

Indulgentiarum thesaurus, satisfactionum thesaurus est satisfactionum, quæ per pœnalia opera & meritoria fiunt, quæ superflua sunt.

AD CVIVS Euidentiam non aliunde quàm ex fundamento prius posito procedendum est, ex hoc scilicet quòd indulgentiæ succedunt loco pœnitentialium satisfactionum. Hoc enim dictum oportet cum grano salis sumere. In pœnitentiali siquidem satisfactione dignè exequuta (puta ieiunio) considerandum est quadruplex officium, habet enim huiusmodi opus quatuor officia, scilicet bonificandi, medendi, merẽdi, & satisfaciendi. Nam ex eo quòd est opus bonum, bonificat operantem, & disponit illum ad alia bona opera. ex eo verò quòd est tale opus (puta ieiunium) medicinam præbet contra carnis concupiscentiam, sicut eleemosyna contra auaritiam, &c. ex eo autem quòd à charitate procedit, meritoriũ est vitæ æternæ. & ex eo demum quòd pœnale satisfactoriũ est pro pœna temporali pro peccato debita, soluitur enim pœna absque omni contradictione per opus pœnale vt sic. indulgẽtia autem non succedit loco satisfactionis pœnitentialis nisi quo ad vltimum officium quod est satisfacere: nam ex vi indulgentiæ non fit homo bonus, nec medicatur, nec meretur, sed solummodo soluit pœnã, quàm per pœnitentiam soluisset. Et propterea doctores consulunt, assequentibus indulgentias, adimplere nihilominus suas pœnitentias: & meritum longè melius esse prædicãt quàm indulgentiam. Nec propter hoc tamen vilipendendæ sunt indulgentiæ: quoniam salutares sunt tollendo pœnã quæ impediret ingressum cælestis patriæ. Notanter autem dixi ex vi indulgentiæ, quoniam si indulgentiæ mixtum cointelligatur opus sanctum, quo acquiritur indulgentia, puta eleemosyna, aut aliquid huiusmodi, sic mixta intellecta indulgentia melior esse potest, quàm satisfactio pœnitentialis. Nam nullum officiorum inuentorum in satisfactione pœnitẽtiali sibi deficit: est enim dignè data eleemosyna pro acquirenda indulgentia, reddens bonum & disponens ad bona opera dantem illam, & præbet medicinam contra cupiditatem pecuniæ, & est meritoria vitæ æternæ, & est satisfactoria ex propria pœnalitate: & vltra hæc superuenit sibi solutio pœnæ seu satisfactio per indulgentiam. Ex hoc igitur, quòd indulgentia pura succedit satisfactioni pœnitentiali solummodo quo ad vim satisfactiuam, manifestè sequitur, quòd thesaurus indulgentiarum, thesaurus est satisfactionum, quæ quia per opera pœnalia & meritoria fiunt, ideo idem dicitur thesaurus passionum & meritorum, quatenus satisfactoria sunt. Rationabile autem vltra dicta, in præcedenti articulo monstratur esse, debere esse thesaurum hũc thesaurum satisfactionum seu meritorum, quatenus satisfactoria, ex eo quòd vnus pro alio & in temporalibus & in spiritualibus satisfacere potest: non medicatur autem nec fit bonus nec meretur vnus pro alio. sunt igitur ea quæ sunt reposita in hoc thesauro, satisfactiones. Quòd autem non quæcunque satisfactiones, sed solæ superfluæ in eodem reconditæ sint, ex eo patet, quod satisfactiones illæ, quibus satisfacientes indiguerunt pro seipsis: iam cesserunt in solutionem pœnarum debitarum pro proprijs peccatis: & propterea non possunt pro alijs soluere. Et simile est iudicium de satisfactionibus, quæ pro quibusdã determinatè oblatæ sunt: sunt enim & ipsæ sortitæ suum effectum. Quia igitur oportet satisfactiones in thesauro repositas pro alienis pœnis soluendis offerri posse, oportet huiusmodi satisfactiones esse superfluas, ita quòd nec pro his, qui illas egerunt, nec pro alijs hactenus satisfecerint: hoc enim est merita seu opera esse superflua, quo ad officium satisfaciendi.

OBIECTIONES Autem, quæ ingerere videtur plus requiri ad recondita in hoc thesauro, puta quòd non solùm sint satisfactiones superfluæ, sed etiam nõ plenè remuneratæ, in sequenti articulo monstrabuntur vanæ. Et ideo concludendum est, thesaurum indulgentiarũ esse thesaurum superfluarum satisfactionum seu meritorum, quatenus superfluunt quo ad officium satisfaciendi pro pœna actualibus peccatis debita.

QVAESTIO III.

Quorum sint satisfactiones, ex quibus constat thesaurus, vnde fiant indulgentiæ.

CONCLVSIO.

Indulgentiarum thesaurus satisfactionum & meritorum Christi & sanctorum thesaurus est.

CIRCA Tertium de thesauro quæsitũ (scilicet quorum sint huiusmodi superfluæ satisfactiones) dubitãdi ratio est: quia dicitur quòd sunt Christi & Sanctorum: multis tamen doctoribus aduersantibus. Dum quidam nec in Christo, nec in Sanctis superfluas concedũt satisfactiones: quidem autem etsi in Christo concedunt, de Sanctis tamen dubitant. Franciscus igitur Maironis in quarto distinct. 19. negans omni ex parte hunc thesaurum, dicit nulla esse Cristi superflua merita: quoniã omnia sunt plenè sibi remunerata: iuxta illud: Exinaniuit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit ei nomen, &c. Durandus verò in quarto: distinct. 20. Christi quidem superflua merita in thesauro hoc affirmat, de sanctorum verò superfluis meritis dubitat duplici ratione. Prima communi sibi & Francisco: quia merita Sanctorum sunt plenissimè remunerata, imò vltra condignum: quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.

Secundò: quia ad hoc quòd satisfactio vnius valeat pro alio, exigitur intentio dirigens & applicans satisfactionem illam ad alium: de nullo autem sanctorum autentice constat quòd habuerit intentionem satisfaciendi pro nobis: non igitur sanctorum sunt merita satisfactoria ex quorum thesauro fiunt indulgentiæ.

¶ Sed horum opinio tam in rationibus, quàm in conclusione, falsa & irrationabilis inuenitur. Et à Christo inchoando, falsissimum est Christi merita esse remunerata; quum Christus meruerit nobis, & continuè remuneretur in membris suis: vt patet in baptizatis, qui non proprio, sed Christi merito ad cælestem perueniunt patriam. A ratione quoque hoc alienum est: quoniam Christus est caput mystici corporis, quòd est ecclesia, ac per hoc gratia eius est gratia capitalis, & proinde meritum eius ita se habet ad membra eius, sicut meritum priuati hominis se habet corpus suum: & propterea sicut quilibet homo meretur non solùm animæ, sed etiam corpori suo: ita Christus non solùm sibi, sed alijs meruit. Imò maius quid meruit nobis, quàm sibi: quia nobis meruit beatitudinem, quàm sibiipsi non meruit: sed sine merito à principio conceptionis suæ habuit. Autoritas autem Apostoli non dicit, merita Christi fuisse plenè remunerata in seipso, sed duo illius præmia narrat, scilicet exaltationem ipsius, & excellentiam sui nominis, meruit enim præter hæc multa alia Christus, vt patet ex supradictis à diuo Tho. De Sanctorum autem remuneratione duo dicenda sunt. Primum non curando de proprietate vocabuli, sed communicando in vocabulis cum arguentibus; deinde propriè loquendo de remuneratione. Loquendo siquidem de remuneratione. Loquendo siquidem de remuneratione communiter, siue sit propriè remuneratio, siue non, distinguendum est quòd merita Sanctorum quo ad aliquid, sunt

Universidad de Deusto Biblioteca

totaliter remunerabilia in ipsis Sanctis, quo ad aliquid verò non sunt totaliter remunerabilia in ipsis sanctis: & quo ad hoc superfluunt ipsis sanctis, & ponuntur in thesauro remanentia in diuina acceptatione, remuneranda in alijs. Merita siquidem Sanctorum, licet secundum reliqua officia sua possint remunerari in ipsis Sanctis: secundum tamen hoc officium, quòd est satisfacere pro pœna temporali peccatis actualibus debita, remunerari non possunt in ipso Sancto si non est debitor alicuius temporalis pœnæ pro suo peccato actuali: ex hoc enim ipso, quòd Sanctus ponitur non debitor talis pœnæ necessariò sequitur quòd non sit capax talis remunerationis, scilicet quòd satisfactio sua valeat sibi ad solutionem pœnæ pro se. Si supponamus ergo (quod postea probabitur) Sanctos plus satisfecisse, quàm pro proprijs peccatis erant debitores: oportet consequenter dicere, quòd satisfactiones suæ inquantum excedunt sua debita, non sunt remuneratæ in ipsis Sanctis: quia ipsi non indigebant solutione pœnarũ: quæ est seu dicitur remuneratio satisfactionis, exclusiuè, (vt dictum est) de remuneratione loquendo. At si propriè loquendum est de remuneratione, dicendũ est, quòd merita Sanctorum omnia sunt plenissimè remunerata sibi: ita quòd etiam ipsæ eis superfluæ satisfactiones sunt plenissimè remuneratæ vel remunerandæ in ipsis sanctis: quoniam quicquid inde meruerunt, totum eorum erit, siue sit præmium essentiale siue accidentale. Sed plenissima remuneratio non minuit vim satisfactiuam pro alijs: quoniam soluere pro se vel alio, non est meritum, aut merces, aut remuneratio quæcunque: actus enim satisfaciendi, qui à Sanctis processit, pro quanto fuit meriti remuneratus est vita æterna, &c. Et rursus pro quanto fuit tale opus pœnale sibi, remuneratus est gaudio accidentali: gaudebit enim de hoc, quòd plus passus est, quã peccata sua demeruerint: vnde & laureola datur quibusdam generibus operum ex ipsa exequutione. Sed propter huiusmodi & quascunque alias remunerationes non perdit actus ille officium suum, quòd est soluere pro pœna temporali actualis peccati proprij vel alieni: imò quum continget superfluam satisfactionem Laurentij soluere pro pœna debita Ioanni pœnitenti, gaudium quoddam accidentale Laurentius in cælo habebit de hoc quòd satisfactio sua soluit pro Ioanne. Interuenit igitur in huiusmodi ratione super plena remuneratione meritorum fundata, error in hoc, quòd satisfacere seu soluere pœnam temporalem pro actuali peccato debitam, inter remunerationes seu remunerabilia computatur: quum longè sit à genere tam meriti, quàm mercedis, vt etiam attestantur doctores, tenentes huiusmodi residuas pœnas si contingat inueniri in damnatis, posse solui in inferno: vbi constat non inueniri meritum aut mercedem. Attestatur etiam & communis doctrina, tenens in purgatorio solui huiusmodi pœnas: & tamen in huiusmodi solutione non mereri neque remunerari. Quia ergo plenissima remuneratio quantumcunque vltra condignum, non tollit à meritis Sanctorum superfluens officium satisfaciendi pro pœna temporali actualium peccatorum; si constat sanctorum merita plus esse satisfactoria, quàm ipsi essent debitores, nihil obstabit ratio de plena remuneratione. Quòd autem sancti plus satisfecerint, quàm demeruerint, testatur Iob 6. ca. dicens, Vtinam appẽderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret. Vbi clarè liquet, Iob plus passum fuisse, quàm pro peccatis suis debuerit pati: in superabundantia autem passionum consistit superabundantia satisfactionum: vt patet ex antedictis. Simile autem esse de multis alijs iudicium, nemo dubitat. De intentione vero Sanctorum, quòd scilicet fuerit pati pro nobis, testatur Apostolus ad Colos. 1. dicens, Adimpleo ea quæ sunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius quòd est ecclesia. Vbi manifestè patet, diuinam prouidentiam disposuisse passiones aliquas in carne Sanctorum, spectare ad complementum passionũ Christi pro corpore eius quod est ecclesia, & hanc diuinam ordinationem Sanctos adimplere suis passionibus superabundantibus.

EX QVIBVS Omnibus patet, argumenta supradictorum doctorum falsa esse. De conclusione autem non est amplius dubitandum: quoniam iam per Roma. ecclesiam determinatum est indulgentias fieri ex thesauro superabundantium meritorum seu passionũ Christi & Sanctorum. Quæ etiam conclusio quo ad superabundantiam passionum Christi pro nobis fundamentũ habet in Scriptura primæ Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed totius mundi. Ex qua autoritate patet, passionem Christi sufficienter satisfacere pro toto mundo: ac per hoc quum extensiuè pro paucis tantum satisfaciat, infinitum thesaurum satisfactionum Christi superesse in sacramentis: quibus eadem Christi passio satisfacit. De sanctorum autem superabundantibus meritis quo ad officium satisfaciendi pro nobis, fundamentum est in Scriptura in locis allegatis ex Iob & Apostolo. Vnde apparet quàm rationabiliter ecclesia Roma. determinauerit.

¶ Et si quæratur, ad quid vtilis erit tanta superabundantia satisfactionum Christi & Sanctorum, quanta secundum prædicta supererit post vniuersale iudicium, quando nulli amplius proderit, dum pro nullo amplius solui poterit pœnam pro peccato debitam: dicendum est, quòd hoc ipsum quod est merita Christi & Sanctorum, vt satisfactoria, tam excellenter superare omnes quæ soluendæ fuerant, pœnas, non est vanum: sed ad gloriam Christi & Sanctorum, & ad commendandam libertatem salutationis electorum. Hæc enim superabundantia meritorum attestatur quòd non ex insufficientia satisfactionum Christi & Sanctorũ damnati sunt reprobi, quia si solis electis illa suffecissent, sed ex propria iniquitate damnati sunt reprobi, pro quibus sufficiens remanet satisfactio, si diuina misericordia ad illos eam applicare vellet.

¶ Si autem quæritur, ad quid superabundans satisfactio Sanctorum ponitur, quum Christi satisfactio sufficientissima sit pro toto mundo: respondendum est, hoc propterea esse, vt Christi membra simillima essent capiti: videmus enim diuinam prouidentiam disposuisse, quòd Christi membra præsertim præcipua, sibi assimilarentur quantum fas est. Vnde sicut sunt Sancti quidam aliorum curatores, quidam aliorum doctores, quidã qui pro alijs merentur de congruo tamen: quidam qui pro alijs impetrant: ita quidam sunt alienarum pœnarum satisfactores: ita vt assimilentur Christo etiã in hoc quòd pro alijs passus est, dum & ipsi qui patiuntur, plus quàm demerentur, pro alijs satisfaciunt.

QVAESTIO IIII.

An hic thesaurus subditus sit dispensationi Papæ aliter, quàm per sacramentorum collationem.

CIRCA Quartum de thesauro quæsitum, (an scilicet thesaurus hic subditus sit dispensationi Papæ aliter, quam per sacramentorum collationem, ambiguitas magna est: quoniam conferre effectum sacramenti sine sacramento, spectat ad claues excellentiæ, quas constat non esse communicatas Papæ, sed reseruatas soli Christo: remissio autem pœnæ temporalis pro actuali peccato debitæ, est effectus sacramenti: quoniam hoc fit per Baptismum, & per tertiam partem sacramenti pœnitentiæ, quæ est satisfactio.

CONCLVSIO.

Aliter quam per sacramenta dispensari potest indulgentiarum thesaurus à Papa & cæteris ecclesiæ prælatis.

IN HAC Quæstione sciendum est, totam difficultatem consistere non in hoc, an thesaurus iste sit dispensabilis per Papam, sed in hoc, an aliter quàm per sacramentorum collationem possit Papa thesaurum istum communicare: quoniam nulla autoritate Scripturæ, nullave ratione haberi videtur, quòd dispensatio talis sit credita Petro. Autoritates siquidem illæ, Quodcunque solueris super terram, & quorum remiseritis peccata: intelliguntur proculdubio secundum subiectam materiam, vt scilicet ea, quæ spectãt ad remissionem peccatorum, commissa sint soluenda & remittenda mediantibus sacramẽtis. Ratio quoque communiter allata, scilicet quòd communia bona ecclesiæ sunt dispensabilia per Præsidentem ecclesiæ: eandem patitur difficultatem. Declaratur enim, quòd communia ecclesiæ bona spectantia ad remissionem peccatorum, sunt quidem dispensabilia per Præsidentem ecclesiæ, sed non quomodolibet: sed certo modo, hoc est per collationem sacramentorum. Ratio demum ducens ad inconueniens, puta quòd superfluæ satisfactiones Sanctorum frustra repositæ essent in thesauro: quia illæ non communicantur per sacramenta, sicut satisfactiones Christi, nec possunt dispensari sine sacramentis: ergo vanæ sunt in thesauro ecclesiæ. Hæc inquam ratio facilè soluitur, dicendo quòd sunt in thesauro ecclesiæ, vt à Christo dispensentur membris ecclesiæ militantis, & quòd hoc fit quotidie, dum meritis Sanctorum petimus remissionem peccatorum, & exaudimur. Ita quòd secundum has difficultates, huius thesauri dispensatio aliter, quàm per sacramentum, reseruata videtur summo Sacerdoti Christo, qui solus nouit merita causarum circa remissionem peccatorum.

LICET Autem difficilis sit notitia quæstionis huius: quia tamen vniuersalis ecclesia facto declarauit, ecclesiæ prælatos posse huiusmodi thesaurum sine sacramẽtis dispensare (dum Episcopi omnes indulgentias dant nõ crudeliter loco solius vinculi iniunctionis transmittendo ad pœnas purgatorij: sed gratiosè loco ipsarum satisfactionum iniunctarum: ex hoc enim (vt in superioribus manifestatum est) oportet dicti thesauri dispensationem interuenire: quum non possint aliter fructuosè huiusmodi indulgentiæ succedere pœnitentijs iniunctis, ideo absq; hæsitatione aliqua etiam, si nulla adesset ratio, fatendum est dicti thesauri dispensationem non solùm per sacramenta, quo ad merita Christi, sed aliter quam per sacramenta quo ad merita Christi & Sanctorum cõmissam esse prælatis ecclesiæ; & præcipuè Papæ. Et hoc tantò magis fatendum est, quantò per Leonẽ 10. determinatum est. Suffragatur autem huic veritati ratio, tantò acceptabilior, quantò magis soluit omnes difficultates accidẽtes in hac re. Est autem ratio hæc. Communia præsentis ecclesiæ bona communicabilia aliter, quàm per sacramenta, sunt à Præsidente ecclesiæ dispensabilia aliter, quam per sacramenta: sed merita Christi & Sanctorũ vt superabundanter satisfactoria, sunt communia bona præsentis ecclesiæ cõmunicabilia aliter, quã per sacramenta: ergo sunt à Præsidente ecclesiæ dispensabilia aliter, quã per sacramenta. Maior propositio nullam videtur habere instantiam. Minor autem ex supradictis clara est, excepta vltima particula, scilicet quòd hæc bona sint communicabilia aliter, quam per sacramenta. Quæ particula manifestatur ex eo, quòd hæc eadem bona potuissent si voluissent Sancti cõmunicare non per viam sacramenti alijs membris ecclesiæ in particulari: ex hoc enim quòd ipsi potuissent hoc efficere aliter, quam per sacramenta, sequitur quòd satisfactiones istæ suapte, nam sunt cõmunicabiles alijs aliter, quã per sacramenta. Hinc quoq; monstratur validã esse ad propositũ autoritatem illam, Quodcũq; solueris: nã verus illius intellectus est, Quodcũq; solueris eo modo, quo illud est solubile. & sic in omni materia currit, & ad propositum efficax inuenitur. Est enim sic practicãda, Quodcũq; per sacramentũ solubile, solueris, per sacramentũ: et similiter, Quodcũq; aliter, quã per sacramẽtũ solubile, solueris etiã aliter, quã per sacramentũ, &c. Et sic sub sumendo, quòd pœna temporalis pro actuali peccato debita, est solubilis & per sacramentũ & per alienam satisfactionẽ sine sacramento applicatam, infertur quòd huiusmodi pœna põt à Petro solui non solũ per sacramentũ, sed etiã per alienam satisfactionẽ sine sacramento applicatã. Per hoc etiam saluatur ratio cõmunis de potestate Præsidẽtis ecclesiæ: quoniã vera est respectiuè intellecta, hoc est, quòd bona cõmunicabilia per sacramẽta solùm, põt per sacramenta cõmunicare: bona aũt cõmunicabilia etiã aliter, quàm per sacramẽta cõmunicare. Illud verò quod glosando seu respondendo dicitur, ea quæ spectãt ad remissionẽ peccatorũ cõmissa esse prælatis ecclesiæ mediãtibus solũmodo sacramentis. Verũ est de spectantibus ad remissionem peccatorũ simpliciter: non aũt de his quæ spectant ad remissionẽ peccatorum secundum quid. de quorum numero est remissio pœnæ temporalis pro actuali peccato debitæ: præsupponit enim peccatum simpliciter remissum, & secundũ minimũ quid tantùm, puta temporalẽ pœnã remittendum.

ET PER Hoc patet solutio principalis argumẽti. Nã sine sacramento cõferre sacramẽti effectũ simpliciter seu totalẽ, spectat ad claues excellẽtiæ: cõferre aũt sine sacramẽto id quòd partialiter potest esse effectus sacramẽti, potest pertinere ad claues ministerij. Sic aũt est in proposito: quoniam remissio pœnæ temporalis pro actuali peccato debitæ, nullius sacramenti est simpliciter seu totalis effectus: licet sit partialis Baptismi effectus, & possit esse partialis aliorum sacramentorum effectus & possit etiã sine sacramento effici & sine actu clauium. Quia constat quòd potest vel per proprios actus pœnitentis, vel per amicorum satisfacientium pro eo actus fieri: vt patet quũ aliquis mortificat seipsum ieiunando, peregrinando, &c. pro peccatis suis: vel amicus similia facit, vt pro amico satisfaciat.

TRACTATVS NONVS

De causa Indulgentiarum in Duas quæstiones diuisus.

1 *Num necessaria sit aliqua rationabilis causa indulgentiarum.*
2 *Num causa in bulla indulgentiarum expressa ex hoc ipso sit rationabilis.*

QVAESTIO I.

Vtrum necessario requiratur rationabilis causa indulgentiarum.

CIRCA Causam indulgentiarum dubiũ duplex occurrit, primum, an necessariò requiratur causa rationabilis: secundum, an causa expressa in bulla, ex hoc ipso quòd est expressa, sit rationabilis.

CONCLVSIO.

Indulgentiæ tam secundum se, quàm secundum suam quantitatem non subiacent libero imperio voluntatis prælatorum, nisi adsit rationabilis dispensandi causa.

CIRCA PRIMVM Videtur pars negatiua vera, quoniam indulgentiæ indiscretæ, licet peccet concedens, sunt efficaces. Dicuntur autem indulgentiæ indiscretæ, quæ ex causa non rationabili procedunt.

¶ Præterea, dispensatio ministeriorum Dei in ecclesia præsenti, est valida etiã sine causa rationabili facta ergo dispensatio indulgẽtiarũ etiã sine causa rationabili: facta debet esse valida. Antecedẽs patet in promotione indignorum: si enim indigni aliqui promoueantur ad episcopatum, prioratum, Abbatiam, &c. quamuis promotor pessimè dispenset huiusmodi ministeria: facta tamen tenent. Consequentia verò probatur: quia sicut credita est Papæ dispensatio indulgentiarum, ita & dispensatio ministeriorum Dei: iuxta illud, Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores ministeriorum Dei.

IN OPPOSITVM Autem est, quòd indiscretè indulgentiæ eneruant satisfactionem pœnitentialem, vt dicitur extra de pœni. & remis. ca. quum ex eo. nõ eneruarent autem, si essent validæ, sed supplerent, adimplentes in veritate, quod per satisfactionem pœnitentialem agendum erat.

IN HAC Quæstione aliquid supponitur & aliquid quæritur, supponitur enim cum doctrina communi, quòd vnum requisitorum necessario ad efficaciam indulgentiæ, est causa rationabilis. Quod etiam manifestatur, ex eo quòd si daretur indulgentia ob causam prophanam (puta pro eundo ad theatrum) constat quòd indulgentia esset nulla. Hoc autem supposito in quæstionem vertitur, an quemadmodum ad collationem indulgentiæ requiritur rationabilis causa, ita necessario quòd sine illa indulgentia non est valida, ita ad efficaciam tantæ indulgentiæ (puta centum vel mille annorum, &c.) exigatur simili necessitate rationabilis causæ tantæ quantitatis indulgentiæ, ita quòd sine huiusmodi rationabili causa tanta quantitas indulgentiæ est inualida.

¶ Ex communibus autem applicatis ad hoc, non est difficile concludere partem affirmatiuam veram, scilicet ad efficaciam tantæ indulgentiæ exigitur rationabilis causa quantitatis indulgentiæ, ita quòd sine illa non est valida. Nam si vt supponitur & communiter confitemur, rationabilis causa est sic necessaria ad indulgentiam, necessariò sequitur quòd ad tantam indulgentiam est etiam sic necessaria rationabilis causa illius quantitatis. Et probatur sequela inductiuè.

¶ Verum ad minus communia descendendo considerandum est, quòd licet potestas papæ super communia ecclesiæ bona tam spiritualia quam corporalia sit dispẽsatiua,

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuxta illud Apostoli. Dispensatio mihi credita est: res tamen subiectæ huiusmodi potestati, diuersimodè illi subduntur & diuersimodè ab illa attinguntur. Et quantum ad propositum spectat, distinguenda sunt in duo genera, scilicet validorum ex solo imperio, vel non validorum ex solo impetio: sunt enim quædam in Dei ecclesia, quæ quamuis ad hoc quòd rectè fiant, vltra Pontificis imperium exigant rectam regulam voluntatis imperantis, si tamen absque recta regula solo Pontificis imperio fiant, valida sunt: de quibus iura dicunt, quòd multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. De quorum numero sunt distributiones beneficiorum, dispensationes matrimoniorum in casibus dispensabilibus, & similia. Secundum autem genus, scilicet inualidorum ex solo imperio, adhuc subdistinguitur: nam quædam inualida ex solo imperio, attingi cum hoc possunt à Pontifice verbo & opere per viam facti: quædam verò sunt inualida ex solo impetio, quæ cum hoc per viam facti attingi non possunt opere, sed verbo tantùm. In primo membro huius subdiuisionis continetur dilapidatio bonorum ecclesiæ. si enim Pontifex pro suo libito ecclesiæ terras, &c. donaret, donatio esset inualida: quoniam ipse non est dominus bonorum ecclesiæ. & si facto & bullis poneret eos, quibus donauit in possessionem, non propterea transferret dominium rerum illarum in illos. In secundo autem membro continetur dispensatio votorum: si enim votum castitatis solo imperio à Papa dispensetur: constat dispensationem esse nullam: & circa voti vinculum propterea per viam facti nullum actum Pontifex haberet nisi verborum: exequutio enim cuiuscunque operis Pontificij ex solo imperio emanans, non attingit aliquid circa voti vinculum. Tribus igitur existentibus generibus rerum subiectarum dispensatiuæ potestati Pontificis, facilè patere potest, quòd primum genus dupliciter à potestate pontificia attingitur, scilicet dispensatione regulata & dispensatione non regulata. Secundum autem à potestate quidem pontificia vnico modo attingitur, scilicet dispensatione, hoc est rationabili operatione: sed ab ipso Pontifice aliter de facto attingitur, puta dissipatione, dilapidatione, &c. Tertium verò sola dispensatione: id est rationabili operatione, (seclusis verbis, sicut & in secundo) attingi potest tam à potestate pontificia, quàm ab ipso Pontifice. In quo autem horum generum indulgentiæ continentur, facilè est discernere. Quòd enim non sint sub primo genere (quæ scilicet sunt valida ex solo imperio) ex eo patet, quòd Papa non potest dare indulgentias hac sola ratione, quia vult: & si pro solo libito daretur indulgentia, non esset valida: vt ex communi doctrina supponimus, & aliqualiter probatum est. Et iterum probatur, ex hoc quòd communia ecclesiæ bona temporalia non potest Pontifex donare donatione valida, ex hoc solo quia vult: non minus enim pretiosa ac chara ecclesiæ, sunt bona communia spiritualia: quàm temporalia, & propterea si illorum donatio ex solo imperio est inualida, multò magis inualida erit horum effusio ex solo imperio. Nec soluitur hæc ratio, dicendo, quòd donatio temporalium est cum damno ecclesiæ, donatio verò horum spiritualium est sine damno ecclesiæ: nam habere damnum annexum vel carere annexo damno, per accidens, se habet ad potestatem dispensatiuam: vt patet ex hoc, quòd etiam in quibusdam habentibus annexum damnum ecclesiæ, donatio ex solo imperio est valida: vt attestatur distributio prælationum. Vnde non penes damnum vel non damnum attenditur vis potestatis dispensatiuæ.

Quia igitur communia ecclesiæ bona ex quibus efficaces sunt indulgentiæ, non continentur sub primo genere, & à secundo genere ex hoc distant, quòd per viam facti nullum operis solius verbi actum Papa habere potest circa illa (non enim potest transferre possessorium de facto horum bonorum sicut potest respectu temporalium) restat, vt sub tertio genere thesaurus contineatur indulgentiarum. Ex quibus potest formari talis ratio. Thesaurus indulgentiarum non potest veraciter attingi à potestate pontificia, nisi actu veræ dispensationis: ergo tam indulgentia, quàm tanta indulgentia data sine causa rationabili tantæ indulgentiæ est inualida. Antecedens probatum est, & supponitur secundum communem doctrinã. Consequentia verò quo ad secũdam partem probatur: tum quia eiusdem rationis est actus dans indulgentiã & dans indulgentiã tantã: ac per hoc si solus actus veræ dispensationis pōt attingere thesaurum indulgentiæ, solus etiam veræ dispensationis actus poterit attingere thesaurum tantæ indulgentiæ: tũ quia si quantitas indulgentiæ attingitur aliter, quàm per veram dispensationem, oportet alium actum fingere, puta actum imperij seu liberę donationis respectu talis quãtitatis: & tunc aut iste actus attingit thesaurum via facti, aut via iuris: non via facti, quia ad istum thesaurum nullus est humanus accessus per viam facti: nec via iuris, quia de iure sola dispensatio credita est Papæ. Sicut sunt ergo inualidæ indulgentiæ quæ ex causa rationabili non fiunt, ita non est valida tanta indulgẽtia, puta mille annorum, nisi fiat ex causa rationabili tantæ quantitatis: scilicet mille annorum.

AD PRIMVM Autem in oppositum dicitur, quòd sententia illa scilicet indulgẽtiæ indiscretæ sunt validæ, verificatur de indiscretis quo ad euentum: non autem de indiscretis quo ad causam. Sunt enim indulgentiæ indiscretæ ratione euentus, quando indulgentiæ aliis benè concessæ pariunt propter earum multitudinem quasi contemptum, aut ipsarum aut satisfactionum pœnitentialium: & tales sunt validæ. Sed si sunt indiscretę, quia carent rationabili causa, aut omnino, aut quo ad tantam quantitatem, sunt inualidæ.

¶ Ad secundum iam patet responsio ex dictis nam ministeria sunt in alio genere dispensabilium & indulgentiæ sunt in alio dispensabilium genere: illorum enim efficacia ex solo pendet imperio, horum autem efficacia absque vera dispensatione esse nequit. Et propterea non est similis ratio.

QVAESTIO II.

An ex hoc ipso, quòd in bulla exprimitur aliquid pro causa indulgentiæ, sit rationabilis causa tantæ indulgentiæ.

IRCA Secundum de causa rationabili indulgentiarum quæsitum (an ex hoc ipso quòd in bulla exprimitur aliquid pro causa indulgentiæ, sit rationabilis causa tantæ indulgentiæ) pro parte affirmatiua occurrit multiplex argumentum. Primò, quia aliter prædicatio ecclesiæ esset falsa. Secundò, quia doctrina Romanæ ecclesiæ periclitaretur. Tertiò, quia non esset vniuersaliter vera illa communis sententia indulgentiæ tantum valent quantum sonant. Quartò, quia aliter deciperetur Populus ab ecclesia: audiens tantam indulgentiam pro tali opere, & exequens illud, vt habeat indulgentiam, & tamen non acquireret illam in veritate.

QVAESTIO Hæc non est mota propter difficultatem, quam in seipsa habeat, sed ad excitandos illos qui sciunt in vniuersali, & deficiunt in singulari. Vnde distinguendo de rationabili præsumpto, vel vero, duo dicenda sunt. Primum, Causa indulgentiæ expressa in bulla nisi manifestus sit error, est semper rationabilis, loquendo de rationabili præsumpto: nam sicut sententia à iudice lata, nisi errorem contineat manifestum, præsumitur iusta: ita causa à principe expressa in dispensationibus præsumitur rationabilis, nisi, vt dictum est error sit manifestus.

Secundum est, Causam indulgentiæ tantæ expressam in bulla, non oportet esse rationabilem in veritate. Et ratio in promptu est multiplex: tum quia Papa potest in istis errare, quàm non sit hæc sententia iudicialis de his quæ sunt fidei. Vbi scito, quòd licet accessus ad indulgentias & earum susceptio sit quædam Christianæ fidei professio, fides tamen Christiana eo modo, quo est de indulgentijs, non est de hac vel illa indulgentia. Sed sicut fides nostra circa eucharistiæ sacramentũ est, quòd iub hostia ritè consecrata continetur corpus Christi, non autem est, quòd ista hostia sit ritè consecrata, neq; est quòd sub hac hostia, quæ proponitur adoranda, continetur corpus Christi. (quoniam vtrũq; eorum potest esse falsum: fides autem Christianæ non potest subesse falsum) ita circa indulgentias non curando pro nunc quomodo spectet ad fidem, fides nostra est quòd indulgentiæ ritè datæ sunt validæ: & non spectat ad fidem, an ista indulgentia sit ritè data, an ista causa eius sit rationabilis, an ista indulgentia sit valida. Et simile est de alijs singularibus: quoniam hæc omnia possunt esse falsa: & propterea non spectant ad fid

ad fidem nostram, sed ad humanam opinionem seu credulitatem, quæ est de his singularibus, & potest falli. Et propterea accessus ad indulgentias, in communi quidem est quædam fidei professio sed accessus ad istam indulgentiam, procedit ex fide tanquam ex causa remota, & humana credulitate huius indulgentiæ, huius causæ, & huiusmodi tanquam ex causa proxima. Et quia effectus sequitur conditionem causæ proximæ sicut conclusio minorem seu deteriorem præmissam: ideo potest concursus iste falli abiq; Christianæ fidei detrimento. Tum quia non solum potest papa errare in huiusmodi, sed etiam facilè potest errare, sicut & in alijs similibus actibus. Dare siquidem indulgentias, consistit in actibus absolutionis & dispensationis: absoluuntur enim per eas pœnitentes ab inuinctis pœnitentijs, & dispensatur thesaurus meritorum Christi & sanctorum: sed tam in actu absolutionis, quàm in actu dispensationis facilè committi potest error, etiam ex proposito: vt patet in dispẽsatione votorum, & in dispensatione bonorum temporalium ecclesiæ, & ministerio ecclesiasticorum, & in absolutionibus à censuris & iuramentis in præiudicium aliorum, & c. ergo in hoc quoque singulari facto quo dat indulgentiam seu ex primit talem causam pro tanta indulgentia, errare facilè potest. Nec est recurrendum ad Spiritus sancti assistentiam, & propterea piè debere credi, quòd non potest papa in istis errare. Nam in maiori causa permisit Spiritus sanctus Romanos pontifices errare, scilicet in causa spectante ad sacramentum matrimonij: in qua (vt habetur extra de sponsa. duorum in ca. licet) Alexander. 4. dicit, quamuis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando iudicatum, quòd longè plus est, quàm dare in dulgentiam indiscretam ex causa: tum quia erat causa sacramentalis: tum quia iudicialiter actum est: indulgentiæ autem possunt dari passim sine concilio & sine meditatione: ac per hoc sine discretione. Quamuis igitur non spectet ad subditos, discutere & iudicare de pontificijs indulgentijs, aut causarum meritis: dubium tamen non est posse etiam per papam dari indulgentias indiscretas, & quo ad causam, & quo ad euentum.

AD PRIMVM Ergo in oppositum dicitur, quòd prædicatio ecclesiæ quo ad indulgentias, tripliciter se habet Primò narratiuè: prout scilicet narrat contenta in bulla: & hic nulla est falsitas (quoniam narratio est. Secundo doctrinaliter: & hic subdistinguitur. Vel docendo doctrinam fidei: sic etiam nullum est periculum falsitatis: quoniam sicut fides non se extendit ad istam indulgentiam aut istam causam istius indulgentiæ, ita nec doctrina ecclesiæ extendit se ad hæc singularia. Vel docendo opiniones doctorum: & sic potest prædicare falsa si opinio prædicata est falsa: & propterea ad præseruandam prædicationem ab huiusmodi falsitate, debent prædicatores aut opinatiuè aut recitatiuè opiniones prædicare.

¶ Ad secundum dicitur, quòd aliud est loqui de doctrina Roman. eccles. seu Romani pontificis, & aliud est loqui de operibus eiusdem. Docuerunt si quidem Romani pontifices multi indulgentias ex causis rationabilibus data rem qua doctrina continetur quòd ettam tanta indulgentia debet procedere ex causa rationabili tantæ quantitatis, vt superius deductum est. Factum autem, quod in bullis indulgentiarum continetur, si quandoque periclitatur, non propterea Roma, ecclesiæ doctrina periclitatur.

¶ Ad tertium dicitur dupliciter. Primò quòd illa sententia communis intelligitur negatiuè, hoc est non plus valent quàm sonant: diuulgata enim videtur sententia illa ad excludendas extensiones indulgentiarum ad ea quæ sub earum tenore non cõtinentur. Secundò dicitur, quòd vera est de indulgẽtijs discretis: non autem de indiscretis quò ad causam. Potest & tertiò dici, quòd vera est in forto exteriori: in quo statur præsumptionibus iuris.

¶ Ad quartum dicitur, quòd populus potest quidem deceipi in huiusmodi: sed non decipitur ab ecclesia, sicut etiam potes decipi adorando hostiam propositam à sacerdote in missa. Si contingeret autem huiusmodi populum falli, falleretur aut à propria credulitate, aut ab humanis opinionibus, aut ab indiscreto facto dantis indulgentiam, vel ab omnibus simul: & non ab ecclesia, ad cuius doctrinam non spectant hæc singularia, sicut nec ad eius fidem.

TRACTATVS DECIMVS

De suscipientibus indulgentias, in duas quæstiones diuisus.

1 *Num præter gratiam ex parte suscipientis necessaria sit aliqua dispositio.*
2 *Num tempore, quo fit opus pro indulgentia, oporteat operantem esse in gratia.*

QVAESTIO I.

An præter gratiam requiratur ex parte suscipientis indulgentias aliqua alia dispositio.

IRCA Suscipientes indulgentias dubium duplex occurrit. Primum, an præter gratiam requiratur ex parte suscipientis aliqua alia dispositio. Secundum est, an tempore quo fit opus pro indulgentia, oporteat operantem esse in gratia.

ET IN PRIMO Quidem dubio pro parte negatiua est autoritas doctrinæ communis: tenentis ad indulgentiam sufficere tria, autoritatem in dante, gratiam in suscipiente, pietatem in causa.

¶ In oppositum est, quod ad plenariam remissionem pœnæ per viam sacramenti pœnitentiæ, non sufficit gratia ex parte suscipientis: ergo nec ad plenariam huiusmodi remissionem per viam indulgẽtiæ sufficit gratia ex parte suscipientis. Antecedens est clarum. alioquin quilibet confessus in gratia, cõsequeretur plenariam remissionem pœnæ. Consequentia verò probatur: tum quia sacramentum est potius, quàm indulgentia: & distributor thesauri per sacramentum est longè liberalior, quàm quilibet pōtifex: quoniam liberalitas diuina in infinitum excedit liberalitatem humanam.

CONCLVSIO.

Indulgentiarum thesaurus illis minimè prodest, qui tametsi sint in gratia constituti, negligunt tamen per seipsos satisfacere: at autem illis profuit, necessaria tamen illis est, præter gratiam, quam habet, dispositio, & solicitudo satisfaciendi per seipsos, quantum sibi possibile fuerit de huiusmodi pœnitentijs.

IN HAC Quæstione, quia difficile admittitur oppositum eorum, quæ consentimus, censorem desidero intellectum mundum ab opinionibus. Videtur siquidem mihi rationabiliter dici, quòd non sufficit sola gratia ex parte suscipientis ad veraciter consequendam indulgentiam coram deo. Sunt si quidem confessi in gratia duplicis ordinis: quidam soliciti ad satisfactendum per seipsos pro peccatis suis, quidam negligentes satisfacere per seipsos. Primi condignas pœnitentias vel petunt à confessoribus sibi imponi, parati eas implere: vel sponte illas assumunt, dum continuè student per sua sancta opera satisfacere, ieiunando, orando, eleemosynas dando, &c. ad hoc. Secundi verò paruissimam pœnitentiam aut rogant, aut læti suscipiunt: & quum illam impleuerint (quam sciunt esse minimam) non curant amplius de satisfaciendo, reputantes sibi sufficere, quòd non ibunt ad infernum. Et hi sunt, quibus indulgentiæ non prosunt, iudicio meo. Et ratio quæ me moget est: Nullus indignus alienа satisfactione pro pœna sibi debita, consequitur veraciter fructum indulgentiæ: sed quilibet in gratia constitutus negligens satisfacere per seipsum, est indignus alienа satisfactione pro pœna propriis peccatis debita: ergo nullus constitutus in gratia negligens satisfacere per seipsum, acquirit fructum indulgentiæ. Maior propositio intelligentibus terminos est euidens: indulgentia enim per satisfactionem alienam (hoc est Christi, & Sanctorum) parit fructum, qui est remissio pœnę temporalis pro actuali peccato debitæ: ac per hoc si est aliquis indignus alienа satisfactione, indignus est indulgentia. Indignos autem indulgentia non consequi veraciter fructum illius, tam verum ac manifestum est, vt probatione non egeat, apud intelligentes, distributionem diuinorum donorum in solis dispositis habere locum; constat autem indignos non esse dispositos, & diuina operatione remissiones fieri pœnarũ per indulgentias humano ministerio ritè

Universidad de Deusto
Biblioteca

concessas.

¶ Ad euidentiam autem minoris prælibanda sunt duo: primum est, quòd satisfactio pro pœna temporali, actuali peccato debita est onus personale: tenetur enim ipse qui peccauit, facere satis. Secundum est, quòd licet tam contritio quàm confessio sit ita personalis, quòd non possit per amicum suppleri, satisfactio tamen quia per exteriora bona fit, inter quæ computantur amici, ita est onus personale, quòd capax est amicabilis adiutorij. Quibus præmissis probatur minor primò sic: Indignus amicabili adiutorio est indignus aliena satisfactione, sed constitutus in gratia, negligens satisfacere per seipsum, indignus est amicabili adiutorio: quoniam amicitiæ ratio poscit, quòd amicorum sit idem velle & idem nolle: & propterea, si ego pro meipso nolo satisfacere: par est vt amicus quoque hoc nolit, quin potius non amicè peterem vt me negligente satisfacere, ipso pro me pateretur. Possent quoque rectè huiusmodi negligentes, quærentesque per indulgentias satisfacere, verbo Domini reprehendi, Alligant onera grauia & importabilia in humeros hominum, id est, amicorum: digito autem suo nolunt mouere ea. Nec obstat, quòd Sancti iam passi sunt: quoniam similis est ratio de passionibus præteritis & futuris, quia illis solis prosunt præteritæ, pro quibus patiendum fuerat: & ideo si pro huiusmodi negligentibus non fuerat ab amicis patiendum, nec postea quòd passi sunt, illis amicorum prosunt passiones. Secundò probatur eadem minor similiter ex habitudine ad communem ecclesiæ thesaurum: quia in qualibet bene ordinata repub. quantùncunque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in ciues grauatos ære alieno, negligentes tamen soluere, indigni censerentur adiutorio thesauri: ex eo enim, quòd possunt de suo soluere, & non curant, indignos se reddunt tali subleuamine. Et nisi tales pro indignis haberentur, foueretur negligentia; quoniam alijs horum exemplo ad similem negligentiam prouocarentur: legis autem est facere non negligentes, sed virtuosos. Quum igitur ecclesia sit à Deo ordinata, æquum nō est, vt spiritualis dispensatio thesauri negligentes satisfacere pro dignis probeat: hoc enim verè esset eneruare satisfactiones pœnitentiales. Non prosunt igitur indulgentiæ constitutis in gratia negligentibus satisfacere per seipsos: quoniam indigni sunt indulgentia: sed oportet vltra gratiam dispositos ipsos esse, vt digni sint alienis satisfactionibus: fiunt autem digni per hoc, quòd sunt paratí per seipsos satisfacere: sic enim sunt digni amicabili adiutorio ad satisfaciendum: parati autem ad satisfaciendum per seipsos sunt, non qui negligunt per seipsos satisfacere, sed illi soli, quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata quod non retardat opus nisi impedita. Confirmatur autem hoc ex antiqua forma indulgentiæ, quum dicitur, verè pœnitentibus. Pœnitens enim dupliciter dicitur, vel per exclusionem contrarij: quia scilicet nihil habet in suo animo contrarium pœnitentiæ: & hoc modo quilibet existens in gratia, est pœnitens etiam si sit negligens ad satisfaciendum. Vel per positionem virtualis pœnitentiæ: quia scilicet vis affectus pœnitentialis in eo secundum veritatem viget & hoc modo pœnitens non est nisi solicitus ad per seipsum satisfaciendum. Quum ergo dicitur, verè pœnitentibus, nisi superflué seu ad maiorem expressionem, appositum sit lz, Verè, denotat indulgentias non consequi pœnitentes negligentes, sed pœnitentes solicitos: qui soli sunt verè pœnitentes, significante participio actū pœnitendi: qui non inuenitur apud negligentes, sed apud solicitos. Manifestius quoque suadetur hoc idem ex alio verbo eiusdem formæ, quum dicitur, de iniunctis pœnitentijs. constat enim communiter, quemlibet pœnitentem paratum esse ad iniunctam pœnitentiam peragendam, alioquin non accepisset illam. Et propterea ex hoc verbo duo habentur: alterum est, quòd indulgentia nisi noua forma detur, non absoluit nisi à pœnitentijs iniunctis: Alterum est, quòd indulgentia non prodest nisi parato per se satisfacere primum enim horum explicitè, secundum autem implicitè (inquantum paratus ad satisfaciendum supponitur) ex eodem verbo habetur.

¶ Et hinc sequitur primò, quòd frustra faceret quis sibi iniungi magnas pœnitentias à confessore, non vt ipsas adimpleret, sed vt per indulgentias ipsas exolueret: quoniam hoc non est esse paratum ad satisfaciendum, sed ad imponendum amicis iugum suum. Sequitur secundò, quòd si forma indulgentiæ mutaretur, & ad non iniunctas extenderetur pœnitentias, dispositio tamen suscipientis non propterea mutaretur, quoniam ex natura rei exigitur ex parte suscipientis esse paratum ad satisfaciēdum secundum vires per seipsum: vt declaratum est. Nec intelligo hanc præparationem ad satisfaciendum ita strictè, quin per aliquid æquiualens aut maius suppleri possit: vt patet ex hoc, quòd contingit quandoque caritatem pro qua datur indulgentia tale ac tantum exigere opus vt excedat præparationem ad satisfaciendum: puta, si detur plenaria pro actu quo se exponit morti pro Christo, aut perpetuæ mancipationi alicuius pij seruitij, aut alijs quo huiusmodi: & tunc causa indulgentiæ ex parte concedentis tenet locum causæ rationabilis tantæ indulgentiæ, & ex parte suscipientis supplet locum dispositionis reddentis dignum amicabili satisfactione, Secus autem est si daretur plenaria pro visitatione aliquam ecclesiam: nam dato quòd causa esset rationabilis ex parte concedentis, visitatio tamen ipsa non supplet vicem præparationis ad satisfaciendum; quum nec illi æqualeat, nec excedat.

AD OBIECTIONEM Autem in oppositum dicitur, quantum ad eiusdem Tho. spectat, quòd aliorum opiniones sequutus est, vt ipsemet tria illa colligendo explicat in 4. senten. distinctio. 20. quæstio. 1. articul. 3. quæstio. 2. Quantum verò ad communem doctrinam: quia non nisi opinatiua est, (cum bona reuerentia dictum sit,) non inconuenit adinuentis ab ipsis aliquid noui superaddi, quod sub forma indulgentiæ latebat, & ratione probabili roboratur. Et scito, quòd iuxta hunc dicendi modum soluuntur omnes quæstiones, tam de minis largo Dei foro, quàm de omittendis suffragijs pro plenariè absolutis in morte, quàm de admiratione sapientum, & de obloquutionibus detrahentium: & excitantur Christi fideles ad pœnitentiæ opera. Nec aliquid adimitur efficaciæ indulgentiarum: sicut nihil adimitur efficaciæ sacramentorum ex hoc, quòd oportet accedentes ad illa esse dignè dispositos, si fructuosa sibi esse volunt: soli siquidem indigni indulgentia, ab illius fructu iuxta hunc dicendi modum excluduntur.

QVAESTIO II.

An tempore, quo fit opus pro indulgentia, oporteat operantem esse in gratia.

CIRCA Secundum verò quæsitum de causa indulgentiarum, sciēdum est, quòd dupliciter dantur indulgentiæ. Vel ita quòd tempus indulgentiæ & tempus operis sit vnum & idem, vt quum datur indulgentia visitanti ecclesiam. Et tunc nō habet locum hæc quæstio: quoniam constat tempus fructus indulgentiæ coëxigere gratiam in percipiēte illam. Vel ita quòd aliud sit tempus operis, & aliud sit tempus percipiendi fructum indulgentiæ: vt quum datur indulgentia semel in vita & semel in morte suscipientibus crucem: & tunc habet locum proposita quæstio, an exigatur gratia tunc, quum fit opus pro quo datur indulgentia.

¶ Videtur enim pars negatiua vera. Tum quia absque gratia tempore operis saluari possunt omnia requisita ad fructum indulgentiæ: nam saluatur auctoritas indantis, pietas in causa, gratia etiam solicita in suscipiente tempore quo suscipit illam: ergo, &c.

¶ Tum quia non minus valet huiusmodi opus pro se, quàm pro alio, sed, si pro alio (puta existente in purgatorio.) opus hoc quis faceret sine gratia, indulgentia valeret pro illa anima, præsupposito, vt quandoque fit, quòd possit quis accipere indulgentiam pro defuncto, faciēdo tale opus: ergo ad faciendum opus pro indulgentia non requiritur gratia,

CONCLVSIO.

Eo tempore, quo fit opus indulgentiarum, necessarium est sic operantem pro indulgentia consequenda esse in gratia.

IN HAC QVAESTIONE Videtur mihi non solum tutior sed longe rationabilior pars affirmatiua, scilicet quod exigitur gratia etiam tempore operis. Probatúr que hoc dupliciter. Primo ex antiqua indulgentiarum forma, quū ordinatè vtrunque exprimitur, ita q̄ primo loco ex primitur gratia, & secūdò exprimitur opus, non qualitercumque, sed vt ipsa gratia affluciat operantē: dicitur enim sic omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui visitauerint talem ecclesiam seu qui manus porrexerunt adiutrices, &c. Vbi manifeste patet, ex forma ecclesiæ consueta haberi pœnitentiam seu gratiam coexigi ad tale opus, pro quo fit indulgentia. Deinde probatur hoc ratione. Sicut thesaurus ciuilis non nisi pro ciuili causa dispensatur: ita thesaurus vitalis non nisi per sola vitali causa dispēsatur sed thesaurus indulgentiarum est thesaurus vitalis, vt patet ex passionibus viuis Christi & Sanctorum constans, & vitæ æternæ impedimenta tollens: ergo pro sola vitali causa communicatur: sed opus extra gratiam non est viuum, sed mortuum: ergō pro eo thesaurus in fulgentiarum nō communicatur.

Et confirmatur ex hoc, quòd reliqua requisita ad dispensationem thesauri indulgentiarum sunt viua: viuunt enim qui passi sunt Sancti, viuæ sunt & passiones eorum viuit & summus Sacerdos qui est vt principalis dispensator indulgentiæ, viuit particeps indulgentiæ: ergo & viuam oportet esse causam indulgentiæ: quæ est enim cōuētio lucis ad tenebras, & vitæ ad mortem?

¶ Nec obstat quòd Pontifex dans indulgentiam, possit esse mortuus secundum vitam gratiæ: quoniam ipse minister tantùm est, & velut instrumentum Christi concurrit. Ad causam enim principalem respiciendum est: vt patet in simili: quum scilicet dominus in charitate existens per reprobum dispensatorem eleemosynas distribuit: est enim opus illud viuum non obstante spirituali morte ministri. Oportet ergo viuum esse opus pro quod datur indulgentia.

AD PRIMAM ERGO Obiectionem in oppositum, dicitur falsum esse, quod sine viuo opere omnia requisita ad indulgentiam saluantur: nam pietas in causa clauditur in se vitam operis. Ex hoc enim quòd exigitur pietas in causa, hoc est in opere, pro quo datur indulgentia: consequens est quòd exigatur etiam vita: nam pietas ipsa nisi sit viua pietas, non est quum nulla sit Christiana virtus sine charitate.

¶ Ad secundum dicitur, quòd opus mortuum sicut non sufficit ad indulgentiam pro se pro tempore, quo erit in gratia: ita non sufficit ad indulgentiam pro alio existente in gratia. Et si instetur, quòd eleemosyna facta extra charitatem pro existente in purgatorio, valet pro illo, ergo multò magis valet mediante indulgentia: respondetur quòd eleemosyna talis non valet pro defuncto per modum satisfactionis, sed per modū supplicationis: scriptum est enim: Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orat pro vobis. Peccatorum autem supplicationes quandoque exaudiri Augu. testatur, reprehendens verbum cæci nati: Nos scimus quia peccatores Deus non exaudit. Ex hoc autem quòd valet per modum supplicationis mortuæ non sequitur quòd valet pro indulgentia acquirenda: quoniam indulgentia habet vim satisfactionis viuæ: supplicatio autem mortua, si misericordiæ inititur Dei, cui supplicatur.

TRACTATVS VNDECIMVS De modo tradendi, seu suscipiendi sacros ordines.

ARTICVLVS VNICVS.

Quomodo Tradantur, vel suscipiantur sacri ordines.

CIRCA Sacramenta tam extremæ vnctionis quàm ordinis nihil mihi scribēdum occurrit nisi circa sacramentum ordinis cautos reddere, ne pertinax quisquam, aut leuis sit circa modum tradendi, aut recipiendi ordines. Nam, si collecta fuerint quæ pontificales codices, quæue ratio auctoritásque doctrinæ traditi, incerta valde apparebit præsbyteratu excepto, reliquorum natura ordinum. Et de minoribus quidem ordinibus & subdiaconatu Magister senten. in 24. distinct. 4. senten. dicit institutos esse ab ecclesia. De diaconatu verò ambiguum magis est: quia non constat ex actibus Apostolorum diaconos altaris, sed diaconos mensarum & viduarum institutos esse ab Apostolis Act. vj. quin potius oppositum ibi dicitur quoniam diaconi altaris ad orandum & prædicandum ordinantur, (vt in pontificalibus patet,) ibi verò dicunt Apostoli, Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus. Quocirca licet tunc non fuerint diaconi altaris instituti, videntur tamen ab Apostolis instituti, licet nesciatur quando, & vbi. Iungit siquidem diaconos episcopis Paulus ad Philip. 2. dicens: omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum episcopis & diaconibus: & 1. ad Timo. 3. descripto Epo describit qualis debet esse diaconus. Et quia ambæ ecclesiæ: scilicet Philippensis & Ephesina, (cuius erat Timotheus episcopus,) erant ecclesiæ Gentium, in quibus non legimus vixisse in communi Christianos: vt Hierosolymis, ac per hoc non egebant diaconis mensarum & viduarum: ideo diaconi altaris videntur esse isti. Et confirmatur ex Dio. ponente diaconatus ordinem in primitiua ecclesia: vnde diaconatum ab Apostolis credimus cœpisse. Et quod magis vrget, nulla videtur certa forma in diaconatu: nā secundum antiqua pontificalia impositio manuum super diaconum non habet certam verborum formam, nisi orationem illam: Emitte, quæsumus, in eos Sanctum Spiritum, &c. quæ secundum noua pontificalia post impositionem manuum dicenda est. Dario autem libri Euangeliorum certam habet formam verborum: sed tunc non imprimi characterem ex eo videtur, quòd antequam Euangelium aliquod esset scriptum, diaconi ab Apostolis videntur ordinati, non dicendo: Accipe potestatem legendi Euangelium, sed vt creditur per impositionem manuum. Idem quoque apparet in subdiaconatu, in quo nullum pontificale habet nisi materiam sine forma, scilicet traditionem calicis vacui, &c. Taceo de minoribus ordinibus, in quibus varietas multiplex inuenitur etiam inter antiqua pontificalia: ex quibus apparet quòd huiusmodi ordines sacramentalia quædam videntur magis quàm sacramenta. Et ad hoc ducit ratio: quia per nullum dictorum ordinum potest ordinatus actum aliquē, qui si sine illo ordine fiat, esset nullus: vt patet discurrendo per singulos actus diaconi & inferiorum. Et per hanc rationem episcopatus videtur ordo: quia aliquem actum potest episcopus, quia non episcopo factus nullus est: vt confirmare, præsupposita veritate decretalis extra de consuetudine, cap. quanto.

HAEC AVTEM SINT Collecta, non ea ratione, vt nouam velimus ingerere doctrinam de sacramento ordinis: sed vt doctus quisque percipiat incertitudinem materiæ, de qua est sermo: & non velit plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: hoc est, vt sit contentus consueto pontificali ecclesiæ, in qua ordinatur. Et si aliquid fuerit omissum eorum, quæ ex nouis pontificalibus sunt addita (puta quia non est datus subdiacono liber Epistolarum cum illis verbis, Accipe librum, &c.) non propterea suppleri oportet in alia ordinatione huiusmodi omissum: huiusmodi enim noua additio non facit legem nouam. Nec mihi aliquis obiciat oppositum me alibi scripsisse, dum de simultate contractus in primo quolibeto scripsi. Hæc enim non aduersantur illis: quoniam non nisi de his quorum contractus simul cum traditione in pontificali mandatur, loquutus sum.

¶ Tutius tamen esse constat sequi antiqua pontificalia in tribus infimis ordinibus, quàm modernum, in quo ostensio materiæ prius mandatur cum verbis, & postea tactus materiæ. Et certe mirum est, quum corrector ille mutauerit ministrum materiæ in acolytatu, scilicet Archidiaconum in episcopum, vt tutiorem viam eligeret, quòd in præcedentibus ordinibus labori episcopi tantum pepercit, vt nimis tutam viam eligeret. In antiquis siquidem pontificalibus diuersimodè de minoribus ordinibus habetur: nam alicubi de ostiario & lectore habetur, Tradit sibi claues vel librum episcopus, dicens, de exorcista vero habetur: Accipiat librum de manu episcopi dicentis sibi: de acolyto autem accipiat candelabrum, &c. de manu archidiaconi dicente sibi episcopo. Vbi apparet semper simultas formæ & materiæ: & quòd materia non est monstratio, sed traditio & acceptio. Alicubi verò habetur, vt in nouo pontificali tempore Innocentij octaui impresso legis.

Universidad de Deusto Biblioteca

TRACTATVS DVODECIMVS de Contractu Matrimonij in tres diuisus quæstiones.

1 Num matrimonium contractum per procuratorem sit sacramentum.
2 Num contractus matrimonij clandestinus sit quandoque licitus.
Num matrimonij contractus non propter prolem, nec propter vitandam fornicationem sit licitus.

De sacramento matrimonij Triplex quæsitum.

CIRCA Sacramentum matrimonij paucula tractanda occurrunt. Et primo circa ipsum matrimonij contractum tria occurrunt dubia. Primum est, an matrimonium contractum per procuratorem sit sacramentum. Secundum, an contractus matrimonij clandestinus sit quandoque licitus. Tertium est, an matrimonij contractus non propter prolem nec propter vitādam fornicationem, sit licitus.

QVAESTIO I.

An matrimonium contractum per procuratorem, sit sacramentum.

CIRCA Primum ratio dubij est, quia matrimonium inter fideles verum & ratum est sacramentum: contractus autem huiusmodi per procuratores efficit matrimoniū verum & ratum: ergo est ibi sacramentū.
¶ Præterea, Coniugium inter infideles est sacramentum vt dicitur extra de diuortijs. cap. gaudemus: ergo a fortiori coniugium huiusmodi quod est verum & ratum, est sacramentum.

CONCLVSIO.

Matrimonium per procuratorem contractum, quanquam ecclesiæ sacramentum non sit, veruntamen est tale coniugium sic contractum, quod dirimit omne contractum postea consummatum, & non nisi apostolica autoritate factum de consensu partium dissolui potest.

IN OPPOSITVM Est; quòd nullum sacramentum ministratur per procuratorem. Ad hoc dicuntur duo: primū directè respondendo quæsito, quòd matrimonium contractum tantummodo per procuratorem non est sacramentum ecclesiæ. Quod manifestatur dupliciter. Primo, quia nullum sacramentum suscipitur per procuratorem: quia receptio sacramēti est passio personalis, quum sit intus quidem receptio gratiæ sacramentalis, foris verò exigat aliquam in sua persona sensibilem actionem vel passionem, vt patet ex communi ratione in omnibus sacramentis. Et confirmatur ex hoc, quòd sacramentum pœnitentiæ non potest suscipi per procuratorem: nam sicut sacramentum matrimonij consistit in contractibus, ita sacramentum pœnitentiæ consistit in actibus iudicialibus, tam autem in iudicialibus quàm in contractibus nihil prohibet multa fieri per procuratorem, nisi ratio sacramenti: potest enim quis iudicari, absolui, ligari per procuratorem, sed non sacramentaliter: & similiter potest quis contractum facere de propria persona per procuratorem, sed non sacramentaliter. Et confirmatur rursus: quia si per procuratorem posset suscipi sacramentum, sequeretur quòd dormientibus ambobus coniugibus dum procuratores contrahūt, coniuges sacramentum susciperent, & nihil omnino à seipsis aut ministro aliquo sacramenti circa ipsos tunc fieret: quod non solum est absurdum, sed non intelligibile, stante constantia sacramenti ex materia & forma, &c. & vltra hoc sequeretur, quòd dormiens peccaret mortaliter peccato sacrilegij, suscipiens sacramentū in peccato mortali, si contigisset vt iuisset tunc dormitū in peccato mortali: non est ergo coniugium contractum inter fideles per procuratores sacramentum, donec coniuges ipsi coram ratificent contractum: quod tunc fit, quum coram positi primò manifestant sibijnuicem se habere vt coniuges.
¶ Secundum est, quòd licet huiusmodi coniugium per procuratorem contractum non sit sacramentum: est tamen verum coniugium, dirimēs quodcunque aliud postcà contractum consummatum, multò magis quàm primum coniugium inter infideles dirimit secundum: vt dicitur ex de diuor. ca. gaudemus. Potest tamen facilius dissolui de consensu partium apostolica autoritate matrimonium per procuratorem contractū, quàm per seipsos coniuges contractum: quoniam in illo deest sacramentum, quod non deest huic.

AD PRIMAM Ergo obiectionem in oppositum, dicitur quòd coniugium dicitur ratum dupliciter, vel radicaliter, vel formaliter. Et quòd coniugium fidelium per procuratores contractum est ratum in radice baptismi, non autem est ratum ex forma ipsius sacramenti matrimonij: coniugium autem inter infideles neutro modo est ratum.
¶ Ad secundā dicitur: quòd vel est loquutio intransitiua, vt dicatur sacramentum coniugij pro coniugio: vel latiori vocabulo sumitur sacramentum: & non propriè, vt restringitur ad significandum sacramentum nouæ legis: de quo solo est nostra quæstio.

QVAESTIO II.

An matrimonij contractus clandestinus sit quandoque licitus.

CONCLVSIO.

Matrimonij contractus clandestinus nonnunquam licitus est, vbi absunt omnia scandala.

CIRCA Secundum, (an matrimonij contractus clandestinus sit quandoque licitus,) absque argumentis dicēdum est, quòd quia contractus clandestinus non sit secundum se malus moraliter, sed ratione accidentium ex illo consequentium; ideo in casu, quo cessarent omnia inconuenientia, licitum esset cōtrahere clandestinè, quoniam tunc etiam cessaret obligatio iuris positiui, quod propter huiusmodi inconueniētia constat emanasse. Contingit autem de facto pluries casus iste, quando matrimonium contractum est in facie ecclesiæ & consummatum, & tamen fuit in veritate nullum propter aliquod occultum impedimentum dirimens: puta quia præcognouerat consanguineam vxoris. Tunc enim habita dispensatione per secretas vias potest & debet contrahi matrimonium sine testibus ad euitandum scandalum, imò nec coniugi debet impedimentum manifestare, sed dulciter rogare vt pro consolatione sua velit se iterum acceptare in coniugem: & parte assentiēte sufficit. Sic enim euitatur omnis infamia: & intentum habetur: & nullum potest inconueniens sequi ex huiusmodi clandestino contractu.

AN VERO Ante contractum in facie ecclesiæ matrimonij accidere possit casus, in quo licitus sit cōtractus clādestinus, non mihi occurrit de clandestino per se, sed potest contingere de clandestino per accidens, quòd sit aut licitus, aut sine mortali peccato. Licitus quidem, si contingeret carere testibus, & oporteret contrahere: vt si in bello seu direptione ciuitatis salui fierent coniugati, possent personæ habiles contrahere & consummare: vt vel euaderent opprobria, &c. cessant enim omnia inconuenientia, & præter intentionem est clandestinū matrimonium. Absque mortali verò: vt si puella sub malignis tutoribus, ne tradatur viro imprudenti cum damno debitæ sibi dotis, aut hæreditatis propriæ, oblata cōmoditate non valens habere testes præsentes, contraheret cū viro grato, prudente, &c. sciens quòd post factum publicabunt ipsa & vir contractum: & sic præualebunt. Ex quo enim parati publicare, contrahunt præter intentum. Ex quo enim parati publicare, contrahunt præter intentum ex rationabili causa clam: excusantur saltem à mortali.

QVAESTIO III.

An matrimonij contractus non propter prolem, aut vitandam Fornicationem, sit licitus.

CIRCA Tertium verò, (an matrimonij contractus num propter prolem, aut vitandā fornicationem sit licitus: ratio dubij est, quia videtur sacrilegium, sacramentum non ordinare ad finem proprium: finis autem proprius sacramenti coniugij est proles educanda ad cultum Dei, & remedium concupiscentiæ.
¶ In oppositum est coniugium inter beatam Virginē & Ioseph, quod neutrum finem habuit ex parte virginis.
Conc

CONCLVSIO.

Contrahere matrimonium nō propter prolem, nec propter vitandam fornicationem hominibus licet, cum non hæc tantum finis matrimonij sint.

AD HOC DICITVR Quòd in contrahendo matrimonium, multiplex finis potest inueniri: & quantum ad propositum spectat, quintuplex finis potest considerari. Primus est finis istius contractus ratione actus: & hic est proles vel remedium concupiscentiæ: hic enim est finis coniugij mediante concubitu: vt patet. Secundus est ipsius contractus ratione sui: & hic est mutua potestas corporum: ad hoc enim fit hic contractus, vt neuter coniugum habeat potestatem sui corporis, seu alter alterius. Tertius est eiusdem contractus ratione sacramenti: & hic est sanctificatio coniugum, vt vnusquisque possit vas suum possidere in sanctificationem. Quartus esset, si contractus iste ordinaretur à contrahente ad aliud extraneum: puta ad aliquod maleficium. Quintus esset finis non contractus, sed contrahentis tantummodo: hoc est quòd esset motiuum vt finis ad hoc, vt homo qui alias nollet contrahere matrimonium, applicaret se ad contrahendum matrimonium. Verbi gratia, quum Dauid contraxit cum Abisach Sunamite, non ordinauit coniugium ad calefaciendum se: sed applicauit se ad contrahendum coniugium, vt per mulierem calefieret, quum non esset alias dispositus ad contrahendum matrimonium.
¶ Quibus præmissis dicenda sunt ad quæstionem motam duo. Primum directè respondendo quæsito, quòd contractus est licitus, quoniā sufficit coniugio habere vtrunque finem suum proximum, finis autem proximus ipsius contractus secundum se est, mutua potestas corporum: quatenus verò sacramentum, sanctificatio. Et propterea etiam si non intendant prolem neque remedium concupiscentiæ, sed solummodo esse coniuges, secundum ecclesiam contractus est licitus. Et sic inter senes & quoscunque non intendentes concumbere, potest licitè contrahi matrimonium.
¶ Secundum est, quòd communiter extranei seu accidentia fines altero duorum modorum contingunt: vel ratio non coniugij, sed coniugij cum tali: vel vt ratio applicationis ad contrahendū coniugium. Ideo communiter huiusmodi contractus sunt liciti: quoniam vterque modus est licitus. Exemplum primi modi habetur inter Iacob & Rachelem: propter pulchritudinem enim ipsius, elegit cōtrahere potius cum Rachele, quàm cum Lia: dicens socero, Seruiam tibi pro Rachele filia tua minore, &c. Exemplum secundi habetur inter Dauid & Sunamitem. Et primus quidem sæpe contingit, & clarus est omnibus: secundus autem amplius manifestatur exemplo & ratione. Simile quidem est, si sacerdos aliquis nollet hodie celebrare, superueniente autem amico, vt illi morem gerat, applicat se ad celebrandum, ita si quis non intenderet matrimonio coniungi, superueniente autem vidua promittente maria & montes, vt sibimet vtile faciat, applicat se ad contrahendum matrimonium cum illa intendens illam habere coniugem, &c. vtrobique enim aduentitius finis non ponitur finis celebrationis aut coniugij, sed applicationis ad celebrandum seu ad contrahendum Et hæc est ratio quare contractus non redditur illicitus.

ET PER HOC Patet responsio ad obiectionem in oppositum. Nam sicut sacerdos alias non celebraturus hodie, vt morem gerat amico applicans se ad celebrandum, non constituit per hoc amicum finem celebrationis, sed applicationis suæ: ita qui propter bona temporalia alias non contracturus mouetur ad contrahendum coniugium, non constituit bonum illud extrinsecum finem coniugij, sed mutationis suæ, qua de non volente contrahere factus est volens contrahere: coniugium verò ipsum suscipit cum fine ipsius coniugij, etiam si de fine ipsius nihil cogitet: sicut dictus sacerdos celebrationem ordinat in finem cebrationis, etiam si nihil cogitet de fine. Eoipso namque quod intendit coniugium, intendit ipsius finem, quamuis fortè ad illum non se disponat: sicut sacerdos intendens celebrare, vult ex hoc ipso finem celebrationis, quamuis fortè non se disponat ad illum.

TRACTATVS DECIMUSTERTIUS de Vsu Matrimonij in duas quæstiones diuisus.

1 Num Vsus matrimonij ante benedictionem sit licitus.
2 Num Vsus clandestini coniugij sit illicitus mortaliter.

QVAESTIO I.

An vsus matrimonij sit licitus ante benedictionem.

CIRCA Vsum matrimonij, dubium primo occurrit, an sit licitus ante benedictionem.
¶ Videtur enim quòd non. Tum quia sit contra statutum ac consuetudinem ecclesiæ: vt patet. 30. quæstio. 5. in pluribus capit.
¶ Tum quia quum sine causa rationabili hoc fit, non euaditur contemptus: quem cōstat constituere peccatum mortale.

CONCLVSIO.

Vsus matrimonij ante benedictionem quamuis mortale peccatum non sit, à venialitate alienum non est.

AD HOC Dicitur, quòd licet quibusdam visum fuerit distinguendum de reddente, aut petente debitum: & similiter de loco vbi est vel non est consuetudo huiusmodi Benedictionis: & similiteter de causa an sit rationabilis, vel non: Mihi tamen videtur, simpliciter & absolutè dicendum, quòd huiusmodi actus non est peccatum mortale. Et ratio est quia nullum apparet in iure præceptum obligans ad mortale: imò expressè in fine ca. nostrates: numeratis concurrentibus ad nuptias, subditur, quòd hæc omnia non seruare non est peccatum. Consuetudo quoque non obligat ad mortale præter quam statutum, & tantò minus hæc consuetudo obligat, quantò alicubi (vt in germania) nobiles nocte præcedente benedictionem, consummant matrimonium: alicubi verò (vt in Italia) pœna apposita ab ecclesia maritis consummantibus matrimonium ante benedictionem, tam leuis est, vt testetur minimum aut nullum esse peccatum. Ex parte verò benedictionis, quum nulla fiat sibi iniuria (quoniam nec contemnitur, sed suscipitur etiam cōsummato matrimonio) nec admiscetur propterea aliquod falsum seu mendacium, quoniam nulla fit de virginitate ibi mentio, nulla habetur ratio mortalis peccati. Nec obstat si dicatur quòd canones præsupponunt virginitatem in benedicendis saltem in sponsa: vt patet ibidem, ca. sponsus. Quoniā hoc de congruitate, & secundum communiter accidentia intelligitur: vt patet ex hoc quòd puella corrupta ante coniugium secretè ab alio nihilominus licitè nuptialem benedictionem suscipit. Ex parte demum finis ipsius benedictionis idem apparet: quoniam ad duo ordinatur, scilicet ad solennem traductionem vxoris (quam constat propterea non omitti) & ad diuinam obtinendam benedictionem in ipsorum coniugum, quæ etiam non omittitur. Ex quibus omnibus potest formari talis ratio: Actus coniugij ante benedictionem, &c. quum non sit illicitus nisi quia præuenit benedictionem antè debitam, non plus habet illiciti, quàm ex iniuria vel legis, seu consuetudinis inhibentis, vel benedictionis ipsius seu eius finis contrahat: sed ex nullo horum contrahit rationem peccati mortalis, vt declaratum est: ergo non est peccatum mortale. A veniali autem peccato non excusari matrimonij consummationem ex parte tam petentis, quàm reddentis ex eo patet, quòd ordo ipse statutus lege vel consuetudine non seruatur, dum ante benedictionem fit, quod post benedictionem agendum erat.

AD PRIMVM Autem in oppositum, dicitur, quòd hoc argumentum nihil valet, Statutum seu consuedo ecclesiæ non seruatur, ergo est peccatum mortale: plus enim exigitur ad peccandum mortaliter, quàm violare statutum, seu consuetudinem ecclesiæ: quoniam nec omne statutum, nec omnis consuetudo ecclesiæ obligat ad mortale.
¶ Ad secundum dicitur, falsum esse, quòd vbi deest rationabilis causa violandi seu non seruandi statutum & consuetudinem ecclesiæ, ibi est cōtemptus: stat enim quòd ex infirmitate seu concupiscentia veniali fiat transgressio & sic cōmuniter videtur accidere in huiusmodi casibus: Et propterea quia communiter ex contemptu nō fit, com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

muniter non est peccatum mortale.

QVAESTIO II.

An vsus clandestini coniugij sit illicitus mortaliter.

SECVNDO Quæritur an vsus clandestini coniugij sit illicitus mortaliter. Et est ratio dubij: quia si pars affirmatiua poneretur, aut hoc esset ratione annexi scandali, aut ratione inhibitionis ecclesiæ: sed scandalum tollitur, si vsus est occultus, inhibitio autem ecclesiæ non facit peccatum mortale, quum in præcedenti ar. conclusum sit vsum coniugij ante benedictionem non esse peccatum mortale, quamuis sit contra inhibitionem ecclesiæ.

IN OPPOSITVM Est, quòd vsus coniugij non legitimi est peccatum mortale: clandestinũ autem matrimonium quamuis sit verum & ratum, constat non esse legitimum: ergo.

CONCLVSIO.

Vsus coniugij clandestini malus est, & mortale peccatum si aliqua turpidinis & scandali ratio adsit, secus autem veniale esse potest.

AD HVIVS Euidentiam recolendum est, in cõiugijs dupliciter inueniri illicitum & mortale, vel quia malum, vt coniugium cum parente: vel quia prohibitum, vt coniugium cum affinibus seu consanguineis quarti gradus. Vsus autem coniugij clandestini vtroque modo illicitus inuenitur, & quia malus, & quia prohibitus. Est siquidem malus, non secundum se, sed secundum sibi annexa. Ad cuius plenioremintelligentiam sciẽdum est, quòd licet clandestinum coniugium cum suo vsu habeat omnia requisita ad substantialia coniugij & eius actus, & propter hoc dicitur quòd neutrum est secundum se malum: ex naturali tamen hominis proprietate, qua est animal sociale atque politicum, prouenit turpitudo in clandestino coniugio & eius actu. Ex hoc nãque, quòd homo est animal sociale & politicum, prouenit quòd cõiugium & ipsius actus debeant sic fieri vt sint sine offensa & periculo offendendi societatem politicam: vsus autem clandestini coniugij annexum habet scandalum vitæ socialis, dum scitur commisceri personas quæ nesciũtur coniuges: nec etiam sine scãdalo appareret mulier grauida, & proles fieret, &c. Ipsum verò coniugium clandestinum annexum habet periculum offendendi vitam socialem: quoniam posset alter coniugum noua inire connubia, dum ignoratur ligatus altero coniugio. Est igitur tam clandestinum coniugium, quàm ipsius actus, etiam si prohibitio legis non esset de genere malorum moraliter, non secundũ se, sed secundum sibi annexa.

¶ Vtrum autem sit mortale peccatum, considerandum restat ex vtroque principio: scilicet annexæ moralis malitiæ & legalis inhibitionis. Ex parte siquidem moralis iniquitatis distinguendum occurrit, & dicendũ: quòd quando actus huiusmodi habet annexam scandali turpitudinem, est peccatum mortale: quãdo verò caret annexa turpitudine, non est peccatum mortale. Et horum ratio est in promptu: quia ex quo ratio peccati mortalis consurgit ex annexa turpitudine extante, illa fit peccatum mortale: & illa non extante, non est peccatum mortale. Notanter autem dixi, actus huiusmodi, ad differentiam vsus: quoniam frequens actus, qui vsum constituit, impossibile est, moraliter loquendo, quòd careat scandalo: nam frequens secreta conuentio personarum, quæ possunt esse coniuges, semper est suspecta, & experientia teste videmus scandala maxima ex huiusmodi vsu prouenire. Ex parte autẽ inhibitionis ecclesiasticæ mortale peccatum videtur: quoniam Eucaristus Papa (vt habetur 30. quæstio. 5. capitul. aliter) damnat huiusmodi coniugia: ita quod non coniugia, sed adulteria vel contubernia vel stupra, aut seruitutiones esse non dubitat. Quod quia verum esse constat in iudiciali foro, in quo clandestinum matrimonium non est matrimonium ex autoritate papæ promulgatum, damnabilem constituit clandestini vsum matrimonij. Simpliciter igitur & absolutè loquendo, vsus matrimonij clandestini peccatum mortale est: vtpote scandalosus, scandalo notabili, reddente vtrunque coniugem infamem, & à iure damnatus vt adulterium seu fornicatio. Quocirca cauteant confessores viduarum nobilium, ne consulant fornicariè, vt contrahãt clandestinum matrimonium, quasi licitè deinceps satisfacturæ voluptati suæ cum clandestino coniuge: tum quia non sunt facienda mala, vt veniant bona, & multò minus, vt euitentur peiora: tum quia per hoc non euadit peccatum mortale in vsu dicti coniugij: tum quia adiungitur periculum homicidij vtriusque, aut alterius coniugis: vt plures vidimus nostra ætate: consanguinei enim multò magis vindicant talia coniugia, quàm si fornicatio sola fuisset.

AD OBIECTA Ergo in oppositum dicitur, quod licet actus vnus seu aliquis possit esse ita occultus, quòd careat secundum se omni turpitudine scandalosa: frequens tamen actus, vt dictum est, esse non potest; & ille vnicus actus omnino occultus non careret periculo scandali: quia posset inde coniux concipere, & sic scãdalum sequeretur. Inhibitio autem ecclesiæ non similiter se habet ad vsum coniugij ante benedictionem, & ad vsum coniugij clandestini, quoniam primum simpliciter inhibet: secundum autem non solum inhibet, sed damnat vt stuprum seu fornicationem. Et ratio est disparitatis: quia actui coniugali debetur torus publicus, hoc est pubicè præparabilis seu præparatus: vnde & coniuges contorales dicuntur: clandestini autem coniugij actui non potest publicè torus præparari: quum coniugium ipsum publicè habeatur tanquàm non sit, quum probari non possit. Ante benedictionem verò publicis coniugibus potest publicè torus præparari, imò & de facto multiplies præparatur: & propterea actus coniugij clandestini meritò reprobatur ac damnatur: actus verò publici coniugij non reprobatur nec damnatur, sed solus cæremoniæ defectu accusatur: est enim præceptum cæremoniale de non præuertendo benedictionem, de non vtendo verò clandestino, est præceptum propè substantiale. Et hinc sequitur, quòd non solum vsus sed etiam actus vnus coniugij per se clandestini, etiam cum sterili seu vetula, quæ non potest concipere, quantumcumque occultus est mortale peccatum, sicut & ipse contractus clandestinus propter damnationem ecclesiæ damnantis omnem contractum & concubitum clandestinum in sua specie: & per hoc omnem concubitum & contractum clandestinũ: & consequenter nisi rationabilis causa subsit contrahendi clandestinè, aut clandestinè consummandi, damnationem suæ speciei incurrit.

TRACTATVS DECIMVS
De Delectatione Morosa in tria Quæsita diuisus.

1 Num voluntaria delectatio de cogitato actu licito conditionaliter sit mortale peccatum.
2 Num vidua, quæ voluntarie delectatur de coniugali actu præterito, peccet mortaliter.
3 Num voluntaria delectatio de visa pulchra muliere sit computanda inter peccata mortalia delectationis morosæ.

CIRCA Actum coniugij, quoniam multa scripsimus in cõmentarijs præcedentis libri in tractatu de luxuria, & quædam etiam in quolibetis, ideo ne eadem repetamus, pertranscundum est. Incidenter tamen dubia aliqua de delectatione morosa soluendo.

DVBIVM I.

An voluntaria delectatio de cogitato actu licito conditionaliter, sit mortale peccatum.

EST AVTEM Primum dubium, an voluntaria delectatio de cogitato actu licito conditionaliter, sit mortale peccatũ. Verbi gratia, cogitat quis de actu coniugali cũ tali muliere si esset vxor sua, & voluntariè delectatur de actu cogitato, an in hoc & similibus sit peccatum mortale. Et est ratio dubij: quoniam pro parte negatiua est quòd delectatio est de actu licito, in tantum quòd consensus in huiusmodi actum non est peccatum: si enim consensus in actum non est peccatum, à fortiori nec cogitatio de illo, erit peccatum. Pro parte verò affirmatiua est omnis religiosa conscientia, cauens huiusmodi delectationem: vt peccatum mortale.

Ad

CONCLVSIO.

Voluntaria delectatio de cogitato actu licito conditionaliter est peccatum mortale, cum sit de concubitu peccati mortalis.

AD HOC Dicitur, quòd sine dubio huiusmodi delectatio voluntaria est peccatum mortale, quia est simpliciter de concubitu peccati mortalis. Ad cuius euidentiam discernendum est inter consensum & delectationem: quoniam tam consensus, quàm desiderium ferri potest in obiectum vel absolutè vel conditionaliter: potest enim quis desiderare cibum absolutè, & potest rursus desiderare ipsum sub conditione: puta si non esset dies ieiunij. Et quòd dicimus de actu, idem intellige de delectatione cõsequente actum exterius exercitum: nam potest quis desiderare delectationem in cibi & absolutè & sub conditione, puta velle delectari in comedendo, si non esset dies ieiunij. Delectatio autem voluntaria consequens obiectũ interius apprehensum & concubitum siue absolutè, siue conditionaliter, non potest distingui in delectationem conditionalem, vel absolutam: sed ex hoc ipso quòd inest huiusmodi delectatio voluntariè, est simpliciter & absolutè delectatio. Vnde, cùm aliquis desiderat actum coniugij cum aliqua conditionaliter: id est si esset sua, non peccat: quoniam desiderium obiectum habet rectę rationi consonum: sed quum delectatur quis de huiusmodi actu conditionali cogitato, delectatio ipsa non est conditionalis: quoniam conditionalis nihil ponit inesse: huiusmodi autẽ delectatio ponitur inesse voluntariè. Et propterea delectatio ipsa non spectat ad obiectum desideratum & cogitatum, quatenus est conditionale: ac per hoc redit ad naturam sui generis: scilicet delectationis morosæ de illicito concubitu. Ex hoc nanque quòd actus vt conditionalis, non facit ipsam delectationem conditionalem: sequitur quòd relinquat eam in genere delectationis voluntariæ de concubitu secluſa conditione, quæ sola faceret illum licitum. Et hoc est nihil aliud dicere, quàm relinquere illam in specie delectationis voluntariæ de concubitu, ac si illa conditio non esset cogitata: & hoc est quod timoratæ conscientiæ vtriusque sexus testantur.

ET PER HOC Patet solutio ad obiectum: quoniam non est idem iudicium de consensu & desiderio in actum exteriorem illiusque delectationem sub conditione, & de præsenti delectatione voluntaria de eodẽ actu eademque delectatione cogitata. Nec est verum, quòd præsens delectatio sit de actu licito: quoniam non est de illo conditionaliter, actus autem non nisi conditionaliter est licitus.

DVBIVM II.

An vidua, quæ voluntariè delectatur de coniugali actu præterito, peccet mortaliter.

SECVNDVM Dubium est, an vidua quæ voluntariè delectatur de actu coniugali præterito, peccet mortaliter. Et est ratio dubij ambiguitas scribentium.

CONCLVSIO.

Voluntaria delectatio de præterito actu coniugij non est peccatum mortale.

AD HOC Dicitur, quòd formaliter loquendo, voluntaria delectatio de præterito actu coniugij non est peccatum mortale. Et ratio est, quia eiusdem moris est delectari de præsenti, præterito vel futuro: huiusmodi enim differentiæ non variant speciem moris de bono in malum: & propterea sicut simpliciter & absolutè, viduæ consensu approbatiuo potest placere actus præteritus, ita potest delectari de illo. Et licet hæc ratio sufficiat, manifestatur tamen ex simili: iudex enim functus officio, potest voluntariè delectari de vindicta, quam exercuit occidendo perturbatores Reipub. nec solum intus potest delectabiliter memorari, verùm potest etiam delectabiliter hæc enarrare: vt patet. Idem autem est iudicium de voluntaria delectatione in cogitatione, memoria, narratione & facto vindictæ, & cuiuscunque alterius actus: memoria enim de iustis seu licitis, eodem more est delectabilis, quo & ipsa iusta & licita fuerunt delectabilia.

¶ Aduertendum tamen est hic, quòd aliud est loqui de voluntaria delectatione præteriti actus liciti, & aliud est loqui de concomitantibus illam: nam stat quòd ipsa delectatio de actu præterito voluntaria immunis sit secũdum seipsam à peccato mortali: & tamen ipsamet, vt annexũ, habet malum aliquod (puta pollutionem vel delectationem interiorem, consequentem velleitatem actus similis præterito, aut consequentem insurgentem concupiscentiam) sit peccatum mortale. Et quia venerea quantumcunque licita, quum cogitantur, annexam habent concupiscẽtiam carnis, motiũque qui etiam non præcipiente intellectũ insurgunt (vt experientia testatur) ideo si viduæ delectatio periculum habet annexum pollutionis aut ruinæ animæ ad aliquem prauum consensum huiusmodi delectationum annexarum (vt communiter videtur accidere voluntariè immorantibus in memorijs talibus) tenetur euitare huiusmodi memoriam, sicut tenetur fugere huiusmodi pericula. Sine his tamen, huiusmodi memoria communiter sunt peccata venialia: quia carent pia necessitate & vtilitate.

DVBIVM III.

An voluntaria delectatio de visa pulchra muliere, sit computanda inter peccata mortalia delectationis morosæ.

TERTIVM EST, An voluntaria delectatio de visa pulchra muliere, sit computanda inter peccata mortalia delectationis morosæ. Et est ratio dubij, quia simile videtur iudicium de delectatione omnis sensus: sed voluntaria delectatio de muliere tacta, spectat ad delectationem morosam, ergo & de visa.

CONCLVSIO.

Delectabilis cogitatio de visa pulchra muliere nisi in malum finem dirigatur, nullum peccatum est.

AD HOC Dicitur, quòd quum nulla sensatio naturalis sit secundum se peccatum (quoniam est à natura ipsa, cum consequente delectatione) proculdubio nisi mulieris visus aut tactus sit mortaliter malus, delectatio voluntaria de ipsa visa aut tacta non est mala. Verum inter tactus & alios sensus est quo ad propositum differentia in hoc, quòd visus mulieris pulchræ secũdum seipsum delectabilis, non est libidinosus nisi ex parte videntis ad malum ordinetur: tactus autem per oscula & amplexus, vt est secundum tactum talem delectabilis, est libidinosus, sicut & concubitus, nisi coniugij bono honestetur. Quoniam delectatio sensibilis secundum quendam tactum, scilicet oculorum, amplexum & huiusmodi, est secundum se à natura ordinata ad venerea: delectatio autem visus non est secundum se ad hoc ordinata. hinc enim fit, vt illa ob solam delectationem exercitata sint libidinosa: visus autem minimè. Et propterea sicut sensibilis delectatio osculorum, &c. extra coniugium illicita est, & secundum se mortalis (vt in commentarijs præcedentis libri diffusè declaratum est) ita voluntaria delectatio de huiusmodi cogitatis, mortale peccatum est delectationis morosæ. Et per oppositum, quia videre mulierem pulchram, non est secundum se ordinatum ad venerea, ideo delectabiliter videre mulierem pulchram, & ex suo genere nullum est peccatum: ac per hoc delectabiliter cogitare de visa muliere pulchra, nisi ordinè vel ob malum fiat, peccatum nullum est. Et hæc similiter intellige de huiusmodi actibus secundum se: nam secundum annexa pericula iudicandum est iuxta canones periculorum: multi enim ex aspectu mulierum corruerunt: vt patet de Dauid, &c.

ET HAEC Sufficiant pro hoc libro super tertia parte diui Tho. ac per hoc pro commentarijs integris super tota summa eiusdem: ad gloriam in primis omnipotentis Dei, deinde ipsius diui Thom. vtilitatem autem ecclesiæ. Sub correctione sanctæ sedis Apostolicę (in qua nunc sedet Leo decimus Pontifex Maximus) cui & scripta & scribenda omnia submissa semper esse volo. Romæ die 19. decembris. Anno Christianæ salutis millesimo quingentesimo vigesimo, ætatis autem meæ quinquagesimo secundo.

Amen.

*

Universidad de Deusto Biblioteca

AD REVERENDISSIMVM AC ILLVSTRISS. D.D. Iulium Medicem. S. Ro. ecc. presbyterum Cardinalem, ac vicecancellarium: Tractatus de indulgentijs Thomæ de uio caietani Cardinalis sancti Xisti.

Prologus.

SATIS CONSTAT, pater amplissime, inter eos thesauros qui ab apostolicæ potestatis throno ad animarum salutem per ecclesiam diffunduntur, nequaquam in extremo loco ponendas esse remissiones illas, quas trito iam nomine indulgentias appellamus. De quarum vi quum varias & pontificij iuris & theologiæ professorum opiniones esse animaduerterem, libuit mihi pro mea consuetudine, qui omnes meas lucubrationes ad ecclesiæ vtilitatem semper contuli, prouili mea hic quoque in summam compendiúmque redigere: quid illud denique sit quod tanquam ratum certúmque de huiusmodi remissionibus habeamus. Nostrum verò de hac re opusculum tibi iure optimo dedicandum censui, tum sequutus illorum morem, qui principibus viris integritate, prudētia, fortitudine ac magnanimitate excultis (qualem te esse omnes gaudemus) libros suos nuncupare prægestiunt: vt sub illorum auspicijs honestati, gratiores in vulgus prodeant. Tum quia sanctissimi Domini nostri Leonis x. benignitate, in sacrum Ro. ecclesiæ Senatum accitus, inclytæ familiæ vestræ in vniuersum, ac seorsum & singulis vestrum, tibique præsertim (quem præcipuum mihi patronum dominúmque elegi) & meipsum & omnes ingenij mei fœtus dedicandos esse cognosco. Addo etiam quòd quum tu Ro. ecclesiæ vicecancellarius diuo suffectus sis Laurentio, cuius est officium sedis apostolicæ tractare thesauros, ac dispensare: iure quodam suo nostrum hunc libellum, in quo agitur de spiritualibus ecclesiæ thesauris, vt patronus ac præses tibi vendicas & asciscis. Oro itaque amplitudinem tuam, vt ea benignitate munus hoc quoque meum accipias, qua & meipsum maximo tuo beneficio honestatum dignatus es in clientelam accipere.

TRACTATVS DECIMUSQUINTUS de Indulgentijs in Decem Capita diuisus.

1 Quæ à Priscis constant de indulgentijs.
2 Quid sit indulgentia.
3 Obiectiones contra assignatam indulgentiæ definitionem.
4 Quæstiones tres contra assignatam definitionem indulgentiæ.
5 Soluuntur obiectiones in tertio cap. positæ, num indulgentiæ spectent ad iurisdictionem.
6 Solutio obiectionum 3. cap. num indulgentia sit absolutio.
7 Solutio obiectionis 3. capit. quod indulgentia sit de iniunctis pœnitentijs.
8 Responsio ad quæstionem de indulg. causa quarto cap. posita.
9 Responsio ad secundam quæstionem de tempore ueræ pœnitentiæ 4. cap. positam.
10 Responsio ad tertiam quæstionem 4. capitu. positam de tempore confessionis.

CAPVT I.

Quæ à priscis constant de indulgentijs.

DE ORTV Indulgentiarum, si certitudo haberi posset, veritati indagandæ opem ferret: verum quia nulla sacræ Scripturæ, nulla priscorū doctorum Græcorum aut Latinorum autoritas scripta hunc ad nostram deduxit notitiam: sed hoc solùm à trecentis annis Scripturæ commendatum est de vetustis Patribus, quòd beatus Grego. indulgentias stationum instituit, vt in iiij. sen. diui Tho. habetur. Longè siquidem post Grego. legimus, quòd quidam indiscretas & superfluas indulgentias dabant: vt Innocen. 3. in c. quum ex eo. extra de pe. & re. dicit. Et per 40. fortè annos antè ab Alexā. 3. propositam de indulgentijs datis ab episcopis quæstionem solutam inuenimus ibidem in ca. quod autem. Ex verbis quoque Innoc. 3. in ca. excommunicamus: extra de hære. §. catholici: apparet concessam fuisse indulgētiam euntibus in subsidium Terræ sanctæ. Et quamuis non inueniatur in iure, indubiè tamen tenetur cruciatæ expeditionem fultam fuisse indulgentia plenaria. & hoc haberi dicitur in parte decisa decretalis ad liberandum. extra de Iudæis.

¶ Ex his autem textibus non solùm habetur, quòd indulgentiarum gratia antiqua est in Christi ecclesia, & non noua adinuentio, sed habētur clarè quatuor. primò, quòd dare indulgentiam alicui est illum absoluere. Secundò, ꝙ ista absolutio spectat ad forum pœnitentialem. Tertiò, quòd ista absolutio est à pœnitentijs iniunctis. Quartò, quòd quandoque sunt indiscretæ. Et primum quidem eorum habetur expresse in dicto capitulo, quod autem. ab Alexand. 3. respondente archiepiscopo Cantuarien. quòd quia nullus potest ligari, aut solui à non suo iudice, ideo indulgentiæ concessæ ab aliquo episcopo, non se extendunt ad non subditos sibi nisi de consensu propriorum iudicum. Hæc enim responsio clarè docet, quòd quia indulgentia est absolutio, ideo à proprio iudice vel de consensu proprij iudicis ab alieno potest fieri tantùm. Reliqua verò tria habētur ex concilio generali sub Innocen. 3. in cap. quum ex eo. extra de pe. & re. Quòd enim spectet ad forum pœnitentialem inde habetur: quia ibi dicitur, quòd eneruat pœnitentialem satisfactionem indiscreta indulgentia. Quòd ab iniunctis liberet pœnitentijs, clarè ibi habetur: & similiter, quòd superfluè & indiscretè quandoque fiant.

CAPVT II.

Quid est indulgentia.

PRINCIPIVM igitur inuestigandæ quidditatis indulgentiæ ex his quæ constant sumendo, ab illius stabilito genere ex sacris canonibus ordinamur. Et dicamus, quòd indulgentia est quædam absolutio: nisi enim per se & propriè indulgentia absolutio esset, non reddidisset per se rationem ius, quare indulgentia nō prodest non subdito: quia ligari absoluíve non nisi subditus potest. Si enim ratio est per se, oportet indulgentiam consistere in absoluendo aut ligando: constat autem quòd indulgere non est ligare: igitur est absoluere. Necessarium est autem asserere rationem canonis esse per se: quia ea quæ sunt per accidens, repelluntur à qualibet scientia. Est igitur ecclesiastica indulgentia (colligendo omnia certa ex sacris canonibus) absolutio ab iniuncta pœnitentia in foro pœnitentiali. Et quamuis prima facie videantur hæc non sufficere ad indulgentiæ diffinitionem: scrutando tamen singula subtilius, apparebit sufficiens. Differt siquidem imprimis indulgentia ab omnibus priuatis actionibus ex genere, sub quo continetur absolutio: est enim absoluere sicut & ligare actus iurisdictionis. Et ex hoc indulgentia differt tam ab actionibus priuatis (puta quum vnus orat, aut facit pœnitentiam pro alio aut seipso) quàm ab actionibus cōmunibus personis publicis & priuatis: puta compensatione vnius ad alterum, aut subuentione dando alicui pretium, vnde soluat creditori. Nullus siquidem horum actuum est actus iurisdictionis: quilibet enim absque quacunque iurisdictione potest huiusmodi actus exercere, non solum in prophanis, sed etiam in proposita materia: vt enim in 4. sent. Theologi dicunt: Vnus homo existens in charitate, potest facere pœnitentiam & satisfacere pro altero in charitate existente. Quod ecclesiæ consuetudine approbatur, ieiunia aliáque opera satisfactoria esse pro pœnis debitis animabus in purgatorio existentibus affirmante, si pro illis a personis in charitate existentibus fiant vbi patet opera satisfactoria priuatarū personarum absq; vlla iurisdictione ecclesiastica cōpensari pro pœnis animarum quæ purgantur, & pro pœnitentijs illis iniunctis satisfacere: & est quasi pretium, quòd priuatæ personæ animabus donant, vnde quasi soluant & liberentur.

Differt deinde indulgentia, ex hoc, quod non est quiscunque iurisdictionis actus, sed talis, s. absolutio, ab actu distributionis, quo curam habens boni comunis distribuit illud partibus eiusdem cōmunitatis: vt quum distribuit princeps, aut cōmunitas honores Reip. inter ciues. Absolutio enim est actus iudicis ad vnum subditū nulla habita ratione æqualitatis ad alterum, vt patet etiam in hac materia, quum datur indulgentia alicui vni: quòd quotidie per confessionale aut indultum fit. Distributio autem vt patet 5. Ethic. fit secundum æqualitatem proportionalem: quæ sine ratione ad alterum fieri non potest vni quum hoc intelligi non possit: vnde quum vnus tantū quandoq; honoratur in Republ. si iusta distributiōe honor talis illi defertur, rationem illius habere ad alios est necessarium: & quantò alijs præstat simpliciter vel tunc, quo ad hoc, tantū nūc honoratur. Monstratur quoque ex hoc, quod indulgentia est absolutio, & effectiua illius causa, scilicet iudex: actus enim iurisdictionis operatio est iudicis: & per hoc monstratur requiri tam autoritatem in dante indulgentiam (non enim est iudex sine autoritate) quàm rationem: non enim pro libito, sed ratione suadēte absoluit, aut ligat iudex nisi cuius voluntas lex est: quod soli Deo conuenit. Et materialis, scilicet subditus, in quem exercetur: non enim absolui potest nisi subditus: vt Alex. 3. ad hoc propositum iā allato canone dixit. Sed materia circa quam exercetur, per subiunctam particulam monstratur, quum subiungitur, ab iniuncta pœnitentia. Est siquidem indulgentia subditi absolutio quo ad iniunctam sibi pœnitentiam non in foro contentioso, sed pœnitentiali, ita quòd ly, in foro pœnitentiali determinat duo, scilicet absolutionem & iniunctam pœnitentiam. Et est sensus quòd indulgentia est absolutio in foro pœnitentiali à pœnitentia iniuncta in foro pœnitentiali. Eterim indulgentia, quia actus est iudicis, ad aliquem forum spectat: liquet autem quòd non contentiosi est fori: pœnitentialis igitur erit. Et hinc patet qualitas iudicis: forus enim pœnitentialis ad ecclesiasticum tantum iudicem spectat: & propterea ecclesiasticum oportet esse iudicem, qui indulgentiam concedit. Verum quum pœnitentialis absolutio secetur in eam, quæ est ordinis, quæ sacramentalis est (vtpote sacramentum pœnitentiæ perficiens sacerdotis ministerio) & eam quæ est iurisdictionis tantum: quæ à legatis & electis tantum pontificibus exercetur: & illa directè & per se primò culpam respiciat (est enim absolutio ab ipso peccato) ista autem culpæ remissionem præsupponat, & pœnam peccato debitam respiciat, non quancunque, quia non pœnam æternam (non enim liberat indulgentia à pœna inferni) sed temporalem: quæ hîc, aut in purgatorio exoluenda pro commisso peccato est: ideo ad differentiam sacramentalis absolutionis remittentis culpam & æternitatem pœnæ subiunctum est in diffinitione, ab iniuncta pœnitentia: iniuncta siquidem in foro pœnitentiali pœnitentia non nisi temporalis esse potest, & remissionem culpæ præsupponit. Monstratur nihilominus ex eadem particula qualitas subditi, cui confertur indulgentia: quòd scilicet sit verè pœnitens & confessus. Nam quia in sacramento pœnitentiæ non ligat ad pœnam sacerdos, iniungendo pœnitentiam, nisi absoluēdo à culpa: & prius natura absoluit, quàm ligat (quia obligatio ad pœnam temporalem supponit remissionē culpæ, absolui autem à culpa ab ecclesiastico iudice nullus potest nisi verè pœnitens & confessus) ideo ex hoc ipso, quòd indulgentia est absolutio à pœna iniuncta in foro pœnitentiali, monstratur quòd recipiens indulgentiam debet esse verè pœnitens & confessus: attestante consueta forma indulgentiarum: in qua dicitur, verè pœnitentibus & confessis. Differt demum indulgentia à remissione pœnarum iudicialium ad forum contentiosum spectantium per eandem particulam: scilicet iniuncta in foro pœnitentiali: indulgentia siquidem non liberat à pœnis iniunctis in foro cōtentioso, & vsq; adeo ab illis elongatur, vt diuus Thomas propterea dicat, religiosos per indulgentiam non liberari à pœnitentijs sibi iniunctis in capitulo, à suis prælatis. Ex quibus omnibus apparet, ꝙ diffinitio indulgentiæ collecta ex sacris canonibus, cuncta complectitur quæ ad rationem indulgentiæ concurrunt. Est igitur ecclesiastica (de qua est sermo) indulgentia, absolutio à pœnitentia iniuncta in foro pœnitentiali.

CAPVT III.

Obiectiones contra assignatam rationem indulgentiæ.

QVAESTIO.

Num dare indulgentias spectet ad iurisdictionem.

HABET Autem dicta diffinitio indulgētiæ difficultates multas & obiectiones, cōtra tria in illa contenta.

¶ Contra illud in primis dictum: scilicet, dare indulgentias est actus iurisdictionis, opponitur à Durand. in quarto sen. dist. 20. Tum quia iurisdictio exerceri potest in inuitum: indulgentiam autem nullus consequi potest inuitus. Tamen quia nullus potest vti actu iurisdictionis, in seipsum: indulgētia autem alijs data potest concedens vti sicut alij. Ab alijs verò: tum quia Archiepiscopus potest in tota sua prouincia indulgentias dare, vt patet in cap. nostro: extra de pœ. & re. & tamen constat archiepiscopum non habere nisi in articulis quibusdam potestatem in subditos suffraganeorū: extra de offi. or. cap. pastoralis. Tamen quia indulgētiæ dantur etiam defunctis existentibus in purgatorio: qui à iurisdictione ecclesiæ sunt exempti, vtpote extra hanc vitam: & quos ecclesia non potest ligare, cui data est potestas ligandi atque soluendi super terram tantùm.

QVAESTIO.

Num absolutio potius, quàm distributio uel compensatio sit indulgentia.

CONTRA Aliud deinde dictū, scilicet ꝙ indulgētia est absolutio, non cōpensatio, aut distributio, opponitur communi. tam theologorum, quam canonistarum doctrina, canonizata à Clemente 6. in extrauaganti, vnigenitus: de pœ. & re. decernentium indulgentias fieri per modum distributionis & compensationis seu solutionis. Dicunt enim quòd thesaurus ecclesiæ, in quo sunt recondita merita Christi & sanctorum, quatenus satisfactoria sunt non pro seipsis, distribuitur per indulgentias in Christi fideles, ita quòd pœnitentiæ nostræ compensantur per pœnas Christi & Sanctorum, dum ex thesauro illo conceditur cuiq; quasi pretium pœnale, vnde soluat Deo debitū, pro suis peccatis pœnitentiam. Hæc autem patet contrauenire sententiæ, qua dicitur, quòd indulgentia est absolutio: quum longè distet actus absolutionis iudicialis ab actibus his: quoniam isti actus omnes sunt actus non iudicis proprij, sed cōmunes tam publicis quàm priuatis personis, excepto distributionis actu, cuius tamen differentia ab absolutionis actu clarè liquet. Opponitur quoque, quòd ex illo canone Alexandri 3. non habetur nisi ꝙ dare indulgentiam est actus iurisdictionis in subditum: quod quidem potest verificari ponendo, quòd est actus dispensationis seu distributionis. Nam hic actus est iurisdictionis & super thesaurum dispensandum & super eum, cui communicatur: quia commune bonū non nisi in partes communitatis distribuendum est: & sic ruit tota diffinitio assignata. Potest quoque & aliter exponi canon ille vt intelligatur causaliter indulgentiam esse absolutionē, quia causat absolutionem: dispensatio nanque thesauri dicti causat in illo, cui communicatur, absolutionem, à pœna peccato debita, & à sacerdote iniuncta. Et sic redit ruina diffinitionis.

QVAESTIO.

Num indulgentia sit absolutio ab iniuncta pœnitentia.

CONTRA Tertium demum dictum, (scilicet ab iniuncta pœnitentia,) obijcitur. Tum quia diuus Tho. cū multis theologis & canonistis dicit indulgentiam liberare hominem ab iniunctis & non iniunctis pœnitentijs.

Tum quia indulgentiæ tantum valent quantum sonant: vt communiter tenetur: constat autem ꝙ in plenarijs indulgentijs nō fit mentio de iniunctis. Tum quia indulgentiæ quæ dantur pro defunctis, non dantur pro iniunctis: nam non præsupponitur iniunctas eis pœnitentias non perfecisse eos, qui sunt in purgatorio. Tum quia

Universidad de Deusto Biblioteca

quum pœnitentiarius Romæ iniungeret pœnitentiā plenariam indulgentiarum consequutus, accepit mādatum à Papa, vt non iniungeret pœnitentiam: vt refert Petrus de Pal. in 4. sen. dist. 20. q. 4. in calce. Tum quia in forma plenariæ absolutionis, quæ conceditur in morte, continetur restitutio ad innocentiā baptismalē, quæ non esset verè efficax, si ab iniuncta tantum pœnitētia absolueret.

CAPVT IIII.

Quæstiones tres circa assignatam diffinitionem indulgentiæ.

QVAESTIO.

Num quæuis causa indulgentiæ sit etiam causa quantæcunque.

SVNT Preterea circa dicta in suprapolita diffinitione indulgentiæ tres quæstiones. Prima omnium difficillima est circa causam effectiuam indulgentiæ. Dictum est enim, ꝙ oportet dantē indulgentiam fultum esse autoritate & ratione. In dubiū autem non paruū vertitur, an quælibet rationabilis causa dandi indulgentiam, sit etiam rationabilis causa quantæcunque indulgentiæ: an potius quædā sit rationabilis causa tantæ indulgentiæ (puta vnius anni) quæ non esset rationabilis causa multò maioris indulgentiæ, puta viginti millium annorum. Est autem ratio ambiguitatis quia pro prima parte, hoc est quòd causa legitima indulgentiæ est etiam sufficiens causa quantæcunq; indulgentiæ, extat autoritas diui Tho. in 4. sen. distin. 20. expressè dicentis, ꝙ indulgentiæ ratio seu causa non exigitur ad mensurandam indulgentiam. Et probat hoc: quia eadem stante ratione ecclesia modo maiorem, modo minorē dat indulgentiam. Et tandem dicit, ꝙ licet dans indiscretè indulgentias, ita vt homines pro nihilo ab operibus pœnitentiæ retrahuntur, peccet: nihilominus consequuntur homines plenam indulgentiam datam. Extat (& quam continua experiētia Romæ docet autoritas ecclesiæ) dantis indulgentiam plenariam pro sola visitatione alicuius ecclesiæ sine manibus adiutricibus: & in die sancto Paschæ data benedictione a papa super plateas S. Petri, pronunciant duo Cardinales indulgētiā plenariam omnibus præsentibus. Si enim hæ causæ sunt legitimæ causæ indulgentiæ plenariæ, nulla restat causa pia tam parua, que nō sit legitima causa quantæcunque indulgentiæ. Extat & autoritas veritatis ecclesiasticæ: secundum quā oportet indulgentias tantum valere quantum sonant: constat autem, quòd sonant ex quacūque causa etiam plenariam indulgentiam.

IN OPPOSITVM Autem est: quia à ratione dissonat indulgentiam exigere vltra autoritatem in dante & charitatē in recipiente, rationabilitatem in causa, ita ꝙ sine legitima causa indulgētia est nulla, & tū quantitatē indulgētiæ nō exigere aliquid ex parte legitimæ causę. ¶ Contra quoq; rationē est, ꝙ potestas ecclesiæ quæ non nisi ministri & dispensatoris est, nulla ratione dispēsandi arceatur in quantitate tam prætiosi thesauri. Et confirmatur: quia si in prophanis possunt ecclesiæ ministri ita dispēsare, vt dispensatio sit nulla (vt si papa donaret totū statum temporalē ecclesiæ filio suo, quamuis esset rationabilis causa donandi sibi aliquid) multò magis videtur ꝙ errare possit in dispensando thesaurum spiritualiū bonorum, ita vt dispensatio sit nulla. vtriusq; enim est dispēsator non dominus, in ædificationē corporis Christi mystici, non in illius dissipationem. Accedit ad hoc autoritas apostolica Clementis 6. in dicta extrauagante, vnigenitus: de autoritate data à Christo dispensandi hunc thesaurum, dicentis, Quem quidem thesaurū per beatum Petrum cæli clauigerum, eiusq; successores suos in terris vicarios cōmisit fidelibus salubriter dispēsandū: & proprijs & rationabilibus causis, nunc pro totali, nūc pro partiali remissione pœnæ tēporalis pro peccatis debitæ tam generaliter, q̄ specialiter prout cū Deo expedire cognoscerent: verè pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum. Vbi patet ꝙ non solùm rationabiles, sed proprias oportet esse causas quantitatis indulgentiarum.

QVAESTIO.

Num & quomodo, & quando pœnitentia sit necessaria pro consequenda indulgentia.

SECVNDA Quæstio est, an vera pœnitentia exigatur tēpore, quo indulgentia conceditur, aut opus exercetur, an extendatur ad tēpus aliud, quo quis vult illa indulgētia vti. Verbi gratia quo ad concessionem, dat papa quinq; annos de indulgētia omnibus præsentibus, quum infra missam in capella sua singulis diebus dominicis aduentus & quadragesimæ absolutionem facit, si teneor tunc esse verè pœnitens, an sufficiat ꝙ intendo verè pœnitere: & tunc, vt ista indulgentia quinq; annorum. Et similiter quo ad exercitium operis, dat papa ꝙ dicens septem Psalmos, vel dans tantam eleemosynam, habeat plenariā remissionem semel in vita & semel in mortis articulo, an teneatur esse verè pœnitens tempore quo dicit septē Psalmos, aut dat eleemosynam.

TERTIA Quæstio est, an oporteat esse cōfessum, ita ꝙ nullum sit in conscientia mortale peccatum cōmissum non confessum tempore, quo acquirit quis, & vtitur indulgentia, an sufficiat esse confessum secundum præceptū ecclesiæ: hoc est semel in anno. Et est ratio dubij: quia hinc apparet ꝙ verba iudicum sunt secundū iura interpretanda, ac per hoc ꝙ sint illo anno confessi. Inde verò apparet, ꝙ si non requireretur confessio alia, sufficeret dicere pœnitētibus: quoniam in vera pœnitentia clauditur propositum obseruandi præcepta Christi & ecclesiæ.

CAPVT V.

Soluuntur obiectiones in 3. cap. positæ, contra hoc, quòd dare indulgentiam, est actus iurisdictionis.

NON EST Autē difficile ad obiecta, primò contra assignatam diffinitionē respondere. Falsum nanq; est quod Durandus dicit, omnem iurisdictionis actū posse in inuitum exerceri, quū absolutio sacramentalis sit actus non solū ordinis, sed iurisdictionis (vtpote à nō proprio iudice ordinario vel delegato facta nulla existens) & tamen non potest exerceri in inuitum. Sed ꝙ nullus possit exercere actū iurisdictionis in seipsum absoluendo & ligando se, verū est: & propterea licet alij aliter sentiant, concedo ego, ꝙ dans indulgentiam alijs, non acquirit illam: quia absoluens alios, nō absoluit se. Nec tamen est deterioris cōditionis, quàm alij: quia & si non per istā viam: per aliam viam potest eandē indulgentiam consequi, scilicet cōmittēdo confessori suo: vt sic absoluat ipsum, sicut ipse absoluit alios: hoc enim modo Papa subijcit se absolutioni sacramentali, & similiter indulgētiæ eadē ratione. Archiepiscopi quoq; potestas super totam prouinciam, ex hoc ipso, ꝙ in quibusdam articulis affirmatur, manifestatur extendi ad dandas indulgentias in tota sua prouincia: quando quidē ille est vnus illorum articulorū, qui in iure numerantur: vt Panormitanus idem scripsit. Defunctos autē in purgatorio existentes, extra iurisdictionē ecclesiæ quidam negant: eo ꝙ sicut sunt medij inter nos & beatos (dum nos viatores sumus quo ad meritū, vel demeritum, & quo ad pœnam & præmiū, & beati extra viam totaliter sunt: qui purgantur autem quo ad meritum, vel demeritū extra viam, sed quo ad pœnam vel præmium in via (illuc sunt) ita sunt quodammodo subditi vicario Christi viatoribus dimisso: vt sicut quo ad punitionem adhuc sunt in via, ita quo ad relaxationē à pœna adhuc subsunt iudici viatorū. Sed hæc opinio multa vera dicens non infert efficaciter intentū: plus enim requiritur ad subditū iudici viatorū, q̄ adhuc participare aliquid de via: exigitur enim ꝙ possit causa sua quātum ad illud quod sapit viæ, cognosci à iudice viatorū: nullus enim potest esse iudex causæ omnino incognoscibilis ab ipso: constat autē à papæ cognitione omnino esse alienas causas existentiū in purgatorio: & ideo patet Papam non posse absoluere aut ligare existentes in purgatorio. Manifestatur quoq; hoc idē ex verbis Domini limitantis Petri potestatē super terram: ita ꝙ licet effectus potestatis Petri penetret cælos, dicente Domino, Erit ligatum aut solutū in cælis: iurisdictionis tamen actus terminatur ad hoc, vt sit super terrā dicente Domino, Quodcunq; solueris, aut ligaueris super terrā. Scriptura autem sacra mortuos non esse super terram vocat: vt patet Gen. 42. vbi de Ioseph tanq̄ de mortuo loquentes fratres & pater, introducuntur dicentes, ꝙ non est super. Purgatorium rursum non super, sed sub terra esse ex eo patet, ꝙ Christus descendit ad inferos: vbi erat limbus Patrum: neq; enim fas est credere ꝙ de purgatorio exeūtes animæ ante Christi mortē: & ad limbū Patrū euntes, ad inferos a superis descenderint: sed econtra ex inferno inferiori ad infernum superius ascenderent: quum etiam secundū Philosophos loca quantò superiora, tāto nobiliora sint. Quocirca non dat papa defunctis indulgentiam autoritatiuè absoluēdo, sed per modū suffragij. quod etiā ipsæ Apostolicę literæ attestantur, clarè apponentes istā clausulā, per modum suffragij, quum pro defunctis dantur indulgentiæ. Et potes videre ꝙ ex hoc ipso diuerso modo dādi indulgentiam viuis & defunctis, insinuatur intentum: nā ex eo ꝙ non audens ecclesia defunctis autoritatiuè remittere pœnas sicut viuis, suffragantis personam induit, concedendo defunctis indulgentiam, monstratur ꝙ indulgentia simpliciter & absolutè remissio est autoritatiuè ab ecclesia facta. Nisi enim esset autoritatiua remissio, ex applicatione ecclesiastici thesauri, nō oporteret ad suffragij modum descendere, quum ad defunctos extenditur: quibus ecclesia non nisi suffragari potest.

CAPVT VI.

Solutio obiectionum in tertio ca. contra hoc quòd indulgentia est absolutio.

AD EVIDENTIAM autē specificæ naturæ ipsius indulgentiæ oportet nosse duo concurrere ad indulgentiam, absolutionem à pœnitentia iniuncta & dispensationē spiritualis thesauri, applicando pœnam Christi & sanctorum ad hunc, cui datur indulgentia. Et primum quidem probatū est ex canone Alex. 3. secundum autē nō solum ex cōmuni Sanctorum doctrina, sed ex allata extrauagante Clementis sexti patet. Verum multum interest ad naturā indulgentiæ cognoscendam, an primum indulgentia sit absolutio, an dispensatio. Nam si indulgentia primò cōsistat in absolutione, dispensatio thesauri accessoriè concurrit ad indulgentiam: vt quia ecclesia non potest liberè relaxare debitam Deo pœnam pro peccato in illū cōmisso, ad hoc, vt remissio sua sit efficax: iungit absolutioni dispensationem pœnarum solutarū à Christo & Sanctis, applicando aliquid earū huic, & aliquid illi: vt sic & remissio fiat efficax ex adiūcta satisfactione Christi & Sanctorū pro istis quibus indulgentia datur, & Deo debita pro peccato pœna exoluta inueniatur. Si autē primùm indulgentia sit dispensatio prædicti thesauri, absolutio ab iniūcta pœnitentia accessoriè concurrit ad indulgentiam: ex eo nanque ꝙ applicatur mihi per indulgentiā tantum de pœna recōdita in thesauro, sequitur ꝙ sum absolutus ab æquiualenti pœna, q̄ debebam Deo pro peccatis meis exoluere. Quid autem horum verius sit, non ex ratione, sed ex facto pendet. nam rationi consentaneum est, ꝙ ecclesia vtroq; modo potest indulgentias facere: sed an de facto indulgētias altero tantum, & quo aut vtroq; modo faciat, scire oportet si indulgentiæ natura cognoscenda est. Apparet autē prima facie inspicientibus doctores & dictā extrauagantem Clementis, primū in indulgentia locū tenere, dispensationem ecclesiastici thesauri, & absolutionem accessoriè comitari. conferenti verò posteriores indulgentias priscis, apparet ecclesiam olim fuisse viam indulgentijs principaliter per modum absolutionis, quā necessario comitatur dispensatio thesauri: à tempore autem Bonifacij 8. primi autoris perennis Iubilæi viam fuisse principaliter indulgentijs distributione thesauri, & comitanter absolutione à pœnitentia: quoniam tanta abundantia indulgentiarum plenariarum quanta vix credi potest passim data: super hoc fundari videtur. Et secundum hoc diffinitio indulgentiæ collecta ex sacris canonibus, quam assignauimus, non est diffinitio indulgētiæ quę modo fit ab ecclesia Roma. sed illius quæ olim fiebat: quoniā sacri canō. loquuntur de indulgentia, quæ erat cōsueta in ecclesia, & nō de illa, quæ poterat inueniri de nouo. Sunt enim diuersarum rationū istæ & illæ quo ad naturas: q̄uis sint vnius & eiusdē rationis quo ad vltimum effectū, qui est remissio pœnæ tēporalis debitæ pro peccato. Et sic dicēdo cōcordia fieret inter noua & vetera. Sed hæc opinio ponens de facto indulgentias diuersarū rationum in ecclesia, dissonat ab vsu ecclesiæ & doctorū: nā Bonifacius ipse 8. indulgētiā Iubilæi inchoat ab indulgentijs magnis cōcessis à prioribus, manifestās per hoc se sectari vestigia prædecessorū. Romani quoq; ponti. in hodiernū vsq; diē indulgentias tot annorū adiunctis, tot quadragenis dando corā se in capella pontificia, testantur apertè se modo priscorum dare indulgētias: & apponendo semper explicitè clausulā illā scilicet in forma ecclesiæ cōsueta, nulli dubitationi relinquūt locū, ꝙ antiquā intēdunt sequi indulgētiæ formā, & non inducere indulgentiā alterius rationis. Doctores quoq; omnes siue theologi siue canonistæ quantum hactenus memini me vidisse, de indulgentia, vt de vna quadā ecclesiastica actione, & non vt de actionibus diuersarum rationū tractāt. Vnde vnius rationis de facto esse indulgentiā nūc & olim colligimus: & ipsam primò esse absolutionē comitatā applicatione thesauri ad hunc, cui datur indulgētia, & non econtra: hoc est ipsam esse applicationem thesauri ad hūc comitatā absolutione ipsius canon sepæ dictus Alexandri 3. monstrat & cōuincit. Nā si principaliter natura indulgētiæ consisteret in dispensatione & applicatione thesauri ecclesiastici ad hūc, posset episcopus Bono. indulgentiā concedere alieno: quoniā ad cōmunicandū alicui thesaurū non exigitur aliquis actus iurisdictionis super illū, sed sufficit autoritas super thesauri dispensatione: vt patet in dispensatione thesauri temporalis. Absolutio autē à pœna, per viā sequelæ comitaretur absq; aliquo alio actu iurisdictionis: quia iam exoluisset pœnam debitā, ex pœna Christi & sanctorū sibi cōmunicata, ac per hoc alienus, qui solū ad 40. dies pœnitētiæ teneretur, ab episcopo Bono. per indulgentiā 40. dierum sic absolueretur, ꝙ saltē coram Deo ad nullam pro peccato pœnā teneretur, cuius oppositū in canone habetur, dū dicitur, ꝙ alieno non prodest indulgētia nisi de consensu proprij iudicis. At si quis dixerit, ꝙ quia indulgentia liberat eum, cui datur pœna & corā Deo & corā proprio iudice, quia liberat ab iniuncta pœnitētia: & alienus episcopus licet cōmunicando pœnā thesauri non subdito pœnitentiam iniunctam pro illo exoluat corā Deo, nō tamē coram proprio iudice, & ideo remanet ille adhuc ad pœnitētiam iniunctā obligatus coram proprio iudice (sicut si sine indulgentia aliqua per alia opera satisfactoria totā pœnā exoluisset peccatis suis debitā, & pœnitentiam iniunctam à sacerdote non peregisset, remaneret obligatus in foro ecclesiæ ad pœnitentiam iniunctam peragendam) idcirco Alexander 3. dixit ꝙ indulgentia non subdito nō prodest, scilicet in foro ecclesiastico, in quo iura fiūt. Aduertat sic dicens ꝙ si indulgētiæ natura principaliter consistit in communicatione thesauri exoluentis pœnam coram Deo, & absolutio iudicialis comes ponitur, nō debebat consultus Alexāder rñdere negatiuam simpliciter & absolutè, dicendo ꝙ non prodest nisi de licētia proprij iudicis: ex quo oppositū verum est simpliciter & absolutè: quia vnaquæq; res simpliciter & absolutè iudicatur secūdum suam naturā, & non secundum concomitantia. Imò hæc ipsa responsio monstrat intentum: quia duobus concurrentibus ad indulgentiā (altero pertinente ad ecclesiā & Deum, scilicet dispensatione & cōmunicatione thesauri pœnam debitā exoluentis corā Deo: altero pertinente ad ecclesiam tantum, scilicet iniunctæ pœnitentiæ solutio in foro ecclesiæ) si indulgentia est principaliter & essentialiter illa thesauri cōmunicatio, debebat affirmari ꝙ prodest nō subditis, ex quo illam quo ad principale & essentiale consequuntur. Et quia negatum est illis prodesse, dicimus inde ꝙ indulgētia principaliter & essentialiter est absolutio, quam quia non subditus consequi nequit, ideo indulgentia ab alieno non sibi prodest tam quo ad Deū, q̄ quo ad ecclesiam. Et hic est planus sensus illius decretalis absq; extorsione aliqua vt patet intuenti. Est igitur indulgentia qua de facto olim visa est, & nunc vtitur ecclesia vnius rationis: & est principaliter ac essentialiter absolutio iudicialis in foro pœnitentiali, annexam habens cōmunionem thesauri passionum Christi & Sanctorū. Et confirmatur hoc ex forma plenariæ indulgentiæ, quando per viam cōmissionis fit. Conceditur siquidem ꝙ possit plenariè absolui in vita & in morte, constat enim ꝙ non est sermo de absolutione sacramentali, sed spectāte ad indulgentias: & constat ꝙ per modum & verbū absolutionis confertur. Et constat ꝙ eiusdem est rationis indulgentia collata sine ministro medio absoluente, cùm Papa dat indulgentiam præsentibus, aut visitātibus, &c. & quum per ministrum medium concedit quòd semel in vita, & semel in morte plenariè absoluatur. Tenet igitur absolutio primàm in indulgentiæ ratione locum.

AD OBIECTA Igitur ex communi doctrina fulta autoritate multorum Ro. pōtificum, dicitur ꝙ non contrariatur doctrina hæc assignatæ diffinitioni: quoniā non docet principaliter indulgentiā esse applicationē thesauri: sed docet vnde est valor & efficacia indulgētiæ ad remissionē pœnę Deo debitæ pro peccato, videlicet ex thesauri spiritualis dispensatione. Et ad hanc efficaciam spectat modus solutionis, cōpensationis, distributionis, com

Universidad de Deusto Biblioteca

munionis, dispẽsationis & similium, quum dicitur quòd indulgentiæ valent, aut dantur per modum dispensationis, & huiusmodi, & non spectant hæc ad principalẽ actũ indulgentiæ, qui est iudicialis in foro pœnitentiali absolutio: propter quem exigitur quòd indulgentia fiat à proprio iudice: & si est non à proprio iudice facta, nulla sit: vt ex sæpe dicti Alexãdri 3. canone patet. Nec suscipit canon ille obiectam prius expositionẽ, scilicet ꝙ indulgentia est distributio inter subditos: quoniam distributio arctata ad subditos vt partes communitatis, est actus iustitiæ distributiuæ, exigens æqualitatem proportionalem in sua forma: vt patet in 5. Ethi. quod alienum constat esse ab indulgentia ex ipso ecclesiæ vsu tam moderno, ꝙ̃ antiquo. Refutat quoque alteram dictus canon, deinde obiectam expositionem, scilicet ꝙ sat est illi, ꝙ indulgẽtia est absolutio causaliter: hoc est, ꝙ est dispensatio thesauri causans absolutionem: quoniã si sic esset, non esset opus proprio iudice ad consequendam remissionem pœnæ peccato debitæ ab alieno episcopo indulgentiam concedente, quando quidem absolutio per viam sequelæ comitaretur ex applicatione thesauri facta à potenti dispensare thesaurum. Dispensatio siquidem thesauri non exigit iurisdictionẽ super personis, quibus donatur, sed super thesauro: sat enim est personis illis, vt sint capaces cõmunionis illius, quæ quidem capacitas in proposito consistit in hoc, ꝙ homo sit verè pœnitens & confessus. Vrgétq; tantò magis canon iste, quantum creditur indulgentiam valere ad remittendas pœnitentias non iniunctas: constat enim ꝙ respectu non iniunctarum pœnitentiarum nullus requireretur proprij iudicis consensus, si indulgentia esset essentialiter communicatio thesauri. Communicato siquidẽ mihi ab alieno episcopo thesauro, coram Deo soluissem, & coram proprio iudice non remanerem ligatus: quippe qui non eram ab eo ligatus ad aliquam iniunctam pœnitentiam. Quia igitur hoc est falsum, restat vt indulgentia sit essentialiter absolutio: cui annectitur dispensatio ecclesiastici thesauri ad hoc, vt absolutio à pœna, sit efficax, non solùm quo ad ecclesiam, sed etiam corã Deo. Et si perspicaciter intuiti fuerimus ordinem manifestati vsus thesauri ad vsum indulgentiæ, videbimus ex eo intentum, scilicet ꝙ indulgentia est essentialiter absolutio. Nam quum viderent doctores ecclesiam absq; sacramentali medio remittere pœnas peccatis confessis debitas, nec ab ecclesia instructi essent quomodo huiusmodi remissionẽ valerẽt, supponentes ecclesiam absoluere à vinculo pœnitentiarũ, in varias inciderunt opiniones de efficacia huiusmodi remissionis, seu absolutionis: quibusdam nescientibus hunc ecclesiæ militantis thesaurum: opinantibus absolutiones has in foro tantum militantis ecclesiæ liberare à pœnitentijs, alijs non curantibus de hoc thesauro, putantibus ex potestate data Petro posse papã remittere liberaliter pœnas peccatis debitas, ita quòd nec hic, nec alibi oportet illas exoluere, alijs dicentibus, quòd absolutio seu (quod idẽ est) remissio efficaciam habet etiam coram Deo explicato thesauro passionis Christi & Sanctorum: quorũ dogma approbari meruit ab Apostolica sede. Hæc siquidem manifestant, quòd pro certo supponebatur ab omnibus essentia indulgẽtiæ ꝙ esset remissio, & ad inuestigãdũ ipsius efficaciam, tot concurrerunt opiniones multiplicatæ valde: quas nunc omitto, quia sat est proposito omnes conuenire in præsupposito genere indulgentiæ, scilicet quòd est absolutio seu remissio.

CAPVT VII.

Solutio obiectionum in 3. cap. contra hoc, quòd indulgentia respicit pœnitentiam iniunctam.

NON Parua præterea intelligentia opus est ad euidentiam habendam de pœnitentia, à qua absoluit indulgentia, dum sacri canones non nisi de iniuncta mentionem faciũt: doctores autem ad iniunctas & non iniunctas extendunt. Et licet doctorum opinio, quam etiam sequutum se dicit diuus Tho. magnifacienda sit: quia tamẽ huius rei veritas ex facto pendet, & in facto consistit, & sacri canones solùm de iniuncta faciunt mentionem, ideo tenendo certum, & dimittendo incertum, diffinita est indulgentia, quòd est absolutio à pœnitẽtia iniuncta. In concilio siquidem Laterañ. sub Inno. 3. determinatur potestas episcopalis circa indulgentias, & expressè post tempora indulgentiæ decreta, subiungitur, De iniunctis pœnitẽtijs indulta remissio non excedat, in ca. quum ex eo. de pœ. & re. Vbi secundum textum & omnes doctores episcopalis potestas dandi indulgentias, limitatur: quòd non esset verum, si indulgentia absolueret à non iniunctis. Nam si indulgentia liberat ab iniunctis & non iniunctis pœnitentijs, & episcopalis potestas est restricta solum quo ad iniunctas pœnitentias, consequens est, ꝙ respectu pœnitentiarum non iniunctarum non sit limitata episcopalis potestas: ꝙ contra textum esse constat, obuiantem expressè indiscretis indulgentijs simpliciter & absolutè: & contra doctores ex illo textu affirmantes limitatam esse episcoporum potestatem circa indulgentias absolutè. Quòd etiam patet in ca. nostro eo. ti. Vbi archiepiscopum dicit non posse excedere circa indulgentias statutum illius capituli. Nec potest responderi, quòd restricta potestate quo ad pœnitentias iniũctas, intelligitur & restricta quo ad non iniunctas: quoniã restrictio potestatis quo ad maiora, non infert restrictionẽ eiusdẽ quo ad minora, quamuis ecõtrario restrictio, quo ad minora, à fortiori restringat à maiori. Sed plus est remittere iniunctas, ꝙ̃ nõ iniunctas: tum propter vinculum duplex ibi, & simplum hic: tum propter forum ecclesiasticum ibi, qui non interuenit hic: igitur ex hoc, ꝙ limitata esset quo ad iniunctas, episcopalis potestas, non propterea limitata esset quo ad nõ iniunctas, si indulgentia respiceret iniunctas & non iniunctas.

Nec potest rursum dici, ꝙ quia pœnitentia iniũcta est principalis materia indulgentiæ, ideo prohibitio indulgẽtiæ de iniunctis infert prohibitionem etiam de nõ iniunctis, quia accessorium sequitur principale: & sic materia indulgentiæ principalis quidem, sed non sola est pœnitentia iniuncta. Nam hæc responsio nostrum infert intentũ: & ꝙ rectè diffinita est indulgentia per iniunctam pœnitentiam, (vtpote principalem materiam,) & ꝙ iniuncta pœnitentia sic est principalis materia indulgentiæ, vt ipsa principali materia subtracta subtrahatur accessoria: ac per hoc si indulgentiæ non substernitur iniuncta pœnitẽtia, intelligitur non substerni eidem pœnitentiam non iniunctam, quod esset voluntarium: quũ nullo canone, nulla ratione fultũ inueniatur, si indulgẽtia liberat ab vtraq; pœnitentia, quare non liberet ab vna sine altera. Est ergo iniuncta pœnitẽtia & principalis & sola materia indulgentiæ secundum sacros canones intellectæ. Seruauit quoq; ecclesia multo tempore hunc stylum, vt exprimeret in literis relaxationem ab iniunctis pœnitẽtijs: in tantũ vt Durandus cùm dixisset in 4. sen. ꝙ indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, subiunxit, Sonant autem ꝙ ab iniunctis pœnitentijs liberant. Quocirca quando non exprimitur, an ab iniuncta vel non iniuncta pœnitẽtia liberat, intelligitur de iniũcta: quia verba iudicis sunt intelligenda secundum formam iuris: in iure autẽ solum fit mentio de iniunctis: igitur de iniunctis tantum pœnitentijs intelligenda est indulgentia data simpliciter & absolutè. Expositio verò dicens, ꝙ ly ab iniunctis pœnitentijs intelligitur subintellecta cõiunctione etiam (ac si diceretur etiã ab iniunctis pœnitentijs) non est expositio, sed diuinatio: nam si liceret in textibus apponere, ly, etiã, infiniti textus subiecti essent diuinationi quandoq; etiam contra textũ: vt facilè patet discurrenti. Attestatur autem sic esse intelligendum, ratione ecclesiæ consuetudo in viridi obseruantia consistens: dum Ro. ponti. singulis diebus Dominicis & Quadragesimæ & Aduentus, dat omnibus præsentibus quinq; vel septem annos & totidem quadragenas de vera indulgẽtia. Exprimendo siquidem tot annos, & totidem quadragenas, manifestat se loqui vt canones pœnitentiales loquuntur, taxantes pœnitentias per annos & quadragenas. Cũq; de illis taxatis per sacros canones annis & quadragenis liberat illos, proculdubio qui ad illos & illas sunt obligati, monstrat ab iniunctis pœnitentijs tantummodo indulgentias datas liberare. Accedit ad hoc, ꝙ communis forma indulgentiarum fit per tẽpora: puta dies, quadragenas, annum vel annos: quia sic taxatæ sunt pœnitentiæ in sacris canonibus. Nec obstat quando fit plenaria indulgentia: quoniam plenitudo etiã plenissima non mutat substantiam, sed auget quantitatẽ ipsius substantiæ: vt patet. Et propterea si pœnitentia, à qua liberat, indulgentia, est substantialiter pœnitentia iniuncta, quantumcunq; indulgentia sit plenissima, nõ liberat nisi ab iniuncta. Et aliæ quidem liberant ab iniuncta vnius anni, vel tot annorum, aut dierũ: plenissima autẽ liberat à tota

à tota iniuncta, sicut si per quotã data indulgentia est (puta remissionem tertiæ partis) liberat à tertia parte iniunctæ pœnitentiæ. Et si quæratur, an intelligatur hic de pœnitentia iniuncta tam à iudice, ꝙ̃ à iure, an de iniuncta tantum à iudice, respondetur ꝙ quum à iure nulli sit pœnitentia iniuncta, sed taxata iniungenda, ideo dicẽdo ꝙ liberat solùm ab iniuncta, soluta est quæstio. Et probatur ꝙ dicitur, quia ad pœnitentiam iniunctam ille, cui iniuncta est, tenetur: nullus autem tenetur ad pœnitentias taxatas in canonibus pœnitentialibus, nisi sibi specialiter imponantur: igitur pœnitẽtiæ illę non sunt iniunctæ. Sed ecclesia sicut præsupponit homines egere remissione pœnarum debitarũ pro suis peccatis, ita præsupponit verè pœnitentibus & confessis iniunctas esse pœnitentias secũdũ sacros canones, pensata tamen qualitate personarum & alijs meritò pensandis, & supponẽs illos esse obnoxios iniunctis pœnitentijs, dat illis indulgentiam seu remissionẽ iuxta formam canonũ pœnitentialium. Quocirca multum verisimile ac rationi consentaneum est, vt ortum habuerit indulgentia à pœnitentium vinculis, quibus olim alligabantur à confessoribus iuxta canones pœnitẽtiales: hinc enim perseuerat vsq; hodie, vt dictum est, indulgẽtia tot annorum & tot quadragenarum: hinc indulgẽtia absolutio est, quam à proprio iudice fieri iura testantur: hinc emanauit opinio illa, ꝙ̃uis falsa, ꝙ indulgentiæ solùm valent quo ad forum ecclesiæ militantis: hinc omniũ est consonantia canonum. Cum his tamen scito, ꝙ licet indulgentiæ tam pro viuis ꝙ̃ defunctis sic sint secundum iura interpretandæ: quum non sint melioris conditionis defuncti, ꝙ̃ viui quo ad cõsequendas indulgentias (imò sint deterioris, quia ad eos non perueniunt nisi per suffragia) si tamen Papa daret alio modo indulgentiam, scilicet nõ solùm ab iniunctis, sed etiã à quomodolibet debitis pœnis pro peccatis, dicendum secus esset: potest enim absoluere à pœna debita licet nõ iniuncta, dummodo culpa remissa sit. Vtrum autem hactenus pontifices sic dederint indulgẽtiam, nescio. Si enim verum est, ꝙ Petrus de Pal. refert (quod etiam Ioannes Monachus in extrauaganti Bonifacij 8. de Iubilæo expositione refert) non ex litera, sed ex intentione papæ illius, scilicet Bonifacij 8. habetur, ꝙ nõ solum ab iniuncta, sed iniungenda intendebat liberare per illam indulgentiam plenissimam. Sed vereor, ne Bonifacius nõ vt põtifex, sed vt doctor & illius opinionis sectator, illa dixerit verba. Nec inconuenit ipsum vt doctorem minus bene dixisse: quum etiam dixisse referatur ab eodẽ ibidem, ꝙ indulgentia illa liberabat etiam à votis: quod constat non nisi extortè posse bene intelligi, perspecta illa Iubilæi extrauagante. Quocirca propter huiusmodi, quæ ex literis non constant apostolicis, non est recedendum à iuris tramite recto, quo confessor iniungere debet pœnitentiam, etiam si ipsemet vt minister indulgentiæ statim absoluturus sit eundem pœnitentem plenariè à pœna.

¶ Ad id verò, quod ex forma plenariæ absolutionis obijcitur, dicitur ꝙ de autoritate talis formæ quicquid sit, potes dupliciter exponi. Primò, vt intelligatur edita secũdũ opinionem illam valde, vt videtur, communem, scilicet ꝙ indulgentia liberat ab iniunctis & non iniunctis pœnis. Nec mirum alicui videatur si ecclesiæ ministri in formis huiusmodi vtantur opinatis: quum in præfatione cõmuni vtatur ecclesia opinione dicentium cælos esse animatos, dum inter creaturas intellectuales cælos inserit dicens, Maiestatem tuam laudant Angeli, adorántq; dominationes, tremunt potestates, cæli, cælorúmq; virtutes, ac beata Seraphim. Et quòd cum formidine aliqua vtantur ecclesiæ ministri opinione illa in hac forma, insinuatur ex eo, ꝙ ibi opponitur, quantum se extendunt claues ecclesiæ: titubantis enim sunt verba hæc. Secundò, ꝙ intelligatur ex meritis indulgentiæ: ita ꝙ restitutio ad puritatem baptismalem non intelligitur fieri simpliciter, & absolutè, sed quantum est ex parte indulgentiæ. Præsumit enim ecclesia arbitratas ac iniunctas esse verè pœnitentibus & confessis condignas pœnitentias: ac per hoc absoluendo ab iniunctis pręsupponit se absoluere ab omnibus pœnis illi debitis, & consequenter restituere innocentiæ baptismali. Et hoc sic esse intelligendũ attestatur: quia proculdubiò præsupponit in hac forma ecclesia pœnitẽtem esse contritum de omnibus venialibus: alioquin restitutio ad puritatem baptismalẽ locum non haberet. Et quia vtraq; præsumptio est facti, & tenet se ex parte pœnitentis: ideo forma illa efficax quantũ ex parte est indulgentiæ, si fiat in patiente bene disposito per iniunctas pœnitentias, efficax simpliciter & absolutè inuenitur. Et ab affectu suo deficere potest, si de facto pœnitens non requisita omnia ad hoc, vt absolutio ab omnibus iniunctis, sit absolutio ab oĩbus simpliciter debitis pro peccatis pœnis habeat: quod tunc accidit, quando non est per susceptas cõdignas pœnitentias dispositus. Quæ indispositio pœnitentibus meritò imputatur: quia ob cõmunem pœnitentiũ imperfectionem, condignæ non dantur secundũ sacros canones pœnitentiæ. Nec debent pœnitentes ex imperfectione sua reportare commodum indulgentiarum: vt scilicet valeãt eis ac si iniunctas, suscepissent condignas pœnitentias: nõ enim debent æquiparari illis, qui condignas acceptarũt secundum sacros canones pœnitentias: quorũ miserta mater ecclesia indulgentiæ leuamem illis contulit. Et meritò: quia iam sponte susceperant peragẽdas hic cõdignas pœnitentias: quod constat non amplecti à modernis pœnitẽtibus, quibus pro multis & magnis peccatis exigua pœnitentia sufficit. Consonat autẽ hæc doctrina ecclesiæ Romanæ consuetudini: quum in illa viua voce, Indulgentiæ cõcedantur apposita semper clausula ista, videlicet in forma ecclesiæ consueta: constat enim ꝙ forma ecclesiæ non potest melius interpretari ꝙ̃ forma ecclesiastici iuris: secũdum quam clausula hæc non solùm denotat ly, verè pœnitentibus & confessis, sed etiã ly, ab iniũctis pœnitẽtijs. Et cõfirmatur: quia cõsentaneũ rationi est, vt iudex ecclesiasticus iudicet non nisi de delatis ad suũ iudiciũ, & non de relictis ab eodẽ se impediat, illa enim quæ ad ecclesiasticum forũ non sunt delata (qualia sunt peccata nõ cõfessa) rationabiliter ab ecclesiastici iudicis absolutione aliena sunt: vt sicut nõ ligat nisi pro cognitis in foro ecclesiæ: ita non absoluit nisi à cognitis in eodem. Oblata præterea ad forum ecclesiasticum per confessionem, & à iudice minori pœnitentia punita, tanquã derelicta quo ad reliquam partem pœnitẽtiæ in foro ecclesiastico videtur, præsumit enim ecclesia confessores ritè arbitratos iudicasse pœnitentes esse sibi ipsis relinquẽdos, quo ad reliquum satisfactionis, ac per hoc ecclesiastica censura pœnitentialis fori non se amplius impedit de illis. Quo fit, vt sicut ad ecclesiasticum iudicium nõ redit reliqua satisfactio quo ad vinculum, ita non redeat quo ad absolutionem: vt pari ligandi soluendíque ritus passu currat. Ab iniuncta igitur tantummodo pœnitentia ecclesiastica indulgentia de iure cõmuni liberat tam viuos, quam defunctos: idem est enim quòd per indulgentiam viuis & defunctis datur: licet modus dandi sit diuersus, vt patet ex dictis. Et sic valet quantum sonat sanæ intellecta secundum formam iuris: vnde nulla fraus ab ecclesię ministris in his cõmittitur si aliter quam secundum iura intelligant multi indulgentias, & sic illis vtantur, & consequi se illas credant: nulli siquidem noxiam opinionem permittere quid nocet? At si dixerit quispiam, cùm hodie non iniungantur frequenter pœnitentię indigẽtes tanto tẽpore, vanus erit accessus ad indulgentias: rñdetur ꝙ propterea non est vanus: quia per indulgentias relaxãtur pœnitentiæ iniunctæ: quæ sunt factę in peccato mortali: quæ etsi in foro ecclesiæ exolutæ erant nõ tamen in foro Dei: & propterea per indulgẽtias remittuntur, vtpote iniunctæ, & nõ adhuc, Deo exolutæ. Doctrina igitur dicentium indulgentiam ad iniũctas & non iniunctas pœnitentias se extendere, vera est quãtum est ex efficacia populi conuenire indulgentiæ: nos autem dicentes indulgentiam remittere pœnitentias iniunctas tantum, verum quoque dicimus de indulgentia secundum iuris formam concessa.

Ab iniunctis tantum pœnitentijs liberat indulgẽtia tam defunctos, quã viuos.

CAPVT VIII.

Responsio ad quæstionem de indulgentiæ causa, primò propositam in cap. quarto.

AD DIFFICILIMAM Autẽ quæst. de causa indulgentiæ propositam, respondere quamuis temerarium forsan censebitur, dicendum tamen est ratione duce quid sentiendum est de illa: oportet enim & ecclesiæ prædicationẽ saluare, vt vera est, & fideles pascere pane intellectus. Dicendum est igitur ad quæstionem, ꝙ non quæcunq; causa sufficit ad indulgentiã dandam, sufficit etiam ad quantamcunq; indulgentiam dandã: ac per hoc indulgẽtia data sine legitima causa ad dandã tantã indulgentiã non valet quo ad quantitatẽ, in qua excedũtur limites legitimę causæ. Probatur hoc multipliciter. Primò autoritate cõcilij Latera. sub Inn. 3. vt enim habetur extra de pœ. & re. ca. cũ ex eo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

per indiscretas & superfluas indulgentias eneruatur pœnitentialis satisfactio. Ex hoc enim habeo, q̃ indulgentiæ indiscretæ & superfluæ non adimplent satisfactionẽ pœnitentialem, sed eneruant: nisi quis adeò desipiat, vt idem putet adimplere & eneruare, quæ cõstat esse contraria. Et quum constet, q̃ proprius fructus indulgentiæ est adimpletio satisfactionis pœnitentialis: consequens necessariò est, vt per indiscretas superfluásque indulgentias, (quæ proculdubiò sunt illæ quæ ex quacunque pia causa fiunt magnæ valde, non consequatur pœnitẽtialem satisfactionem à nobis debitam, adimpletam esse pro nobis à Christo & Sanctis: nã si per indiscretas huiusmodi indulgentias hoc consequeremur, non eneruaretur: sed adimpleretur pœnitentialis satisfactio. Sed dũ indiscretè huiusmodi indulgentiæ infructuosæ sunt secundũ veritatem ad satisfactionem pœnitentialẽ adimplendã, & pœnitentes putando sibi eas prodesse, omittunt satisfactionem pœnitentialem, eneruatur in veritate pœnitentialis satisfactio: vt sacer canon dicit. Probatur idem secundò autoritate Cle. 6. in dicta extrauagante, vnigenitus. quoniam dicit): Et proprijs & rationabilibus causis nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ tẽporalis, &c. vt allegatũ est in c. 4. Si enim non solũ rationabiles, sed propriæ sunt causæ nunc totalis, nũc partialis remissionis, sequitur manifestè q̃ non sunt cõmunes omnes causæ indulgentiæ ad totalem & partialẽ remissionẽ, sed aliqua pia causa est propria & rationabilis causa partialis remissionis, quę nõ est totalis: alioquin nõ esset causa propria remissionis partialis, sed cõmunis partiali & totali: cuius oppositum literæ apostolicæ sonant. Probatur tertiò ratione idẽ. Legitima causa in indulgentijs requiritur secundũ omnes ad saluãdam intentionẽ Christi & Sanctorũ: vt scilicet applicentur cõsequentibus indulgentiã passiones Christi ac Sanctorũ: ac si pro istis ex intentione specialiter illas sustinuissent: sed intentio Christi & Sanctorũ nõ saluatur ex quacunq; pia causa quo ad quantãcunq; quantitatẽ: ergo nõ quæcunq; pia causa sufficit ad quantãcunq; indulgentiã. Probatur minor: quia intentio Christi fuit pati pro ecclesia in communi: est enim passio Christi causa vniuersalis: intentio quoq; Sanctorũ fuit pati pro ecclesia propriã expiationem pro ecclesia. Est enim eiusdẽ rationis quo ad hoc, q̃ est esse cõmunem, passio Sanctorũ cum passione Christi: quia passio Sanctorũ est consummatio passionũ Christi: testãte hoc Apostolo ad Colo. 1. dicẽte, Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est ecclesia. Ex hoc quippe loco sumptus est thesaurus ecclesię quo ad passiones Christi & Sãctorũ ab Aug. super Psal. 61. dicente ex hoc loco: Tantum ergo pateris, quantum ex passionibus eius inserendum erat vniuersæ passioni Christi: ad cõmunem hanc quasi remp. quisque pro modulo nostro exoluimus quod debemus, & pro posse viriũ nostrarũ quasi canonẽ passionũ inferimus: paritoria plena passionũ non erit, nisi quũ seculum finitum fuerit. Quãuis quo ad passionẽ Christi ex infinitate personæ patiẽtis sumi probetur, & ex autoritate Io. in 2. c. primæ suæ cano. dicẽtis: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autẽ pro nostris tantũ, sed etiã pro totius mũdi: constat enim q̃ propitiatio pro peccatis totius mũdi excedit omnes pœnas debitas à cõsequentibus indulgẽtias. Ex quibus haberi facile potest, intentionẽ Christi & Sanctorum quo ad pœnas in thesauro recõditas esse, sicut bonum cõmune ecclesiæ: ac per hoc q̃ currãt cursu boni cõmunis, constat autẽ q̃ bonũ cõmune dispensandũ suaptè natura est: dispẽsatio verò, sicut aduersatur donationi ad libitũ, ita cõtrariatur incõsuratæ distributioni: dispẽsationis siquidẽ rationẽ absq; mensura intelligere nequeo. Est igitur intentio Christi & Sanctorũ, vt passiones suæ non pro libito applicentur huic, vel illi sed iuxta mensurã opportunã ad finẽ ecclesiæ dispensentur huic vel illi: sicut in reliquis cõmunitatibus cõmuniũ bonorũ dispẽsatio ex mẽsurã opportunorũ ad bonũ, quod est finis illius cõmunitatis, sumitur. Constat autẽ manifestè, q̃ nec omne opportunũ ad bonũ ecclesiæ est æquale, nec ecclesiæ finis exigit æqualiter quodcũq; opportunũ etiã vnũ & idẽ diuersis temporibus, vt patet, nisi igitur iuxta mensuram opportunitatis seu opportunorum ad ecclesiæ bonum applicentur passiones in thesauro ecclesiæ reconditæ, non saluatur intentio Christi & Sanctorum. Et si adiunxeris, quòd variæ mensuræ opportunorum ad ecclesiæ bonum non omnis pia causa respondet, perspecies quòd nõ quælibet pia causa sufficit ad quantamcunque indulgentiam. Et cõfirmatur: quia dispẽsatio credita Petro, & successoribus imitari debet dispensationem factã ab ipso Christo: omnis enim Christi actio, nostra est instructio, imò sic agẽdo formã instituit nostrarũ actionũ. Cõstat autẽ, q̃ Christus eundẽ thesaurũ dispẽsat cõmensuratè iuxta cõcurrẽtes conditiones causarũ mediarũ: vt patet ex differẽti dispẽsatione eiusdẽ per sacramẽtũ Baptismi, quo tota pœna exoluitur, & per sacramẽtũ pœnitẽtiæ, quo nõ tota pœna soluitur: ergo ipsius vicariò cõmẽsuratã quoq; applicationẽ dicti thesauri credità esse, rationabile est. Et est tantò probabilior hæc ratio, quantò actio sacramentalis eminentior & efficacior causa media est, quàm actio iurisdictionalis, qua datur indulgentia. Et confirmatur rursus: quia constat prælatos omnes ecclesiæ non nisi ministros & dispensatores esse: tota igitur eorum potestas supra thesaurum ecclesiæ infra limites dispẽsatiuæ potentiæ clauditur. Ex quibus habemus, q̃ non saluatur intentio Christi & Sanctorũ in applicatione thesauri sui, nisi dispensando applicentur passiones in illo reconditæ huic vel illi.

AD OBIECTA Autem in oppositum, dicimus quòd inter duas extremas opiniones incedimus medij. Putantes enim efficaciam indulgentiæ quantificari secundum causam indulgentiæ extremi sunt, contra quos diuus Tho. procesit: quia causa indulgẽtiæ non est propria causa remissionis pœnæ, quæ est fructus indulgentiæ: sed propria causa remissionis pœnæ est passio Christi & Sanctorum applicata huic. Existimantes autem omnem legitimam causam indulgentiæ esse legitimã causam quãtæcũq; indulgẽtiæ, extremi quoq; sunt, cõtra quos procedimus. Media autem via est opinari, q̃ cãm indulgẽtiæ oportet esse legitimã cãm tãtæ dispẽsationis: ita q̃ cã indulgẽtiæ, quæ nõ est propria cã remissionis pœnæ, ideo nõ quãtificat illã: & quia est propria causa dispẽsatiõis, ideo quãtificat dispẽsationẽ: quãtitas enim effectus propriã cãm cõsequitur. Quòd autẽ cã indulgentiæ sit propria cã dispẽsationis, ex hoc patet, q̃ actus applicãdi indulgẽtiã, carẽs legitima cã indulgẽtiæ, nõ est dispẽsatio. & secũdũ cõmunẽ doctorũ doctrinã nõ est indulgẽtia. Quia igitur cõcurrẽtibus reliquis ad indulgẽtiã requisitis, sola legitima cã deficiẽte actio dãdi indulgẽtiã nõ est dispẽsatio: habemus, q̃ cã legitima constituit actũ dandi indulgẽtiã, in hoc quod est esse dispẽsationẽ. Et si subiungeris, vt iã dictũ est, q̃ propria cã quãtificat effectũ, apparebit q̃ sicut dispẽsationem oportet causari à causa legitima, ita tãtã dispẽsationẽ oportet ex causa legitima tantæ dispẽsationis procedere: alioquin dispẽsatio ipsa depẽderet ex cã propria legitima, & quãtitas dispẽsationis nõ dependeret ex propria cã legitima ipsius quãtitatis. Quod secũdum Philosophiæ processus mõstrũ esset: quoniã in reliquis magnitudo effectus magnitudini causæ illius, rei rũdet: magnus enim calor ex magnitudine calefacientis procedit, & sic de alijs. Nõ dicimus ergo q̃ remissio pœnæ attendatur penes quãtitatẽ causæ pro qua fit indulgentia: sed dicimus, q̃ actus dãdi indulgẽtiam oportet q̃ habeat cãm insufficiẽtẽ ad hoc, q̃ tãta applicatio passionũ Christi & Sãctorũ ad hos nũc, &c. sit verè dispẽsatio earundẽ. Et quia dispensatio habet, vt propriam causam, bonum ecclesiæ seu pietatem, dicimus consequenter, quòd non quodlibet ecclesiæ bonum seu non quæcunque pietas sufficit ad minorem dispensationem, sufficiat etiam ad quantumcunque maiorem: sed quantitas dispensationis consequitur suaptè natura magnitudinem suæ causæ. Magnitudinem autem causæ dico non secundum se, hoc est non secundum quantitatem, quam in se habet, sed secundum relationem ad ecclesiæ bonum, nam idem labor, eadem eleemosyna, eadem deuotio, & huiusmodi est, quandoque vt parua ratio indulgentiæ, & quandoque vt maxima ratio indulgentiæ. Et ideo quandoque ex causa eadem secundum se datur indulgentia parua & quãdoque maxima: & apparet quòd sit eadem causa totaliter, & non est eadem in veritate. sed secundum se: est enim relata valde maior seipsa absolutè.

¶ Verbi gratia, visitatio ecclesiæ sancti Petri æqualis est secundũ se hodiè, & in anno Iubilæi, sed non est æqualis relata ad bonum ecclesiæ: quoniã relata ad professionem vnitatis ecclesiæ sub vno capite Petri successore (ad quod in anno Iubilęi refertur ab vniuerso orbe terrarũ) est immensa causa indulgẽtiæ. Et similiter manere in plateæ sanc-

sancti Petri in die Pasche pro benedictione, non est absolutè ratio magna indulgentiæ: sed quod proficeamur vnitatem ecclesiasticam sub vno capite, & viuam conseruemus autoritatem vniuersalem & plenissimam Ro. pontificis: immensa est ratio indulgentiæ, & sic de alijs. Et ideo non est mirũ, si ex eadẽ ex se causa, nunc maior, nunc minor fit indulgentia. Quãuis etiã hæc varietas possit aliũde prouenire: ex hoc, scilicet quòd causa legitima tantæ dispensationis non intelligitur ad modum puncti indiuisibilis, sed in latitudine quadam cõsistit: infra quam etiam si indiscretè prælatus indulgentiam det, ac propterea peccet, valet tamen. Ac per hoc habes quomodo verificare potes obiecta ex autoritate doctorum & Ro. ecclesiæ.

¶ Ad id verò quod obijcitur ex autoritate veritatis ecclesiæ (putà scilicet non valerent, vt sonant) dicitur quòd quia causa indulgentiæ fortitur magnitudinem ex relatione: & relationes hujusmodi discutere ac pensare nõ est cuiusque, sed dantis indulgentiam: ideo ecclesia rationabiliter presumit pro dante indulgentiam, vt pote iudice. Præsumitur enim de iure pro iudice semper, nisi manifestè appareat error, & supponẽs ex causa legitima datam tantam indulgentiam, veritatem prædicat: sicut absque falsitate prædicat talem sanctum. supponens illum rite canonizatum. Ita quòd dato, quòd iste canonizatus non esset sanctus, sed damnatus, ecclesiæ doctrina aut prædicatio non esset mẽdax aut falsa: quia hæc non pertinentia ad fidem, non intelliguntur affirmari & prædicari nisi cum grano salis, hoc est stantibus communiter præsumptis. Præsumit enim ecclesia canonizationem ritè factã, & similiter indulgentiam rite datã: & sic prędicat indulgentias valere quantum sonant. Sed sicut potest interuenire error humanus in canonizatione alicuius Sancti (vt san. Tho. dicit) ita potest interuenire error humanus in collatione indulgentiæ. Si quis autem putet R. pontif. non posse errare in istis particularibus actiõibus (quales sunt dispensationes bonorum, tam temporalium quam spiritualium ecclesiæ) putet quoque ipsum non esse hominem. Verum quia nulla fortè est tam parua secundum se pia causa, quæ nõ possit esse maxima ex aliqua relatione: ideo noli velle iudicare an ista, vel illa causa posita in indulgentia sit sufficiens, si non vis errare. Habes autem ex his duo. Primum, quomodo intelligenda sit indulgentia, si fiat principaliter per modum dispensationis, cõmunionis aut applicationis thesauri ecclesiastici: quoniam hæc dicta ad huiusmodi communicationem spectant. Deinde quare mentibus nonnullorum fidelium insita sit ambiguitas nonnulla de effectu indulgentiarum: quia enim latet eos rationabilitas causæ tantæ indulgentiæ, ideo scrupulum incurrunt, & admirari non desinũt quomodo verum sit, quòd pro tam paruo actu consequatur quis tam magnam indulgentiam.

CAPVT IX.

Responsio ad secundam quæstionem de tempore veræ pœnitentiæ propositam in quarto cap.

SECVNDA Quæstio in 4. capi. proposita de tempore veræ pœnitentiæ, facilè soluitur, dicendo quòd tempus veræ pœnitentiæ proculdubio est tempus vsus indulgentiæ. Oportet enim quando quis vtitur indulgẽtia, tunc esse verè pœnitentem: alioquin non reciperet remissionem pœnæ peccato debitæ. Sed quum sint in proposito tria tempora, scilicet concessionis, operis & vsus) quæ patet diuersa esse quum papa dat danti eleemosynam eadem, vt semel in vita & semel in morte possit plenariè absolui: tunc enim hodie concessio fit, & opus eleemosynæ fit cras, & absolutionis plenariæ vsus fiet fortè hinc ad annum, constat, quòd hæc tempora concurrunt quandoque simul, vt quum pro actu præsenti datur indulgentia absolutè, vt quum datur indulgentia omnibus hîc præsentibus. Et tunc quæstio non habet locum: nam non est in potestate suscipientis indulgentiam differre vsum illius, quum absolutè datur pro actu præsenti: quia intelligitur dari tunc pro tunc, vt sonant verba. Et similiter dicunt aliqui de tẽpore operis. quando diuersum est à tempore vsus eadem ratione: quia scilicet non absolutè tũc à pœna. Sed salua eorum reuerẽtia oppositum est verum. Tum quia consueta forma ecclesiæ quæ semper in indulgentijs subintelligitur (etiam si non exprimatur) continet expresse, q̃ opus fiat à verè pœnitentibus: ait enim omnibus igitur verè pœnitentibus & cõfessis, qui visitauerint vel dederint, vel iuerint. Vbi clarè patet opus præsupponere verè pœnitentẽ. Tum quia causa indulgentiæ ex hoc ipso, quòd est ratio communionis passionum Christi & Sanctorum cum membris viuis. oportet quòd sit infra latitudinem operum viuorum: quæ enim est conuentio tenebrarum ad lucem, aut mortis ad vitam? constat autem quòd opus factum à verè pœnitente est opus mortuum: non potest ergo esse legitima causa indulgentiæ: quã constat consistere in communione viuali Christi & membrorum, non aridorum, sed viuorum. Vnde si datur indulgẽtia alicui, quòd dicendo septem Psalmos, vel visitãdo tot ecclesias, vel faciendo tale opus pium etiam si sit eleemosyna, nisi fiat in statu charitatis, nõ acquiritur apud Deũ indulgentia. Nam licet tunc non fiat remissio semper (puta quum absolutio futura est) fit tamen tunc meritum remissionis quamuis mediatæ, hoc est mediante applicatione passionum Christi & Sanctorum. Adimpletio enim causæ indulgentiæ est meritum communionis remissiuæ, ita quòd nihil aliud exigitur ad remissionẽ nisi mera executio: debetur enim adimplenti causam indulgentiæ communio remissiua pœnæ. Constat autẽ quòd meritum remissionis pœnæ peccato debitæ est opus viuum: Oportet ergo vere pœnitentem esse consequutum indulgentiam non solùm tempore vsus, sed etiam tempore operis, quod est causa indulgentiæ: vt ipsa indulgentiæ verba sonant

CAPVT X.

Responsio ad tertiam quæstionem in cap. quarto propositam de tempore confessionis.

TERTIA Quæstio circa indulgentias proposita de tempore cõfessionis, à multis soluitur dicendo, quòd sufficit confessum esse illo anno: quia sic intelligitur cõfessus secũdum præceptum ecclesiæ. Et licet hæc solutio rationabilis multùm appareat propter dictam rationem, quia verba iuris non sunt intelligenda secundum formam iuris: duo tamen sibi obstant. Primo: quia si ista ratio esset in proposito efficax, quum in forma, indulgentiæ continentur duæ conditiones simul: scilicet pœnitentiæ & confessionis, si tempus confessionis intelligitur secundum formam iuris, tempus quoque pœnitentiæ intelligendum est secundum formam iuris. Constat enim præceptum pœnitentiæ sicut & confessionis affirmatiuũ esse, & non obligare, necessitatis articulo excepto, nisi pro loco & tempore: & ecclesiã iam determinasse tẽpus vtriusque ad semel in anno. Non obligatur igitur ex forma indulgentiæ volens particeps illius fieri ad veram tunc pœnitentiam, si non obligatur tunc ad confessionem. Secundum quod magis vrget, est: quia si intelligitur confessus secundum formam iuris, vel quod idem est, secũdum præceptum ecclesiæ, sequitur vnum maxime absurdum: hoc est, quòd indulgentiæ non dantur nisi confessis, singulis annis: quia soli isti sunt confessi secundum formam iuris, & soli isti sunt confessi secundum præceptum ecclesiæ, vt patet. Et consequenter quicunque aliquo vno anno quantumcunque præterito violasset præceptum ecclesiæ de confessione annua, non comprehenderetur sub capitibus indulgentiæ datæ: constat enim hoc esse contra communem animi conceptionem omnium & sapiẽtum & fidelium. Quia igitur solutio ista, vbi credidit extendere indulgentiam, restrinxit multum illam si rationabiliter & consequenter loqui debet, ideò cum bona tantorum doctorum venia omittenda est. Et dicendum est cum ipsis indulgentiæ verbis, & antiquiore, vt apparet, mihi doctrina, quòd tempus veræ pœnitentiæ, & tẽpus confessionis est vnum & idem ad capessendam indulgentiam, quamuis diuersa ratione necessarium: quia vera pœnitentia exigitur ex diuino & humano simul iure, confessio autem exigitur ex humana tantũ autoritate: quia scilicet statuta est sic indulgentiæ forma ab ecclesia, vnde Papa dare posset indulgentiam absque actuali confessione. Dicere autem quòd forma indulgentiæ intelligitur de confessis non secundum formam iuris aut præceptum ecclesiæ simpliciter & absolutè, sed anno illo, voluntarium est, quia nec ex forma iuris, nec ex forma iudicis, nec ex ratione hoc emanat. Nec surda pertranseundi sunt aure, detrahentes huic quamuis exiguæ vigiliæ, vanitatis eam accusantes, eo quòd cras existimantes quęsum pietatem, apostolicas pulsabũt aures, & indulgẽtias ad non iniun-

Universidad de Deusto Biblioteca

ctas extendi pœnitentias, cõfessísq; anno illo modo verè pœnitentes sint conferri obtinebũt. Audiant hi primũ nõ frustra fuisse tantillũ laborẽ, si occasionẽ tanti fructus Christiano populo cõtulerit: neque enim ea scripsimus rõne, vt alios dirigeremus, sed inter certa ambiguáq; discernere sat fuerit. Percipiant deinde, pias deuotásq; fidelium mentes, hinc potius excitandas ad petendas condignas secundũ sacros canones à confessoribus pœnitentias, vt vel indulgentiæ gratia ex passione Christi & Sanctorum soluant Deo pœnitentias, quas prompto animo à seipsis peragendas postulauerũt, atque susceperunt. Redirent sic quidem hoc pacto aurea pœnitentium patrum secula.

¶ Et hæc de indulgentijs dicta secundum proprij ingenioli vires saluo omnium melius sentientium iudicio sufficiant. Romæ anno salutis. 1517. pontificatus S.D.N. Leonis X. quinto ætatis verò meæ 48. die 8. Decẽbris.

Thome de vio Caietani, Cardinalis Sancti Xisti vigintiseptem quæstionum opusculum.

TRACTATVS DECIMVS *sextus De Indulgentijs in sex quæstiones diuisus.*

1 *Nũ indulgẽtiæ fiant de Thesauro meritorũ Christi & sanctorũ.*
2 *Num dare operam ad consequendas indulgentias sit imperfectionis.*
3 *Num occurrenti pauperi negans eleemosinam, quam tamen dat pro indulgentia consequenda peccat.*
4 *Num indulgentia absoluendo ab iniunctis pœnitentijs absoluat à pœna debita peccatis apud diuinam institiam.*
5 *Num indulgentijs liberentur iuncti à penis purgatorij.*
6 *Nũ Papa autoritate clauiũ det indulgentiã animabus in purgatorio.*

QVAESTIO I.
De thesauro indulgentiarum.

VTRVM Indulgentiæ ecclesiæ fiant de thesauro meritorum Christi & Sanctorum. Et videtur q; non. Primò, quia indulgentia non esset indulgentia seu remissio, sed satisfactio & persolutio vsque ad nouissimum quadrantem per aliorum opera.

Et sequitur vlterius, quod omnes negant, scilicet quod concedens oneret se ad satisfactionem. Et probatur sequela: quia sic Papa non remitteret, sed satisfaceret per alios.

¶ Secundò, quia sic virtute clauiũ non fieret absolutio, sed translatio operum, cõtra verbum Christi, Quodcũq; solueris. Et vlterius idem per claues ageretur quod de facto fit: quia si sunt opera Sanctorum in thesauro ecclesiæ, non permittuntur otiosa à Spiritu sancto, sed de facto succurrerent quibus possunt.

¶ Tertiò. Nulla Sanctorum opera sunt relicta irremunerata: ergo. Antecedens probatur: tũ quia secundũ hoc opera supererogationes huius temporis ad futuram gloriam: tum quia secundum hoc supererogationis non remunerarentur in Sanctis, sed in nobis: ac per hoc minora essent remunerata & maiora non. Et si dicatur q; eadem opera sunt etiam in ipsis Sanctis remunerata, ergo nulla sunt eorum opera irremunerata relicta.

¶ Quartò, Nullus Sanctorum sufficiẽter impleuit in hac vita mandata Dei: ergo nihil fecerunt superabundans: ergo nihil reliquerunt pro indulgentijs. Antecedens probatur primò per illud Christi, Quum feceritis omnia quæ scripta sunt, dicite: Serui inutiles sumus: sed seruus inutilis non vltra, sed citra fecisse intelligitur. Secundò, per illud Matth. 25. quod sapientes virgines noluerunt cõmunicare de oleo suo, timentes ne ipsis deficeret. Tertiò, Omnis Sanctus debitor est Dei diligendi quantũ potest, imò vltra q̃ potest: sed nullus id fecit aut potuit: ergo.

¶ Quartò, Sãcti per martyriũ (quod est opus perfectissimũ) nõ faciũt vltra q̃ debẽt, imò vix faciũt qđ debẽt, ergo multo minus in alijs opibus plus fecerũt, q̃ debuerũt.

¶ Quintò, quia sine scripturis, doctoribus atque rationibus oppositum dicitur.

PROBATVR Quoq; idẽ autoritate Sanctorũ. Primo Aug. oĩbus sanctis cõuenit dicere, Dimitte nobis debita nostra, sed q cõfitẽtur debita, nõ supabũdãt: ergo.

¶ Secũdo autoritate Hiero. tractantis contra Pela. illud, Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatũ: infrà, pro hac orabit omnis Sanctus in tẽpore opportuno. Quomodo est sanctus, si pro impietate sua orat? Et si est impius, non est sanctus. Itaq; Sancti per orationẽ & cõfessionem suæ impietatis merentur sibi non imputari peccatũ.

¶ Tertiò, Aug. lib. 1. retra. c. 19. Oia mãdata implẽtur, qñ qcq̃d nõ implẽt, ignoscit. Negat enĩ sanctos implesse perfectè mãdata Dei, dicẽs, Magis ignoscere Deo q̃ implẽte.

¶ Quartò, Aug. cõfes. lib. 9. Væ hominũ vitæ quãtũcũq; laudabili, si remota misericordia iudicet: iuxta illud Iob: si etiã iustum quidpiã habuero, iudicem meũ deprecabor.

¶ Quintò, Scđm Aug. nullus Sãctus in hac vita sine peccato fuit: iuxta illud primæ Io. 1. Si dixerimus, q̃a peccatũ nõ habemus, &c. ergo merita Sãctorũ nulla sunt supflua.

¶ Et si dicatur quòd Sanctis habentibus aliquod veniale, potuerunt plura facere, quàm debuerunt: contra. Opus bonum optimè factum est veniale peccatum: ergo semper minus, quàm debuerunt, fecerunt, & peccarunt. Antecedẽs est ex Aug. vbi suprà, Omnia mãdata implẽtur. &c.

DEINDE Arguitur, q; dato q; sint superflua sanctorum merita, non prodessent, quia vnusquisq; propriã mercedem accipiet secũdũ proprium laborem, non secundum aliena, vt ad Ro. 3. dicitur. Nec dignè ab ecclesia expenderentur: quia solutio pœnæ est vilissimũ ecclesiæ donum. Nec piè ecclesia ageret relaxando pœnas: castigare enim alios potius est pietatis, quàm remittere pœnas.

DENIQVE Probatur, q; merita Christi nõ sint thesaurus indulgentiarum. Primò, quia assertio illa est sine autoritate scripturæ. Et si afferatur autoritas Ro. ecclesiæ, remaneret periculum exponendi ecclesiam hæreticorum irrisioni: dum non possemus reddere rationẽ de hac, quæ in nobis est fide, atque spe.

¶ Secundò, quia locum habent primò inductæ rationes etiam hic, scilicet q; indulgentiæ non essent indulgentiæ, sed satisfactiones per alium: & tamen canon dicit, per indulgentias pœnitentiales satisfactio eneruatur. de pœ. & re. cum ex eo. nõ dixit mutatur, sed eneruatur. Et similiter claues non soluerent, sed transferrent pro alio: impium est autem dicere claues non soluere: si soluunt, totum tollunt, non trãsferunt. Et similiter merita Christi de facto idem operantur, quia non sunt otiosa.

¶ Tertiò, quia insignis fieret irreuerentia meritis Christi, si solũm pro pœnæ relaxatione expenderẽtur cum ipse per ea fuerit exemplum omnium martyrum, vilissimum quippe est remissio pœnæ.

¶ Quartò, Sanctus Tho. & Bonauẽ. dicunt opera nostra bona meliora esse quàm indulgentias, & merita Christi expendi per indulgẽtias. Et merita Christi esse multò meliora bona, quàm opera nostra bona, constat: ergo meliores sunt indulgentiæ quàm nostra opera bona, quod est contrarium primæ propositioni. Aut ergo indulgẽtiæ nõ sunt merita Christi: aut omissis omnibus indulgentiæ sectandæ, sunt scilicet Christi merita.

¶ Quintò, Consulitur communiter à doctoribus, q; post indulgentias nihilominus sit ieiunandum: quia nemo scit vtrum odio vel amore dignus sit. Tunc sic, Aut ista sententia est impia in Deum & ecclesiam, aut merita Christi non sunt thesaurus indulgentiarum. Primò, quia sic claues ecclesiæ nihil faciunt certi: quod est blasphemia: & indulgentia esset incerta donatio: ac per hoc impia illusio ab ecclesia fieret, aut post indulgentiam ex meritis Christi & sanctorũ deberet qescere ab opibus suis. Scđò, q̃a si p indulgẽtias impendũtur merita Christi & adhuc incertus sum de remissione peccatorũ, aut credo opa Christi applicata & donata mihi esse sufficiẽtia ad remissionẽ aut debitõ. Si credo, iã nõ est amplius ieiunãdũ: q̃a nõ debeo mea opera meliora putare, q̃ Christi opa. Si dubito, qđ hoc dubio execrabilius? Et cõfirmat: q̃a merita Christi nulla pportione bonitatis excedũt opa nostra: ac per hoc ut ipsa ... sunt thesaurus indulgẽtiarũ, aut indulgẽtiæ pferẽdæ sunt oĩbus opibꝰ diuinorũ pceptorũ, nisi intuitu fiat meritis Christi. Sextò, q̃a ipsa appositio meritorũ Sanctorũ minꝰ cõsonat, quasi merita Christi nõ sufficiãt.

Septimò, Nulli datur gratia contritionis, quin simul et dentur merita Christi, ergo sine indulgentijs habet quis thesaurum meritorum. Octauo, Si meritum Christi est thesaurus indulgentiarum, ergo remittet mortem eiusque pœnas. Probatur sequela: tum quia alioquin esset infirmus: tum quia potens est remittere pœnam æternam.

DEMVM Arguitur, Si absoluere in indulgẽtijs est dispensare thesaurũ Christi, ergo aliæ etiam absolutiones dispensabunt thesaurũ Christi: & præcipue ab excõmunicatione, qñ qs particeps fit meritorũ Christi et ecclesiæ.

¶ Preterea, Si absoluere in indulgẽtijs est distribuere thesaurum Christi, ergo ligare est includere vel colligere thesaurum Christi: quod tamen non spectat ad potestatem clauium, quia sine omni indulgentiarum actu hoc fit.

CONCLVSIO.
Indulgentiarum thesaurus merita sunt Christi & Sanctorum.

IN OPPOSITVM Est sententia sacrorum doctorum.

¶ Ad euidentiam huius quæstionis monstrandũ est, merita Christi & Sanctorum esse thesaurum indulgentiarum: & qua ratione hoc notum sit, & quid sit, & propter quid sit. Et quidem merita Christi et Sanctorum esse thesaurum indulgentiarum, autoritate apostolica tenemus, in extrauaganti siquidem Clemẽtis sexti de pœ. & re. vnigenitus. dicitur de thesauro meritorum Christi. Quem quidem thesaurum per beatum Petrum cęli clauigerum, eiúsq; successores suos in terris vicarios commisit fidelibus dispensandum: & proprijs rationabilibúsque causis nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quàm specialiter prout cum Deo expedire cognoscerent: verè pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum: ad cuius quidem thesauri cumulum beatæ Dei genitricis & omnium electorum merita adminiculum præstare noscuntur. Hæc ibi: Post multa de superabundantia meritorum dicta. Est autem ex duobus huius decretalis autoritas pensanda. Primò, ex decretis distinct. 19. in canonicis: vbi epistolis decretalibus Romanorum pontificum primus autoritatis locus post sacram Scripturam decernitur: & ibidem cap. 1. vbi extrauagantes apostolicæ defenduntur. Secundò, ex eo, quòd de vna parte sacramenti pœnitentiæ, scilicet satisfactione docet: constat nanq; extra de hæreticis, ad abolendam. nulli in materia sacramentorum licere dissentire ab eo quod Rom. ecclesia facit & prædicat: credendum est igitur, nec in dubium aut opinionem vertendum sic esse. Nec somniauit aut finxit sibi Ro. ecclesia thesaurum istum indulgentiarum, sed ex Scripturæ sacræ autoritate, certáq; inde ratione sacrorum doctorum sententia probata id habetur.

¶ Ad cuius clariorem notitiam differentia inter meritũ & satisfactionem prælibanda est. Meritum condigni (de hoc enim sermo est) appellatur opus, ex quo operans dignus est æterna beatitudine, ita quòd debetur sibi illa: iuxta illud Apostoli, Bonum certamen certaui, &c. & subditur, reposita est mihi corona iustitię, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Satisfactio autẽ appellatur volũtaria solutio pœnæ: tũc enĩ debitor pœnæ facit satis iustitiæ, quando debitam pœnam exoluit: adęquando enim solutionem debito, satis proculdubio facit. Nec meritum & satisfactio adeò à se inuicem elongantur, vt nõ coeant sæpè in vnum idémque opus: nam de operibus ex charitate procedentibus loquendo, quantum habet opus bonitatis, tantum habet meriti: & quantum habet mali pœnæ, tantùm habet satisfactionis. Verbi gratia, Ieiunium vt opus bonum est meritorium: idemq; vt est pœnale est satisfactorium. Hæc est formalis differẽtia inter meritum & satisfactionem. Est & alia differẽtia quo ad efficaciam seu fructum: nam meritum non excedit personam quæ meretur, solo Christo excepto, nullus enim potest mereri fœlicitatem æternam alteri, sed sibi soli, excepto Christo, qui meruit suis electis. Et ratio assignatur, quia gratia Christo data est gratia capitalis seu vniuersalis: gratia autem reliquorum, est gratia partialis: meritũ enim Christi & non aliorum per sacramenta cõmunicatur nobis & nos saluat. Propterea Paulus dicebat, nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli Baptizati estis? Satisfacere autem potest vnus pro altero, vt patet quum vnus implet sacramentalẽ pœnitentiam pro altero. Et ex hac differentia prouenit, q; sanctorũ opera quatenus meritoria fuerunt, acceperũt mercedẽ suã in ipsis sanctis: quoniã ipsis solis profuerũt: quatenus verò satisfactoria fuerunt, primũ quidẽ soluerunt debitã pro illorum peccatis pœnã: deinde si plus pœnalitatis habuerunt, quã pœna ipsorum peccatis debita exigeret, remansit illud plus tãquam ipsis Sanctis superfluũ. Et hoc plus est illud, q; à quibusdã vocatur irremuneratũ in ipsis Sanctis non propter defectũ diuinæ largitatis, aut operis aut ipsius Sancti, sed propter excellentiã ipsius personæ, quæ superabũdanter passa est voluntariè. Ex eo nãq;, q; persona patiens nõ habet propria pœnarũ debita pro peccatis, prouenit q; satisfactiones superfluæ non possunt in ipsis remunerari, seu rectius loquendo, nõ possunt in ipsis habere effectũ solutionis. Et quoniã constat Sanctos multos multò plus passos, quàm ex peccatis suis debuerint pati: consequens est, vt multa satisfactoria remanserint superflua ipsis Sanctis. Patet autem Sanctos satisfactoriè plus exoluisse, quã debuerant pro peccatis suis. Tũ quia beata Virgo nulla satisfactione pro suis peccatis eguit (quia nullum peccatũ commisit) & tamen satisfactoria multa subijt: eius enim vita cunctas illustrauit ecclesias: & de ipsius dolore scriptũ est. Et tuam ipsius animã pertransibit gladius. Iob quoq; testatur cap. 7. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quã patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret. Et quis est tam mẽtis inops, vt dicat Laurentium, Vincentiũ, reliquósq; tanta passos martyres, omnibus illis pœnis indiguisse, vt satisfacerent pro pœna peccatis suis debita? Superfluunt igitur multa satisfactoria Sanctis vltra ingens pelagus superfluentis satisfactionis Christi, qui pro totius mundi peccatis, vt Ioannes Euangelista testatur: satisfecit: vt etiã ex hoc patet, q; si totus mundus post omnia peccata cõmissa baptizaretur, statim meritorũ satisfactione Christi euolaret ad cœlum. Et tamen cõstat, q; tãta hominũ multitudo dãnata indignã se reddẽs Christi satisfactione, superfluere illam testatur, quæ pro omnibus sufficeret. Quocirca ex meritis Christi & sanctorum quatenus satisfactoria superfluis, thesaurũ indulgentiarũ cõstitui intelligito, si nõ vis errare. Et quidẽ q; hmõi opera Christi & Sanctorum satisfactoria remanserint, declaratum est: quòd verò remanserint pro nobis, & quòd remanserint dispensanda per militantem ecclesiam, nunc manifestari oportet.

¶ Et primũ, scilicet q; ad hoc remanserint huiusmodi satisfactoria, vt nobis cõmunicata, pro nobis satisfacerent tãq; si ipsi Sancti viuẽtes ea intẽtione fecissent, vt pœnas nostris peccatis debitas ipsi exoluerẽt, mõstratur, tum ex eo, q; nõ inania aut inutilia hmõi satisfactoria esse debẽt: essent autẽ vt satisfactoria infructuosa, si proprio fructu (qui est satisfacere, essent priuata, nõ per accidens, puta quia desunt hi, in quibus fructificet: sed per se, quia scilicet suapte natura omnia satisfactoria supererogationis essent infructuosa: quia nec in ipsis operãtibus, nec in alijs effectũ habere possent, eoipso q; satisfactoria supererogationis sunt. Tũ quia vnitas ecclesiæ exigit, vt quælibet suorũ ciuiũ, quæ possunt esse vtilia reipublicæ Christianæ, ordinata à Spiritu sancto ecclesiam regẽte, sint ad vtilitatem ipsius ecclesiæ. Cõstat aũt satisfactoria supererogationis posse ad vtilitatẽ ecclesiæ cedere: vt patet ex eo, q; per propriã intentionẽ ipsorũ Sanctorũ potuissent applicari hæc ad satisfaciendũ pro isto vel illo ecclesię membro, debente satisfacere pro suis peccatis. Consentaneum igitur rationi est, q; hæc satisfactoria supererogatoriè facta à sanctis, ad vtilitatẽ aliorũ membrorum ecclesiæ ordinata sunt. Vtilitas autem propria eorum est satisfacere pro alijs, ex quo pro his, qui fecerunt, satisfacere non possunt, dixit autẽ, vtilitas propria: quia nõ ex cõmunibus, sed proprijs iudicãdũ est de rebus. Tũ maximè, quia Paulus Apostolus ad Col. 1. hoc de suis satisfactorijs testatur, dicẽs, Gaudio in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia. Vbi clarè videre potes, intẽtionem adimplentis in propria carne passiones deficientes passioni Christi ad conficiendam mensam à Deo definitam pro ecclesia. Idem autem est iudicium de Paulo & alijs Sanctis: vt ex August. super Psal. 68. afferente dictam Apostoli sententiam, patet.

Multa merita Christi & Sanctis super fuerunt, quæ nobis cõmunicata, pro nobis satisfacere possunt.

¶ Secundum autem, scilicet q; thesaurus iste meritorum, vt satisfactoria sunt, dispensandus sit per summũ Pontificem, facilè manifestatur: quoniam cõmune omni Reipu. est, vt illius princeps dispẽsator sit communiũ bonorum illius Reip. nam sine omni contradictione, cui cura credita est ipsius Reip. eidem quoque credita intelligitur dispẽsatio eorum, quæ ad cõmune bonum illius spectãt. Huiusmodi aũt satisfactoria constat esse velut bona quædam cõmunia ipsius ecclesiæ: vtpote pro ipsa facta & relicta, vt patet ex dictis. Consequẽs igitur est, vt ad eum qui totius ecclesiæ curã habet, spectet dispẽsatio dicti thesauri. Et quia solus Petri successor preest toti ecclesiæ, ideo ad solum Ro. Pontificem spectat dispensare, non pro libito donare thesaurũ istũ. Et quoniã per indulgentias remittitur pœna tẽporalis debita pro satisfactione peccatorũ (vt dicta extrauagãs dicit) nec Papa põt illam remittere sine sacramẽto ecclesiastico, nisi applicãdo satisfactoria alio-

Universidad de Deusto Biblioteca

rum ad istum, cui remittit, ideo apostolica sedes in dicta extrauagante, & sacri doctores theologi Spiritus sancti lumine illustrante concludunt & rationabiliter dictum thesaurum dispensari per indulgentias Christi fidelibus, qui per charitatem Christi membra sunt. Vnde euidentissimè sequitur, quòd indulgentia absoluendo hūc à tanta pœna pro suo peccato debita, applicat illi tantum ex dicto thesauro, de satisfactorijs quantum æquiualet tantæ pœnæ, quæ relaxatur, & simul fit opus misericordiæ, remittendo huic pœnā: & opus iustitiæ, applicando huic satisfactionem aliorum pro eo, sic enim terrestris Hierusalem descendit de cælo per imitationem: quoniam vniuersæ viæ Domini misericordia et veritas. Ex quibus patent omnia præmissa.

AD PRIMAM Obiectionem in oppositū dicitur, quòd indulgentia secundum diuersos suos actus diuersis rationibus exprimitur: nam secundū quòd est absolutio & remissio pœnæ, sic iudicis actus est & dicitur, secundùm verò quòd est applicatio satisfactionis ad hūc, sic dispensatio est & dicitur: & secundū quòd efficit exolutionem pœnæ apud diuinam iustitiam per applicatam satisfactionem, sic opus iustitiæ est & dicitur. Vnde breuiter respondetur, quòd indulgentia, vt respicit hunc, cui conceditur, est remissio & relaxatio: quamuis vt respicit diuinam iustitiam, sit solutio vsq; ad minimum quadrantem. Est enim solutio, sed nō ab hoc, & istud est maximæ gratiæ, quòd soluatur debitum meum non à me. Nec hoc est mirum aut nouum in mysterijs ecclesiæ: quum etiam in Baptismo omnia donari gratiosè concedamus, eodem modo scilicet, vt omnia soluantur non per Baptismum, sed per Christi meritum, quod illi per Baptismum communicatur. Celerius dicam, Tanto vinculo iunxit Deus iustitiam misericordiæ, vt peccatis nostris parcere sic voluerit, vt tamen per vnigenitum suum Filium suæ iustitiæ satisfieret pro nobis, & hoc abundantioris gratiæ fuit vt non solum debita remitteret, sed satisfactorem daret. Nihil ergo secūdum diuinæ sapientiæ ordinem adimitur indulgentiarum gratiæ ac misericordiæ, ex hoc quòd interuenit ibi etiam solutio per Christi & Sanctorum merita satisfactoria. Argumētum verò procedit ac si hæc duo essent incompassibilia: quæ, vt dictum est, se consequuntur secundum ordinem dispositionis diuinæ: vt ex dictis clarè patet. Ad vlteriorem verò sequelam (scilicet, ergo concedens obligat se ad satisfactionem) dicitur quòd nec apparentiam habet. Et quum probatur, quia hoc modo satisfacit per alios, respondetur quòd ad bonum sensum admittendo, quòd Papa dando indulgentias, satisfacit per alios, hoc est, applicat aliorum satisfactionē: hinc etiam nulla ratione apparenti sequitur, ergo Papa obligat se ad satisfactionem: aliud est enim applicare huic alienam satisfactionem, & aliud est obligare se ad satisfaciendum pro illo, sicut aliud est volare, & aliud sedere.

¶ Ad secundam negatur, quòd sic virtute clauium nihil fiat: fit namque non solùm applicatio operum Sanctorū ad istum: sed & absolutio istius à pœna pro peccatis suis debita fit: vnde & verbum Christi, Quodcunq; solueris, ad literam adimpletur. Et similiter negatur, quòd sic virtute clauium nihil fieret: nisi quod de facto fit. Et ad probationem, quia merita Sanctorum, si sunt, non relinquuntur à Spiritu sancto otiosa, respondetur quòd huiusmodi Sanctorum merita satisfactoria sunt facta pro ecclesia, & non determinatè pro hoc vel illo: & ideo nō operantur in hoc vel illo particulari, nisi fuerint applicata ab ipso Deo vel eius vicario ad hunc vel illum. Non ergo de facto operantur absque applicatione: quia sunt communia, nec sunt otiosa: quia ad hoc suaptè natura sunt ordinata, & applicata, vt non aliter operentur.

¶ Ad tertiam de operibus Sanctorum irremuneratis, dicitur quòd communicando in abusu vocabulorum, hoc est, accipiendo irremuneratum, prout sumitur à sic dicentibus, hoc est, non sortita suum fructum in ipsis Sanctis. Sic inquam loquendo respondendum est, quòd opera bona Sanctorum dupliciter sumi possunt, scilicet vt meritoria: & sic omnia sunt remunerata in ipsis Sanctis, vel vt satisfactoria: & sic ea quæ supererogauerūt, non sunt remunerata in ipsis Sanctis, sed relicta sunt remunerāda in nobis. Et contra hoc probationes non militant. Non prima, scilicet non sunt condignæ passiones huius temporis: quia de passionibus nostris secundum substantiam operis, seu, vt sunt, ex libero arbitrio intelligitur: remuneratio

Bona sanctorum opera tātū vt satisfactoria Sanctis sup fuerūt.

autem respicit opera & passiones vt sunt ex charitate, seu gratia Dei. Non secunda, scilicet Deus præmiat vltra condignum, tum quia Dei præmio operum. vt sunt meritoria, intelligitur sententia illa: tum quia non ex defectu largitatis præmiantis, sed ex excellentia sancti operātis prouenit, quòd opus suum vt satisfactorium non remuneratur in ipso Sancto, hoc est, nō satisfacit pro ipso: quia ipse non est debitor pœnæ pro qua satisfactio fit. Non tertia, scilicet, quòd opera supererogationis non remunerarentur in ipsis Sanctis, sed in nobis, &c. quoniam opera supererogationis vt sunt meritoria, remunerantur in ipsis Sanctis: iuxta verbum Samaritani, Quodcunq; supererogaueris Ego cum rediero reddam tibi. Sed inquātū supererogant pœnalitates, sic propter ipsorum Sanctorum excellentiam non possunt in ipsis sanctis remunerari. Vnde patet nullum inconueniens sequi, sed omnia consonare, habet enim rectè rationis ordo, vt quis prius pro se satisfaciat: & si supererogat soluendo quod non debet, non pro se, sed pro alio soluat. Nec ex hoc, quòd diximus eadē opera esse remunerata in Sanctis & in nobis, sequitur, ergo nulla sunt Sanctorum opera irremunerata in ipsis. Nam quum dicitur, quædam esse Sanctorum merita relicta irremunerata, non fit distinctio operum quasi, quædam fuerint eorum opera remunerata, & quædam alia relicta irremunerata: vt argumentum interpretatur, & malè: sed fit distinctio conditionum etiam vnius & eiusdem operis. Et est sensus, quòd opera Sanctorum inquantum sunt meritoria, sunt remunerata in ipsis Sanctis: inquantum verò sunt satisfactoria, sunt relicta irremunerata, quantum ad illud pœnalitatis quod supererogauerunt. Vbi patet absque controuersia omnia consonare.

¶ Ad quartam dicitur, quòd vir sanctus potest iudicari dupliciter, primò inquātū operatur ex suo libero arbitrio & sic nullus Sanctorū impleuit sufficiēter in hac vita mādata Dei. Alio modo inquātū operatur ex gratia diuina, & in existente & assistēte: & sic quilibet Sāctus sufficienter impleuit mandata Dei in his, quæ obseruasse eos laudamus. Et si contra hoc probationes assistentis afferātur, respondetur. Et ad primam dicitur, quòd si verba Domini integrè afferantur monstrant oppositum. nam Dominus dicit, Quum feceritis omnia quæcunque præcepero vobis, dicite, Quod debuimus fecimus, serui inutiles sumus. Vbi vides, quòd dicēdo, Quod debuimus fecimus, monstrat eos implesse mandata sufficienter, alioquin non fecerunt quod debuerunt: nam debuerunt sufficiēter implere. Non est autem verum, seruum, qui fecit quod debuit, inutilem citra fecisse: quoniam si citra fecisset, iam non fecisset quod debuisset. Sed verū est, quòd est vt sic, nō supererogauit: & propterea inutilis dicitur: qui enim non facit nisi quod debet, inutilis dicitur. Vnde ex ista autoritate nihil aliud habetur nisi quòd Sancti ex hoc, quòd impleuerunt præcepta Christi, non supererogauerunt, cū quo stat, & quòd sufficienter mandata Christi implere potuerunt, & supererogare, vt sic nō solùm fecerint quod debuerunt, sed essent serui inutiles in domo Domini. Ad secundam dicitur, quòd oleum, quod sapientes Virgines timuerunt sibi non sufficere, ad meriti conscientiam spectat, & non ad pœnalitates. Ad tertiam dicitur, quòd falsum esse constat præceptum de Deo diligendo obligare hominem plus quàm possit: Maledictus, inquit Hieron. dicens Deum, præcepisse aliquod impossibile. Falsum quoque est sub præcepto de Deo diligendo, cadere quòd homo diligat quantum potest: intelligendo sic, quòd si dilectionis aliquem actum possibilem sibi omittat quis, peccet, vt patet ex hoc, quòd multi dilectionis actus spectant ad opera supererogationis: vt bene velle, & bene facere inimicis in particulari extra necessitatis casum, perfectionis siquidem est hoc, non præcepti. Sed præcipitur, ꝙ homo diligat Deum ex toto corde & ex omnibus viribus, &c. ad hunc sensum quòd nihil cōtrarium diuinæ dilectioni in corde suo, in mente sua, in viribus suis &c. admittat. Intellectum autem præceptum illud de actuali dilectione, vt sonat non quid agere hîc debemus, sed quo tendere debemus, monstrat: secundum Aug. Vnde patet quòd Sancti impleuerunt hoc præceptum, & supererogauerunt. Ad quartam dicitur, quòd Sancti per martyrium extra necessitatis articulum faciunt plus quàm debent: quia supererogant. Et rursus in articulo necessitatis sæpe ad martyrium pro confessione fidei, supererogant sæpe quo ad satisfactionem; dum plus patiuntur voluntariè

qu

quàm pro peccatis suis debeant. Ad quintam dicitur quòd doctrina hæc, super Scripturas & rationes & autoritates Roma. ecclesiæ sanctorūmq; doctorum fundatur. Et non solum temerariæ præsumptionis est contrarium dicere, verùm indisciplinatæ mentis est non acquiescere tot allatis, vltra autoritatem Sanctorū Tho. & Bonauenturæ, & infinitorum doctorū sequacium: oportet enim virum docilem in morali tam theologia, quàm philosophia non quærere certitudinem mathematicam: sed nisi rationi consentanea, simúlq; à communi doctorum sententia probata in moralibus, vt certa habeamus, confundere necessè est omnia.

AD PROBATIONES Deinde ex autoritatibus Sanctorum respondendo dicitur, ꝙ cum hoc ꝙ omnes Sancti aliquod peccati debitum habuerūt, pro quo quandiu viuunt orare possunt, non ꝙ oporteat eos semper peccatum habuisse coæuū, quādoq; enim sine omni peccato fuerunt, sed quia quandoq; peccauerūt, stat ꝙ multa supererogationis & meritoria & satisfactoria fecerint: qui enim dimitti orat sibi peccata, fatetur se debitorem. Et hoc in tota vita verificatur, quantū est ex parte nostra: quis secus sit si secundū adiunctā Dei gratiam Sācti iudicētur. Et ne sæpius idē repetatur, distinguito, ꝙ Sācti, & sua opa dupliciter iudicari possunt. Primò secundū se & secundū proprias vires: & sic sunt semper debitores & damnabiles, nō implentes mandata Dei: iuxta illud Isa. Vniuersæ iustitiæ nostræ quasi pannus mēstruatæ. Alio modo secundū gratiā Spiritus Sancti in ipsis & operibus suis, tam informantē, q̄ assistentē: & sic implēt mandata, & non sunt debitores, sed creditores, digni vita æterna ex ipsis sanctis operibus suis, nihil dānationis habentes, &c. iuxta illud 1. Ioan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, non facit peccatū, quoniā semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniā ex Deo natus est. Et illud Apostoli ad Rom. 8. Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu. Et illud eiusdem ad Timot. bonum certamen certaui, cursum cōsummaui, fidē seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Vnde prudentis lectoris erit discernere, quando Scriptura vel Sanctorum doctrina loquitur de nobis, aut operibus nostris, secundū ꝙ sunt nostra, & secundū ꝙ sunt diuinæ gratiæ: omnia enī mala verificātur de nobis & nostris, secūdū ꝙ sumus nostri, vel sunt nostra: & rursus simul infinita bona verificantur de eisdē, vt sunt diuinæ misericordiæ ac gratiæ: vt patet ex his Scripturæ locis & multis alijs, quæ afferri possunt.

Et hinc habes solutionē huius & sequentiū & similiū obiectionum: nā cum hoc, ꝙ omnes Sancti sunt ex se debitores, stat quòd ex diuina gratia operando, supererogāt. Et similiter, quòd sint impij ex se: & oratio ex diuina gratia merentur non imputari sibi impietatem. Et similiter Deo ignoscente, hoc est gratiā dante, implent mandata: non homine ex seipso implente. Et similiter omnia mandata tunc implentur, qm̄ quicquid nō ex nobis impletur per gratiam impletur. Et similiter væ vitæ hominū laudabili, si sine gratia, (diuinæ misericordiæ effectu) iudicetur. Et similiter si quid iusti habuero secundū humanam iustitiam, iudicē meū deprecabor. Et similiter omne opus bonum optimè factum, inquantum est ex nobis factum, peccatum est, sicut pannus menstruatæ: sed quatenus ex Dei gratia est, nullum peccatū, sed meritorium & supererogatiuum bonum est. Vnde si in quinta probatione intenditur, ꝙ simpliciter & absolutè & non secundū ꝙ ex nobis est, omne opus bonū optimè ex charitate factū, est peccatum veniale, non responsione, sed sensu, aut digne opus est: nam secundū hoc beata Virgo in omni opere suo peccauit venialiter: cui tamen Aug. dicit gratiam collatam esse ad peccatum ex omni parte vincendum. Et ex hoc sequitur contra Apostolum, indignitas operum suorum ad coronam secundum iustitiam diuinam. Et ex hoc sequitur contra Ioannem Euangelistam, ꝙ etiā natus ex Deo facit peccatum. Et ex his patet solutio omnium obiectorum ex autoritate Sanctorum.

AD OBIECTA Autē contra naturalem vtilitatem. ex superfluis Sanctorū meritis, respōdetur. Et ad primum, Vnusquisq; propriam mercedē, & secundū proprium laborē, dicitur, ꝙ vt patet, de mercede loquitur: merces autē merito rñdet: & nos idē dicimus ꝙ quilibet sibi soli meretur. Nos autem de pœnarum remissione loquimur, dicentes quòd vnus potest satisfacere per alium,

¶ Ad secundū, (ꝙ non dignè expenderet illa ecclesia.) dicitur quòd dignissima expendit dum satisfactoria pro satisfactore expendit: neq; enim possunt dignius expendi. Et licet remissio temporalis pœnæ in cōparatione ad dona spiritualis gratiæ sit vile donum: est tamen proportionatum & commensuratum donum meritis sanctorum, inquantum sunt satisfactoria: quoniam vt sic non nisi exolutiua temporalium pœnarum sunt.

¶ Ad tertium, (ꝙ nō piè ageret ecclesia) dicitur, ꝙ piissimè mater ecclesia filijs suis remittit, quos Deus ex rationabili causa in adoptionis filios cōputauit: non enī omni actu debet mater castigare filiū, sed omnia tēpus habet.

Ad eos, qui obijciunt contra merita Christi.

AD OBIECTA Deniq; contra thesaurū indulgentiarū ex meritis Christi, respondetur. Et ad primum iam patet ex dictis, ꝙ cū autoritate non solius Ro. ecclesiæ, sed sacræ Scripturæ, sanctorū & doctorum hoc dicitur. Et si solius Ro. ecclesiæ autoritate diffinitiua diceretur, sufficeret ad rationē reddendā de ea, quæ in nobis est, fide, non minus, q̄ si autoritate generalis concilij diffinitum esset. Hæretici autē sicut refutare possunt Ro. ecclesiam, ita & concilium. Nec hoc ego somnio: sed Hiero. ad Damasum Papam dicit, Si Apostolatus tui iudicio fuerit approbatum, hæreticum se experietur qui contradixerit. Et in concilio Floren. sub Eugenio 4. acceptat professio Armenorū, dicentium, Approbamus quod approbat Ro. ecclesia, & reprobamus quicquid reprobat Ro. eccl'ia.

¶ Ad secundum iam dictū est, nisi ad subiunctam ex canone autoritate malè allatā: quia textus non de indulgentijs, sed de indulgentijs indiscretis dicit, quòd sunt eneruationes ratione indiscretionis.

¶ Ad tertium similiter dictum est & probatum, quòd nulla sit irreuerentia.

¶ Ad quartū dicitur, ꝙ opera bona dicuntur esse meliora indulgentijs, hoc est, effectibus indulgentiarum: & nō meritis Christi & sanctorū, quæ non sunt indulgētiæ, sed ex eorum satisfactoria supererogatione est efficacia indulgentiæ. Vnde processus illius argumenti assumit tot falsas propositiones, vel veras causaliter & non formaliter, vt non sit mirum si seipsum interimit.

¶ Ad quintum dicitur, ꝙ conciliū illud pium est, ꝙ claues ecclesiæ, sicut & alia sacramenta, facere aliquid certi vel nihil certi, pōt intelligi dupliciter. Primò, quātum ex seipsis: & sic dicitur, ꝙ faciunt certū quid, & oppositum est impiū. Alio modo per accidens, puta propter indispositionē materiæ, vel subiecti, & sic contingit non solū claues ecclesiæ, sed & Baptismū non habere certum effectū: puta, si adultus suscipiat ablutionem occulto animo non suscipiendi Baptismum: tunc enī nec characterē recipit. Et si cum animo solùm peccandi mortaliter accedat, licet characterem suscipiat, gratiā tamen nō suscipit. Et sic est in proposito: quia propter ambiguitatē de dispositione subiecti dubitamus de effectu clauium in isto: & cum hoc sumus certi ꝙ claues habent certissimum effectū in subiecto disposito ad earum effectū: & similiter indulgētia est certa donatio dispositis ad illā. Vn̄ nulla est illusio, si applicatur verè pœnitētibus, nec insufficiētia meritorū Christi & Sanctorū: sed ex dubio de dispositione subiecti, quæ consistit in facto nō hominis solius, sed Dei miserentis, donādo veram contritionē, prouenit ꝙ nō quiescimus à nostris pœnitentijs post indulgētias. Et quū secundò adiungitur, Aut credo mihi merita Christi applicata per indulgentiā esse sufficiētia, aut dubito, respōdetur ꝙ plus oportet addere, scilicet suscepta in me seu participata à me. Credo enī indubiè merita Christi applicata per indulgentiā mihi, & participata à me, seu suscepta in me, esse sufficiēter exoluētia debitas à me pœnas temporales pro meis peccatis: sed dubito an sint à me participata, quia dubito an ego fuerim dispositus pro participatione illorū, hoc aūt dubiū est sanctū. Et rursus si credo me participasse, volo etiā addere meas satisfactiones, nō tanq; meliores satisfactiōe Christi: sed quia melius est duplici via satisfacere, q̄ vna tm̄: & plura bona sunt satisfactio Christi & mea, q̄ satisfactio Christi tm̄. Ad confirmationem dicitur, ꝙ merita Christi non sunt indulgentiæ, sed causæ indulgentiarum efficaciæ, indulgētiæ enī, quas cōsequuntur Christi fideles, nihil aliud sunt q̄ remissiones suarum pœnarum per merita Christi. Vnde sicut remissiones pœnarum non sunt præferendæ meritis Christi, nec præceptis Christi, aut ecclesiæ, ita nec indulgentiæ: & tamen cū hoc stare liquet, ꝙ remissiones fiant per merita Christi.

Universidad de Deusto Biblioteca

¶ Ad sextum dicitur, ꝙ appositio meritorum Sanctorū consonat diuinæ dispositioni, non ꝙ insufficiens sit Christi satisfactio, sed vt plura sint in Christi corpore mystico satisfactoria. Sic enim docuit Apostolus: Adimpleo inquit ea quæ desunt passioni Christi in carne mea pro corpore eius, quòd est ecclesia.

¶ Ad septimū dicitur, ꝙ nō est hæc ecclesiæ doctrina, vt thesaurus meritorū Christi & Sanctorū ita cōmissus sit ecclesiæ dispēsationi per indulgētias, ꝙ sine ipsis nō dispēsetur à Christo summo Sacerdote. Sed ista consequentia non valet, Thesaurus ille potest haberi sine indulgentijs, ergo non habetur per indulgentias: stat enim quòd multis modis participari possit à Christi membris.

¶ Ad octauum dicitur negando sequelam, non ex insufficientia meritorum Christi: sed propter diuinæ sapientiæ dispositionem ex parte Dei, qui non ordinauit thesaurū ecclesiæ ad remittendū pœnam mortis: & propter disparitatem pœnarum ex parte nostri. Pœnarum siquidē nostrarum quædam sunt pœnæ naturales, & quædam personales: hoc est, quædā consequuntur nos propter peccatum naturæ, quod est peccatum originale, & quædā sunt nobis debitæ propter actualia peccata nostra. Illæ pœnæ quas incurrimus propter infectā naturam, reseruātur vsque ad renouationē naturæ, quæ in resurrectione fiet ex merito etiā passionis Christi: quoniā ipsæ mortē nostram vtranque, scilicet animæ & corporis moriendo destruxit, & ideo non remittuntur per indulgentias: quoniam spectāt ad tēpus naturæ infectæ. Illæ verò, ad quas tenemur ex pprijs peccatis actualibus, in hac vita remittūtur per indulgētias: præsens em̄ vita tempus est purgādi nō naturalia, sed personalia: vnde etiam in Baptismo persona, nō natura sanatur. Et quia mors cū suis pœnalitatibus est pœna naturæ, ideo merita Christi per indulgentias applicata ad pœnam mortis nō se extendūt. Vnde patet, quòd non ex infirmitate meritorū Christi, sed ex natura pœnæ & status præsentis prouenit, ꝙ pœna mortis non remittitur per illā in hac vita. Nec ex hoc ꝙ remittunt pœnam æternæ mortis sequitur, ergo & tēporalis mortis pœnam: tum quia æterna sensus pœna est de numero personaliū pœnarum, mors aūt de numero naturaliū. Tū quia aliud est loq de meritis Christi satisfactorijs absolutè, & aliud de eisdē, vt superfluunt sacramentis, vt per indulgentias dispensanda relinquūtur: ipsa enim absolutè in sacramētis tollunt pœnam damni & sensus æternā, potius per viam cōcomitantiæ, quā per satisfactionis. Recōciliando quippe hostem in Dei filium adoptiuum, sequitur ꝙ non hostili pœna puniendus est, quod est tollere pœnam æternā, Soli em̄ hostes exterminatricē pœna digni sunt: Filij em̄ castigādi, purgādi suaptē natura relinquūtur. Thesaurus aūt indulgētiarū Christi, merita vt satisfactoria exhibet.

AD Demū, obiecta, contra hoc, ꝙ absolutioni, quæ fit per indulgētias annectitur dispensatio thesauri meritorum Christi & Sanctorū, respondetur: Et ad primū dicitur, ꝙ non est par ratio de actu absolutionis in indulgentijs, & de alijs absolutionibus, siue cēsuris, siue alijs fine sacramēti exhibitione. Tū quia absolutio ista respicit tertiā sacramēti pœnitētiæ partē, scilicet pœnitentialē satisfactionē (supplet, enim eam) Christi autē merita directè ad sacramēta respiciūt: reliquæ autē absolutiones non respiciunt partē aliquā sacramenti alicuius. Tum quia absolutio ista est à pœna debita apud diuinā iustitiā in hac vita vel alia: aliæ verò absolutiones sunt à pœnis in hac tantū vita debitis. Hinc em̄ fit, ꝙ ad istas remittendas sola potestas Papæ sufficiat & efficiat: ad illas verò vltra potestatem in Papa exigatur & dispositio subiecti per verā pœnitentiā, & meritorum Christi dispēsatio non ad libitum applicatio: quoniā ministri non est remittere pœnas principali debitas, nisi dispensatio. Sic enim nos existimet homo, (inquit Apostolus,) vt ministros Christi: & dispensatores ministeriorum Dei.

¶ Ad secundum dicitur, quòd sicut in sacramento pœnitentiæ claues respectu peccatorum actum quidem soluendi exercent positiuè, ligandi autem negatiuè quo ad clauem potentiæ, quamuis positiuè ad vtrunque se habeat clauis scientiæ ita in indulgētijs inuenitur, ꝙ clauis scientiæ positiuè decernit solutionem & ligationē: clauis verò potestatis positiuè quidem absoluit, negatiuè autē ligat: quia ligare hîc sicut & in peccatis, nō est aliud quàm nō absoluere ex iudicio & autoritate clauis sciētiæ. Vnde nō soluere absolutè non est actus clauis, qui est ligare; sed ex iudicio clauis non solu execst ligare, qui actus est clauiū. Et per hoc patet, ꝙ licet effectus solutionis & ligationis sit sine clauibus: ipsum tamen soluere vel ligare non est in militanti ecclesia sine clauium exercitio. Augustæ die 7. Octob. an. 1518.

QVAESTIO. II.

Num dare operam ad consequendas indulgentias sit imperfectionis.

QVAERITVR Vtrum dare operam ad acquirendas indulgētias sit imperfectionis. Et videtur ꝙ sic. Primo quia actus non meritorius est imperfectionis: sed acquirere indulgentiam, non est meritorium: ergo, &c.

¶ Secundò, quia indulgentiæ sunt relaxationes pœnarū debitarum: perfectorum autem est pœnas amplecti, non fugere: quoniam sitiunt crucem Christi: vt de sanctis Andrea, Laurentio, & Vincentio legitur.

¶ Tertiò, quia secundum doctores sacros, habens indulgentias melius facit si per seipsum adimplet iniunctā pœnitentiam, q̄ si propter indulgentias omittat illam: perfecti autem æmulātur charismata meliora: imperfectorum igitur est, indulgentijs incumbere.

¶ Quartò, quia indulgentiæ non prosunt nisi ad relaxationem pœnarum canonicarum: sed non nisi criminosis publicè imponuntur canonum pœnæ, quia sunt publicæ pœnitentiæ partes: ergo non est nisi imperfectorum indulgentijs egere, ac per hoc dare operam ad eas acquirendas.

CONCLVSIO.

Operam dare indulgentijs, communis est actus perfectis, & imperfectis in charitate cōstitutis, si pœnis adhuc pro peccatis suis obnoxij sunt.

AD HVIVS Euidentiā, sciendum, ꝙ indulgentiarū fructus proprius est satisfacere diuinæ iustitiæ, quo ad pœnam temporalem proprijs peccatis debitam ex pœnis Christi & Sanctorum, secūdum traditionem ecclesiæ Ro. vt patet in extrauaganti Clementis 6. & multorum Romanorum ponti. apostolicis literis. Hac autē suppositione facta (in alia quæstione adhuc magis probanda, q̄ in tractatu de indulgentijs firmauerimus,) consequēter dicendum est, ꝙ quū actus iste, qui est satisfacere per aliū, non sit ex suo genere malus, nullā enim deordinationem importat, nec habet imperfectionem moralem annexam: quoniam cum feruēti charitate & prōptissima voluntate per seipsum satisfaciendi, stat ꝙ tali modo, scilicet per Sanctorum pœnas velit satisfacere, & nihilominus operibus sanctissimis tantò magis intēdere, quantò liberior à debita pœna & gratior esse debet propter hoc cumulatū beneficij. Sed est actus de genere bonorum moralium: est em̄ appetitu recto appetibilis, vt pote ablatiuus impedimentorum ad cælestem patriam. Pœnæ enim peccatis debitæ impediunt ingressum ad æternam beatitudinem, vnde tantum oportet animas in purgatorio morari, donec exolutis pœnis omnibus debitis pro suis peccatis, libere ab omni malo pœnæ, omniū bonorum aggregatione perfectū statum assequantur. Nec solum est moraliter bonus, sed etiam meritorius, si fructuosus est: quoniā non nisi existentibus in charitate indulgentiæ prosunt, vt ipsa cōcessionis forma mōstrat, dicēdo verè pœnitentibus) oēs aūt actus humanos ex charitate pcedētes meritorios esse cōstat. Nec solū est meritorius æternæ vitæ, sed consonus etiā pfectis viris: qm̄ cōtinuè suspirātibꝰ ad cęlestē patriā, & cupiētibꝰ dissolui, & esse cū Christo cōsonāt oia recta acceleratiua cælestis ingressus: cōstat aūt exolutionē pœnæ debitæ p peccatis acceleratiuā esse cœlestis itineris: qm̄ impedimēta ingressus ad fœlicitatem tollit: Omnis igit ex parte apparet: ꝙ dare operā indulgentijs, est actus cōis pfectis & impfectis in charitate cōstitutis, si pœnis adhuc p peccatis suis obnoxij sunt. Et cōfirmat: qa oibus q̄tūcūq; pfectis cōuenit dicere quotidie, Dimitte nobis debita nr̄a: in quorū numero cōstat esse debitū pœnæ pro peccatis, qd̄ aūt cōsonat petere, cōsonat & q̄rere. Cōsonat igitur etiā pfectis quærere debitū pœnæ pro peccatis suis debitæ exolui per satisfactoria opera Christi & Sāctorū.

AD PRIMAM Autem obiectionem dicitur, ꝙ sermo doctorum dicentium indulgentias non esse meritorias, est formalis, & verus formaliter intellectus: hoc est, quòd indulgentia, vt satisfactoria, non est meritoria. Commune est enim satisfactorijs oibus (siue per seipsum homo satisfaciat, siue per alium viatorem, vel sanctum) quò

ꝙ meritoria non sunt formaliter sumpta, hoc est, vt satisfactoria. Et ratio est in promptu, quia satisfacere, non est aliud, q̄ liberari a debito: ex hoc aūt, ꝙ aliquis à debito liberatur, nō meretur: vnde & in purgatorio quilibet satisfacit, & nemo meretur. Cū hoc aūt, ꝙ indulgētia, q̄, quo ad fructū, satisfactionē p aliū, hoc est, Christū, & Sāctos sonat, nō est meritoria, stat, ꝙ aliquid facere pro indulgētia satisfactoria, sit meritoriū, non solùm ex genere operis (puta subuenire ecclesiæ, aut orare) sed ex intentione facientis, qui mouetur ex charitate, ad hoc, vt impedimēta sui ingressus ad æternam vitam tollantur. Et hoc consonare perfectis, manifestum est.

¶ Ad secundā dicitur, ꝙ perfectorū est pœnas promotiuas sui vel aliorū ad æternā vitā amplecti. Pœnas aūt ex propria culpa impeditiuas æternæ vitæ, nō est perfectorū iterare, sed q̄ citius fieri pōt, liberare se ab illis: vt expeditus semper inueniatur pro cælestis patriæ ingressu. Cōstat autem pœnas pro peccatis debitas esse ex propria culpa impeditiuas ingressus cælestis: & ideo à perfectis per se, vel per alium citius sunt exoluendæ.

¶ Ad tertiā dicitur, ꝙ nihil obstat dictis consiliū de meliori bono: ꝙ scilicet melius facit cōsequutus indulgētiā, si per seipsum satisfacit. Nā proculdubio melius est duobus modis satisfacere, q̄ vno, scilicet p aliū, & per se, q̄ p aliū tm̄. Et rursus, per aliū satisfit, solū, sed per seipsum, & satisfit et medela adhibetur: pœnitētia em̄ per seipsum impleta est, nō solū satisfactio, sed medicina. Cū his em̄ stat, quòd perfecti emulando charismata meliora, sectentur etiam indulgentias, vt expediti sint ad vitam æternam.

¶ Ad quartā dicitur, ꝙ multa falsa cōtinet. Primū est, ꝙ indulgētiæ nō possint nisi ad relaxationem pœnarū, quæ per canones pœnitētiales impositæ sunt: patet em̄ hoc esse falsum ex ipsa forma cōcessionis, sonātis remissionē pœnarū iniunctarū: iniunctæ aūt sunt siue secūdū canones, siue secundū arbitriū cōfessoris. Aliud falsum est, ꝙ pœnæ canonum pro solis criminibus publicis imponi possunt: quū constet in foro pœnitentiali posse imponi, vt pro secretis secretè pœnitentiā agāt. Aliud falsum subintelligitur, reprobatū in alia quæstione, scilicet ꝙ sub pœna canonica nō includatur etiā pœna simpliciter debita peccato. Quod ex eo patet etiā esse falsum, ꝙ nō iudicat Deus bis in idipsum: iudicaret aūt bis, si semel per seipsum, & semel per suū vicariū, tēporalē pœnā satisfactoriam pro peccato exigeret: ꝙ cōtingeret, si pœnitētia à sacerdote secūdum canones imposita, nō euacuaret pro sua portione pœnā satisfactoriā apud Deū. Et hinc est quartū falsum, scilicet ꝙ remissio pœnitētiæ iniunctæ adepta per indulgētias, nō sit remissio pœnæ debitæ pro satisfactione peccati apud Deū: vt in alia qōne manifestābimus. Quocirca cuicūq; obnoxio pœnæ tēporali pro satisfactiōe cuiusq; actualis peccati prosunt indulgētiæ, siue sint iniunctæ secūdū canones, siue cōfessoris arbitrio. Et etiā si non sunt actu iniūctæ, dummodo ecclesia seruatis seruādis in forma indulgētiæ etiā ad nō iniūctas pœnitētias extēdat illā: vt alias hoc, scilicet de nō iniūctis, manifestabitur. Et quia tā perfecti q̄ imperfecti, tā sani q̄ infirmi, tā morituri q̄ diu victuri, tam impediti q̄ nō impediti in charitate constituti, rei possunt esse alicuius pœnæ temporalis pro satisfactione suorum actu aliū peccatorum: ideo nullus excipitur à fructu indulgentiarum, qui voluerit earū particeps fieri, rariq; videntur esse adeò satisfacientes per seipsos, qui nō egeant indulgentijs: qui tamen tutius agūt si per indulgentias etiam à debitis se absolui curent. Augustæ die 2. Octobris. 1518.

QVAESTIO III.

Num occurrenti pauperi negans eleemosynam, quam tamen dat pro indulgentia consequenda, peccet.

QVAERITVR Vtrū occurrēti pauperi negās eleemosynā, q̄ tñ dat pro indulgētia consequenda, peccet. Et videtur quòd sic.

¶ Primò, quia agit contra ordinem diuini præcepti: quo quis primò seruare tenetur præcepta seu mādata Christi, quàm acquirēdis vacare indulgētijs: vtpotè quia hoc non est mandatū, sed voluntariū.

¶ Secūdò, quia talis agit cōtra illud Io. Si quis viderit fratrē suū necessē habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? primæ Ioā. 3. Et si dicatur ꝙ sola extrema necessitas obligat ad mortale: contra, tū quia secundū hoc charitas nunq; vel rarissimè locū haberet operandi, tum quia quilibet in necessitate cōstitutus, vellet non sibi expectari necessitatē extremā, sed prius subueniri: ergo hoc idem seruandum est in alijs.

CONCLVSIO.

Negans eleemosynam, quando tenetur eam facere, vt seruet ad tempus indulgentiæ, peccat.

AD EVIDENTIAM Huius considerādū est, ꝙ ad hoc, ꝙ aliquis actus humanus sit peccatū, nō sufficit negatio bonitatis maioris, alioquin non daretur gradus in actibus bonis, sed soli summè boni actus essugerēt rationē peccati, sed exigitur ꝙ sit inordinatus: nisi enim à diuino ordine declinaret, peccatū nō esset. Deordinatio aūt actus effusiuæ pecuniæ sicut & cæterarū moraliū actionū, tūc tm̄ est, quū vel nō sua, vel ad id quod nō debet, vel quū non debet, &c. impenditur pecunia: nisi em̄ aliquid quod debuerat adesse, desit, aut quod debuerat abesse, adsit, peccati ratio nō soluatur: quocirca ad debitā rationē oportet spectare peccati iudiciū. Et hinc fit, vt licet meliꝰ faceret qui pecunias suas in eleemosynas daret, q̄ si expēderet eas in humanis officijs defunctorum, quæ sunt cōsolationes viuorū: nō tamē peccaret expendēs eas pro honorabilibus exequijs, quia non tenetur illas pecunias dare pauperibus: & actus exequiarum humanus iuxta statū personæ & patriæ morē nō est deordinatus. Vnde in proposito, quū dare eleemosynā sit præceptum affirmatiuū, obligās tantū pro loco & tēpore: si in casu loquimur, quo pceptū de eleemosyna obligat, nō est dubiū, ꝙ negās illā, vt det p indulgētia peccet: nō em̄ sunt faciēda mala, vt veniant bona. Si aūt sumus extra casum, in quo præceptū de eleemosyna obligat, q̄uis pauper occurrat petēs eleemosynā, licitè pōt quis omittere eleemosynā & dare pro indulgētia nō minus, q̄ posset illā simpliciter omittere, & q̄ posset pecuniā illā in vsus suos conuertere, Vnde Dn̄s Mariam à discipulis defendit, obijciētibus ꝙ prætiosum vnguētū, quo multis potuisset subueniri pauperibus in vnū humanū opus perderet: affirmans ꝙ bonum opus operata est. Vbi ex subiuncta ratione, Pauperes enim semper habebitis, &c. docuit, ꝙ concurrentibus duobus bonis, altero continuo, altero pro instāte cōmoditate, licitū est omisso pro tūc maiori ex suo genere bono, dare operam minori illo tēpore occurrenti: ad hoc em̄ spectat, quod pauperes semper adsunt, ipse autē nō semper.

AD PRIMAM Aūt obiectionē dicitur, ꝙ ordo præceptorū ad consimilia est in præcepto tunc tantū, pro quāto præceptū affirmatiuū obligat extra tēpus: siquidē pro quo obligat, liberū est cuiq; consilia sequi. Sic autē esse in proposito supponitur. Ad secundā negatur, ꝙ talis agat contra doctrinā Io. Euāge. quia Ioānes loquitur pro quāto præceptū affirmatiuū obligat: certò autē certius cōstat, ꝙ nō quælibet necessitas fratris visa cōstituit tēpus, pro quo præceptū eleemosynæ obligat. Vnde glossa ibidem dicit in verbo, necessitatem victus vel vestitus, Multi aūt sunt pauperes habētes victū & vestitū: vt patet de Gabelo apud Tobiā. Et rursus glossa ibidē de substātia superflua exponit, dicēs, Si superflua nō potes dare fratri, animā tuā nō potes ponere pro fratre. Nō loquitur ergo Ioānes de qualibet necessitate fratris, nec de quolibet habēte substantiā huius mūdi: sed de superfluā substantiā habente: iuxta verbū Dn̄i: Quod superest, eleemosynam date. Luc. 11. Nec propterea ego abūdās teneor huic pauperi dare, q̄uis teneat dare eleemosynā: si recta ratio moraliū actuum regula est. Verùm aūt sola extrema necessitas tēpus, pro quo pceptū obligat determinet, alia quæstio est: & alibi memini me scripsisse post Beatū Tho. ꝙ quantū est ex parte necessitatis pauperis, sola extrema necessitas determinat tēpus, pro quo præceptū de eleemosyna obligat ad peccatū mortale. Sed extrema necessitas nō intelligitur, qn̄ propè mortē homo est: tūc em̄ nō pōt sibi subueniri, sed quando est adhuc tempus vtiliter subueniēdi, nec apparet alia via, qua illi subueniatur, si à me nō sibi succurritur: tunc enim necessitas est extrema, licet lōgē sit à morte. Rursus licet necessitas non extrema non obliget ad peccatum mortale omittētem eleemosynam: magna tamen necessitas visa à potenti sine suo incommodo subuenire, rationabiliter tenetur, vt obliget etiam ad peccatū, q̄uis nō mortale. Sicut em̄ secūdū Philosophos in actibus bonis, ꝙ est propè medium, ad virtutis actum spectat: ita in oppositis non solùm qui totaliter declinat, peccat, sed etiā qui propæ ad vitiū appropinquat. & secūdum Theologos nō solùm qui contra præceptū: sed qui præter præceptū facit, peccat, Et propter istam latitudi

Universidad de Deusto Biblioteca

nē,qua necessitas,proximi visa,quādoq; ad mortale,quādoq; ad veniale,qnq; ad nullū obligat peccatū: Ioā.Euā. dixit,Quomodo charitas Dei manet in illo? & non manifestē asseruit charitatē Dei nō manere in illo.Quāuis assertiuè intellecta verba illa,seclusa superfluitate bonorū, de extrema necessitate accipienda sint:qm̄ tunc tantū debita negatur subuentio in notabile damnū proximi vergens:& propterea fit cōtra charitatē proximo debitā.Extra hanc aūt necessitatē,aut subuētio non est ad hoc debita,aut nō est illatiua dāni notabilis proximo.& sic nō fit contra charitatē debitā,sed aut præter eā,aut nec præter nec contra illā. Et quū contra hoc arguitur: primò, quia secundū hoc charitas nunq̄,aut rarò haberet locum operādi: negatur sequela,quoniā charitas etiā sine præcepto operari pōt,& frequētissimè eleemosynæ opus operatur.Et quū dicitur secūdò,quia quilibet vellet sibi extra necessitatem extremā subueniri:cōceditur,sed negatur sequela,ergo subuentio est in præcepto.Non enim omne ꝙ volumus,nobis fieri,cadit sub præcepto,vt alij nobis faciant: quilibet enim vellet nunquam sibi mendaciū dici, non tñ propterea sequitur:ergo quilibet mētiens facit cōtra pceptū,& sic de alijs.Augustæ die 7.Octobris 1518.

QVAESTIO IIII.

Num indulgentia absoluendo ab iniunctis pœnitentijs absoluat à pœna debita peccato apud diuinam iustitiam.

QVAERITVR Vtrū indulgentia absoluendo ab iniunctis pœnitentijs, absoluat à pœna debita peccato apud diuinā iustitiā. Et videtur ꝙ non. Primò,quia iniūctæ pœnitentiæ ab homine,sicut non obligant nisi in foro ecclesiastico,ita earum absolutio non est nisi in foro ecclesiastico.

¶ Secūdò, quia pœnitentia voluntaria,de qua Christus dicit,Pœnitentiam agite,est de præcepto Christi & de essentia pœnitentiæ spiritualis,ac omnino de necessitate salutis: & consequenter non est in potestate sacerdotis cuiuscq; dimittere illam.Est enim mortificatio passionum & crux portanda post Christum.

¶ Tertiò,quia potestas ligādi atq; soluēdi par est:sed Papa nō pōt ligare nisi ad pœnam canonicam;ergo non potest absoluere nisi à pœna canonica.

¶ Quartò,Satisfactio sacramentalis nō dicitur satisfactio,quia satisfaciat pro culpa simpliciter,sed quia satisfaciat secundum statuta ecclesiæ: ergo absolutio ab illa non est absolutio à satisfactione simpliciter. Antecedens probatur:quia dicendo pro culpa satisfit, per pœnā mortificationis propriè,& huiusmodi.

IN OPPOSITVM Autem est communis,Ecclesiæ sensus.

CONCLVSIO.

Quicunque absoluuntur per indulgentias ab iniunctis pœnitentijs, absoluuntur à pœnis debitis peccatis suis apud diuinam iustitiā.

AD EVIDENTIAM Huius sciendū est,quòd pœna canonica,(hoc est iniuncta à sacerdote in confessione sacramentali,) & pœna satisfactoria pro culpa secundum diuinam iustitiam, non se habent sicut duæ pœnæ,sed se habent sicut pœna indeterminata & pœna determinata.Sicut etiam præceptum de confessione facienda editū à Deo & ab ecclesia,nō præcipit duplicē confessionē,sed se habet ecclesiæ præceptū ad diuinū vt determinatū ad indeterminatū.Illud enī idē quod pcipit Deus, præcipit ecclesia.sed Deus præcipit,ꝙ cōfiteamur nō determinādo tēpus,ecclesia idē præcipiēdo determinat tempus,scilicet singulis annis:Vñ vna & eadē est cōfessio præcepta à Deo & ecclesia.Et proculdubio vnica cōfessione implet,qui,licet præceptū Dei & ecclesiæ:ridiculū quippe esset semel cōfiteri,vt obediatur Deo,& iterū vt obediatur ecclesiæ.Simile quid est videre in proposito:nā pro peccato cōmisso,(puta periurio,)tenetur ex diuino præcepto homo satisfacere,sed non determinatè per istam vel illam pœnā,nā pōt satisfacere per eleemosynā vel per ieiuniū, vel orationē.Et pro eodē peccato tenetur ex iniūctione sacerdotis imponētis satisfacere per determinatā pœnā,puta ieiuniū septem annorū.Nec tenetur pœnitens ad duas pœnas:alteram satisfactoriā apud Deū, & alteram satisfactoriam ecclesiæ: sed implendo iniunctā ab ecclesia,satisfecit Deo & ecclesiæ:vel pro tota pœna debita illi peccato(si imposita à sacerdote adæquat debitā secūdū diuinā iustitiā)vel pro parte illa q̄ correspōdet impositę,si pœna imposita minor est illa,q̄ secūdū diuinā iustitiā determināda erat. Nec hæc volūtariè dicimus: sed euidēter mōstramus discurrendo per omnes actus pceptos ab vtroq;,scilicet Deo & ecclesia:vt patet in præcepto de obseruatione festorū & pcepto de obseruatione ieiuniorū.Vnū enim atq; idē est quod à Deo ecclesiâq; præcipitur, ab illo indeterminatè,& ab ista determinatè:& dū ecclesiæ obeditur,non remanet homo obligatus ad Dei præceptū iterum implēdū circa illud.Et simile est in alijs. Quocirca Deo ecclesiâq; idem præcipiente,vnus atq; idem actus fit debitus duplici vinculo,scilicet Dei & ecclesiæ. Et propterea putari potest,ꝙ si iniuncta pœnitētia relaxatur per indulgentiam,non remittitur pœna satisfactoria simpliciter & absolutè.sed solùm vt est debita ex vinculo ecclesiæ & propterea remanet,vt est debita ex vinculo diuinæ iustitiæ.Sicut quū Papa relaxat ieiuniū alicui personæ, non concedit illi,ꝙ non impleat,Dei seu naturę præceptū de ieiunio,sed ꝙ non arctetur ex vinculo ecclesiastici præcepti ad ieiuniū.Et secundum hanc viā sicut ligat sacerdos ad pœnam nouū adijciendo vinculum, determinandoq; per qualem quantamq; pœnam satisfacere debet pœnitēs: ita absolueret per indulgentiā tollēdo vinculum ecclesiæ & determinationē ad talem pœnam.Fallitur autē opinio hæc in hoc,ꝙ non discernit inter absolutionem per viā indulgentiæ & absolutionem per viam licentiæ.Absolutio enim per viā licentiæ cōmunis est omnibus principibus ecclesiasticis & secularibus:dum quilibet potest soluere, quæ ligauit,licentiam præbendo,vt non teneatur iussa à se adimplere:& de huiusmodi absolutione verificatur licentia ieiuniorū & similium.Sed ꝙ non sit talis absolutio per indulgentias, patet ex eo,ꝙ innititur illi priuilegio Christi,Quodcunq; solueris super terram:certū est enim absolutionem concessam per hoc priuilegiū,non esse illā, quæ cōmunis omnibus principibus est:ad quam non est opus priuilegio,sed statim vt quis est princeps,habet illā. Amplius absolutio per modū licentiæ,extendit se indifferenter ad singula positiui iuris:pōt enim ita relaxare obseruationem vnius præcepti iuris sicut alterius: vt patet. Absolutio autē Petro cōcessa ex priuilegio Christi habet pro materia ea,quæ regni cælorum sunt(dicente Christo, Tibi dabo claues regni cælorum)& specialiter culpa (vt patet ex verbo Christi:Quorū remiseritis peccata,remittuntur eis)& pœnas pro culpa,vt patet ex verbo Christi Matth.18.Vbi quum dixisset,Si ecclesiam nō audierit,sit tibi velut ethnicus,subdit,Amen dico vobis,quæcūq; alligaueritis super terram,&c.Amplius,si indulgentiæ non essent nisi relaxationes vinculi à sacerdote vel canone impositi,decepta esset vniuersitas fidelium,credentium non solū vinculū,sed ipsas pœnas remissas esse.Alio ergo modo absolutionem per indulgentias fieri,ex eo cōuincitur, ꝙ indulgētia verè acquisita,tenet communis ecclesiæ & doctorum sensus,satisfecisse hominem illū, ac si pœnitētiā correspōdentē illi indulgentiæ perfecisset. Ex hoc enī manifestè sequitur,ꝙ indulgētiæ absoluēdo ab iniunctis pœnitentijs absoluunt non solū à vinculo per sacerdotē,aut canonem apposito:sed etiā à pœna tēporali debita secundum diuinā iustitiā peccato,quāta correspōdet illi acquisitæ indulgētiæ.Nec est parui momēti ratio sumpta à cōsensu ecclesiæ & doctorū sacrorū:sed est tātæ autoritatis, vt nō nisi temere liceat sentire oppositum.Et cōfirmatur sñia hæc:qm̄ sic verè relucet operatio priuilegij Petro concessi,Quodcūq; solueris sup terrā:absoluere enī à pœnis peccato debitis in foro diuinæ iustitiæ,nō principis,nō iuris humani,sed diuinæ est potestatis Petro cōcatæ à Christo.Amplius,Clemēs 6.tradidit expressè ꝙ indulgentia remittit pœnam temporalem pro peccato debitam: vt patet in extrauagante ab orbe acceptata de Iubilæo quinquagsimo quoque anno: & habetur in extrauagantium communium titulo,de pœ.& re.ca.vnigentius.Non licet autem contra apostolicæ sedis doctrinam sentire.

AD Primā ergo obiectionē dicitur,ꝙ pœna iniūcta ab homine,seu canone est duplex:quædā simpliciter apposita ab homine,vel canone,vt excōicatio,carcer,& huiusmodi:& hæ nō ligant nisi in foro ecclesiastico. Quædā verò sunt appositæ ab hoīe seu canone, & appositæ solū quo ad q̄titatē et qualitatē,vt suppositas pœnas euacuēt. Et istæ obligāt partim in solo foro ecclesiæ,pro quāto nō tenetur nisi i hac vita implere illas qualitates:& partim simpliciter apud Deū:pro quāto si non secundum iniunctas qualitates satisfecit,tenetur satisfacere apud diuinā iustitiā in alia vita de tota illa pœna, quæ euacuata fuisset,si secundum iniunctas satisfecisset . Vnde sicut pœnitentia sacramentalis obligat in foro Dei, ita absoluit in foro Dei.

¶ Ad secundam dicitur, ꝙ ecclesia potest absoluere per indulgentias à pœnis debitis ex præcepto & vinculo diuino.Nec hoc facit ecclesia humana,sed diuina autoritate sibi concessa ex priuilegio, Quodcunq; solueris : Petrus enim vt vicarius & minister Christi agit autoritate Christi.Nec mirum,si potest absoluere à pœna debita ex præcepto Christi,& ad quam obligat interior pœnitentia,et quæ est de necessitate salutis, quia potest absoluere à culpa:quæ tantū excedit pœnam vt Iudæi dixerint,Quis potest peccata dimittere,nisi solus Deus: Sacerdos enim ministerialiter absoluit à culpa,& remittit peccata confitentium sibi:dicente Christo,Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.Et multò magis potest Christi minister absoluere à pœnis : quum enim culpa & pœna impedimenta sint regni cælorum(quia & nihil coinquinatū intrabit illud,& absterget Deus omnem lachrymam , nec dolor erit vltra,&c.) Ad claues regni cælorum spectare necesse est vtrunq; impedimentum tollere;alioquin aperire regnum cælorum fidelibus non sufficerent.Cōstat autem sufficere in patiente disposito & reliquis concurrentibus requisitis.Quocirca pœna,ad quam peccator ex Dei præcepto tenetur,& quā pœnitentia interior operatura erat pro peccato,& quæ de necessitate salutis æternæ habendæ implenda erat,per indulgentiæ absolutionem verè acquisitam sublata desinit talis homo ad illam obligari,& ex diuino præcepto,& ex pœnitentia interiori,& ex fine salutis æternæ,quia iam satisfecit per aliam viam,scilicet per absolutionem indulgentiæ,& hoc Christi autoritate per suū ministrum ritè exequuta.Quod autem dicitur,ꝙ pœnitentia,ad quā teneatur peccator,est crux Christi,& mortificatio passionū iam à priscis solutum est doctoribus dicentibus , ꝙ pœnæ inquantū sunt medicinæ passionum,non supplētur per indulgentias: & propterea debemus etiam indulgentijs acquisitis pœnitentiam agere,vt medicinam passionum nostrarum. Inquantū verò sunt satisfactiuæ pro peccatis commissis , sic supplentur per indulgentias. Et similiter est distinguendum de cruce post Christum portanda,& similibus.

¶ Ad tertiam dicitur,ꝙ propositio assumpta(scilicet potestas ligandi atq; soluendi par est.) est cū grano salis intelligenda:quia, etsi est par quantū ad materiam, (quia vtrobiq; Dominus dixit, Quodcunq; : sicut enim dixit, Quodcunq; solueris,ita dixit , Quodcunq; ligaueris,)nō tamē est par quo ad modū. Nam & peccata sacerdos ministerio autoritatiuo tollit,ita ꝙ absoluendo facit de peccatore iustum:non pōt tamen ministerialiter ligando facere de iusto peccatorem.Ex hoc enim patet, ꝙ alio modo soluit quā liget Petrus quantum ad culpas: & similiter fas est,vt alio modo Pontifex liget,quā soluat pœnas. Absoluit enim ministerialiter & per sacramentalem absolutionē,& per indulgentias à pœnis secundū diuinam iustitiā debitis:ligat autē ad pœnam sicut ad culpam.Nā sicut ad culpā ligat,vel non remittendo,vel præcipiendo aliquid,cuius transgressio constituit peccatorem:ita ligat ad pœnā vel nō remittendo,vel agēdo, vnde per seipsum quis incurrat debitū pœnæ apud diuinā iustitiam. Sub hac autē distinctione dicitur ad minorem , ꝙ si sermo sit de posse quibusuis modis, Papa pōt ligare ad pœnā canonicā & non canonicam,hoc est absolutè apud Deum, (vt patet ex dictis,) & similiter absoluere . Si verò sermo sit de posse tali modo,scilicet directè imponendo vel tollendo,sic minor est falsa:quia non æqualiter se habēt quo ad modū claues in ligando & soluēdo.Potest enī directè absoluere quod nō potest directè imponere: vt in culpa.

Pōt & nihilominus ad minorē aliter respōderi, dicendo,ꝙ in canonica pœna quæ in foro pœnitētiæ iniūgitur in satisfactionē,clauditur pœna debita peccato corā diuina iustitia:quoniā eadē est pœna supposita & qualificata ab homine vel canone:vt patet ex dictis.Et propterea sicut sacerdos ligando ad pœnā canonicā, ligat ad pœnā simpliciter vestitam qualitatibus appositis ab homine vel canone:ita absoluēdo ab hmōi pœna canonica,absoluit & à pœna simpliciter.Nā absoluendo à pœna qualificata per hominē vel canonē,absoluit & à pœna & à qualitate,quiem absoluit à toto,absoluit à qualibet illius parte,quia in toto includitur pars.Et si: dato quòd non liget nisi ad canonicā,nec absoluat nisi à canonica, adhuc habetur intentū, ꝙ ligat & absoluit in pœnā simpliciter debitā in satisfactione pro peccato. Pōt & tertiò dici ad eandē,ꝙ quia actus & potētia diuidūt ens,& quodlibet genus entis,& ad idem propterea genus spectat homo in potētia & homo in actu, & albū in potentia & albū in actu:& sic de alijs:ideo etiā pœna canonica diuiditur in canonicā in actu,vel in potētia,& vtraq; infra genus canonicæ pœnæ clauditur.Et ꝙ ecclesia non solū pōt super pœnas canonicas in actu,sed etiā super pœnas canonicas in potētia.Imò de facto ecclesia per canones pœnitētiales & per arbitriū confessorū,nihil aliud facit quā ꝙ pœnas debitas simpliciter pro peccatis,quę sunt canonicæ in potētia facit canonicas in actu,adhibēdo illis formā canonicā,puta tot dies ieiunij,&c. Ac per hoc ecclesia ex hoc ipso,ꝙ pōt super pœnas canonicas tam actu q̄ potentia, pōt super omnē temporalē debitā pro satisfactione peccatorū:quia omnes tales pœnæ sunt canonicæ aut in actu, aut in potētia:hoc est sunt aut determinatæ per canones, aut determinabiles,sunt aut iniūctæ per sacerdotem,aut possunt iniungi.Et propterea licet ecclesia in indulgētijs non consueuerit nisi iniunctas pœnas remittere , quia ita sonant,posset tamen etiam non iniunctas remittere:sequitur enim hoc ex nunc probatis,& fulcitur autoritate diui Tho.aliorúmque Doctorum.

¶ Ad quartam dicitur, ꝙ ly simpliciter, in duobus sensibus sumi cōsueuit.Primò,vt æquiualet ad ly totaliter:secūdò,vt excludit additionē,vt Aethiops nō dicitur albus simpliciter,sed cū additione dicitur albus dentes:nec aūt quia dicimur albi sine additione aliqua, dicimur albi simpliciter.In proposito ergo si Simpliciter sumitur,pro Totaliter,si satisfactio sacramētalis quandoq; satis facit simpliciter, & qñq; non simpliciter,sed partialiter:quia quādoq; adæquat pœnam debitam peccatis,& qñq; non.& hoc est manifestum.Si autē sumitur pro sine additione,sic satisfactio sacramētalis semper satisfacit simpliciter, dūmodo pœnitens agat illam rectè dispositus:quia non solum satisfacit ecclesiæ,sed Deo pro tāta pœna debita peccatis,quāta correspōdet illi satisfactioni sacramētali.Nec hæc voluntariè dicimus,sed probata efficaciter sunt ex supradictis.Augustæ die 29.Septembris 1518.

QVAESTIO V.

Num indulgentijs liberentur defuncti à pœnis purgatorij.

QVAERITVR Vtrū ob plenariam indulgentiā cōcessam pro defunctis,& acceptam à viuis pro certis defunctis,animæ illorum defunctorum in purgatorio existentes liberentur totaliter à pœnis purgatorij. Videtur enim quòd sic:quia indulgentiæ tantùm donant quantum sonant:sed plenaria indulgentia sonat remissionem omnium pœnarum:ergo,&c.

¶ Præterea,Indulgentia valet (vt dicunt doctores)per modum solutionis:ac per hoc indulgentia plenaria valet per modum solutionis plenariæ:sed facta solutione integra alicuius debiti liber est debitor ab vniuerso quod debebat:igitur habita indulgentia plenaria,liberatur anima à pœnis purgatorij.

¶ Præterea,Doctorum sententia est,ꝙ cōcurrentibus tribus,scilicet autoritate in dāte, pietate in causa & gratia, in recipiente,indulgētia valet:sed hīc concurrunt omnia. ergo. Et confirmatur ex autoritate prædicationis ecclesiasticæ:multi enim prædicando hoc dicunt.

CONCLVSIO.

Non omnes defunctorum animæ in Purgatorio existentes per indulgentias, quas hic viuentes pro illis suscipiunt , liberantur, sed qui ita hic viuentes se gessere, vt diuinæ misericordiæ placeret, illos liberari.

IN OPPOSITVM Autem est,quia ex hoc sequeretur,quòd per indulgentias posset Pontifex expoliare Purgatorium.

¶ Ad euidētiā huius difficultatis supposito(prout rei veritas est)indulgētias nō nisi per modū suffragij prodesse defunctis,tria sunt præmittenda:& postmodū rñdendū quæsito.Primū præmittendū est de ista indulgētia in se, quid sit plenaria indulgētia per modū suffragij.Secundū est de modo seu via quo modo perducatur indulgētia ad animas in Purgatorio.Tertium est de ipsarū animarū in Purgatorio dispositione ad percipiētē indulgētię fructū.

¶ Quo ad primū,à quid nominis inchoādo, quia suffragiū auxiliū significat, & in proposito de ecclesiastico suffragio est sermo,modus suffragij modū ecclesiastici auxi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ij denotat: ita quòd indulgentia per modum suffragij significat indulgentiam per modum ecclesiastici auxilij: hoc est per modum, quo nos per pia opera nostra suffragamur, seu auxiliamur defunctis. Nequit autem intelligi modus iste suffragij nisi ecclesiæ suffragia perspecta fuerint: quoniam ad horum similitudinem indulgentia suffragij modum induit. Et quum trifariã nostris operibus suffragemur defunctis, (vel merendo bonis operibus de congruo tamen, defuncti alicuius liberationem à purgatorio, vel impetrando nostris orationibus illam, vel satisfaciẽdo nostris passionibus seu pœnalibus operibus pro illis.) & indulgentiam supponamus fieri ex thesauro superabundantium in ecclesia passionum, seu pœnalium operum: consequens est, si singula singulis reddenda sunt, vt indulgentia quæ pœnarũ solutionẽ ecclesiastica autoritate collatam sonat, quum ad modum ecclesiastici suffragij determinatur, non cuiuscunque ecclesiastici suffragij, sed satisfactorij suffragij modum induat. Nam quum indulgentia, inquantum indulgentia, nõ sit nisi meritoria, neq; impetratoria, sed satisfactoria: cõsentaneum rationi est, vt non induat modum suffragij meritorij, neq; modũ suffragij imperatorij, sed modum suffragij satisfactorij ita quòd indulgentia per modum suffragij, est concessum ex thesauro ecclesiæ opus satisfactorium per modum ecclesiastici suffragij satisfactorij: hoc est per modũ, quo nostra satisfactoria suffragia opem fuerunt. Hæc de primo.

Indulgẽtiæ p modum suffragij prosunt defunctis ex diuina misericordia & gratia.

¶ Quo ad secũdum, qua scilicet via indulgentia per modũ suffragij perueniat ad animas in Purgatorio, in promptu est, vnde manifestum fiat. Ex hoc enim ipso, quòd indulgentia modum ecclesiastici suffragij satisfactorij induit, vna eadem est via, per quã ecclesiæ suffragia satisfactoria pro defunctis facta (vt ieiunia, peregrinationes, & alia huiusmodi) ad defunctorum animas perducuntur, et per quam indulgentia per modum suffragij ad illas peruenit. Et via hæc non est via iustitiæ, sed via gratiæ seu misericordiæ: quoniam vniuersa ecclesiæ suffragia diuinã efflagitant gratiam: qua hæc accepta sint pro animabus illis purgandis, quibus suffragari intendimus. Quod ex duobus ad propositum spectantibus declaratur. primò ex hoc, quòd pœnæ nostræ (vt diuus Tho. docuit) sunt alterius & deficientis rationis a pœnis animarum separatarum: sicut pœna pecuniaria est alterius ac deficientis rationis à pœna seruituris. Hinc enim fit, vt sicut seruitus pecunia non redimitur secundum iustitiæ rigorem, sed secundum Domini acceptationem: ita pœnæ animæ separatæ pœnis nostris non redimuntur secundum iustitiæ rationem, sed secundum diuinæ misericordiæ dispensationem. Secundò ex hoc, quòd alter est forus noster, in quo nos patimur, & alter ac altior, in quo animæ separatæ puniũtur: noster est forus mitis, quasi canonicus vel ciuilis, ille rigorosus, quasi sanguinis & criminalis. Et propterea si quis hic ob debitam pecuniam in seruitutem redactus, esset (vt olim fiebat) aut clericus in forum sanguinis decidisset: sicut non sufficeret amplius pecunia ad redimendũ illum, nec pœnæ canonicæ sufficerent ad redimendam clerici vitam: ita non sufficiunt passiones nostræ ad satisfaciendum pro pœnis animarum in purgatorio, quæ tamen nostræ passiones suffecissent ad satisfaciendũ pro eorundem delictorum pœnis in hac vita soluendis, antea scilicet quàm in pœnas alterius rationis essent translatæ in foro iræ ac rigoris diuinæ iustitiæ: qualis est forus, in quo puniuntur animæ separatæ: spectant enim illarum pœnæ ad statutum pœnarum inferni. Nec putes propterea ecclesiæ suffragia satisfactoria pro defunctis esse vana, aut incerta, sed scito esse vtilia & certa: sicut etiam vtilia sunt & certa suffragia orationum pro illis: quæ cõstat diuinæ misericordiæ inniti. Bene siquidem nobiscũ & cum illis agitur, si diuina gratia acceptatæ, ecclesiæ suffragia satisfactoria ad releuamen animarum, quæ in alia vita puniuntur, deducuntur. Non est nobis via iuris aliqua adeundi forum illum ad alicuius redemptionem, sed gratia opus est. Manifestius quoque fit quod dicimus, locũ habere in indulgentijs pro defunctis, ex differentia inter modum, quo conceditur defunctis, & quo conceditur viuis: nam defunctis conceditur per modum suffragij: viuis autem per modum absolutionis: vt patet extra, de pœ. & re. & cap. quod autem. Vbi videre potes, quòd ecclesiasticus princeps vtrobiq; autoritatiuè habet actum dispensandi thesaurum ecclesiæ, sed respectu viuorum superaddit actum absolutionis, respectu verò defunctorum nullum addit. propriè loquendo, actum: latius tamen loquẽdo, addit actum modificatiuum ad suffragia ecclesiastica. Et meritò sic fit: quoniã nos, qui viuimus, sumus subditi Pontifici, & pœnæ nostræ ad forum præsentis vitæ spectant: & propterea seruatis seruandis: indulgentia ad viuos defert via iustitiæ per iudicis actum, scilicet absolutionem. Existentes autem in purgatorio (vtpote extra ecclesiæ præsentis forum) a Papa absolui nõ possunt, sicut nec ligari: & ideo indulgentiam, quam autoritatiuè ex thesauro ecclesiæ confert illis per modum auxilij, ad eorũ subleuationem mittit confidens in diuina misericordia quòd acceptabitur ad subleuamẽ eorum, qui in foro iræ & furoris Domini puniuntur purgandi. Et est simile ac si sit princeps ciuitatis alicuius, ex ærario publico liberaturus omnes ciues ære alieno grauatos, quorũ aliqui sub suo dominio, alij in alieno iam propterea seruituti addicti essent. In hoc enim casu princeps ex publico ærario autoritatiuè nummos dispensaret pro istis & illis, sed degẽtes sub sua iurisdictione etiam iudicialiter absolueret a debito: ad degentes autem alibi seruos non posset nisi per modum auxilij subuenire cum pecunia via, & alterius gratiam ac absolutionem expectare. Simili modo ecclesiasticus princeps ex thesauro ecclesiæ, viuorum ac defunctorum pœnas pro peccatis debitas soluturus, vtrisq; thesauri opes dispensat: sed viuis applicat absoluendo illos, defunctis autem applicat auxiliando. hoc est, vt ecclesiæ satisfactiua suffragia ad defunctorum liberationem dirigendo. Notanter autem dico, ecclesiæ: quoniam satisfactiones ex thesauro ecclesiæ dispẽsari intelliguntur, si propriè loquendum est; non ita vt sint istorum, quibus conceduntur, tanquam ipsimet opera illa fecissent, aut illi, qui fecerunt fecissent specialiter pro istis: sed tanquam ecclesiæ communia suffragia appropriantur singularibus personis. Est siquidem inter sacramentorum & indulgentiarum efficaciam differentia ad propositum: in hoc quòd remissio pœnæ per sacramentũ fit ex intentione ipsius Christi, cuius est sacramenti operatio: ita quòd iste suscipiens sacramentum releuatur à tanta pœna, acsi ipse passus fuerit patiente Christo: vt sacramentum Baptismi testatur: docente hoc Apostolo ad Roma. 6. & diuo Tho. in tertia par. q. 69. Per indulgentiam autem, remissionem pœnæ consequimur, tanquam ecclesia pro nobis illa passa fuerit quoniam abundantia passionum Christi & Sanctorum ecclesiæ dispẽsationi credita, intelligitur donata ecclesiæ, vt commune ipsius ecclesiæ bonum; ac per hoc per ecclesiæ rectores, vt ipsius ecclesiæ sunt, ex intentione ecclesiæ applicanda his vel illis. Deuenerunt siquidem passiones istæ ad thesaurum ecclesiæ ex intentione Christi & Sanctorum ad commune ecclesiæ bonum in generali, & cõmissa sunt, vt ex intentione ecclesiæ ad hos vel illos. Et hoc explicatur in forma indulgentiarum pro defunctis, quum per modum suffragij proculdubio ecclesiæ conceditur. Deducitur igitur indulgentia ad defunctos non iustitia, sed gratiæ diuinæ acceptatione duce. Hæc de secũdo.

¶ Quo ad tertium prima fronte apparet, quòd indulgentia sicut & alia communia ecclesiæ suffragia omnibus in purgatorio existentibus pro quibus fiunt, prosint: quoniã omnes tales inter valde malos et valde bonos medij sunt: quibus secundum Augustini doctrinam ecclesiæ prosunt suffragia. Si tamen diligentius perspexerimus, oppositum apparebit, sectando Augustini doctrinam in enchiridio, & in libro de cura pro mor. agẽ. recitatam a Gratiano 13. q. 2. Videtur enim quòd ecclesiæ suffragia saltem specialia, & similiter indulgẽtiæ, quæ vt specialia suffragia fiunt, [illegible] his solis defunctis prosint, qui in hac vita meruerunt, vt in purgatorio hæc illis prodessent. Et quoniã fructus, quem ex suffragijs animæ, quæ purgantur percipiunt, ad præmium accidentale spectat, quum sit pœnæ temporalis remissio: consequens est quòd non ad essentiale, sed ad accidentale meritum pertineat mereri in hac vita, vt suffragia prosint in alia vita. Et si his adiunxeris, q huiusmodi accidentalia merita non sunt omnibus in gratia decedentibus ad purgatorium ducendis: perspicuum erit, quòd non omnibus in purgatorio indulgẽtiæ & alia specialia suffragia prosunt: quia non omnes hic meruerunt vt hæc illis possint prodesse. quamuis omnes hic meruerint, vt hæc illis possint prodesse: quia hoc spectat ad meritum essentiale. Eodem enim merito, quo meruerunt vitam æternam tandem eis exhibendam, meruerũt vt Sanctorum communione iuuari interim, & tandem frui possint.

Videntur autem ad accidentalia hæc merita spectare, deuotio magna ad claues ecclesiæ indulgentiæ donatiuas, misericordia solicitudo ad satisfaciendum pro peccatis, studium ad suffragandũ defunctis, & similia. Et confirmatur quod dicimus, autoritate diui Tho. dicentis in tertia par. q. 52. ar. 8. ad primũ, q in descẽsu Christi ad inferos nõ solũ liberati sunt illi, quorum tempus purgationis aduenerat, sed illi qui ob specialem in hac vita deuotionem ad Christi aduentum, meruerunt, vt Christo visitante liberarentur. Vbi videre potes accidentali merito in hac vita tributum, vt pœnæ remissio in purgatorio accelerata fuerit. Dicendum ergo videtur, quòd omnes, qui in Purgatorio sunt, possunt ecclesiæ suffragijs & indulgẽtijs iuuari: sed de facto specialibus suffragijs & indulgentijs non omnes iuuantur, sed illi soli, qui hic meruerunt, vt illi iuuarentur. Cõmunibus autem suffragijs piè puto omnes iuuari: plus tamen & minus secundum diuinæ dispensationis gratiam. Nam qui in hac vita defunctos obliuioni dant, satisfacereq; proprijs peccatis negligunt, & sui ita sunt, vt vix cum gratia discedant, alienos à fructu omnium suffragiorum ibi crediderim: quamuis multa pro eis hic fiant, diuina vlciscente iustitia huiusmodi duritiam cordis atq; incuriam. Hæc de tertio.

¶ Ex omnibus autem præmissis facilè patet respõsio ad quæsitum. Liquet nanq; non omnes animas in purgatorio oportere liberari propter plenariã indulgentiam illis concessam: tum quia multæ earum sunt fortè de illarum numero, quæ hic non meruerunt, vt huiusmodi indulgentiæ illis prodessent: tum quia non cõstat, si huiusmodi indulgentia per modum suffragij coram diuina acceptata sit gratia pro illa anima.

AD PRIMVM Ergo argumentum dicitur, q indulgentiæ tantùm donant, quantum sonant: apud tamen aures doctas, apud quas indulgentia plenaria sonat remissionem omnis pœnæ pro peccato actuali iniunctæ. Et si extenderetur ad non iniunctam, super subintelligeretur modus suffragij: qui non minuit rationem plenariæ, sed apponit modum, quo indulgentia plenaria fit auxiliaris tantùm.

¶ Ad secundum dicitur, quòd indulgentia plenaria in præsenti foro est absolutè indulgentia: & ideo valet per modum solutionis plenariæ. Sed indulgẽtia plenaria relata ad forum alterius vitæ, quia vt sic induit modum suffragij, valet per modum solutionis plenariæ, suffragando tantum: ac per hoc expectando diuinæ gratiæ acceptationem. Et propterea licet indulgẽtia plenaria solueret: nihil tñ fieret nisi solutio acceptetur à principe, cuius interest.

Quamuis possit etiam dici vltra plenariam solutionẽ requiri, q ad debitorẽ perueniat fructus solutionis, qui potest impediri ex hoc, quòd debitor nõ meruit in ista vita quòd hæc plenaria solutio ei prosit: vt declaratum est.

¶ Ad tertium dicitur, quòd concursus illorum triũ proposito nihil officit: quoniam nõ est hic sermo de indulgẽtia simpliciter, sed de ipsa per modũ suffragij. qui modus licet non mutet indulgentiam nec ipsius plenitudinẽ tollat: mutat tamen modũ perueniendi ad eos, quibus prodest, quoniam ponit modum perueniendi per viam gratiæ. Hoc enim, vt declaratũ est, importat modus suffragij.

¶ Ad confirmationem aũt de prædicatoribus dicitur, q prædicatores, ecclesiæ personam agunt dum prædicant Christi & ecclesiæ doctrinam. Dum autem ex proprio sensu aut cupiditate dicunt ea quæ nesciunt, non agunt ecclesiæ personam: & ideo non est mirum si in istiusmodi verbis errant. Romæ 20. Nouembris 1519.

QVAESTIO VI.

Num Papa autoritate clauium det indulgentiam animabus in Purgatorio.

VTRVM Papa autoritate clauiũ det indulgẽtiã animabus in Purgatorio. Et videtur q non. Primò, quia potestas Petro data nõ nisi super terram est: dicẽte Dño, Quodcunq; solueris vel ligaueris super terram.

¶ Secũdò, quia ipse stylus literarum indulgentiæ pro defunctis, expressè habet, q per modũ suffragij indulgentia animabus datur: constat aũt suffragium non spectare ad potestatem clauium, sed ad suffragantium auxilium.

¶ Tertiò, quia hæc potestas non habetur ex sacra Scriptura, nec ex sacris canonibus: ergo, &c.

CONCLVSIO.

Indulgentiæ debito modo fidelibus collata, ad clauium potestatem & autoritatem spectant.

IN OPPOSITVM Videtur autoritas literarum apostolicarum.

¶ Ad euidentiam huius sciendum est, q quum actus clauium sit aperire, consequens est, vt actus clauium regni cælorũ, Petro concessarum sit aperire regnum cælorum, proculdubiò ingressuris in illud, quos constat oportet esse membra Christi. Aperiri siquidem regnum, quum nihil aliud sit q tolli impedimenta ingressus ad illud, sicut duplicia sunt impedimenta, ita dupliciter aperiri inuenitur regnum cælorum. Sunt enim quædam impedimenta naturæ, hoc est ex peccato originali: & quædam impedimenta personæ, ex peccato actuali. Et quo ad impedimenta peccati originalis, aperuit Christus per seipsum regnum cælorum per passionem mortemq; suam (in qua etiam portas abstulit, vtpotè nunquam claudendas) & per Baptismum, in quo cœli aperti sunt. Quo ad impedimenta verò personalia (quæ, scilicet ex peccatis nostris actualibus sunt; vt culpa & pœna pro actualibus debita) per Petrum aperire regnum cælorum statuit. Et propterea sicut ad potestatem clauium Petri spectat tollere personalem culpam per sacramentũ pœnitentiæ: dicente Domino, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: ita ad clauium Petri potestatem spectat tollere personalem pœnã, quæ scilicet, pro actuali culpa est debita. Vtraque enim impedit ingressum hominis ad regnum cælorum: alioquin claues non sufficienter aperirent (dum non sufficerent ad tollendum vtrunque genus personalis impedimenti ad regni cœlorum ingressum. Et periclitaretur illa vniuersalis à Domino data autoritas, Quodcunq; solueris super terram: nam si pœna excipitur actuali peccato debita, iam non ad quodcunq; soluendum extenderetur clauium subiunctus actus per dicta verba. Clauiũ igitur Petri actus, cùm sit aperire regnum cælorũ Christi membris, tollendo personalia culpæ & pœnæ impedimenta, consequens est, vt quia indulgentiæ autoritate ecclesiastica datæ seruatis seruandis, tollunt pœnam pro actualibus peccatis debitam, ad potestatem clauium pertineãt. Et si his iunctum fuerit, q indulgẽtiæ omnes eiusdem rationis sunt quo ad causam & effectum (quia omnes sunt ab ecclesiastica potestate dispensante thesaurũ meritorũ Christi & Sanctorum, quatenus satisfactoria sunt: & omnes tollunt pœnam aliquã temporalem pro actualibus peccatis secundum diuinam iustitiam debitam) consequens erit q indulgentia quæ pro defunctis conceditur, ad potestatem clauium spectet: ad quam spectat concedere indulgentiam pro viuis. Et confirmatur hoc, ex ipso Romanæ ecclesiæ stylo in literis indulgentiarum pro defunctis: duo enim ibi dicuntur, & q apostolica autoritate indulgentia pro animabus in Purgatorio cõceditur, & q indulgẽtia ipsa per modũ suffragij opituletur animabus in remissionẽ suarũ pœnarũ. Docet eñ per hoc Rom. ecclesia, q apostolica sedes thesaurũ meritorũ Christi & Sanctorũ p animabus in Purgatorio dispẽsat autoritate clauiũ: sola enim clauiũ potestas est apostolica autoritate super aperiendo cælorum regno ex meritis Christi & Sanctorum animabus Purgatorij, tollendo earum pœnas impedientes illas ab ingressu regni cælorum: vt patet. Et q ad animarum in Purgatorio pœnas relaxandas indulgentiã concessam transfert per modum suffragij, & non per modum absolutionis; quo scilicet absolutionis modo indulgẽtiam impedit viuis; vt patet extra de pe. & re. ca. quod autẽ. Vnde patet quod indulgentia concessa viuis & defunctis, hoc habet cõmune, quòd vtraq; ex potestate clauium dispensante thesaurum meritorum pœnaliũ Christi & Sanctorum in remissionem pœnæ tẽporalis pro actualibus peccatis debitæ cõceditur. Sed modus, quo peruenit indulgentia ad vtrosq;, diuersus est: quia ad viuos, qui illam consequũtur veraciter, per modum absolutionis peruenit, defunctos autem, qui etiam illam veraciter consequuntur, per modum suffragij liberat.

AD PRIMAM Ergo obiectionem cõceditur, quòd Papa non potest autoritatiuè absoluere animas existentes in Purgatorio: sed aliud est absoluere autoritatiuè illas, & aliud est dispensare autoritatiuè thesaurum Christi & Sanctorum pro illis, vt per modum suffragij absoluantur illæ. hoc enim Papa faciens, non excedit fines iurisdictionis suæ; quia non soluit autoritatiuè per hoc sub terra.

¶ Ad secundam dicitur, quòd stylus literarum apostoli-

Universidad de Deusto Biblioteca

carum continet quidem modum suffragij,sed non tantū: quoniam continet cum hoc autoritatiuam concessionem indulgentiæ.Et per ambo monstrat & autoritatem dispensandi,& modum suffragij in perueniendo ad animas in Purgatorio.

¶ Ad tertiā dicitur,ꝙ hęc potestas satis habetur ex sacra Scriptura,dū ex ea habētur claues Petri: & ex cōditrice canonū Romana ecclesia explicatū est, ꝙ modis diuersis claues aperiunt regnum cœlorū Christi membris viuis& defunctis:vt patet ex dictis Augustę die 15.Octob.1518.

TRACTATVS DECIMUSSEPTIMUS de Contritione unica quæstione contentus.

QVAESTIO I.

Vtrum quando quis sui peccati mortalis recordatur, teneatur habere de eo contritionem.

QVAERITVR Vtrum quoties recordatur quis sui peccati mortalis, teneatur habere contritionē. Et est ratio dubij:tū quia partem affirmatiuā multi tenere vidētur ex verbis sancti Tho. in 4.sen.di.17.q.13.ar.1.quæstio. 4.dicentis:Ad contritionem tenetur homo quando peccata memoriæ occurrunt, quum præcipuē in periculo mortis existit,aut in aliquo articulo.

¶ Tum quia sicut quoties occurrit peccatū mortale vt à se committendū, tenetur homo refutare commissionem, ita quoties vt à se commissum tenetur illud detestari.

¶ Tum quia nec per momentum licitum est stare in peccato mortali:ac per hoc statim vt occurrit tenetur illud fugere: iuxta illud Ecclesiastici 12. Quasi à facie colubri fuge peccata.

IN OPPOSITVM Autē est. Tum quia sequeretur ꝙ quotiescunq; aliquis de commisso peccato occurrente sibi attereretur,peccaret mortaliter : quia non haberet contritionem. Tum quia efficax ratio non apparet præcepti ad cōtritionem pro tali tempore,scilicet memoriæ peccati.

CONCLVSIO.

Memoria commissi peccati mortalis secundum se non obligat ad contritionem pro tali tempore, sed statim, scilicet secundum suum effectum.

AD EVIDENTIAM Huius dubitationis præmittendū est,ꝙ non est hic quæstio de peccato mortali semel cōtrito, quoniā hoc iam deletū prima cōtritione est:& sicut peccatū semel ritè confessum non tenetur homo iterum confiteri,eadem ratione de peccato semel contrito non tenetur homo iterum conteri.Non enim iudicat Deus bis in idipsum(vt dicitur Naum primo) tam quo ad vindictā exteriorem,quām per confessorē exercet,quā quo ad vindictā interiorem,quām per actum ipsius pœnitentis conterendo peccatū,exercet:sufficit enī semel contrito,ꝙ nō placeant sibi cōmissa à se peccata. Et hoc siue contritio fuerit de aliquo mortali,siue in generali: dūmodo fuerit cōtritio illa sufficiens ad salutē vsq; ad tempus confessionis,qn̄ singula detestando in cōfessione contereretur inspeciali.Est aūt cōtritio generalis sufficiens ad salutē ad confessionē, illa,qua homo dolēs de omnibus offensis Dei,mutat liberatè cor ad præponēdū Deū omnibus, etiā propriæ vitæ,intendēs congruo tēpore cōfiteri.Et est sermo de cōtritione ipsius peccati secundū se,nō secundū suū effectum.qui est retardatio à fœlicitate,ratione cuius totū tempus præsentis vitæ est tēpus contritionis:quia tēpus peccato occupatū irreparabile effectū est ꝓ fœlicitate.Nec est hic quæstio de cōtritione in veritate,hoc est dolore charitate informato: quoniā, quū nemo sciat vtrum amore vel odio dignus sit,si exigeretur certitudo vere cōtritionis,semper esset homo perplexus,aut nunq; cessaret obligatio cōtritionis:quod est falsum.Sed est qō de cōtritione q̄tū est ex parte pœnitētis,hoc est ꝙ q̄tū est ex parte conditionū requisitarū ad contritionē ex parte pœnitētis est vera contritio , quamuis nesciatur , an sit charitate informata:quia nescitur præsentia charitatis.Et similiter est quæstio de peccato mortali à se commisso nunq; cōtrito, siue secundum veritatem , siue secundū æstimationē.

¶ Quibus præmissis sciendū est,præceptū habendæ contritionis & esse per se primò affirmatiuū, & claudere in se præceptū negatiuū.Nā præcipit actū cōtritionis habēdū,& per hoc est affirmatiuū.& præcipit non esse retinēdū odiū Dei,in quod ex peccato mortali incurritur, & per hoc est pręceptū negatiuū.Et propterea primò tractādū est de vinculo eius,quatenus est affirmatiuū, & deinde quatenus est negatiuū:& demū quatenus est exvtroq; mixtū. Præceptorū igitur affirmatiuorū natura quum sit obligare quidē semper,sed nō ad semper, sed ad determinatū tēpus,hoc est tēpus necessitatis (vt diuus Tho.in quarto sen.di.17.q.3.ar.1.q.4.dicit)consequēs est vt præceptū de cōtritione habenda non obliget nisi ad tēpus vrgēs ad contritionē,quod cōstat esse tp̄s tam mortis(quia summa est tūc necessitas cōtritionis:qm̄ nō remanet amplius tp̄s pœnitēdi)ꝙ tp̄s ante sacramēti cuiusq; susceptionē aut administrationē:qm̄ nisi tūc esset cōtritus,mortaliter peccaret suscipiēs sacramentū, aut exercens actum, quē sine peccato mortali oportet exercere. Tēpus aūt occursus,quia scilicet memoriæ occurrit cōmissum peccatū etiā practicē(puta vt detestandū seu conterendū)nulla apparet ratione esse tp̄s necessitatis:qm̄ cū tali occursu stat hominē se habere circa cōmissum peccatū neutraliter, ac si nō meminisset,ac si dormiret. Nā occurrēte peccato cōmisso,vt materia detestationis habēdæ à me, possum tripliciter me habere:vel consentiēdo in detestatione,vel aspernādo detestationē,vel nec amplectēdo, nec cōtēnēdo: sed vel nullū actū volūtatis circa illā exercēdo,& tunc essem neuter:vel habēdo actū velleitatis circa illā,puta quia vellē habere contritionē,quāuis in veritate nō velim:quia nō intēdo abstinere,&c.Si occurrēs ergo memoria non necessitat hominē ad articulū aliquē,quo oporteat ipsum actū aliquē exercere(quo pacto tempus necessitatis cōstituit)& si rōnem præceptorū affirmatiuorum perspexerimus,apparebit occursum nō cōstituere tp̄s necessitatis: nā in præcepto Baptismi quātūcunq; memoriæ occurrat Baptismus,vt suscipiēdus cū cōmoditate oblata,nō propterea obligatio fit pro tūc ad Baptismū. Et similiter in præcepto confessionis, & in præcepto eleemosynæ de superfluo,nō tenetur quis tūc cōfiteri aut eleemosynam dare, qn̄ memoriæ occurrit cū cōmoditate parata, vt patet ibidē ex diuo Tho.Si ergo in alijs affirmatiuis præceptis occursus exercēdi actus cōmodè,nō constituit necessitatis tp̄s cōsequēter, vt nec in p̄cepto cōtritionis habēdæ occursus peccati,vt conterēdi constituat tp̄s necessitatis. Oportet enī oppositū dicentē rōnē reddere,quare à cōi regula occurrētis actus & materiæ cū reliq paratis in p̄ceptis affirmatiuis excipiatur occurrēs contritionis cū sua materia actus:vt scilicet ipse solus habeat vim constitutiuā tēporis vrgētis ad seipsum exercendū,reliqs hāc vim nō habētibus.Et quia nulla apparet exceptionis ratio,sequamur generalē regulā,tanq; cōmunē huic & alijs præceptis affirmatiuis. Negatiua verò præcepta obligant semper & ad semper:prohibēt enī mala, quæ nullatenus cōmittenda aut incurrenda sunt. Et licet omnia negatiua præcepta cōueniant in obligatione ad semper,quo ad esse illicitū:differentia tn̄ quædā inter ipsa præcepta extēso præcepti nomine est in obligatione ad semper quo ad actū peccati.Nā negatiua præcepta de actibus peccatorū obligant ad semper non solū quo ad esse illicitum, sed etiā quo ad actū peccati:quia prohibēt actū peccati,puta mendaciū,adulteriū,blasphemiā & similia: quæ nō solū sunt illicita,sed quando adsunt peccati actus cōmittitur.Nullus enim trāsgreditur præcepta hæc,Non mentieris,Non adulterabis,Nō blasphemabis,nisi qui mentitur, adulteratur aut blasphemat actu exteriori,vel saltem interiori. Negatiua autē præcepta de habituali statu peccati obligant secundū se ad semper solū quo ad esse illicitū, & non quoad actū peccati:quia non prohibent actū peccati,sed perseuerantiam in statu peccati talis vel simpliciter.Præceptū autem,verbi gratia,de non retinendo alienū inuito Domino,dupliciter intelligi pōt : primò,de detentione habituali:quæ non est actus, sed effectū peccati, & sic non est præceptū prohibens actum aliquē. Quod patet ex eo,quòd qui abstulit etiā si dormiat,retinet alienum inuito Domino:sed prohibet perseuerantiā in statu peccati talis.Similiter & præceptū de non retinendo habitualiter odium erga Deū,nō prohibet aliquem actum, puta actum odij diuini,sed supposito,ꝙ homo peccando mortaliter odio habuerit Deū,ac per hoc perseueret vsq; ad contritionem in statu diuini odij nō solū passiuè,quia altissimus odio habet peccatores,sed ꝙ peius est, actiuè, quia

quia perseuerat in statu peccati mortalis includentis in se diuinum odium propter contrarietatem ad dilectionem charitatis,prohibet perseuerantiam in statu peccati mortalis simpliciter: quo fit, vt quia stantibus , sicut habitibus,non meremur,nec demeremur,sed actibus nullū nouum peccatum contra hoc negatiuum præceptum incurratur,nisi status talis de nouo acceptetur:puta si de nouo consentiatur in perseuerantiam talis status. Secundò , de detentione actuali,quæ nihil aliud est,quàm consensus efficax in detentionē habitualem,seu quæ est effectus peccati, & sic præceptum est prohibens actum peccati : & constat quòd obligat semper & ad semper , sicut reliqua negatiua. & sic propriè habet vim & nomen præcepti: quoniam præcepta propriè de actibus sunt. Discutiendo verò præceptum contritionis,vt mixtum ex affirmatiuo & negatiuo, sicut præceptum de restitutione:inuenimus quòd obligat ad statim habendam contritionē,sicut præceptum de restitutione obligat statim restituendum. Et ratio est:quia tempus huiusmodi actuum dilatum annexam habet contrarietatem ad virtutem.Restitutio enim dilata annexam habet retentionem alieni inuito Domino,quæ contrariatur iustitiæ:& similiter contritio dilata annexam habet retentionem diuini odij,quæ cōtrariatur charitati.Nec propterea huiusmodi mixta præcepta exorbitant à cōmuni regula præceptorum affirmatiuorū, sed sequuntur eam obligando tantū ad tempus necessitatis: nam implicatio inhibitæ contrarietatis ad virtutē,determinat tempus necessitatis ad statim: tempus quippē necessitatis exercendæ affirmationis est tempus ad actionē illam vrgens,sic quòd nisi fiat,incurritur peccatū . Sicut igitur præceptum de restitutione propter implicitam detentionem alieni obligat ad statim restituendum:ita præceptum de contritione propter implicitam detentionem odij contra Deum , obligat ad statim conterendum . Et hæc proculdubiò est veritas.

SED Exurgit difficultas, Quādo peccatur contra hoc præceptum? Dicere enim,vt prima facie apparet , ꝙ contra præcepta affirmatiua obligantia ad statim peccetur statim(puta consummato furto,si nō statim fiat restitutio, peccatur contra præceptum restitutionis , omittēdo statim restituere:& similiter consummato peccato, mortali,agitur contra præceptum contritionis,si non statim contritio habetur)irrationabile videtur: quia huiusmodi præcepta obligant ad singula statim,& non ad primum statim tantum, Vt patet ex eo, quòd transacto primo,Statim,non absoluitur à vinculo præcepti , sed remanet semper obligatus ad statim, donec adimpleat præceptum.Si autē obligant ad singula,Statim, sequitur quòd infinities peccat mortaliter , non restituendo qui furatus est,& non restituit statim,iuxta infinitas moras temporis intermedij inter furtum & restitutionem,si tādem fit. Magis autem rationi consentaneum est , vt contra huiusmodi præcepta tunc solum peccetur ex præteritione temporis,quando non solum omittitur,sed cōmittitur actus peccati determinantis præceptū affirmatiuū ad Statim.

¶ Pro cuius clariori notitia aduertendum est, quòd tripliciter inuenitur concurrere tempus vrgens ad exercitiū præcepti affirmatiui. Primò, vt actus illius mensura simpliciter & absolutè ; sicut tempus diei festi determinat præceptum de audiendo missam , & Quadragesima ieiunij præceptum. Secundò,vt actus illius mensura ex præparatione ad alium: sicut tempus præcedens susceptionē vel administrationem sacramenti determinat præceptum contritionis : non enim tempus illud vrget absolutè ad conterendum,sed si suscipiendum aut administrandū est sacramentum. Tertiò, vt actus illius mensura ex connexione alterius actus: sicut tempus significatum per ly statim,determinat præceptum restitutionis, quia actus differendi restitutionem,habet annexum actum voluntariæ detentionis alieni interim.Inter hæc autem tempora differentia vna ad propositum inuenitur: quòd si tempus vrget ad actū,vt illius mensura absolutè,adueniente illo tēpore,si omittitur actus,ita ꝙ omissio vt volūtaria priuatē(quia scilicet potuit,& sciuit exercere actū illū,puta audire missam,& nō audiuit)incurritur peccatū omissionis contra præceptū illud. Si verò tempus vrget ad actū,vt mensura illius ex ordine ad alterum actum,adueniente quocunq; tempore, nisi ille alter actus, propter quem tempus vrget exerceatur,non fit,contra præceptū: quantumcunq; enim aliquis sit administraturus sacramentū nisi administret illud,aut proponat administrare illud in contritione, nunquam agit propterea contra præceptum contritionis:vt patet.Et simili modo eadē ratione quantumcūque aliquis non conteratur statim nisi ad hoc deueniat quòd commissionis peccato incurrat detentionem diuini odij,non peccat mortaliter quamuis perseueret in statu peccati mortalis : sicut qui non statim restituit, nisi ad hoc deueniat,ꝙ commissionis peccato incurrat detentionem alieni,non peccatur de nouo mortaliter. Contra præcepta nanque hæc de non detinendo odium Dei,vel alienum,quum sint negatiua,commissionis peccato oportet ꝙ agatur,ac per hoc si propterea peccatur contra præcepta affirmatiua de restituendo vel conterendo , quia contra hæc negatiua agitur , non est omissio affirmatiui, nisi assit commissio contra negatiuum. Et hæc absque omni scrupulo veritas amplectenda est.

¶ Ex his autem patet quid dicendum sit ad motam quæstionem principalem : patet nanque quòd præceptum contritionis non determinatur secundum se ad tempus memoriæ sed ad statim.Et propterea nisi memoria afferat vrgentem causam ad actum actualis detentionis odij Dei, non occurritur noua omissio contritionis, sed antiqua perseuerat.Nulla autem apparet ratio,quare memoria,aut occursus cōmissi peccati vt detestandi, constituat tunc tempus necessariæ cōmissionis ad detinendum odiū Dei magis quam si non occurreret, nisi fortè aut ad diuinæ inspirationis sequelam dicatur occursum obligare (sed aliud est præceptum de sequela inspirationis diuinæ, aliud de restitutionis aut contritionis tēpore)aut occursum seu memoriam tanquam approprians materiā constituere dicatur tempus agendi:quia tempus agendi est, quando materia est præsens:sed aliud est loqui de necessitate agendi,aliud de commoditate,seu congruitate agendi.Approximatio enim ad agens liberum,non constituit tempus necessitatis,sed commoditatis ad agendum,nos autem,vt patet ex dictis,tempus necessitatis agendi, ita quòd nisi agatur,nouū peccatum incurritur, quærimus. Vnde restat, vt recordatio peccati commissi quantumcunque practica non obliget ad contritionem, sicut nec in præceptis alijs occursus materię obligat ad actum.Et hoc loquendo de memoria secundum se : nam si sit sermo de memoria secundum suum effectum,quem vt in pluribus habet (quia scilicet parit aut detestationem:aut approbationem peccati commissi occurrētis) sic obligat ad detestationem:quæ tamen potest esse attritio vel cōtritio,ne in approbationem lapsus fiat.

AD PRIMAM Autem obiectionem in oppositū dicitur ꝙ vox dicētium,ꝙ homo tenetur conteri,qn̄ recordatur,verificatur secūdū id,qđ vt in pluribus videtur accidere:qa scilicet cōiter practica memoria in nō dolente parere approbationem videtur.Diui autem Tho. verba si exactè librentur, non dicunt hominem teneri ad contritionē, quando recordatur: sed vnū qn̄ determinant per alterum quando. Nam dicunt, quando peccata memoriæ occurrūt,quū in periculo mortis existit,aut aliquo articulo vbi apparet ꝙ tēpus memoriæ determinat per tēpus periculi mortis, vel per tēpus alicuius articuli, &c.Nec obstat ꝙ apponitur ly pręcipuē,qm̄ ly pręcipuē, principalem denotat periculi mortis respectu alterius partis disiunctiuæ scilicet aut alicuius articuli,&c.periculosius enim omittitur cōtritio in periculo mortis:quia non restat locus pœnitētiæ.Vel ly præcipuē denotat principalitatem rationis obligatiuæ ad contritionem, ita ꝙ tempus memoriæ est quædam ratio conterendi:sed quia non est sufficiens ratio obligandi ad conterendum,ideo additur principalis ratio obligandi,dicendo quum præcipuē periculum,aut articulus,&c.& redit eadē cōclusio. Approbat autem hāc doctrinam communis peccatorum attritio,qua fatentur sibi displicere commissa peccata,& dicunt, suam culpam, & confitentur quādoq; citra absolutionem,& velleitatem habent status sine peccato.Hi enim actus boni sunt & dispositiui ad pœnitētiam, adeò vt ecclesia tales confessiones suscipiendas dicit extra de pe.& re.quod quidem.& tamen semper peccarent mortaliter,omittendo contritionem,si tempus memoriæ esset tempus contritionis;quum isti actus nō sint sine memoria peccatorum.Nec obstat, quòd isti contriti nolunt suscipere absolutionem,dicentes se esse impœnitentes : quoniam narrare se habituali voluntate esse perseuerantem in statu peccati,non est peccatum ; quoniam non appro

Universidad de Deusto Biblioteca

batur:sed narratur in pœnitentia,nec proponit tunc meretrix peccare,sed narrat tūc miseriam status sui cū voluntate illius.Nolle autem absolui,actus bonus est in disposito tunc ad absolutionem.

¶ Ad secundam obiectionem dicitur,quòd etiam quando peccatū occurrit vt committendum, sufficit non consentire:nec tenetur homo dissentire.

¶ Ad tertiam dicitur,quòd licet nūquam sit licitum stare in statu peccati:non tamen de nouo semper peccat perseuerans in statu peccati : vt patet ex dictis. Romæ,4. Martij,1518.

TRACTATVS DECIMUSOCTAUUS de Confeßione in quinque quæstiones diuisus.

1. *Num confessurus peccata sua, id potißimùm debeat cogitare, quid faceret, si non esset præceptum confitendi, an etiam vellet confiteri, & exinde iudicare cor suum.*
2. *Num præsumptionis sit confiteri omnia venialia & mortalia.*
3. *Num circunstantia diei festi sit necessario confitenda.*
4. *Num fides ad fructuosam absolutionem necessaria sit.*
5. *Num sacramentalis absolutionis effectus sit remissio culpæ.*

QVAESTIO I.

Num confessurus peccata sua, id potißimùm debeat cogitare, quid faceret, si non esset præceptum confiteri, an etiam vellet, & exinde iudicare cor suum.

VTRVM Confessurus peccata sua, id potißimùm debeat cogitare, quid faceret si non esset præceptum confitendi,an etiā vellet cōfiteri,& exinde iudicare cor suū. Et videtur quòd sic:quia nisi paratus sit confiteri secluso præcepto,tam nō ex amore nouæ vitæ,sed ex timore præcepti confiteretur.

CONCLVSIO.

Vana & inanis prorsus tentatio est,cogitare quid facerent homines,si sibi non fuisset præceptum confiteri.

AD EVIDENTIAM Huius considerandū est, quòd actuum humanorū eligibiliū duplex est differentia. Quidā enim secundū se boni sunt:& ideo eligibiles,vt diligere Deū,bene facere proximo,& alia huiusmodi. Quidā verò sunt propter aliud boni,& similiter propter aliud eligibiles: vt ieiunare,peregrinari, & huiusmodi,hæc enim nullus sanæ mentis eligeret, nisi propter aliud,puta mentis eleuationem,carnis domationem,diuinum cultum & huiusmodi. Actus autem iste de quo est quæstio,(scilicet proponere sibiipsi quid faceret si non esset præceptū de confessione)constat quòd non est sub primo genere bonorum. Tum quia actus iste ad malum & bonū est secundū se:est enim via ad bonū, si ad voluntatem bonam terminatur:& est via ad malū, si ad voluntatem malam terminatur. Tum quoniā actus iste nō propter se,sed propter discussionē præparationis personæ exercetur ad inueniendū,an sit impræparatus homo ad confitendum etiam secluso præcepto. Restat ergo, vt si est eligibilis,sit propter aliud eligibilis. In his autē,quæ propter aliud eligenda rectè sunt,oportet duo considerare,alterū est,vt cōsona sint fini bono:alterū est,vt consonent eligenti. Videmus enī medicinas,vel quia non consonant morbo pellendo,vel quia proportionatæ non sunt cōplexionibus infirmorum,secundū rectam rationem repelli,&c.

Et quidē, ꝙ actus iste,scilicet proponere sibiipsi quid faceret si,&c. dissonet à dispositione infirmorum (quales credimus cōiter esse confessuros peccata sua) ex eo patere potest, ꝙ actus iste nihil aliud est, q̄ tentatio periculosa. Multi enī sunt casti,qui si tentarētur,virginitatem perderent:& multi abstinent,qui si tentarentur,nō abstinerēt, & sic de alijs. Non conuenit autē infirmis periculum:ergo actus iste non consonat dispositioni confitentiū. Quòd dissonet etiam à fine,scilicet bono conscientiæ, ex eo patet: ꝙ licet tentari vtile sit ad bonum virtutis,tamen tentari à seipso dissonātiam importat secundū rectam rationem:quia est seipsum exponere absq; necessitate periculo peccandi. Et cōfirmatur hoc,tum quia imitari debemus in actibus nostris Deū: Deus autē neminem tentat:vt Iacobus dixit,non ergo debeo meipsum tentare. Tum quia in cæteris vitiosum esse constat tentare seipsum; ergo & in hoc. Antecedēs patet:quia malè faceret,quis si proponeret sibi quid faceret,si mulierē in lecto,&c.haberet,& similiter si regnū mundi vno mendacio posset comparare, & alijs similibus conditionalibus seipsum tentaret. Tum quia officiū diaboli est tentare:& hmōi conditionalibus deijcere mentem humanam. Amplius, tentare se huiusmodi conditionalibus est superfluum:ergo peccatū. Antecedens probatur:quia perfecti nō egent hac se tētatione discutere:qm̄ ipsorum charitas est adeò radicata,vt dicere cū Paulo possint, Quis nos separabit à charitate Christi? certus sum enim, ꝙ neq; mors neq; vita,&c. Infirmis autē sufficit si testimoniū habent conscientiæ suæ, ꝙ Deū super omnia ament opere & veritate: hæc enī notitia humano more sufficit hominibus ad accedendum ad sacramenta ecclesiæ,quāuis nō in hoc iustificētur. Et hæc in cōmuni dicta sint de hmōi tētationibus cōditionalibus: quas opera diaboli esse testatur infinita multitudo peccatorū,quæ fierēt,si hmōi cōditionales sibi homines proponerent in varijs & diuersis materijs: inciderēt enī in velleitates innumeras,quæ proculdubiò essent peccata mortalia,vt de se patet. Vnde laudabiliter refertur prudēs cuiusdā responsum ad conditionales huiusmodi propositas, Scio quid facere deberem,sed nescio quid facerem. Optimè dixit:quia nescimus,si diuina nobis tunc manus adesset super caput nostrum.

¶ Ad propositam autē conditionalē specialiter descēdendo, apparet ꝙ multò vanior est. Tū quia præceptum de confessione facienda,est de secundo ordine diuinorū præceptorū,scilicet de bono,quia præceptū:ac per hoc sublato præcepto,nō teneretur quis confiteri. Sunt enī diuina præcepta duplicis ordinis. Quædā de prohibitis,quia mala,& præceptis,quia bona: vt sunt p̄cepta de dilectione Dei & dilectione proximi:hæc enim sunt præcepta,quia bona sunt. Et similiter de furto & falso testimonio: sunt enī hæc de prohibitis, quia mala sunt, Alia verò sunt de bonis,quia præcepta:vt præceptū de Baptismo, Baptismus enī nisi institutus esset,nō esset de genere bonorum: & potuit institui à Deo,ita quodcūq; aliud, sicut Baptismus:sed ex quo institutus est,bonus est. Et similiter sunt præcepta de malis,quia prohibita:vt sunt cōtraria sacramētis,nō baptizari enī, & nō cōicare,& hmōi, non sunt mala,nisi quia prohibita sunt à Deo post tot tēporū curricula,scilicet adueniēte Christo:vt de se patet. Vn̄ si præcepta hæc secūdi ordinis nō essent,sicut stultè,inaniter,et superstitiosè ageret,si qs ad Baptismū propter æternā salutē iret:ita si qs cōfiteretur,& aliaq̄ nūc sunt sacramenta ageret. Et si conditionalē restringat, ꝙ sacramēto confessionis p̄supposito,nullus esset obligatus sub p̄cepto ad illud,tūc dicitur ꝙ inanis quoq; est ista tētatio,quid tunc faceret:nā cōsentiēs in hoc ꝙ nō cōfiteretur,in nullo peccaret:quia nō cōfiteri nō est prohibitū,qa malū,sed malū,qa prohibitū:& ideo sublata prohibitione nō remaneret mali ratio in nolle cōfiteri. Nō solùm ergo cōfessurus peccata sua nō tenetur ad tentandū se tali propositione, quid faceret,si non esset præceptum cōfessionis:sed debet alienus esse ab hac tentatione,& si fuerit sibi ab alio illata,prudenter sperare illam:vt prædictum est.

AD Obiectionē autē in oppositū negatur sequela:cū hoc enī ꝙ secluso præcepto,nō confiterer, stat, ꝙ ex quo video Deū hoc præcipere,amo & præceptorē,& præceptum,& finē præcepti,& amore moueor ad implendum illud. Nec hoc eget probatione:quia ex se clarè patet, & experientia testatur multa nos paterno præcepto imposita ex amore implere,quæ nisi præcepta essent, nō faceremus:vtpotè vel nesciētes Patris voluntatē, quæ per præceptum innotuit,vel scientes paternam amicitiam,nō offendi si illud omitteremus,vt esset in proposito si confessio esset nō sub præcepto,sed sub consilio. Falsum ergo signum ad discußionē amoris assumeretur ex hoc in similibus,non operaretur quis sine præcepto;sed & in his quæ sunt secundū se bona vel mala,& ideo præcepta vel prohibita,non est tali discußione ideo examinandum: quoniam sufficit homini habere cor paratum ad implendum diuina præcepta ex amore Dei:non curando si Deus non præcepisset, & alia huiusmodi incitamenta ad malum. Plena est enim sacra Scriptura,quòd est amandus, quòd præcepta sunt seruanda: & nunquam in ea legi præceptum mandatum,aut consultum, seruare præcepta Dei, si Deus non præciperet. Augustæ die 5. Octobris, Anno Domini, 1518.

QVAESTIO II.

Num præsumptionis sit confiteri venialia, & omnia mortalia.

QVAERITVR Vtrum sit præsumptionis confiteri venialia & omnia mortalia. Et videtur ꝙ sic. Primò, quia impossibile est, vt quis omnia mortalia cognoscat : ad impossibile autem nemo obligatur.

¶ Secundò: quia in primitiua ecclesia solùm manifesta mortalia confitebātur, vt patet primæ ad Cor. 2. Si quis inter vos est fornicator, aut auarus, aut idolatra, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibū sumere. Et illud ad Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis,&c.

¶ Tertiò, quia nulla sunt opera nostra etiam bona, quin sint peccata damnabilia, si Deus in iudiciū intret nobiscum: iuxta illud, Nō intres in iudiciū cum seruo tuo Domine, quia nō iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Item, Omnis homo mendax: ergo,&c.

¶ Quartò, quia dum volumus omnia peccata confiteri, nihil misericordiæ Dei relinquere volumus ignoscendū: quia non confidere in eo, sed in confeßione nostra cupimus, & securi esse volumus, nec eius timere iudicium.

CONCLVSIO.

Non vanum, sed necessarium est pœnitentem omnia mortalia confiteri, humilitatis autem venialia.

AD EVIDENTIAM Horū, scito duo hīc verti in dubium: & an omnia mortalia, & an omnia venialia confiteri, sit præsumptionis. Et de primo quidē clarè patere potest, quòd nō præsumptionis, sed necessitatis ac virtutis est cōfiteri omnia sua peccata mortalia. Nam ex sexdecim conditionibus ad confeßionem requisitis secūdū communē doctorū sententiā, vna conditio necessaria est, quòd sit integra quo ad peccata mortalia : non esset autem integra, si quædam mortalia essent confessa & quædā non. Est autem huius ratio: quia peccata mortalia quæcunq; simul in vno homine sunt, sic se habent, ꝙ sunt connexa ex parte auersionis à Deo, ita ꝙ vnum non pōt remitti sine reliquis omnibus: iuxta illud Augu. Impium est à Deo, dimidiā sperare veniam. Et propterea sicut in prima pœnitentiæ parte, quæ est contritio, necessarium est, vt omnia mortalia concludantur (oportet enim hominē cōteri de omnibus mortalibus, & nō de aliquo tantū) ita in secunda, quæ est confeßio, oportet omnia cōteneri mortalia: sic enim integrè homo submittit se ministro Christi in confeßione, sicut submisit se integrè Deo per contritionem. Et ne alicui liceat sentire contrariū, affero textum rotundū de pe. & re. omnis vtriusq; sexus. Vbi expressè præcipitur ꝙ quilibet omnia sua peccata solus confiteatur proprio sacerdoti. Et quum ly omnia, nō distribuat pro venialibus (vt tota ecclesia attestatur) restat vt distribuat pro mortalibus, quæ sunt materia necessaria confeßionis, vt etiam ibi glossa dicit. Restringere autē ly omnia, ad manifesta tantùm, temeritatis est: quia sine ratione & sine autoritate, & contra communē sententiam doctorum, rationiq; consentanea, sit restrictio ista. Imo in concilio Floren. sub Eugenio 4. declarata est ista particula, Omnia quorum memoriam habet.

¶ De secundo autem, scilicet confeßione venialium, cogitari vix potest, quòd sit actus præsumptionis: quū clarè liqueat, quòd accusare se in confeßione de venialibus, est actus & humilitatis, et iustitiæ vindicatiuę in seipsum seu pœnitentiæ. Et licet non sit actus præceptus, est tamen consultus: consilium autem non datur de actibus præsumptuosis, sed de actibus virtutum, scilicet de bonis supererogationis. Testatur autem sic esse communis bonorum religiosorum consuetudo: nam communiter de venialibus confitentur, & crebrò. magnæ autem præsumptionis est arguere approbatos mores tot religiosorum ac religiosarum. Laudabilis siquidem mos hīc vltra vim satisfactiuam acquisitiuam gratiæ ex virtute sacramenti, habet vim conseruatiuam hominis in gratia Dei: nam qui minima negligunt, paulatim defluunt.

AD PRIMAM Autē obiectionē dicitur primò ꝙ ecclesia non præcipit, ꝙ quilibet cognoscat, sed ꝙ confiteatur omnia sua peccata mortalia, quorum memoriam habet: hoc enim constat non esse impossibile. Dicitur secundò negando, ꝙ sit impossibile hominem omnia mortalia cognoscere : peccatū quippe mortale, quum sit voluntarium, non secundum primos motus, sed secundum rationem deliberatam, nullam habet in se causam quare sit impossibile, vt cognoscatur ab eo, qui commisit illud. Si enim impossibile est, vt omnia cognoscantur, aut hoc est, quia sunt cognoscibilia supernaturalis ordinis (vt de gratia & diuinis dicitur,) & hoc non: aut quia sunt adeò minimæ entitatis, vt cognosci non possint, & hoc non: tum quia aliqua nos cognoscere cōceditur: tum quia nō est quæstio de cognitione, quid est, sed de cognitione an est: nam sufficit pœnitentem cognoscere, quòd ipse commisit talem actum, puta rapinam, licet nesciat diffinitiuè quid sit rapina, tum quia actus humani deliberati contra Dei legem non sunt tamen minimę entitatis. Aut hoc est, quia sunt in quolibet infinita peccata mortalia, & hoc esse falsum patet, ex eo quòd à primo die, quo quis habuit vsum liberi arbitrij, vsque ad quemcunque diem suæ confeßionis, non fuerunt exercitati a quocunque infiniti actus deliberati: vt patet. Aut hoc est, quia sunt infinita nō simpliciter sed illi qui cōmisit: & hoc etiā non esse necessarium ex eo patet, quòd multi sunt, qui diariū operum suorum scribunt: ac per hoc finita sunt eis omnia deliberata opera sua contra legem Dei. Non est ergo impossibile hominem cognoscere omnia sua peccata mortalia: vel sic quòd sciat hæc esse mortalia, vel in ambiguis, quòd sciat se commisisse tale, de quo dubium est, an sit mortale. Et scientia hæc & sufficit, & requiritur ad confitendum omnia mortalia, quorum memoriam habet: & communis est omnibus pœnitentialibus bene instructis. Obligat enim ecclesia ad confitendum omnia peccata mortalia, quorum memoriam quis habet, facta secundum humanas vires collectione omnium suorum mortalium, siue sint manifestè mortalia, siue sint ambiguè mortalia tenetur enim omnia confiteri certa pro certis, & ambigua pro ambiguis. Sic enim absq; nostra voluntaria glossa, sanè patet planus sensus canonis omnis vtriusque sexus: sic testatur communis mos pœnitentiū atque confessionē audientium: omnes enim ambigua pro ambiguis confitentur. Nec satisfacere credimus confeßioni eum qui opinatur se consensisse in sacrilegiū, licet nō sit certus si, non confitetur de illo consensu vt opinato.

¶ Ad secūdam autem obiectionem dicitur, quòd ex neutro illorum textuū habetur, quòd in primitiua ecclesia, sola manifestè mortalia confiterentur homines: nam text. illi non loquuntur de confeßione: vt clarè patet.

¶ Ad tertiā dicitur quòd opera nostra bona possunt dupliciter considerari. Primò, vt ex nobis sunt: & sic licet dicantur dānabilia, pro quāto indigna sunt Deo & felicitate æterna; non tamē sunt damnabilia vt peccata mortalia: quoniam in veritate etiam, vt ex nobis sunt, non sunt peccata mortalia : sed indigna diuina retributione. Et propterea dicitur, non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, quantum est ex se. Et ad hunc sensum multa similia inuenies scripta. Alio modo cōsiderantur opera nostra vt sunt ex Deo in nobis operante per suam gratiam, & destinante in vitam æternam: & sic sunt merita ex condigno æternæ felicitatis. Nec sunt damnabilia, sed sunt remunerabilia etiam secundum diuinam iustitiam, vt patet ex verbis Apostoli, Reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dn̄s in illa die iustus iudex: non solùm autē mihi, sed & his, qui diligunt aduētū eius. vbi vides secūdū iustitiā à Deo iusto iudice reddēdam coronā diligētibus ipsum Deum. Non sunt igitur ignota nobis omnia nostra mortalia : quia opera nostra sunt damnabilia, quantum est ex nobis. Oportet enim inspicere ad opera nostra bona simpliciter, vt sunt in veritate qualificata : puta à charitate & gratia informata, &c. non secundum quid (puta vt sunt ex nobis) quando iudicari debent, si sunt peccata, vel non: quamuis ad beneficia diuinæ gratiæ, reuerentiam diuinam gratiarum actiones, laudésque diuinas exercendas cōsiderata, omnia nostra vt sunt ex nobis multum prosint: & non solum in nobis sed etiam in beatis consideratio hæc creaturæ vtilitatem seu nullitatem efficiat. Propterea enim de spiritibus beatis canit ecclesia, Tremunt potestates. In Augusta vindelicorum, die 29. Septembris. 1518.

QVAESTIO III.

Num circunstantia diei festi sit necessariò confitenda.

QVAERITVR Vtrum circunstantia diei festi sit necessariò confitenda. Et videtur ꝙ sic. Quia circunstantia repugnans speciali præcepto, est specialiter explicāda secundū omnes,

Universidad de Deusto Biblioteca

sed tempus festiuum repugnat præcepto de obseruatione festi: ergo. Minor probatur, tum autoritate Ambro. super illud Luce 11. Archisynagogus indignans, quia sabbato curasset. lex enim inquit, in sabbato non hominē curare, sed seruilia opera facere, id est peccatis grauari prohibet. Tum autoritate san. Tho. in Secunda secundæ q. 122. ar. 4. ad tertium. Magis, inquit, facit contra hoc præceptum qui peccat in die festo, quàm qui aliquod corporale opus licitum facit: affertque ad hoc autoritatem Augustini in lib. De decem chordis

CONCLVSIO.

Non oportet confiteri circunstantiam diei festi illum qui in festo mortale quippiam commisit.

IN OPPOSITVM Est multorum modernorum opinio, tenens circunstantiam temporis festiui non esse necessariò confitendam, nisi in contemptum festi peccatum fuerit.

RESPONDEO In hac quæstione duæ sunt opiniones. Vna est tenentium partē affirmatiuā, & hi mouētur ex ratione, quā tangit san. Tho. scilicet, quia quū in festo prohibeatur omne opus seruile, & peccatum mortale sit magis opus seruile, quàm opus corporale, (puta arare) magisq; contrarietur peccatū mortale sanctificationi, ad quam ordinatur festū, quàm opus corporale: vtpotè per se & directè excludens illā: cōsequēs est, ꝙ vtriusq; prohibitio sub præcepto cōprehendatur. Aliorum verò opinio oppositū sentit: & hi mouentur ex eo, ꝙ ex solo sensu literali secundū Diony. & Aug. potest trahi efficax argumentum. Opera autē seruilia prohibita in festo ad literā sunt opera corporalia, quibus serui distinguuntur à liberis: & non peccata nisi mysticè: vt san. Thom. expressè dicit in 3. sen. distin. 37. arti. 5. q. 2. ad 2.

¶ Et quoniam hæc opinio rationabilior est, ideo ad eius euidentiam sciendū est, ꝙ quum obseruatio festi ad literā partim sit moralis & partim ceremonialis, oportet aut ex morali, aut ecclesiastico ꝑcepto innasci quicquid obligationis in ea est. Ex morali quidē præcepto ꝙ obligatio talis nō proueniat: patet propterea quia nulla certa tēporis pars est, q̃ cultui diuino exteriori naturalis ratio dedicandā censeat: quāuis enim morale sit in hoc præcepto, ꝙ aliquod tēpus Dei cultui exteriori deputetur: non tamen ꝙ hoc vel ad tempus. Vnde quū singulæ partes temporis possint ab hac dedicatione absolui, quandocūq; peccatū cōmittatur, nunq; tps aliquod diuino dicatū cultui polluitur, aut impeditur à diuino cultu: pōt siquidē alio tēpore debitus cultus exolui. Et eadem ratio est de opere corporali: solùm em̄ peccatū omissionis debiti cultus, ex præcepto morali accideret. Ex ecclesiastico autē mādato nō prohiberi specialiter peccata in die festo, ex eo habetur, ꝙ ecclesia nō plus prohibet, q̃ id quod ex literali ceremonia antiquæ legis in Sabbato prohibebatur: imò minus, vt san. Tho. placet. Ex præcepto aūt hoc ad literā ceremoniale triplex erat, scilicet certū tps, puta dies septē & certus cultus, scilicet memoria creationis mūdi in ipsa quiete (quasi quies ipsa esset ꝓfessio quædā diuinæ quietis à creando) & determinatio operū, à quibus cessandum esset, scilicet ab operibus seruilibus. Ex nullo autē horū peccatū specialiter prohiberi conuincitur: sed oppositum potius ratione suaderi pōt. Tū quia, vt allegatū fuit: ad literā opera seruilia tantū sunt opera, ad quæ seruos deputatos habemus. Tū quia ex hoc, ꝙ aliquod certū tempus dedicatur cultui Dei exteriori, nihil aliud sequitur prohiberi nisi id, quod repugnat tali cultui illo tēpore exhibendo: & hoc aut ratione cultus, aut ratione tēporis. Sed nec macula, nec actus peccati mortalis repugnat aliquo modo cultui exteriori exhibendo in die festo: non ergo cadit sub hoc speciali præcepto. Quòd em̄ macula, ei nō cōtrarietur, patet, aliogn quilibet in peccato mortali, existēs, transgrederetur præceptum hoc singulis diebus festiuis: quod superstitiosa adinuentione non est inducendū, cum his qui credunt contritionem esse in præcepto in die festo. Tū quia finis præcepti non cadit sub præcepto. Tū quia præceptū de interiori cultu Dei (quo fide spe & charitate colitur) sub hoc ꝑcepto non cadit, sub quo cultus exterior includitur & determinatur: sed ecclesia videtur interioris cultus tēpus determinasse, qū tempus sacramenti pœnitentiæ & eucharistiæ decreuit. Tū quia nec Doctorum sanctorū nec ecclesiastica doctrina aut cōsuetudo hoc habet: ꝙ tamen si esset præceptum de iure esset positiuo: vt ex dictis patet.

¶ Quòd verò actus moralis etiam non repugnet tali cultui, probatur ex eo, ꝙ si cultui Dei exteriori certo tempore statuto repugnaret peccatum mortale illo tēpore commissum, hoc non esset quandoq; sic, & quandoq; nō, sed vniuersaliter: sed apertè videmus, quòd sub præcepto, quo Deus quotidie colendus à clericis horis canonicis statuitur, non comprehenditur prohibitio ab actu peccati mortalis quocunq; tempore, ergo nec in proposito. Vterq; siquidē cultus exterior est, & eundem habet finē. Et habens aliquid morale & aliquid ceremoniale, scilicet certum tempus & certū cultus modum, nec minus sacer est secundus primò, aut minus sub præcepto cadens. Nec obstat si dicatur non esse aliquam certam horam diei sub præcepto taxatā ad horas canonicas, sicut totus dies festus deputatus est cultui diuino. Hoc em̄ nihil adimit efficaciæ processui facto: cuius vis nō consistit in determinatione temporis actu iam præcepta, sed possibili, vel supposita. ac si esset. Si em̄ ecclesia certas horas sub præcepto deputaret horis canonicis exoluēdis, non propterea abstinere ab actu peccati mortalis sub tali præcepto comprehenderetur, sed satisfieret temporibus debitis horas exoluendo: sicut modo satisfit intra diem deputatū dicendo, quantiscunq; alias peccetur. Vnde quum ecclesia ceremoniale legis præceptū mutando impleuerit, pro die septimo Dominicū diē, & pro cultu missam, & quietem in memoriā resurrectionis Dominicæ determinando, & ab operibus seruilibus non sic arctè consueuerit abstinere: consequens est, ꝙ non indicat speciali præcepto quietem à peccato in die festo, sed opere corporaliter seruili. Et confirmatur, quia quū ecclesia non iudicet de actibus interioribus (in quibus solis plerunq; cōmittitur peccatū mortale) sat est sub eius prohibitione comprehendi illorū impedimentorum amotionem, quæ ecclesiastici fori sunt: quia vniuersaliter non sunt nisi opera seruilia corporaliter. Et q̃uis magis repugnet satisfactioni, quæ est finis huius præcepti, peccatum mortale quàm opus corporale licitum secundū se: quia tamen sanctitas ipsa interior, quæ finis est, sub præcepto hoc non cadit, consequens est, ꝙ nec exclusio ipsius, quæ per peccatū mortale fit, sub hoc præcepto comprehendatur: si enim affirmatio non præcipitur, ex ipsa non conuincitur, quòd eius opposita negatio prohibeatur, quamuis prohiberi possit.

AD EA Verò quæ in oppositum obijciuntur, respondetur. Et ad autoritatem Amb. dicitur cum sanct. Tho. quòd sensum mysticum & non literalem tangit.

¶ Ad autoritatem ipsius san. Tho. dicitur dupliciter. Primò, ꝙ loquitur de præcepto quo ad suum finem, qui sub præcepto non cadit, & non de ipso præcepto absolutè: in tantū enim dicit repugnare huic præcepto peccatū mortale, inquantū excludit sanctitatem & applicationem ad diuina, quæ est finis præcepti. Secundò, ꝙ loquitur de præcepto hoc indistinctè, scilicet & literaliter & spiritualiter intellecto, vnde eodē cōtextu de operibus seruilibus corporaliter & spiritualiter, doctrinā tradit. Et tamen cōstat ibidem in responsione ad primū, cessationem à peccato sub sensu spirituali huius præcepti claudi: & sic nō numerari inter ꝑcepta decalogi, sed tantū secūdū sensum literalē, quantū ad id quod continet de iure naturæ. Ex hoc autē quòd aliquid repugnat præcepto huic mysticè, non potest trahi efficax argumentum, sed rationabilis exhortatio, vt & à peccando in festis abstineatur (ne de nobis dicatur, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorū longè est à me) & commissa confiteantur in fine cōfessionis perpetrata pro magna, vel tāta parte in diebus festis, quatenus reprehensi tempora sacra reuereantur. Mediolani, die vigesimaquarta Aprilis, M.D.

QVAESTIO IIII.

Num fides ad fructuosam absolutionē sacramentalem necessaria sit.

QVAERITVR Vtrum ad fructuosam absolutionē in sacramento pœnitētiæ exigatur fides, qua pœnitens credat certissimè se esse absolutū à Deo. Videtur ꝙ sic. Primò: quia oportet fidem habere in verbum Christi, Quodcunq; solueris super terram.

¶ Secundò, quia si per impossibile confessus non sit contritus, aut sacerdos non seriò, sed ioco absoluat, si tamē credat se esse absolutum, verissimè est absolutus: tanta res est fides in verbum Christi. Probatur assumptū ex ecclesiastica historia, quia beatus Athanasius ludens cū pueris, baptizauit eos, sicut viderat fieri à sacerdotibus: & baptizatos eos iudicauit beatus Alexander Episcopus. Item quidam mimus, vt placeret Imperatori, ludicro baptismo est baptizatus.

¶ Tertiò, quia non sacramentum, sed fides sacramenti iustificat: secundum illud Aug. Sacramentum abluit, non quia fit, sed quia creditur.

¶ Quartò, quia plus est à confitente requirēdū an credat sese absolui, quàm an sit verè contritus: quia cōtritio nunquā est vera satis: quod si esset vera, non tamen certa, & si certa, non tamen satis: fides autem & verbum Christi sunt certissima verissima & sufficientissima.

¶ Quintò, quia non solùm attritus absq; obice actualis peccati vel propositi, sed etiam contritus accedens ad sacramentum, à gratia consequenda est alienus, nisi credideri in absolutionem: quia sacramenta essent in mortem, & damnationem etiam contrito.

¶ Sextò, quia ad sacramētum pœnitentiæ accedit homo petens à Deo remissionē peccatorū: scriptū est aūt, Quicquid orāte petitis, credite q̄a accipietis: & fiet vobis. Et Iacobus dicit: Postulet autem in fide: nihil hesitans: ergo.

IN OPPOSITVM Est cōis ecclesiæ sensus.

CONCLVSIO.

Non est necessarium ipsum pœnitentem tunc habere fidem se esse absolutum, quanquam credere oporteat absolutionis beneficiū per pœnitentiæ sacramentum conferri.

AD EVIDENTIAM Horum sciendū est nouitatem superexortam esse, ꝙ hmōi fides adeò exigatur, vt plus q̃ contritio requirenda sit, & damnandi sint oēs, qui nolūt confidere sese absolutos, donec certi sunt se satis contritos. Fundatur aūt phantasia ista, primò super communissimis Scripturæ autoritatibus de fide ac spe in verbo Dei: puta, Memor esto verbi tui, in quo spem dedisti: & similia infinita. Secūdò super cōmunibus de efficacia sacramentorū, scilicet ꝙ fides est, quæ in sacris operatur. Tertiò, super specialis Christi verbi ad propositū pertinētis efficacia certissima, Quodcunq; solueris super terram, &c. Ex hmōi siquidē efficaciæ certificatione deducitur oportere confitentē credere se absolutū, si sacerdos absoluat, siue erret, siue nō erret: sicut etiam certus est se esse baptizatum, etiam si sacerdos erraret, ipsum baptizādo. Adiungunt, ꝙ dicendo, Quodcunq; solueris, dedit potestatē: dicendo, Erit solutum, excitauit fidem de effectu.

¶ Nouam autem hanc inuentionē alienā esse ab ecclesiastica doctrina, facilè patet distinguendo de duplici fide, quā habere possumus: scilicet vel acquisita, vel infusa. Nā si sermo est de fide infusa (quæ est vna de theologalibus virtutibus,) cuius plena est sacra Scriptura, sine qua impossibile est placere Deo, & per quā Sancti vicerunt regna, operati sunt iustitiā, constat, ꝙ illa est necessaria ad sacramentū pœnitentiæ: q̄m ipsius nō nisi Christifideles baptizati capaces sunt. Sed hmōi fides, licet ad sacramenta se extendat, vt patet in Symbolo: non tū extendit se ad hæc singularia: puta ꝙ hoc sit sacramentū, et ꝙ in hoc sit effectus sacramēti: verbi gratia, tenemur credere vnū Baptisma in remissionē peccatorū: sed nō tenemur credere, ꝙ dū iste sacerdos abluit Ioseph adultum Iudæū, dicens, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, sit Ioseph verè consecutus gratiam Dei & characterem, quia ex intentione baptizantis vel baptizati potest occultè fuisse simulatio talis, ꝙ non intenderit ille facere, quod facit ecclesia, aut Ioseph non intenderit suscipere baptisma, vt temporibus nostris de facto contigisse scio quidam Iudæus coram me confessus est, & hæc quo ad characterem. Quo ad gratiā verò, quia potest esse, ꝙ Ioseph cum proposito deliberato fornicationē cōmittendi, Baptisma susceperit, ac per hoc gratiæ Dei obicem posuerit. Similiter posset dari exemplū de Eucharistia: q̄uis em̄ teneamur ex fide credere in Hostia ritè consecrata, esse verū corpus Christi, nō tū ad fidem infusam spectat credere, an ista hostia sit ritè consecrata: tū propter intentionē ministri, tū etiā propter incertitudinem materiæ, & similes particulares defectus humanos. Ratio autē vniuersalis, quare sub fide infusa non cadunt hmōi particularia, est quia fidei infusæ (vtpote diuinæ veritati innixæ) non pōt subesse: falsum est em̄ nō minus circa verū, q̃ quæcunq; scientia acquisita, quæ nonnisi verorū est. Esset aut q̄nq; circa falsum, si extenderet se ad hæc particularia, vt patet ex infinitis similibus, quæ possunt afferri in medium. Nō spectat igitur ad fidem infusam credere absolutionis effectum in hoc particulari, puta in me ipso, sed ad fidē ipsam infusam pertinet credere absolutionē ab ecclesiastico ministro ritè factam, efficacem esse, & in suscipiente dignè gratiam operari. Hac siquidem fide nullus potest errare, sed credendo effectum in me vel in illo determinatè, possum errare: quia potest adesse impedimentum aliquod ex parte mei seu illius. Sicut in alijs sacramentis credimus & verbo Dei & sacramentis: & specialiter efficaciam certissimam illius verbi, Quodcunq; solueris super terram, in subiecto disposito: sed non habemus infusam fidem, ꝙ in me effectum sortiatur, ꝙ ego sim subiectum dispositum: quia potest in me inueniri impedimentum ignotum. Ex quo autem non debet subesse falsum fidei (quæ nonnisi verorum certissimorum est) excitatur, imò certificatur fides infusa per illud verbum: Erit solutum in cœlis, de effectu absolutionis in subiecto disposito, & non in me, qui fortè non sum dispositus: & sic fides esset falsi. Erronea igitur inuenitur opinio dicta de fide infusa intellecta: quia sequitur, quòd infusæ fidei posset subesse falsum.

¶ Si autem dicta opinio intelligatur de fide acquisita, erronea quoq; inuenitur: nam licet acquisita fides circa huiusmodi particularia versetur (tali nāq; fide credimus hāc hostiam ritè consecratam esse, & hunc ritè baptizatū, & similia) sed hæc fides non est illa qua in verbo Christi cōfidimus, quæ in sacramentis operatur, qua credimus efficax esse Christi verbum, Quodcunq; solueris super terrā: & reliqua, quæ fidei sunt Christianæ. Et propterea ex illis autoritatibus, quæ de fide infusa loquuntur, nō potest acquisita fides concludi: nec potest fides ista de obiecto (scilicet me esse absolutum etiam per absolutionem in effectu corā Deo) esse certa infallibiliter: quia quilibet est dubius in hac vita: secundum communem legem nescit, an sit in gratia Dei. Nec aliquis est qui certus sit se esse sufficiēter dispositum per gratiam Dei, quæ per absolutionē conceditur: iuxta illud Iob 10. Et si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Amplius, fides ista potest esse in schismatico vel hæretico alias bene confitente: esset igitur iste verè absolutus, si errans sacerdos ipsum absolueret, & consequenter iste simul esset in gratia Dei (quia verè absolutus corā Deo) & in peccato mortali, quia hæreticus vel schismaticus: quod est impossibile. Amplius, fides ista est, qua quantum credis, tantum habes, cum fides ista sit opus humanum (quia ista est acquisita) consequens est vt in opere suæ fidei confidentia suæ pœnitētiæ consistat: quod est alienum à Christiana veritate. Amplius, Quum nec ex sacra Scriptura, sacris canonibus, ecclesiæ traditione, sacrisq; doctoribus, dispositionis istius necessitas in sacramento pœnitentiæ habeatur, & rationi aduersetur, nō videtur præsumptione, aut ignorantia ista excusari.

AD OBIECTIONES Infinitas de fide, vt respondeas, habeto præ oculis hanc distinctionem: scilicet vel ex parte sacramentorum vel parte suscipientis. Et discito, ꝙ fides certissima est, & esse debet etiam de effectu sacramenti particulari in me, quantū est ex parte sacramenti: sed ex parte mei suscipientis licitum est dubitare de illius effectu in me. Et hoc est quod ecclesia docet, dum in orationibus post communionem petit sacerdos, ꝙ susceptum sacramentum non fit ad reatus pœnam, non ad iudicium, &c. Consequenter etiam docet omnem quantūcunque credentem post confessionem & absolutionē dicere, Domine non sum dignus, &c. & non aduertere ad distinctionem hanc, est, vt puto, causa dictæ nouitatis.

AD PRIMAM Ergo obiectionē dicis, ꝙ in verbo Dei & Christi sufficiēs fides habetur, quū quis credit oēs articulos fidei. nec fides infusa, qua credimus in Deū, &c. est de effectu horum verborum in me: vt dictum est.

¶ Ad secundā dicitur, ꝙ peccat argumentū secundū non causam, vt causam, quo ad sacramentū Baptismi. Nā non ideo illi fuerunt verè baptizati, quia credebant se Baptizatos, imò credebant fortè nihil recipere gratiæ: sed ideo Baptismus iocosè factus est verè Baptismus, quia intētio iocosa nō ad Baptismū, sed ad exercitium Baptismi refertur. Simile est enim delectādi causa Baptizare & Baptizari, sicut si auaritiæ causa quis baptizaret, aut baptizaretur: vtrobiq; enim est verū Baptisma: quia delectatio & auaritia nō Baptismi: sed ꝙ iste exerceat vel suscipiat Baptismū, causa est. Secus autē esset, si intētio iocandi ad Baptismum referretur, sic ꝙ non baptizare, sed similitudinē

Universidad de Deusto Biblioteca

Baptismi exercere, aut suscipere, intenderet ioci aut auaritiæ gratia: tunc enim nullum esset Baptisma. Quod autem assumitur, ꝙ non contritus si absoluitur credens se absolui, est verè absolutus, nisi sit ita attritus, quòd saltem virtute clauium de attrito secundũ quosdam fiat contritus: impossibile est. Nã ex eo ꝙ ponitur incontritus, & virtute clauiũ nõ factus de attrito cõtritus, oportetq; aut sua fide acqsita sit iustificatus, qđ est erroneũ: aut ꝙ simul sit incontritus & absolutus apud Deũ, qđ est impossibile.

¶ Ad tertiã dicitur, ꝙ sacramentum abluit, non quia fit, hoc est non secundũ substantiam facti: sed quia creditur, hoc est secundũ virtutem creditam in eo, & non quia creditur a suscipiente, effectus suus in eo certissimè ab hoc. Et nota ꝙ non dixit, quia credit minister aut suscipiens, sed impersonaliter quia creditur, hoc est propter rem creditã: nam nisi intendat quis facere quod facit ecclesia, nõ baptizaret. In hoc autem quod est imitari in illo actu, ecclesiam, includitur res credita: q̃uis nec à suscipiente, nec à baptizãte: vt patet, si infidelis baptizaret infantem, aut adultum, dicentem, Valeat quantum valere potest.

¶ Ad quartam dicitur, ꝙ assumptũ non solùm falsum, sed & præsumptuosum est valde, contra vniuersalis ecclesiæ ritum: cõtritio enim est summè necessaria. Ista autem fides acquisita de effectu sacramenti in seipsa est impossibilis: quia semper est, & debet esse ambigua, nec est requirenda à confitente: qui nisi crederet se absolutum, absolutioni se non submitteret. Nec obstat, ꝙ contritio sit incerta: iussit enim Deus ipse, vt cum nostra hac incertitudine accedamus ad sacramenta. Quod autẽ dicit, ꝙ nũquã est vera satis, falsum est: vt patet in multis cũ vera & sufficienti contritione cõfitentibus, q̃uis incerta eis. Et quũ subditur, ꝙ fides Christi est verissima & certissima & sufficientissima respõdetur, ꝙ talis est de rebus subiectis fidei infusæ, sed non de impertinẽtibus ad ipsam, vt sunt ex parte nostri singulares singulorũ effectus sacramentorum. De his enim nec certa, nec incerta est fides infusa: quia non est eorũ: est enim fides infusa de gratia per sacramenta certissimè conferenda suscipientibus dignè illa: vt in concilio Florent. sub Eugenio IIII. determinatum est. Et ex Apostolo assumptum est, dicẽte, qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Vbi etiã Apostolus, secundum quid reputare se homo debeat dignũ vel indignũ, præmittit dicens, Probet autẽ seipsum homo: & sic de pane illo edat. Vbi ex subiunctis, ꝙ si nosmetipsos iudicaremus, nõ vtiq; à Domino iudicaremur, patet ꝙ probare seipsum est seipsum iudicare, cõtra se vindictã exercere: quod vocatur contritio cõmuni vsu ecclesiæ & doctorũ: & propterea falsum ac temerariũ esse cõstat, ꝙ plus est à pœnitente requirendũ, si habeat credulitatem de effectu in se futuro sacramẽti, q̃ de illius contritione: probare enim seipsum (quod est conteri) iussit Apostolus, iubet ecclesia, exigunt omnes communiter confessores. Credere autem se pœnitentem omnino effectum habiturum nouitatum exigit dogma.

¶ Ad quintam dicitur, ꝙ duorũ, quæ ibi tanguntur, primum, ꝙ attritus non ponens obicem, non cõsequitur gratiam absolutionis, nisi credat (vt iam patet ex dictis) voluntariè dicitur, apponendo nouellum, & impertinẽs accidens pro dispositione necessaria ad gratiam Dei per absolutionẽ sacramentalem. Secundũ autẽ, ꝙ contriti in dãnationem sunt sacramenta, nisi credat se absolui, non est responsione, sed correctione dignũ: q̃m sacramentũ pœnitentiæ ab ecclesia sufficienter traditum per confessionem, contritionem & satisfactionem, damnabile constituitur sine quarto, scilicet certa fide effectus in suscipiente. Hoc enim est nouam ecclesiam construere.

¶ Ad sextã de oratione dicitur primò, ꝙ ratio digreditur ad accidentia, quę sunt extra essentiam sacramenti: oratio enim constat ꝙ à sacramẽtis distinguitur, imò ponitur sub satisfactione, quæ est tertia pars sacramẽti pœnitẽtiæ. Verũtamen de oratione ipsa etiã dicendũ est, ꝙ fides de effectu oratiõis dupliciter haberi põt. Primò ex parte ipsius diuinæ misericordiæ, gratiæ, potentiæ, prouidentiæ, promissionis, &c. & sic fides debet esse in oratione absq; hæsitatiõe aliqua. Alio modo ex parte eius, qui orat, vel pro quo oratur: & sic nisi piè quandoq; dubitaret de effectu petito, plerunq; fides inueniretur falsa, vt patet in Paulo orante, qui absq; hæsitatione credendo, quòd acciperet id quòd peteret, iuxta Domini doctrinã, Rogauit ter, vt stimulus carnis à se discederet, & non est consecutus effectũ petitum: vt patet 2. ad Corin. 12. Hic enim patet ꝙ fides, ꝙ accipiamus quicquid petimus, non refert ad rem petitam accipiendã simpliciter & absolutè, sed quantũ est ex parte diuinæ misericordię, &c. alioquin esset quandoq; falsa, & Pauli fides fuisset falsa: potest enim aliunde ex aliqua ex parte nostri ratione fieri, vt illud non accipiamus. Vnde Saluator de hac fide docens præmittit, habente fidem Dei, & subdit, Amen dico vobis, &c. ostendens per hoc, ꝙ firmitas nostræ fidei de effectibus particularibus debet esse de illis, quantum est ex parte Dei & nõ ex parte nostri. In Augusta Vindelicorum 26. Septembris, 1518.

QVAESTIO V.

Num sacramentis absolutionis effectus sit remissio peccatorum.

QVAERITVR Vtrũ sacramẽtalis absolutionis effectus sit remissio culpæ. Et videtur ꝙ nõ. Primò, q̃a solius Dei est remittere culpã: vt oĩs Scriptura & ecclesia fatetur.

¶ Secũdò, quia culpa est remissa à Deo pro pœnẽti confiteri antequam pœnitens à sacerdote absoluatur: iuxta illud, Dixi, confitebor aduersum me iniustitiã meam, & tu remisisti impietatem peccati mei.

IN OPPOSITVM Est, ꝙ sacramenta nouæ legis cõferunt gratiam, secundũ cõem ecclesiæ doctrinã.

CONCLVSIO.

Effectus sacramentalis absolutionis ritè factæ, & à debito ministro, debita forma, & super debitam materiam, est remissio peccatorum.

AD EVIDENTIAM Huius quæst. scito antiquam esse hanc quæstionem: & in 18. distinct. 4. sen. tractari. Vbi quia obscurè satis sunt autoritates antiquorũ doctorum applicatæ ad hoc, Magister sen. concludit sacerdotem euangelicũ absoluere, hoc est declarare absolutum à Deo, & ad ecclesiæ communionem admittere. Nouitia autem quædam opinio addit super hoc effectu pacem animi: quoniam ante absolutionem inquieta est anima de remissione suorum peccatorum, accepta autem absolutione cum fide, quod verè absoluatur: fit secura anima de remissione peccatorũ percepta, & in pace quiescit, tantiq; fit fides de gratia præsenti ministerio sacerdotis, quòd peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

¶ Verum si Domini verba diligentius perspecta fuerint quum potestatem sacramentalem dedit: aliter sentiendũ est, non enim dixit, Quorum declaraueritis remissa peccata, sed dixit, Quorum remiseritis peccata: & similiter dixit, Quodcunq; solueris, neq; dixit, Remittuntur eis, aut solutum erit, quo ad ecclesiam: sed solutum erit in cælis, & remittuntur eis, simpliciter & absolutè. Ideo si verba Domini sunt verba in sensu proprio, conuincunt ecclesiæ ministros habere potestatem remittendi peccata autoritate Christi: par enim ratio est, quòd verba hæc Domini ad sacramentum pœnitentiæ spectantia in proprio sensu verificentur, & quòd verba eiusdem ad sacramentum eucharistiæ pertinentia (scilicet hoc est corpus meum) in proprio sensu verificentur. Nulla enim est ratio quare ista in proprio sensu vera esse fateamur. & illa à proprio sensu aliena faciamus: præsertim quum maius miraculum sit, quòd de pane fiat corpus Christi ministerio sacerdotis. Vnde si verba eucharistiæ à sacerdote prolata, vt vera sint, compulerunt vt fateamur hoc, id est contentum sub hac specie, est corpus meum, scilicet Christi: nõ minus cõpellitur ad verificandũ hæc Domini verba, (Quorũ remiseritis peccata, remittũtur eis, & Quodcunq; solueris super terrã, erit solutum & in cælis) in sensu proprio, credere ꝙ sacerdotis ministerio remittuntur peccata, absoluuntur peccatores à culpis suis. Nec enim minus operatorius esse debet sermo Christi per os sacerdotis dicentis, Absoluo te à peccatis, quam eiusdem Christi sermo per os sacerdotis dicẽtis, hoc est corpus meũ, vterq; igitur operatorius est eius, quòd significat seruatis seruandis, scilicet concurrente ex parte ministri autoritate (non enim quilibet homo, sed sacerdos ordinariam vel delegatam autoritatem habens est minister sacramentalis absolutionis) & ex parte pœnitentis debita dispositione, vt scilicet sit absolutione dignus. Alioquin extremus rediret error à Hiero. damnatus: vt pro nostro arbitrio damnare innoxios & absoluere noxios possemus, sicut etiam in sacramento altaris non quamcunq; materiam, sed panis trit-

tricei tantum, consecrari per illa verba, non diaconi, sed sacerdotis ministerio prolata concessum credimus. In cuius signum Dominus quum daret potestatem remittẽdi, retinẽdiq; peccata, præmisit, Accipite Spiritum sanctum subiungendo, Quorum remiseritis peccata, &c. tanquam diceret, Spiritu sancto dirigente, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & non spiritu vestro instigãte. Mouet & dirigit proculdubio Spiritus sanctus ad absoluendum vel ligandum, quum seruatis vndiq; seruãdis minister Christi absoluit, vel ligat. Credendum est igitur & confitendũ, ꝙ effectus sacramentalis absolutionis ritè factæ (scilicet à debito ministro, debita forma, supra dispositam materiam, scilicet peccatorum confitentem dignum absolutione) est peccatorum remissio, quam autoritatiuè quidem solus Deus facit: ministerialiter autem minister ipse Christi sacramento mediante efficit. Sic enim ad literam impletur illud, Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: non ꝙ prius ecclesia remittat, q̃ Deus, tanquam Deus ecclesiæ iudicium sequatur. Non enim dicit, Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, in futuro: sed remittuntur in præsenti: ad denotandum, ꝙ ipsa per ministrum remissio est vna atq; eadem cum remissione, quam facit deus. Illam quippe vnam & candem remissionẽ peccati, quam sacerdos ministerialiter facit, efficit & Deus autoritatiuè: sicut eãdem conuersionem panis in corpus Christi, quã sermo Christi per os sacerdotis operatur, efficit Deus autoritatiuè. Et licet olim dubia fuerit hæc quæstio, hodie tñ determinata est in cõcilio Florẽt. sub Eugenio. 4. Vbi dicitur, Effectus huius sacramenti est absolutio à peccatis. Absolutio, inquit non declaratio, non pax, Et rursus, effectus sacramenti huius, dixit, non effectus solius Dei. Et hinc patet, ꝙ sacerdos absoluendo seruatis seruandis, & in veritate absoluit à peccatis, & per viam sequelæ declarat pœnitentem absolutum, & certificat (humana tamen coniectura) peccatorem de peccatorũ remissione. Remanet enim semper secundum communem legẽ peccator ambiguus de cõsecuta apud Deum remissione: quia semper restat ambiguum nobis, an ex vel cum infusa charitate sacramentum susceperit pœnitentiæ. Quocirca nouitia opinio relata, non opinio, sed error est: pro quanto efficaciam adimit sacramento pœnitentiæ sine credulitate effectus in seipso, & nulli conferri veniam remittẽte sacerdote dicit, Nisi credat sibi remitti: & ꝙ intolerabilius est, nec intelligibile, manere scilicet peccatum etiam remissione facta & gratia donata, nisi credat pœnitẽs peccatum remissum. Indigna nempe sunt hæc non solũ eruditorum, sed quorumlibet Christianorum auribus. Et quo ad illorum impugnationem seruandum est illud Philosophi, Quodlibet proferente contraria, solicitum esse, stultũ est. Constat enim Baptismum remittere peccata absq; tali suscipientis credulitate: vt patet in infantibus. Constat omnes fere tremore Domini refertos semper dubios de diuina in se gratia & pœnitentiæ & eucharistiæ sacramenta suscipere, & sic ambiguos perseuerare. Imò & hoc sacri doctores laudant: & eius oppositũ præsumptioni communiter ascribitur, aut ignorantiæ.

AD PRIMAM Ergo obiectionem dicitur, ꝙ diuersus remittẽdi modus omnes huiusmodi autoritates manifestat. Solus enim Deus peccata remittit autoritatiuè: cum quo stat, ꝙ minister euãgelicus autoritate à Deo concessa, peccata remittat ministerialiter, mediante Christi sacramento ad hoc ab ipso Christo instituto.

¶ Ad secundam dicitur, ꝙ sacramentalis absolutio dicitur operari remissionem peccatorum dupliciter, vel in voto vel in executione. Nam qui ante confessionem remissionem consequitur, ex sacramentali absolutione in voto consequitur, (iuxta illud, Dixi, confitebor, & tu remisisti) proculdubio mediante cõfessione, ad quam tendẽs, Dixi, Confitebor: alioquin non oportuisset dicere, Dixi, confitebor: sed sat fuisset dicere, Dixi aduersum me iniustitiam meam Domino. Et si quidem ante absolutionẽ consequitur pœnitens remissionem peccatorum, per sequentẽ absolutionem augetur gratia remissiua peccatorum: si verò non prius consequutus est veniam, consequitur per absolutionem, si tamen (vt dictum est) dignus absolutione tũc est. Nec hæc ex proprio arbitrio dicimus, sed ab vniuersa ecclesia accipimus, confitente vnum Baptisma in remissionem peccatorum: per omnia similiter intelligendo, vt diximus, scilicet quòd Baptisma in exequutione remittit peccata in illo, in quo inuenit peccata non remissa ex Baptismo in voto, & dignè ad Baptismum accedit: in quo autem remissa ex seipso in voto inuenit, gratiam auget. Hæc enim varietas non ex defectu sacramentorum, sed ex varia dispositione participantium sacramenta prouenit, Augustæ die primo Octobris, 1518.

TRACTATVS DECIMVS nonus De excommunicatione, cuius est unica

QVAESTIO.

Num excommunicatio priuet à participatione interiori fidelium.

VTRVM Excommunicatio priuet à participatione interiori fidelium. Et videtur ꝙ non. Primò: quia excommunicatio nõ tollit plus q̃ ecclesiastica autoritas iurisdictionis potest conferre: est enim excõmunicatio actus potestatis, non ordinis, sed iurisdictionis: quam non dedit Christus maiorem in auferendo, quàm in cõcedendo, quum ipse sit magis pronus ad inferendum bona, quàm mala. Sed ecclesiastica huiusmodi potestas non potest dare fidem, spem, & charitatem, per quas quilibet fidelis participat interius aliorum fidelium bona: ergo non potest tollere huiusmodi participationem interiorem.

¶ Secundò, quia excommunicatio communiter se habet ad iustam & iniustam: est enim vtraque efficax ad ligandum: quia vt Greg. dicit, & habetur 11. q. 3. sententia Pastoris siue iusta, siue iniusta est timenda: sed excommunicatio iniusta non priuat excõmunicatum communione interiori, sed solum exteriori: ergo excommunicatio simpliciter non priuat nisi externa communione fideliũ. Et confirmatur: quia in sacra Scriptura nunquam inuenitur excommunicatio nisi pro priuatione ab externis actibus seu cum sola extrinseca pœna, vt patet discurrenti per epistolas Ioannis & Pauli, in quibus nihil aliud inuenitur prohibitum nisi extrinseca communio: nam quum tradebantur Satanæ, solùm extrinsecè vexabantur, vt patet ex eo, quod ibi dicitur, Vt spiritus saluus fiat, primæ ad Cor. 5. Non nisi voluntariè ergo dicitur, quòd excommunicatio priuet spiritualibus suffragijs ecclesiæ.

CONCLVSIO.

Excommunicationis sententia communionem fidelium tollit tam intrinsecam quàm extrinsecã, quo ad communia suffragia, ablatam sanctorum per charitatem communionem supponens.

IN OPPOSITVM Est Magister sen. in 8. di. 4. quem communiter doctores in hoc sequi videntur.

¶ Ad euidentiam quæst. huius sciendum est, ꝙ oportet extremum vtrunq; vitare, ne in errorem incidamus. Tria siquidem inueniuntur in communione fidelium, quatenus fideles sunt. Vnum est communio extrinseca in simul orando, vt sit cõueniendo in ecclesia ad missarũ, aliorũq; diuinorũ officiorũ solennia: & hoc est vnũ extremũ. Aliud est Sanctorũ cõio, quæ fit per charitatẽ vnientem Christi mẽbra secũdũ fidẽ formatã capiti Christo, & reliquis Christi mẽbris similibus: & hoc est alterũ extremũ. Tertiũ est cõio fideliũ secũdũ cõia suffragia, quæ in ecclesia ex institutione ecclesiæ fiũt, vt patet in orationibus & missis: & hoc est mediũ. Dupliciter ergo cõtingit in proposito errare, vel dicẽdo ꝙ excõicatio aufert solã intrinsecam cõionẽ, vel dicendo ꝙ excõicatio tollit directè omnẽ cõionẽ, vtrũq; enim est falsum, vt patebit. Veritas aũt est, ꝙ excõicatio tollit extrinsecam & intrinsecã quo ad cõia suffragia cõionẽ fideliũ, & supponit ablatã cõionẽ Sanctorũ per charitatẽ. Pro quorũ intellectu (quia de externa cõione nõ est dubiũ) videdã est primò differẽtia inter dictas duas cõiones internas: & monstrandũ est deinde, ꝙ altera earũ per excõicationẽ aufertur. Cõio fideliũ quũ cõsistat in conferẽdo & recipiẽdo: oportet ꝙ interna etiã cõmunio consistat in collationibus & receptionibus. Et collatio quidem fit meritis, orationibus, atque suffragijs apud Deum adiuuantibus & intercedentibus pro alijs. Receptio autem fit suscipiendo ex aliorum ope vel gratiam vel gratiæ augmentum, vel protectionem diuinę assistentiæ à malis præseruantis, vel ad bonũ promouentis, & huiusmodi. Verũ collationes horũ spiritualiũ auxiliorũ ex duplici oritur causa. nã qñq; oritur ex charitate immediatè: vt quum in charitate cõstitutus ex priuata

Universidad de Deusto Biblioteca

intentione orat, operatur, affligitq; se pro alio, & impetrat illi vel gratiam, vel gratiæ augmentum, vel adiutorium contra tentationes, & huiusmodi. Vel ex charitate mediante institutione, vel actione ecclesiæ, vt quum ex missis diuinisq; officijs aliquis adiuuatur ad bonum operandum, vel ad malum vitandum: hęc enim ex charitate, sancta matre ecclesia instituente sunt, & pro communi ecclesiæ bono ordinata: & pro singulis eius membris agit ea, iuxta singulorum fidem deuotionémq; offerētium. Et ad hoc collationum genus, spectat sacramentorum collatio, quæ Christi fidelibus dispensantur: quoniam actione ecclesiastica conferuntur. Quocirca inter communionem internam secundum charitatem immediatè & communionem internam mediante ecclesiæ institutione, seu actione, ex parte receptorum non est differentia secūdum substantiam: sed secundum magis & minus, nisi quo ad gratias sacramentales: quoniam omnia illa spiritualia dona, quæ ego possum recipere ex vna cōmunione, possum recipere ex alia: & econtra: excepta (vt dictum est) sacramentali gratia, vtputa charactere in sacramento cōfirmationis, & similiter in sacramento ordinis: hæc enim nō potest quis accipere ex cōmunione solius charitatis: sed oportet interuenire communionem secundum ecclesiasticam sacramēti actualem susceptionem. Communio siquidem in sacramentis in voto tantum, stat infra limites communionis charitatis: sed communio in sacramentis secūdum rem, ad communionem actionis ecclesiasticæ spectat. Et hinc patet, ꝙ recepta differunt secundū magis & minus: quia constat, ꝙ maior gratia habetur, quum sacramenta actualiter sumuntur, q̄ cum in voto tantum. Ex parte autem collationis inuenitur magna differentia secūdū substantiam, quoniam interna communio charitatis immediatæ, in meritis, orationibus, suffragijsq; priuatis consistit. Communio autem charitatis ad intima penetrans mediante ecclesiæ actione, seu institutione in meritis, orationibus, suffragijsq; communibus (hoc est in ipsius ecclesiæ & sacramentis & sacramentalibus) vt in actionibus consistit. Orat enim ecclesia, suffragatur, meretur, sacramēta dat & sacramentalia, ex charitate proculdubio: & his efficit apud Deum, vt non solùm ecclesia, sed singuli fideles bonum gratiæ, aut augmentum, protectionem, & reliqua bona habeamus, nisi obicem ponamus. Ad primam communionem spectat illud, Particeps ego sum omnium timentium te. Ad vtranq; simul spectat articulus fidei, scilicet Sanctorum communionem quoniam ad illum spectat communio in sacramentis. Prima cōmunio non est propriè nisi existentis in charitate: secunda autem ad Christianos etiam in peccato mortali existentes se extendit: nam & pro peccatoribus ecclesia orat (& frequēter exauditur) etiam proteruis, ex hoc ꝙ missas celebramus pro conuersione peccatorum. Hæc autem dicta sunt adeò nota, vt nulla egeant probatione: quoniam ex ritu ecclesiæ apparet eorum veritas.

¶ His autem præmissis manifestum est, ꝙ excommunicatio: quia extra ecclesiæ communionem ponit, ab actionibus, in quibus ecclesiasticæ charitatis communio consistit, in actionibus, separat: & cōsequēter à receptionibus, quę ex illis actionibus proueniunt, segregat. Et quia inter hæc multa sunt interiora bona animæ: consequens est, vt excommunicatio à communione multorum internorum bonorum separet excommunicatum. Quòd autem excommunicatio extra ecclesiæ communionem ponat, quo ad actiones ecclesiæ (ex qua cætera pendent) manifestatur ex eo, ꝙ ecclesia non orat pro excommunicatis. Constāt enim ꝙ non licet celebrare pro excommunicatis: imò vt Bernardus dicit, vide q̄ mala sit excōmunicatio, ꝙ in Parasceue ecclesia pro Iudæis & Paganis orat, sed non pro excōmunicatis. Probatúrq; hoc radicaliter ex euangelica doctrina: constat enim, ꝙ ecclesia non orat secūdū communem legem nisi pro fratribus nostris: sed excōmunicati non sunt nostri fratres: ergo, &c. Minor patet ex eo, ꝙ Saluator noster Matth. 18. (vbi excōmunicandi autoritatem ecclesiæ dedit) dixit de excōmunicato, Sit tibi sicut ethnicus, id est Gentilis. Vbi manifestè apparet, ꝙ excōmunicatio ex fratre facit nobis sicut Gentilē: vnde Aug. dicit: Noli illū iam reputare in numero fratrum tuorum: ergo. Amplius, Si excommunicatus extra ecclesiā ponitur quo ad externa tantum, sequitur ꝙ excommunicatio non egeret autoritate Christi: quoniam quilibet princeps, quælibet ciuitas, quælibet cōmunitas potest externā suā communionem ponere. Cōstat autem Christi autoritate excommunicationem fieri, Matth. 18. vbi subiungit, Amē dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terrā (glossa, vinculo anathematis) vbi Chriso. dicit, Vide qualiter duplicibus colligauit necessitatibus: & pœna, quæ hîc est, scilicet proiectione ab ecclesia, sit tibi sicut ethnicus: & supplicio futuro, quòd est esse ligatum in cælo. Amplius, Ecclesia extra seipsam excommunicatum eijciēdo, ab omnibus his separat, quę suis membris confert: sed ipsa ecclesia sua institutione & actione confert membris suis communes orationes, suffragia, & huiusmodi: ergo hæc tollit excōicādo, & ad hæc admittit recōciliando. Maior patet ex eo, ꝙ excōmunicatio est suprema pœna ecclesiæ: nō esset autem suprema, si non tolleret totum quod ecclesia dedit quoniam adhuc maior superesset pœna, si adhuc restaret separandus excommunicatus ab his, quæ dedit & dat cōtinuè ipsa, suis membris. Minor probatur. quia ecclesia instituit missas non solum pro ecclesia in cōmuni, sed pro singulis: vt patet in canone missæ: vbi dicit, pro ecclesia tua sancta catholica, quo ad primum: & oībus orthodoxis, atq; catholicæ & apostolicæ fidei cultoribus, quo ad secundum. Instituit etiam in Memento pro aliquibus singularibus orari, instituit horas canonicas, & orationes pro fidelibus: vt patet. Hæc omnia esse suffragia & ab ecclesia et in persona ecclesiæ qui dubitat, non eget ratione, sed sensu. Et sic patet excommunicatum esse alienum ab actionibus communibus, quibus ecclesia communicat suis fidelibus. Et patet cōsequenter alienū quoq; esse à fructu illarum actionum: hoc enim manifestè sequitur. Et quia fructus actionū illarum sunt adiuuari ad gratiā, vel gratiæ augmentū, ad bene operandū, ad declinandum à malo, ad resistēdū diabolo, &c. ideo patet ꝙ à multis internis bonis excōmunicatio separet. Et cōfirmatur autoritate August. de verbis Apostoli, sermo. 68. Omnis Christianus qui à sacerdotibus excommunicatur, Satanę traditur. Quomodo? quia scilicet extra ecclesiā diabolus est, sicut in ecclesia Christus: ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica cōmunione remouetur. Vbi habes quomodo extra ecclesiam intelligit Aug. non ecclesiā materialem, non extrinsecā communionē, sed extra Christum. Replicādo autem dicit, quasi diabolo traditur: quia non traditur diabolo possidendus, sed corripiēdus. Ad idē est autoritas Hiero. Quorū dimiseritis peccata, &c. id est, quibus ecclesiam interdixeritis, nisi reconciliari per satisfactionem fuerint, ipsis ianua regni cælestis clausa erit. Et habentur 11. q. 3. ambæ autoritates. Ex quibus patet, ꝙ excōmunicatio ab internis bonis excludit (quæ regni cælestis ianuam aperiunt) pro quanto priuat excommunicatum à communibus ecclesiæ suffragijs: per quæ interna bona à diuina misericordia suauiter omnia disponente ad nos descendunt.

AD OBIECTIONEM Ergo primam in oppositum dicitur, quòd licet omnia suffragia ex charitate prodeant, non tamen omnia eodem modo à charitate ordinata procedunt. Sed quædam procedunt immediatè per solas priuatas intentiones seu actiones fidelium: & horum communio spectat ad charitatem: & ista non tolluntur directè per excommunicationem, sed præsuppositiuè tolluntur per eam, quia excommunicatio non incurritur absq; mortali peccato tollente charitatē & consequenter communionem istam. Quædam autem suffragia procedunt ex charitate per ecclesiæ actionem, vt sunt cōmunia suffragia, quæ in persona ecclesiæ fiunt: & horū communio, spectat ad fideles omnes ab ecclesia non præcisos: sunt enim hæc cōmunia fidelibus omnibus etiam existētibus in peccato mortali (vt pbatū est. Et hæc differētia inter hominem fidelem existētē in mortali peccato absque excommunicatione, vel cum excommunicatione ꝙ non excommunicatus adiuuatur à pia matre cōmunibus ecclesiæ suffragijs: excommunicatus autem non adiuuatur per illa, sed sibijpsi relinquitur vt gentilis, iuxta domini præceptū: non tamen omnino deserit illos mater ecclesia: quia requirit illos, vt resipiscant: nec salutem eorum sicut nec Paganorum negligit, vt August. vbi supra subiungit. Et ad hanc solicitudinem vltra personale onus spectat, quòd ecclesia obligat clericum excommunicatum ad horas canonicas, sicut & omnes excōmunicatos ad ieiunium ab ecclesia institutū. Conceditur igitur ꝙ excōicatio nō nisi præsuppositiuè tollit cōionem charitatis: sed cum hoc stat, ꝙ directè tollit cōmunionē suffra-

gium communium ecclesiæ: ac per hoc internorum bonorum, quæ sunt illorum suffragiorum fructus: quia ista nō spectant ad communionem charitatis immediatè: de qua sola dictum est, Particeps ego sum omniū timētium te: quamuis hæc verba verius intelligenda sint in persona veri mēbri ecclesiæ non præcisi ab ea: hic enim verè dicit Particeps ego sum, &c. quia omnium simpliciter est particeps. Ad secundam dicitur, ꝙ propriè loquendo, excommunicatio iniusta quo ad ipsam, (puta pro non crimine,) non est excōmunicatio simpliciter & absolutè, sed secundum quid tantum, hoc est in foro iudiciali. Et ꝙ nō sit simpliciter excōmunicatio, patet ex illa vniuersali Iniustum iudicium nō est iudicium: excommunicatio enim quoddam iudicium est. Et manifestatur facilè: quia excōmunicatio actus iudicis est, actus autem iudicis est ius dicere: constat autem, ꝙ dicere iniustum non est dicere ius. Et similiter excommunicare est ius tale dicere, iniusta autem excommunicatio est iniustum tale dicere: non igitur est excommunicatio, si iniusta est secundum substantiam excommunicatio. Secus autem est de iniusta ex parte motiui, puta, quia ille potest excōmunicari ex suo crimine, sed tamē ego non moueor nisi ex odio ad excommunicandum. Hæc enim excōicatio est iusta secūdū se, q̄uis sit iniusta ex parte motiui: & ideo est verè excōicatio, & omnes excōicationis effectus secum fert. Sed excōicatio secundum se iniusta, non fert secum excōmunicationis effectus, nisi in foro exteriori: non est enim sic excōmunicatus, priuatus suffragijs ecclesiæ secundum veritatem: quia non est verè excommunicatus in cælo: quia non est ecclesiæ non auditor, ac per hoc non sicut ethnicus. Vnde August. de verbis Domini Matth. 18. cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanū, ligas illum in terra, sed vt iustè alliges, vide: nam iniusta vincula disrumpit iustitia. Parere tamen excommunicationi debet, ab extrinseca communione se abstinendo: quia in foro extrinseco ligat. Et hoc est quod Greg. docet, dicens, ꝙ sententia Pastoris siue iusta, siue iniusta est timenda. Secus autem (vt communiter dicitur, & bene,) esset, si sententia esset nulla, hoc est inualida etiam in foro exteriori: ita ꝙ inter excommunicationem iniustam, & nullam non est differentia, quia illa excommunicatio sit, & ista non: neutra enim est excommunicatio absolutè, sed quia illa est excommunicatio in foro exteriori, hæc autem in nullo foro: & ideo nulla dicitur. Et est quando continet errorem intolerabilem vel in facto, puta si excommunicatur quis, quia non tenet concubinā, vel in iure, vt si excōicetur post legitimā appellationē ab eodem, & huiusmodi: vt habes in glossa dicti ca. Non ergo communiter se habet excōmunicatio ad excōmunicationem iustam & iniustam: sed ly iniusta, est conditio diminuens rationem excommunicationis: sicut homo nō se habet communiter ad hominem verū & pictū. Et propterea non est de natura excommunicationis iudicandum, secundum ꝙ saluatur iniusta: sed simpliciter & absolutè, prout est in sua integra ratione & efficacia, quā solum significat excommunicatio, propriè & formaliter loquendo, quoniam actus est iudicis dicentis ius. Ad cōfirmationem dicitur, ꝙ ex sacra Scriptura habetur excommunicatum priuatum esse spiritualibus bonis & regno cælorum, Matth. 18. Ex eo enim, ꝙ ecclesię fit vt Gētilis, priuatur ecclesiæ suffragijs: sicut Gentilis expers eorum est ex eo autem ꝙ ligatus est in cælo, priuatur bonis soluentibus vincula cælestia. Habetur quoq; idem ex ipsa forma excommunicationis: nam ea, quæ extra fiunt ab ecclesia, sunt signa eorum quæ sunt intus, si error non interuenit. Et propterea ex hoc ipso, ꝙ ecclesia ab ecclesiastica communione exterius separat hominem excommunicando, significat illū ab interna cōmunione ecclesiæ separari. In cuius signum in primitiua ecclesia etiam sensibiliter potestati dæmonum excommunicati tradebātur, quasi à Christo excisi. Nec est verum ꝙ in primitiua ecclesia sola externa pœna excōmunicati mulctabantur: sed vltra internas addebātur externæ pœnæ à diabolo: sicut vltra interna bona in primitiua ecclesia boni visibiliter visitabātur à Spiritu sancto, Loquentes linguis, &c. Nec obstat quod dicitur, Vt spiritus saluus fiat: quoniā hoc spectat ad finem. cōstat autem ꝙ excommunicatio priuat etiam suffragijs ecclesiæ, & relinquit hominē sibijpsi, vt resipiscat, Vt spiritus saluus fiat: est enim velut medicina quædam in capit. quum medicinalis. de sen. excom. lib. 6. Augustæ, die 29. Octobris 1518.

TRACTATVS VICESIMVS

De iniunctis pœnitentijs unica quæstione contentus.

QVAESTIO.

Num pœnitentia iniuncta à confessore si nō impleatur in hac vita, exoluenda sit in alia.

QVAERITVR Vtrum pœnitentia secundum canones imposita à confessore, non si nō impleatur in hac vita, exoluenda sit in alia vita. Et videtur ꝙ nō: quia nec canones pœnitentiales, nec sententiæ hominis intelligūtur imponi, nisi in hac vita, vt patet discurrendo. Et confirmatur, quia mortui sunt extra territorium humani iuris: constat autem impune posse non parere extra territorium ius dicenti.

¶ In oppositum enim est communis ecclesiæ sensus.

CONCLVSIO.

Pœnam canonicā pœnitentibus iniunctam, si in hac uita non impleatur, exolui oportet in alia futura vita, non quidem secundum pœnæ qualitatem, sed secundum substantiam, cui ex hac vita decedens semper pœnitens obnoxius est, quousque eam impleuerit.

AD EVIDENTIAM Huius sciendum est, ꝙ pœna ritè imposita, quæ in hac quæstione nuncupatur pœna canonica, duo in se continet. Alterum est id quòd pro culpæ satisfactione debetur: quoniam nisi pœnitens remaneret debitor ad satisfaciendū diuinæ iustitiæ nulla deberet ei pœna imponi. Claues enim ecclesiæ sicut non soluunt in veritate nisi dignos absolutione, ita non ligant secundum rei veritatem nisi alligatione dignos: sic enim & non aliter confessor exhibet se Christi ministrum, vtendo claue potestatis. Vnde ad discernendum dignos ab indignis, data est ei altera clauis, scilicet autoritatis discretiuæ. Alterū est id ꝙ cōfessor apponit, ꝙ se habet ad primū sicut determinatum ad indeterminatū, & sicut qualitas ad substantiam, seu accidentale ad substantiale. Nam ad satisfactionem pro peccato, substantialiter exigitur, ꝙ pena sufficienter exoluatur: an autem tali vel tali pœna satisfactio fieri debeat, pro indeterminato habetur donec à Deo vel homine determinetur: puta ꝙ ieiunet, peregrinetur, & huiusmodi. Et quoniam possunt etiam hæ determinationes mutari (vt patet quum imposita pœnitentia cōmutatur, & substātiale debitū satisfactionis, ꝙ erat quasi vestitum priori qualitate pœnitentiæ induit ex commutatione nouam qualitatē puta si prius erat sub forma orationis, & postea mutatur in forma eleemosynæ) ideo vt accidentale ad substantiale, & vt determinatio ad determinabile se habet quod apponitur à confessore ad, id, quod pro peccati satisfactione exoluendum restat. Importat ergo canonice pœna, non solas qualitates appositas ab homine secundum canones, nec solam suppositam pœnam peccato debitam: sed vtrunque. Ita quòd inter pœnam debitam pro satisfactione peccati simpliciter & absolutè, & pœnam canonicam, hæc est differentia, quòd illa primo modo significatur nuda: secundò autem, hoc est per pœnam canonicam, significatur vestita per determinationes à confessore canonicè appositas.

Pœna canonica pœnitētibus iniungenda.

¶ Quocirca ad propositam quęstionem respondendū cū distinctione est, vt vterque extremus error vitetur. Nam si dicatur ꝙ pœnitens non remanet post hanc vitam obligatus, errabunt multi, inferentes ex hoc, ꝙ mors absoluit omnes à pœnis debitis pro peccatis, dummodo hic fuerint impositæ à cōfessoribus & acceptatæ, quāuis non exoluerint omnes. hoc enim clarè constat esse erroneum Et rursus si dicatur: ꝙ pœnitens remanet obligatus post hanc vitam, errabunt forte aliqui, sumentes ex hoc alterum extremum, scilicet, ꝙ mortui tenētur ad ieiunia, peregrinationes, &c. quòd est ridiculum.

¶ Dicatur ergo secundum distinctionem iam dictam & probatam, ꝙ pœna canonica non remanet exoluēda quantum ad qualitatem ab homine appositam, & ex hoc sequitur, quòd non teneantur ad ieiunia, & alia huius vitæ opera mortui. Remanet autem quo ad substantialem pœnam: & ideo sequitur, quòd post mortem tenentur exoluere quod hîc non soluerunt. Ratio autem quare remanet quo ad substantiale est: quia satisfactio substātialis erat debita ex ipso peccato, seclusa impositione canonis & sacerdotis: & nūquam est soluta in hac

Universidad de Deusto Biblioteca

vita. Ex hoc enim cōuincitur primò, ꝙ aut nunq̄ exoluetur: & sic peccatum remanebit absq; satisfactione (quod est impossibile in his qui saluantur) aut ꝙ exoluetur post hanc vitam: quod est verissimum, & à catholica ecclesia confessum. Conuincitur secundò, ꝙ nō est eadem ratio de remansione post hanc vitā pœnitentiæ sacramentalis quo ad substantiale, & de alijs pœnis vel operationibus impositis à iure humano, vel ab homine: puta ꝙ dicamus horas canonicas, ꝙ ieiunemus ī Quadragesima & huiusmodi. Manifesta siquidem est diuersitatis ratio, ex hoc ꝙ pœnitentia sacramentalis claudit in se pœnam debitā simpliciter pro satisfactione peccati: ratione cuius remanet: quia pœna simpliciter debita peccato, non hîc tantum, sed aut hîc, aut in futuro exoluenda est, si in patriam cœlestem ingressus patebit, pœnæ autem & opera alia solummodo præsentis vitæ exercitationes debitas continent: & ideo cum vita præsenti totaliter spirant.

ET PER Hoc patet responsio tam ad primam obiectionem, q̄ ad secundā, vtraq; enim loquitur de vinculo canonum, quo ad id, ꝙ ex solo humano vinculo pendet. Pœnitentiam autem sacramentalem remanere constat non ex canonis vinculo, sed ex eo quòd ipsa clauditur pœna simpliciter peccato debita hîc, aut in futuro, tam hominis, quàm canonis arbitrio secluso. Augustæ die. 30. septembris. 1518.

TRACTATVS VIGESImusprimus De sigillo Confeßionis unica quæstione contentus.

QVAESTIO.

Num confessor teneatur occultam seruare deliberationem, confitentis se omnino occisurum regem, aut Pontificem summum.

QVAERITVR Vtrum confessor teneatur occultam seruare deliberationem confitentis se omnino occisurum Regem, aut pontificem summum.

¶ Videtur enim ꝙ non. Tum quia cōfitens non habet contritionem, aut attritionem de tali deliberatione, & consequenter non est occultanda à sacerdote, sicut nec à Deo occultatur. Cum quia peccatum cadens sub sigillo cōfessionis est commissum, non committendum: cum confessio non sit de futuris. Sed homicidium est futurum: igitur licitum est reuelare, vt caueat.

CONCLVSIO.

Nullatenus licet confessori reuelare peccatum confitentis, etiam deliberatam occidendi summum Pōtificem voluntatem habentis.

IN OPPOSITVM Autē est autoritas Theologorum in 4. dist. 21. ibi enim communiter tenent, quòd in nullo casu etiam infectionis hæresis licet reuelare peccatum in confessione detectum: vt patet in sancto Tho. Sco. Petro de Palude.

HAEC Quæstio mota est occasionaliter quidē propter quendam reuerendissimum dominum Cardinalem, qui hoc percontatus iussit, vt scriberem, complectiuè autem propter opinionem Panormit. in cap. omnis vtriusq; sexus. de pen. & remis. Vnde duo facienda sunt. Primò fundabitur illius opinio. Secundo confutabitur, ostendendo quid sentiendum: & sic satisfiet obiectis.

Opinio Panormitani.

QVO AD Primū, Panor. ex quibusdā Innocētij verbis in eodem cap. motus dixit, ꝙ cōfessor potest reuelare ne eueniat tantū malū: & xistq; hoc sentire Innocentiū: fundātq; se super rationibus principio adductis. Sed vt melius veritas elucescat, fundetur opinio ista sic iuxta verba Innocētij. Illa tantū cadunt sub sigillo cōfessionis, quæ à pœnitente, inquantū pœnitēs est, dicūtur. Sed obstinatio sua ad occidēdū, nō dicitur ab eo, inquantū est pœnitens: quia implicat esse obstinatū & pœnitētē respectu eiusdē: ergo. Præterea, ex parte peccati: & in idē redit. Illa tātū cadunt sub sigillo cōfessionis, quæ reuelantur vt occultabilia sacramento cōfessionis Sed obstinatio ad futurū homicidium non reuelatur, vt occultabilis per sacramentū: quia implicat proponere, vt absolubile, & vt pertinax: ergo. Et similiter potest fundari ex parte confessionis. Quia scilicet ad illa tantum se extendit sigillum, ad quæ se extēdit ministerium confessoris actu vel potentia: sed ad obstinationem nullo modo se extendit: ergo. Hæc de primo.

QVO AD Secundū. Ista opinio tripliciter errat, primò à veritate: ex triplici enim capite ostēditur, talem obstinationem sub sigillo cadere confessionis. Primò, quia eiusdē rationis est confiteri peccatū vt absoluēdum, & confiteri impedimentū prohibens absolutionē, vt patet ex eo, ꝙ ad eundem iudicem & in eodem foro spectat nosse vtrunq;, quid absoluendū sit, & an adsit impedimētū aliquod, alioquin nō posset nisi casualiter rectè absoluere. Sed obstinatio in peccato, reuelatur & cognoscitur vt impedimentū prohibens absolutionē: ergo eiusdem rationis fori & iudicis sunt: sed constat peccatum reuelari à pœnitente ministro Dei: ergo & obstinationem. Et per hoc patet defectus fundamenti opinionis aduersæ: quoniam pœnitens inquantum pœnitens non solùm dicit ea, quorū pœnitēt, sed impedimenta veræ pœnitētiæ, & sic dicit se obstinatū. Et similiter non solū quod proponitur vt occultabile per absolutionem, sed quod apponitur vt impedimentū absolutionis, infra ordinem occultabilium clauditur Et similiter ad ministeriū confessoris pertinet non solū absoluere, sed impedimēta absolutionis cognoscere. Secundò, quia sermones, circunstantia, & vniuersaliter quicquid dictū pandit hoc peccatum cōmissum & confessum huius personę, cadit sub sigillo cōfessionis. Sed manifestare homicidium ab hoc cōmittendum, pandit peccatū iam cōmissum, scilicet voluntatē, qua deliberauit se homicidiū cōmissurū: ergo cadit sub sigillo cōfessionis. Et ex hoc ruit secūda ratio in principio adducta ex Panor. Nō enī vidit, ꝙ in confessione illius obstinationis reuelātur duo cōnexa, scilicet cōmissum propositum, & cōmittendū factū: & ꝙ similiter in reuelatione quā faceret cōfessor, nō solū reuelaret cōmittendū factū, sed commissum propositū. Tertiò, quia si obstinatio huiusmodi posset reuelari, ergo q̄tū est ex natura sacramenti, nulla obstinatio de mortali caderet sub sigillo cōfessionis: & tunc ergo nō esset reus violati sigilli cōfessionis, quicūq; reuelaret aliquē obstinatū in odio, in luxuria, in superbia, &c. quæ sunt manifestè cōtra cōmunē ecclesiæ doctrinam: ergo. Et propterea San. Thom. vbi supra hāc opinionem erroneam reputauit in responsione ad primum.

¶ Errat secundò à cōmuni Theologorū doctrina in quarto vbi suprà, vbi etiā si aliquis obstinatus in hæresi cum periculo infectionis aliorū cōfiteretur, occultandus de necessitate sacramenti dicitur. Et ratio est: quia confessio immunda nihilominus cōfessio est sacramētalis, sicut & Baptismus immundus verū sacramentū est. Et tantò detestabilior est error iste, quantò materia hæc theologalis non canonica est, nisi per accidens, quia canoni inserta: sicut etiam materia de trinitate. Errat tertiò ab ipso Innocentio, cui hanc imponit opinionē: vt enim ex plana verborum Innocentij serie apparet, duæ ibi distinctiones ponuntur: altera de confessione, altera de fine confitētis. De cōfessione quidē: quia primò ponitur confessio sacramētalis: secundò confessio per modū secreti: scilicet, dico tibi hoc in pœnitētia, seu in confessione. De fine autē, quia aut propter partē pœnitentiæ suscipiendā, & orationū suffragia & consiliū animæ suæ: aut propter auxiliū vel consilium non animæ, sed ad alia. Et dicit ibidem Innocētius de confessione primo modo propter finē spiritualē, ꝙ confessor tenetur occultare & ꝙ non placet sibi responsio dicentium, ꝙ non reuelantur vt ministro. Deinde addit de confessione secūdò modo propter finē secularē: & dicit ꝙ tenetur manifestare nō obstāte cōfessione. Ex quibus apparet, ꝙ oppositum cōcludit eius, ꝙ Panormitanus somniauit. Nec prima ratio in principio adducta de in contritione aliquid valet. Quia (vt patet ex dictis) & sufficit ꝙ manifestetur vt impedimentum contritionis, & confessio immunda verè sacramētalis confessio est, &c. Vnde tu simplex cōfessor caue à summa angelica in hoc passu: quia nesciens quid diceret, scripsit sibi placere opinionem Panormitani. Romæ die 13. Septembris 154.

TRACTATVS VIGESIMVS secundus De Pollutione ex auditione Confeßionis proueniente, unica Quæstione contentus.

QVAESTIO.

Num confessor cognoscens ex his quæ audit in confessione, sequi in seipso emißionem seminis sibi displicentē, peccet mortaliter audiendo, vel prosequēdo tales confessiones.

Quæ

QVAERITVR Vtrum confessor cognoscens ex his quæ audit in confessione, sequi in seipso emissionem seminis sibi displicentem, peccet mortaliter audiendo vel prosequendo tales confessiones. Et videtur ꝙ sic. Primò, quia omnis voluntaria seminatio extra matrimonium est peccatum mortale; sed hæc est huiusmodi: ergo. Probatur minor: quia in potestate istius stat auferre causam pollutionis talis: voluntaria enim est auditio talium, vt patet.

¶ Secundò, Quia sicut tentatio carnis ex his proueniens, non excusatur à peccato veniali (dicente August. ꝙ nonnullum peccatum est cum caro concupiscit aduersus spiritum) ita seminatio ex eisdem proueniens non excusatur à mortali: est enim huiusmodi seminatio secūdum se mortalis, sicut tentatio venialis.

PRAETEREA, Si excusaretur à peccato mortali, hoc esset quia sic esset voluntaria causa, quòd non esset voluntarius effectus. Sed hoc est impossibile in causis, ad quas naturaliter sequitur effectus, & sequela est cognita: quicunque enim vult antecedens, vult consequens, necessarium naturali necessitate & cognitū: quāuis diuersimode, quia antecedens directè, consequens verò indirectè.

IN OPPOSITVM Videtur, & est multorū opinio, quia ex retractione confessoris ab huiusmodi, sequeretur scandalum cum pluribus inconuenientibus: puta quòd bonus confessor non posset vacare saluti animarum: imò quòd curatus, qui tenetur ad audiendas confessiones, teneretur omittere curam ouiū: & quandoque (puta in Pascha) esset perplexus audiendo vel omittēdo, propter præceptum, quo alligatur pœnitens, &c.

AD EVIDENTIAM Huius dubitationis, primò manuducendus est intellectus ad conclusionem. Deinde intenta responsio ratione firmanda est. Et sic demum satisfiet obiectis.

CONCLVSIO.

Non debet confessor relinquere confessionē, si ex ea sequi animaduertit pollutionem, cum non sit simpliciter voluntaria sed in sua causa.

QVO AD Primum scito, quòd aliquid est dupliciter voluntarium. Primò in seipso: cum scilicet aliquis vult illud facere, puta dormire. Alio modo in sua causa, puta, cum aliquis vult bene comedere & bibere, quę sunt causa somni: quamuis non hoc velit vt dormiat. Voluntarium autem tantum in causa, non refert quo ad bonitatem vel malitiam moralē, an in somno, an in vigilia fiat: ex quo enim secundum causam tantum habet rationem voluntarij, in ea quoque tantum oportet habere rationem boni vel mali moralis: & si in causa tantum consistit moralitas, cætera erūt per accidens, & cōsequēter per accidens erit, vtrum in somno, vel vigilia effectus expleatur. Ex hoc autem sequitur, ꝙ quando pollutio est voluntaria in sua causa tantū, non refert vtrum pollutio sequatur in vigilia, vel somno, ac per hoc, si talis pollutio in somno non esset peccatum mortale, nec auferret virginitatem: si etiam eueniat in vigilia, non auferet virginitatem, nec erit mortale peccatum. Cum autem in quæstione proposita seminatio non sit voluntaria secundum se ipsam, sed in sua tantum causa, idem est iudicium de tali pollutione, si cognoscitur quòd sequitur statim & vigilando, & si cognoscatur ꝙ sequeretur nocte sequenti dormiendo. Ad hoc ergo quæstio omnis venit, ꝙ si talis pollutio in somno non esset peccatū mortale, nec in vigilia, & si in vigilia, ꝙ & in somno. Nec obstat his si dicatur ꝙ hoc non sequitur, quia in somno homo non potest peccare, quia hoc non est verum nisi de peccato voluntario secundum seipsum, & quo ad actum electionis seu imperij: quia scilicet non potest tūc illud imperare vel eligere. Peccatum autem voluntarium in causa & in seipso, potest homo committere in somno vt exequens. Mulier enim quæ ideo obdormit, vt à consanguineo quasi nescia opprimatur, incestus rea est, & virginitatem vtranque perdit, si ab eo dormiens cognoscitur: electus est enim tunc somnus vt medium conueniens ad perpetrandum peccatum. Nec minus reus est vtens seipso dormiente ad peccandū, q̄ vtens ministri alicuius opera ad explendum homicidium, quod contingit cōpleri dormiente eo qui præcepit. Pari igitur, imò eadem existente ratione boni vel mali in somno vel vigilia in proposito, cum cōstet ex sancto Tho. in 4. sen. di. 9. ꝙ pollutio in somnis accidēs, cū secūdum se non est voluntaria, secūdum causam consideranda iudicandáq; est, & ꝙ pollutio proueniēs in somno ex cogitatione disputatoris vel prædicatoris de materia venerea non est peccatum, proueniens verò ex cogitatione tali & delectatione absq; consensu est peccatum veniale: sequitur ꝙ si pollutio secundum se non voluntaria in vigilia ex eisdē contingat causis, eodem quoq; modo, aut non sit peccatū, aut sit veniale. Nec obstat si dicatur, ꝙ sequela futura in somno, aut nescitur, aut non consideratur: sequela autē, quæ tunc est, in vigilia, & scitur & cōsideratur. Quoniā sequela in somnis sciri potest: tum quia naturalis causa est vt in pluribus, multiplicata enim imaginatio venereorū, naturalis est causa seminationis, vt experientia testatur: tū propriæ naturæ cognitione, tū quia si sciret aliquis sequelam futuram in somnis, non propterea peccaret. Et idem est iudicium de consideratione: potest enim quis considerare hoc actualiter: & si consideraret, non propterea peccaret. Non enim causa quare talis prædicator aut disputator non peccat aut non nisi venialiter peccat, assignatur: quia nescit talem sequelam, aut quia non aduertit: sed quia cogitatio talis nullum peccatum est, delectatio verò sine cōsensu veniale. Et confirmatur hoc: quia aliter non redderetur ratio de disputatore & prædicatore absolutè: sed tali, scilicet ignorante aut inaduertente: cum tamen de eis absolutè sit sermo. Ex his igitur patet iam hoc demonstratum esse, ꝙ huiusmodi pollutiones, quæ secundum se non sunt volitæ, sed displicent, siue in somno, siue in vigilia, tantum habent boni vel mali, quantum in sua causa sortiuntur. Si ergo auditio talium in confessione vel extra sine peccato est: ipsa quoque sequens pollutio sine peccato est: & similiter si cum peccato veniali ipsa quoque venialis est: & si cum merito, ipsa quoq; cum merito est. Cum igitur confessor non solum qui tenetur, (vt curatus,) sed quilibet vacans animarum saluti, sine peccato quandoq;, & quandoq; cum veniali tantum, & quandoq; cum merito audiat falsa, interroget respōdeatq;: consequens est, vt patiendo talē pollutionem quandoq; non solùm non peccet, sed mereatur, ac per hoc nō virginitatē perdit, si virgo est, nec ecclesiam polluit, si in ecclesia hoc accidit, quemadmodum nec personam suam sacram polluit: sicut nec si in somnis hoc pateretur. Hæc de primo.

QVO AD Secundum: iam habetur ex dictis vna ex communibus ratio, scilicet quòd voluntarium in causa tantum, mensuratur in bonitate & malitia morali secundum bonitatem vel malitiam causæ tantum: sed hęc pollutio (de qua est quæstio.) est voluntaria in causa tantum. ergo, &c. Cum igitur causa quandoque non mala, quandoque bona sit moraliter, restat vt pollutio ipsa mala moraliter non sit. Ex proprijs autem probatur dicta conclusio, &c. Voluntarium indirectè, id est, quia est in potestate voluntatis, non imputatur voluntati ex eo, quia potest facere & non facit, sed ex eo, quòd potest & debet facere, & non facit: vt patet in Prima secundæ Sancti Thom. quæstione sexta articul. tertio in cor. ar. vbi sic dicit in forma. Voluntarium dicitur quod est à voluntate. Ab aliquo autem dicitur esse aliquid dupliciter: vno modo directè, quod scilicet procedit ab aliquo, inquantum est agens, sicut calefactio à calore. Alio modo indirectè, ex hoc ipso quòd non agit, sicut submersio nauis dicitur esse à gubernatore, inquantum desistit à gubernando. Sed sciendum, quòd non semper, id quod sequitur ad defectū actionis, reducitur sicut in causam in agens ex eo, quòd non agit, sed solum tunc cum potest & debet agere & non agit. Si enim gubernator nō posset nauem dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio nauis, non imputaretur ei nauis submersio, quæ per absentiam gubernatoris contingeret, &c. Hæc ille in forma. Voluntarium igitur indirectè, id est quia est in potestate voluntatis, non imputatur voluntati ex eo, quia potest facere & non facit, sed ex eo ꝙ potest & debet facere, & non facit. Sed in proposito pollutio hæc non cadit sub voluntario nisi indirectè (quia scilicet voluntas non diuertit ab auditione, quæ est eius cā) & voluntas q̄uis possit, nō tñ debet diuertere à tali actu auditionis, cogitationis, & similiū: ergo hoc non imputatur volūtati. Declaratur minor, quia nullus artifex debet omittere inchoationem, aut prosecutionem operis propter defectus consequentes ex necessitate materiæ: stultè enim aliquis omitteret constructionem serræ aut gladij ex eo, quòd rubiginem contrahent: propterea, quia ex ferro fiunt: & sic

Universidad de Deusto Biblioteca

de aliis. Pollutiones autem & stimuli carnis in proposito cōtingūt ex necessitate materię: ex eo enim, ꝙ res venerea est materia purganda, lauanda, disputanda, prædicanda, cogitanda, exinde naturali sequela, sequitur cōmotio carnis, &c. Testatur autem hoc non solum experientia, sed doctrina tertij de anima, vbi in cap. de motiuo principio vult Arist. ꝙ quandoque intellectu non pręcipiente, ex imaginatione moueatur pars aliqua corporis, &c. Non igitur debet homo propter defectus cōtingentes ex necessitate materiæ venereæ, omittere non solùm necessarias sed vtiles cogitationes, locutiones, auditiones, &c. nam alioquin oporteret aut angelos, aut viros valde priuilegiatos tantum, de huiusmodi disputare, audire, &c. cuius oppositum ecclesiastica habet consuetudo, & ratio docet.

¶ Animaduerte tamen in re hac quatuor, primū in mente, secūdum in imaginatione, tertium in ore, & quartum in corpore. In mente quidē, ne ex auditione huiusmodi multiplicetur tentatio in mente, aliud est enim tentare in mente, & aliud in carne tantum hæc enim (vt dictum est) ex necessitate prouenit materiæ, & contra volūtatem sustineri præsupponitur: illa autem ad voluntatem currit, & ad cōsensum trahit. Si enim aliquis ex his periculo cōsensus proximus sit: omittere debet tam inchoationem, quàm prosecutionem: quoniam ad mortale peccatū nulla ratione properandum est. In imaginatione verò, ne timeat commotiones carnis: quoniam sicut imaginatio lapsus pedum, facit labi (quia excitat motum circa partes imaginatas) ita imaginatio huiusmodi cōmotionum, quę magna est in timentibus, causat illas, eueniteque actualiter timentibus: vt vnde credunt obuiare cōmotionibus, inde excitent. Et hoc dico de timore habente pro obiecto huiusmodi commotiones: timor autem habēs pro obiecto Dei offensum cum eleuatione ab imaginatione talium, valde iuuat contra huiusmodi commotiones. Vnde huiusmodi confessores saluti animarum vacare sic debent, vt de huiusmodi commotionibus quas patiuntur, quantum possunt non cogitent, quamuis sentiant: ipsa enim cogitatio in causa est. In ore autem, ne superfluas faciant interrogationes in hac materia: & quantū possunt cæleriter hæc pertranseant: agentia nanque naturalia magis videntur agere ex mora, quàm ex magnitudine virtutis. In corpore demum, ne putent omnem effluxum humoris esse seminationem: est enim præter vrinā & semen, tertius quidam humor, qui ex calefactione seu ex inflāmatione carnis fluit: de quo nisi cum rebellione carnis veniret, non magis curandum est quam de sudore videtur. Nunc autem non ratione sui: sed tentationis cauenda est, non tamen tanquam pollutio: vnde non excedit limites peccati venialis. Hæc de secundo.

QVO AD Tertium. Pro solutione obiectorū memor esto duarum distinctionum iam positarum, altera est de voluntario in seipso, & voluntario in sua causa tantum. Altera est de voluntario in sua causa tantū, aut quo ad conditionem electam in causa, aut ex necessitate materiæ eiusdem. Seminatio enim volūtaria in seipsa, extra matrimonium est peccatum mortale: voluntaria autē secundum causam, & non quatenus est electa, sed ex necessitate materiæ, non est peccatū, imò meritoria quandoque.

¶ Et per hoc patet respōsio ad primum & tertium. Idem enim est iudicium de causa & effectu & antecedente & consequente. Quamuis etiam possit ad vtrunque argumentum aliter distingui de voluntario in causa, seu indirectè: quia quoddam est quod voluntas potest, & debet in sua causa vitare, quoddam est quod potest quidem, sed non debet, & quòd primum est peccatum, secundū non. Et quia pollutio in casu proposito est voluntaria in causa tantùm secundo modo, ideo quamuis sit quodammodo voluntaria, non tamen est voluntaria imputabilis.

¶ Ad secundum verò dicitur, quòd licet omnis cōcupiscentia carnis aduersus spiritum sit cum peccato: non tamen habet rationem peccati ex hac parte, qua procedit ex cogitatione vtili, & quandoque meritoria: vnde hęc causa excusat quantum est ex parte sui, & à mortali pollutione, & à veniali tentatione. Sed quia pollutio aliunde non habet rationem mortalis, ideo simpliciter restat sine mortali: concupiscentia autem carnis aliunde potest habere rationem venialis: & ideo non concluditur, quòd concupiscentia carnis interueniens simpliciter non sit veniale peccatum. Et hæc de quæstione hac dicta sufficiant. Florentiæ in sancto Marco, die. 13, Octobris. 1519.

TRACTATVS VIGESIMVSTERTIVS. *De purgatorio in duas quæstiones diuisus.*

1 Num in purgatorio possit esse meritum.
2 Num omnes animæ in purgatorio existentes sint certæ, de sua salute.

QVAESTIO. I.

An in purgatorio possit esse meritum &c,

VTRVM In purgatorio possit esse meritum aut charitatis augmentum. Et videtur quòd sic. Primò, quia vna ex pœnis Purgatorij est timor ex imperfecta charitate procedens. qui desinere non potest nisi charitate perfecta. quæ foras mittit timorem, primæ Ioan. 4. Probatur assumptum: quia horror mortis, qui imperfectè annexus est charitati, peccatū est: quia qui voluntariè non moritur, non obedit Deo vocanti nisi inuitus: huiusmodi autem horror animam sequitur in Purgatorio proportionaliter.

¶ Secundò, quia animæ in Purgatorio sunt in via: impossibile autem est esse statum in via in qua non progredi reuerti est: vt Hiero. dicit.

¶ Tertiò, quia virtus in infirmitate perficitur, primæ ad cor. 12. in Purgatorio autem est maxima infirmitas.

¶ Quartò, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ad Ro. 8 igitur & his qui sunt in Purgatorio.

¶ Quintò, quia impossibilis est vlla creatoris perseuerantia nisi accipiat magis atque magis: igitur non perseuerarent in charitate, qui sunt in Purgatorio, nisi magis ac magis acciperent.

CONCLVSIO.

Animæ in purgatorio existentes extra statum merendi, & demerendi sunt, non autem satisfaciendi.

AD EVIDENTIAM Huius sciendum est, quòd quia status Purgatorij est à nobis remotus, & parum de eo in Scriptura sacra habetur, oportet non ex certis inuestigare quòd quærimus. Certum autem est imprimis, quòd status ille medius est inter nostrum & beatorum statum, dum nos omnino in via, beati omnino in termino fœlici, illi verò, qui in Purgatorio sunt, non totaliter in via, aut extra viam, & similiter nō totaliter in termino, aut extra terminum sunt. Et quidem ꝙ nō totaliter in via sint, ex eo patet, ꝙ extra viam communem ad inferos & superos, nō possunt incurrere amplius supplicium æternum. Et similiter ꝙ non totaliter sint extra viam, ex eo patet, ꝙ adhuc non peruenerunt ad patriā cælestē, pro qua assequenda purgātur. Et hinc patet quoque, ꝙ nō sunt totaliter in termino, ad quē cōtinua purgatione appropinquant, nec sunt totaliter extra terminū, in quo sunt sic diuina cōfirmatione fixi, vt ab illo diuertere nequeāt. Hæc de Purgatorij statu, vt certa cōsque ecclesiæ sensu confessa habemus: ex quibus clarè patet an Purgatoriū sit vt via, vel vt terminus quo ad meritū. Sed qm̄ status Purgatorij nō est per se, sed per accidens medius inter nostrū & patriæ statū (vt patet ex hoc ꝙ mediū per se est in quod oportet ex altero procedētē extremo, primò peruenire q̄ in extremū: vt patet 5. Phy. & 10. Meta. constat aūt, ꝙ ex hac peregrinatione multi in cælestē patriā peruenerūt absque trāsitu per Purgatoriū: nō igitur est purgatorij status per se medius inter nostrū & beatorū) & propterea ex rōne medij si processerimus, facilè fallemur: cōtingit enim in his quæ sunt per accidēs, etiā sapiētes falli. Quocirca oportet videre penes qd est mediū Purgatoriū, vt sic veritatem quæsiti sciamus: inuenimus aūt ab ecclesia diffinitū Purgatoriū esse mediū quo ad satisfactionē pro actualibus peccatis, tūc tm̄ qn̄ homo in charitate decedēs non plenè satisfecit pro illis in hac vita, ita ꝙ si homo i charitate decedēs satisfecit hic, nō trāsit per Purgatoriū, & si nō satisfecit hic, trāsit p purgatoriū. Ex qua determinatione iuxta regulā nō Topicorū, sed Posteriorū Analyticorū: si affirmatio est causa affirmationis, negatio negationis, & contra in causis proprijs, habemus ꝙ Purgatorium per se & propriè non est nisi ad satisfactionem debitā pro actualibus peccatis exoluendam. Nam affirmatio satisfactionis adhuc debitæ in decedente in charitate, est causa affirmati transitus per Purgatorium: & negatio debitæ satisfactionis in decedente in charitate est causa negati transitus per Purgatoriū. Habetur autē hæc determinatio in cōcilio Flo. sub Eugenio 4. inter definita pro cōcordia

Græcæ & Latinæ ecclesiæ: vbi sic legitur: Si verò pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ, fructibus de commissis satisfecerint & omissis: eorum animas pœnis Purgatorijs post mortem purgari. Vbi apparet affirmationem debitæ pro actualibus peccatis satisfactionis. esse causam purgatoriæ pœnæ: & subditur, Illorúmque animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiā, quæ post contracti peccati maculā vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus: prout superius dictum est, sunt purgatę, in cælum mox recipi & intueri clarè ipsum Deū trinum & vnum sicuti est. Vbi patet negationem debitæ satisfactionis poni causam negationis purgatoriæ pœnæ: dum & baptizatos sine adiūcta decedētes culpa, & eos, qui in suis corporibus satisfecerunt, mox in cælum recipi & intueri clarē Deum sicuti est, diffinitur. Ex his siquidē patet, quòd nec pro fomite purgando, (qui etiam in baptizatis remanet,) nec pro reliquijs quibuscunque, nisi satisfactione debita pro commissis vel omissis, pœnæ sunt purgatoriæ. Et similiter nec pro meritō augendo: quoniā satisfacere pro peccatis, nec meritum, nec cum nouo meritō oportet esse: quia nihil aliud est quàm exoluere pœnas debitas. Credendum est igitur & pro determinato habendum, quòd animæ in Purgatorio non sunt in via quo ad meritum. Et confirmatur autoritate Aug. in Enchi. ca. 110. de purgatorio loquendo dicentis, quòd illis prosunt ecclesiæ suffragia, qui hic meruerunt, vt eis prodessent. Et rursus: hic omne meritum cōparatur. Et rursus, nemo speret quod hic neglexerit, cùm obierit à Domino se promereri, quo possit post hāc vitam releuari quispiam. Ex quibus absque alia probatione patet, quòd ponere meritum post hanc vitam, contradicit sententiæ beati Aug. apertissimè. Et in literis apostolicis, vbi datur indulgentia pro defunctis, dicitur de illis: Quò magis aliorum egent suffragijs, & quò minus sibiipsis proficere valent. Consonat autem hoc etiam rationi rectæ: quia ex eo quòd cōstat illos, qui in Purgatorio sunt, non posse demereri (alioquin possent damnari) consequens est, vt non possint mereri.

Quocirca consequenter ad determinationem ecclesiæ loquendo dicendum est ex similitudine in naturalibus, ꝙ quemadmodum naturalia corpora extra propria loca genita, (puta si lapis genitus sit in loco superiori) habēt determinationem sui ad proprium locum, à quo impediuntur propter aliquod prohibens motum: ita decedentes in charitate habēt determinationem sui ad cælestem patriā, ad quam statim irent, nisi prohibens pœna debita temporalis pro peccatis adesset. Et propterea sublata pœna vel per propriam exolutionem, vel per aliorum suffragia, statim cælum adit: sicut graue remoto prohibenti, tēdit deorsum. Et sicut nihil acquirit graue ex remotione prohibentis (sed iuxta pristinam grauitatem tendit ad propriū locum) ita anima ex remotione prohibentis, iuxta sortitam prius charitatem, in cælestis patriæ mansionem sibi paratam intrat. Et hæc exemplariter sint exposita: & vt nouitij intelligere possint, qualiter anima in morte sortitur diffinitionem sui status quo ad meritum & demeritum, & cum hoc stat quòd impeditur a consequutione regni cælestis propter debitam pœnam: quæ absque merito exoluitur, & aufertur a suffragantibus, velut a remouēte prohibens. Consonare siquidem discursum hunc determinationi ecclesiæ de Purgatorio pro sola satisfactione necessariò, cuilibet exercitato facilè patere potest. Quod tantò magis approbandum est, quantò illi omnia consonare videtur, quæ de Purgatorio habētur: legitur enim 2. Mach. 12. Sācta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Solui enim vinculi absolutionem importat: detinentur enim pœnalibus vinculis suorum peccatorum. Nec obstat si in textu hoc nō inuenitur: quia maior est ecclesiæ autoritas, ex Hiero. hoc docentis. Purgatorij quoque nomen ideo accedit, quòd à peccatorum pœnalibus immunditijs animam purget: vt idonea sit ciuis cælestis patriæ. Et quia status augmenti charitatis ad statum meriti eiusdem spectat (nam augmentum charitatis terminat illius meritum) eadem ratione, qua charitas in Purgatorio extra statum est meriti, à statu quoque augmenti excluditur.

AD PRIMVM In oppositū dicitur, quòd concesso in Purgatorio timore non damnationis, sed durationis magnæ futuræ pœnæ (vtpote quia incerti sunt de affuturis suffragijs diminutiuis pœnarum) non propterea sequitur quòd oporteat charitatem augeri ad excludendū timorem: quoniam potest aliunde timor auferri, scilicet ex certificatione temporis & quantitatis pœnæ. Sed argumentum falsum assumit, scilicet quòd timor omnis aut ille ex imperfecta procedat charitate: potest enim cū perfectissima charitate stare timor: vt patet de timore Christi. Nec obstat, quòd perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam non vniuersaliter, sed particulariter intelligitur secundum glos. de timore scilicet serulli, vel initiali inquantum initiali. Falsum quoque est, quòd horror mortis sit peccatum: quoniam naturalis est: & si cum imperfecta charitate sit, non tamen ex illa, sed ex naturalis fuga mortis. Et licitum est inuolūtariè voluntate naturali mori, & similiter voluntariè voluntate rationali mori: dicēdo cum Christo: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Vbi monstrat se nolle mortem, & submittere tamen se voluntati Dei: talis autem est dispositionis quicunque in charitate decedit. Huiusmodi autem voluntas naturalis fugiens naturaliter pœnas, comitatur animam, si ad Purgatorium accedit, & facit animam tristari de pœnis: quia tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt: secundum Aug. Nec vnquam separatur ab anima, nisi ipsa posset separari à seipsa: sed actus eius (puta tristari, timere) cessant cessantibus eorum materijs seu causis, scilicet malis pœnæ. Et ideo non oportet crescere propterea charitatem: sed desinere obiecta tristitiæ & timoris, quæ stātæ æquali charitate, tolli posse constat. Quamuis etiam si anima secum aliquod timoris vel alterius passionis peccatū deferret, non propterea oporteret nouum in illa meritum ponere ad delendum illud peccatum, vt patet Matth. 12. in glos. super illo verbo, Neque in futuro, dicente: quædam culpæ paruę, scilicet in futuro laxantur, quæ quidem post mortem grauant, sed & dimittuntur, si homo bonis actibus in vita vt sibi dimittantur, promeruit. Hæc illa.

¶ Ad secundum dicitur, quòd animæ in Purgatorio eo modo, quo sunt in via, progrediuntur: sunt enim in via quo ad satisfaciendum: & continuè progrediuntur exoluendo per se vel per alium.

¶ Ad tertium dicitur, quòd ad literam Apostolus loquitur in hac peregrinatione, in qua virtus in infirmitate perficitur, non directè (infirmitas enim non est virtutis perfectiua) sed occasionaliter. Non est autē in Purgatorio huiusmodi occasione opus, vbi nō est status proficiendi.

¶ Ad quartum dicitur, quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum cęlestis beatitudinis: & sic omnia in purgatorio cooperantur animabus in bonum cælestis patriæ: quia in maiorem appropinquationem in illud.

¶ Ad quintū dicitur, quòd ly magis ac magis, potest referri vel ad rem acceptam, vt sit sensus, nisi maiorem rem accipiat: & sic falsum assumitur: conseruatur enim res sine augmento sui. Vel ad acceptionem: vt sit sensus, nisi maior extensiuè sit acceptio: & sic est verum: nā nisi conseruatio continuè extēdatur, desineret res esse: omnia enim in nihilum redigerentur, nisi ea manus omnipotentis conseruaret, inquit Greg. Vnde ex hoc non habetur augmentum charitatis: sed conseruatio eius Augustæ die 17. Octobris. 1518.

QVAESTIO. II.

Num omnes animæ in purgatorio sint certæ de sua salute.

QVAERITVR Vtrum animæ omnes in Purgatorio sint certæ de sua salute æterna. Et videtur quòd non. Primò, quia pœnæ inferni & purgatorij sunt eædem, ac per hoc tantus est pauor & horror aliquarū animarum, vt impediat eas, vt nesciant in quo statu sint.

PRAETEREA, Quia multæ defunctorū animæ apparuerunt nescientes statum suum, tanquam Deus sic eas iudicauerit: suspenderit tamen promulgationem sententiæ respectu illarum.

¶ Tertiò, quia nulla ratione aut autoritate Scripturę aut ecclesiæ inuenitur, quòd omnes animæ in purgatorio sint certæ de sua æterna salute, &c.

¶ In oppositum est communis ecclesiæ doctrina.

CONCLVSIO.

Omnes animæ in purgatorio existentes certæ sunt de sua salute.

AD EVIDENTIAM Huius cōnis sciēdum est, quòd quum quælibet anima à corpore separata vi

Universidad de Deusto Biblioteca

deat seipsam, & omnes species seu habitus in seipsa existẽtes, (quoniam directe intuitus eius fertur in seipsam, non impeditam à corpore, vt in hac vita contingit,) consequẽs est, vt anima existens in purgatorio videat charitatem seu gratiæ habitum in seipsa existentem, ac per hoc sciat, quòd est in statu gratiæ, & consequenter est certa de sua salute æterna. Et confirmatur: quia in omni anima separata, quæ purgatur, remanet fides & certa cognitio, quã hîc habuit, quòd omnes in purgatorio sunt de numero electorũ: & scit se esse in purgatorio; ergo est certa de sua salute. Probatur quòd sciat se esse in purgatorio: quia retinet certam fidem, quam hîc habuit: secundum quòd non datur quartus gradus animarum separatarum baptisatarum, sed aut beatæ, aut damnatæ, aut purgandæ sunt statim post mortem: & scit se esse Baptisatam, & extra hanc vitam corpoream, & non beatam nec damnatam: ergo purgari ad æternam salutem. Et confirmari idem potest ex parte spei: remanet siquidem in omnibus animabus purgatorij virtus non solum charitatis & fidei, sed etiam spei, non otiosè, sed tunc maximè accensè ad suum obiectum, quod est beatitudo æterna. Et quum spes sit certa expectatio futuræ beatitudinis, quam in damnatis impossibile est esse: sequitur idem quod prius.

AD PRIMAM Ergo obiectionem dicitur primò, quòd licet aliquæ pœnæ sint cõmunes inferno & purgatorio, non tamen eodem modo ex parte patientiũ: quia patientes in inferno, diuersissimo modo sunt dispositi à patientibus purgatoriè: vt patet. Quia qui purgantur, habent voluntatẽ rectam & conformẽ Dei voluntati, amantes iustitiam Dei, & sperantes in Deo ac Iesu Christi salute: damnati verò opposito modo se habent. Et propterea ignis communis inferis & purgandis non eodem modo suscipitur à damnandis & purgandis, & ad modorũ diuersitatem spectat error. in inferno enim horror est & diuinæ iustitiæ & pœnarum propter peruersam volũtatem eorum, in purgatorio verò dolor quidem pœnarum, sed non horror est: quia amant diuinam iustitiam, & libenter sustinent pœnas propter diuinam iustitiam. Dicitur secundò, quòd sicut horror maximè in damnatis non impedit eos à perceptione sui status, multò minus impediret purgandos à perceptione sui status: non enim horror maior in purgatorio quàm in inferno est.

¶ Ad secundum dicendum, quòd doctrina ecclesiæ non inhæret incertis visionibus: quales sunt istæ, quas ecclesia non approbauit: & fortè fuerunt somnia, aut extases, aut syncopæ, aut illusiones dæmonum ad noua dogmata inducenda.

¶ Ad tertium patet ex dictis, quòd certa ratione habetur omnes animas in purgatorio certas esse de sua æterna salute. In Augusta. 25. Septembris. 1518.

TRACTATVS VIGEsimusquartus. *De pœnarum Timore, in duas quæstiones diuisus.*

1 *Num imperfecta charitas necessario deferat secum post mortem timorem pœnalem.*
2 *Num iustus timendo pœnam, peccet.*

QVAESTIO. I.

An imperfecta charitas necessario deferat secum post mortem, timorem pœnalem.

VTRVM Imperfecta charitas necessariò deferat secum post mortem, timorem pœnalem. Et videtur quòd sic; quia imperfecta charitas, quandiu homo est in hac vita, habet secum timorem, quoniam de sola perfecta charitate scriptum est primæ. Io. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem, sed ex sola morte non perficitur, ergo necessariò fert secum timorem: sed timor pœnam habet vt ibidem dicitur: ergo.

IN OPPOSITVM Est: quia si sic esset, oporteret vt quilibet imperfectæ charitatis transiret per purgatorium: quoniam nullus ingreditur cælum cum timore pœnali, sicut nec cum quacunque alia pœna.

CONCLVSIO.

Non oportet imperfectam charitatem cuiusuis ex hac vita decedentis aliquem secum ferre timorem pœnalem, sed filialem, qui beatis proprius est.

AD EVIDENTIAM Huius sciendum est, quòd quia de statibus vitæ futuræ id tenere debemus quod Scripturæ sacræ, aut ecclesiæ autoritate didicimus, idcirco oportet hîc supponere ecclesiæ diffinitionem: scilicet, quòd si aliquis baptizatus moriatur, antequam culpã aliquam committat, ipsum in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & vnũ, sicuti est: vt sub Eugenio 4. in concilio Flor. patet. Ex qua diffinitione sequitur, quòd charitas imperfecta nõ necessariò fert secum post mortem, timorem pœnalem. quoniam constat baptizatum hodie Ioannem adultum, & statim absque commisso peccato aliquo defunctum, non oportere habuisse charitatem perfectam. Imò communiter baptizati sortiuntur charitatem imperfectam, quia incipientium, & deinde proficiunt, & demum sunt perfecti: charitas enim meretur augeri, & aucta meretur perfici secundum Aug. Non consonat igitur ecclesiasticæ doctrinæ, charitatem imperfectam ferre secum necessariò post mortem timorẽ pœnalem: à ratione quoque dissonat huiusmodi necessaria conuectio. Habes quoque ex dicta diffinitione Florẽti. concilij, animas non retardari à visione Dei & beatitudine, ex hoc ꝙ quandiu vixerunt in corpore, fomitem cum imperfecta charitate habuerunt: nam si retardarentur, nõ statim baptizati, qui post non peccauerunt, beati migrantes essent. Nam quum timor seruilis, à quacunque minima charitate excludatur (quoniam per charitatem filij sumus Dei, & non per Spiritũ seruitutis in timore: sed Spiritum adoptionis filiorum Dei accepimus, in quo clamamus Abba pater, secundum Apostolum) timor quicunque alius compossibilis charitati non necessariò ponitur in actu ex sola imperfecta charitate: sed oportet aliam positiuam causam apponere: puta aliquod malum imminens. Sed stat quòd homini imperfectæ charitatis nihil imminentis mali occurrat post mortem: puta quia est in statu, in quo satisfecit plenè pro omnibus peccatis suis: ergo charitas illius nullum pœnalem secum ducit timorẽ: sed statim perficitur perfectione patriæ cælestis. Et sic licet in toto tempore præcedente charitas compassa fuerit aliquem timorem: ratione tamen status illius hominis (quia scilicet nulli culpæ nulliusq; pœnæ malo pro peccato subiacere tunc inuenitur) in primo instanti quo non viuit hîc, sed ibi, charitas illa perficitur perfectione patriæ: vt dictum est, & non nisi timorẽ illum secum retinet, qui permanet in seculum seculi.

AD OBIECTIONEM dicitur, quòd glossa ibidem exponit de timore seruili, qui nec cum imperfecta nec cum imperfecta charitate manet. In cuius signũ textus dicit vtrunque: & quòd timor non est in charitate, & ꝙ perfecta charitas foras mittit timorem. Aliter exponitur primum de timore seruili, & secundum de timore filiali. Aliter & altius posset exponi de timore simpliciter & charitate simpliciter: vt sit sensus, Timor nõ est in charitate: quia scilicet non necessariò comitatur charitatem. Et ratio redditur, quia perfecta charitas (quæ scilicet est perfectio & perfecta simpliciter) foras mittit timorem: quia timor pœnam habet. Charitas autem simpliciter sine omni etiam passibili malo & pœnæ & culpæ est: charitas enim quum sit vna ex perfectionibus simpliciter, cõmunis est Deo & creaturis: & in solo Deo inuenitur perfecta, sicut & sapientia & bonitas: in quo nullum compati timorem siue naturalem, siue reuerentialem manifestum est. Et hæc expositio licet sit quo ad tex. illum noua: est tamen in se vera, & non aliena à tex. illo incipiente ibi, Deus charitas est, &c. & ex charitate Dei perfectionem charitatis in nobis imitandam proponente & docente. Sed ad propositũ sufficit expositio duplex inducta ex gl.

¶ Ad id verò quod dicitur, quòd per solam mortem charitas non perficitur, respondetur quòd sola mors non perficit charitatem: sed solus Deus gloriosus inueniens hominem in morte liberum à culpa & pœna peccatis commissis debita, perficit charitatem, lumen gloriæ illi infundendo, & ad visionem fruitionémq; suæ maiestatis illum admittendo. Augustæ die 14. Octobris. 1518.

QVAESTIO. II.

An iustus timendo pœnam peccet.

VTRVM Iustus timendo pœnam, peccet. Et videtur quòd sic. Primò, quia iustus, nihil timere debet nisi solum Deum. Tum secũdò, quia timor pœnæ est ex amore sui, qui est peccatum:

charitas enim non quærit quæ sua sunt: primæ ad Corin. 13. & ab Apostolo vituperantur 2. ad Timo. 3. Homines seipsos amantes: & infinitæ ad hoc sunt autoritates. Tamen tertiò: quia ratio suffragatur: quia odio habens pœnã plus amat suam quietem, quàm Dei iustitiam & voluntatẽ: hoc autem constat esse iniquum. Quartò, quia timor omnis ex diffidentiã est: iuxta illud, Cõfidite, nolite timere, & similia: diffidentia autem peccatum est: ergo, &c.

CONCLVSIO.

Iustus sibi imminentem pœnam timendo, non propterea deserens quod rectum vsum rationis deceat, nullatenus peccat.

AD EVIDENTIAM huius quæstionis sciẽdum est, ꝙ timor & dolor conueniunt in materia hac, scilicet malo pœnæ, vt patet: & vtrunq; est de his, quæ nobis nolentibus accidunt (vt Aug. dicit) quamuis differenter: quia dolor de præsenti, timor de futuro est malo. Vnde sicut contingit rectè & non rectè dolere de præsentibus malo pœnæ, ita contingit rectè & non rectè timere futurum malum pœnæ: nam si dolor, quantumcunq; magnus sit: voluntatem hominis à diuinis præceptis non auertit, rectè tristamur & doleamus de malo, quod patimur. Et vtrũq; clarè videmus in Domino Iesu: qui ait, Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Et rursus, O vos omnes qui transitis per viam, videte si est dolor similis sicut meus. Et similiter timor futuri mali pœnæ quantuscunq; sit, si non auertit hominẽ à diuinis præceptis, rectus est: & hoc etiam est videre in domino Iesu: qui cœpit pauere & tædere, Mar. 14. Tunc autem tantum tam dolor, quàm timor malus est, quando hominem abducit à Dei mandatis: vt patet in his, qui dolore & timore fidem negant, vel quicquã aliud mandatorũ omittunt. Ex quibus clarè patet, ꝙ nec dolor de præsenti malo pœnæ, nec timor de futuro, est secundum se malus: alioquin nunquam esset rectus. Nec dissonat ab homine mortali quantumcunq; perfectissimo: alioquin non inuentus fuisset in Christo omnium perfectionum fonte. Et hinc prouenit ꝙ timor pœnæ quandoque vituperatur, & quandoque non, sed naturæ testis est bonæ. Et propterea iustus timendo pœnam infra limites naturæ ac rectæ rationis, nullo modo peccat, nisi Christus peccauerit, quod est blasphemia.

AD OBIECTIONEM Primam in oppositum dicitur, ꝙ naturalis timor mali pœnæ infra limites rationis rectæ consistens, non est timor, alterius quàm Dei vt infligentis pœnam: quoniam non est malum pœnæ in ciuitate, quod non fecerit Dominus. Timor enim solius Dei, vt punitoris, non excludit timorem rectum pœnarum, vt patet.

¶ Ad secundam dicitur, ꝙ amor sui duobus modis in sacris literis sumitur. Primò pro amore sui secundũ id quod est ex naturalibus, siue gratuitis Dei donis: & sic amor sui est de præcepto naturæ. Et ad huius sui amoris imitationem præcepit Deus Diliges proximũ tuũ sicut teipsum & secundum hoc Apostolus dicit, Nemo vnquam carnẽ suam odio habuit: & Dominus, Dedi dilectam animam meã in manus, &c. Alio modo sumitur pro amore sui secundum id quod ex peccato habet: puta pronitatẽ ad malum, auersionem à Deo, & huiusmodi: & sic amor sui nõ est rectus: debet enim homo odisse in se quicquid mali habet, inquantum est malum: amor enim non nisi boni est.

Quocirca si timor ex amore sui secundum Dei in se dona naturalia vel gratuita procedit, & infra rationis rectæ limites sistit, nullum peccatum est: sed testis est bonæ naturæ, bonitatisq; diuinorum effectuum amabilium. Si autem prouenit ex amore sui secũdo modo, sic est peccatũ: sicut & ipse sui amor, qui est fundamentum ciuitatis diabolicæ. Vnde prudẽtis lectoris erit discernere, quã Scriptura catholica vel doctorũ loquitur de amore vel odio sui primo modo, & quando secundo modo: & sic non falletur. Quod enim dicitur: Erunt homines seipsos amantes, de amore sui, quantum ad id quòd peccati est, refertur: & sic de alijs vituperatis amoribus sui. Quod autem dicitur Charitas non quærit quæ sua sunt, multipliciter à glo. exponitur. Primo referendo cõmuniter ad ea quæ ipsius charitatis esse possunt materia: & exponit apponendo ly tantum: hoc est, charitas non tantũ quærit quæ pro ipsa in habente ipsam sunt: sed etiam quæ pro alijs sunt: secundò, exponendo de temporalibus bonis, & sic vel non repetit ablata, vel non est amatrix pecuniarum. Aug. autem in regula exponit de eisdem tẽporalibus: quia cõmunia proprijs, non propria cõibus anteponit. Ex quibus omnibus patet, quod in nullo obstat hæc autoritas dictis.

¶ Ad tertiam dicitur, quòd maior est vniuersaliter falsa: Christus enim testatur & se nolle mortis pœnam, & se tamen plus velle Dei voluntatem quàm suam, quũ dixit, Verumtamen non sicut ego volo, quo ad primum: sed sicut tu vis, quo ad secundum. Et similiter accidit in omnibus rectè tristibus & timentibus: habent enim simul nolle seu odium respectu malorũ ex amore naturali quietis à malis (& quo ad hoc August. dixit, ꝙ sunt de his quæ nobis nolentibus accidunt) & velle respectu diuinæ voluntatis, iustitiæ & præcepti: alioquin nõ sisteret tristitia aut timor infra limites rectę rationis. Et propterea falsum esse liquet ꝙ odio habẽs pœnã & appetens nõ pati, plus amat se & suam quietem, quam Dei iustitiam, præceptum aut voluntatem. Ad quartam dicitur falsum esse, ꝙ omnis timor sit ex diffidẽtia: quàuis enim timor, quia spei opponitur, minuatur ex confidentia, & ex diffidentia augeatur: non semper tamen ex diffidentia oritur: vt patet de timore Christi, in quo in nulla fuit diffidentia. Et de timore Hiero. ad Eustochium dicentis, Ego ille qui timore gehẽnæ tali me carceri damnaueram: & tamen tunc maximè confidebat de diuina gratia. Vnde autẽ oriatur vniuersaliter timor, alterius est negotij: sat est ꝙ non est opus culpabilem semper esse, Augustæ die 14. Octobris 1518.

TRACTATVS VIGESImusquintus *De obligatione, & obseruatione præceptorum tàm in Religione, quàm extra, in duas quæstiones diuisus.*

1 *Num quod tibi præceptum obliget ad mortale.*
2 *Num Religiosus factus episcopus ad obseruantias regulares ex debito legati teneatur.*

QVAESTIO. I.

Num Quodlibet præceptum obliget ad mortale.

QVAERITVR Vtrum omne præceptum obliget ad peccatum mortale. Et videtur ꝙ sic, quia communis animi conceptio est, quicquid sub præcepto positum est, ad mortale peccatum obligare, intantum quòd percunctantibus de aliquo actu an cadat sub præcepto, vbi responsum est affirmatiuè, statim intelligitur obligatio ad mortale peccatum.

IN OPPOSITVM Autem est: quia sequeretur omnem actum cuiuscunque vitij esse peccatum mortale: quod constat esse falsum. Et patet sequela: quia euitatio cuiuscunque vitij cadit sub præcepto.

CONCLVSIO.

Ea tantum præcepta obligant ad mortale, quæ de aliquo sub quod ad Dei, vel proximi charitatem spectat.

AD Euidentiam huius dubij sciendum est, ꝙ præceptum contra consilium distinctum in hoc à consilio differt, ꝙ consiliũ est de bonis, quorũ opposita non sunt mala: datur enim consilium de virginitate, quam si quis noluerit seruare, non peccat: vt patet primæ ad Cor. 7. & simile est de alijs. Præceptum autem de his bonis, quorum omissio mala est mortaliter: soli enim illi virtutum actus sub præcepto cadunt, quorũ omissio peccatũ est: vt patet discurrendo. Et propterea Apostolus ibidem dicit, De virginibus præceptũ Domini non habeo, consilium autem do. & subdit, quod si nupserit virgo, nõ peccat. Habet ergo præceptũ pro materia actũ bonum, cuius oppositum est peccatũ: & econtrario omne peccatũ opponitur alicui cõmissioni vel omissioni præceptæ. Quod ex eo patet, ꝙ trifariam diuisis actibus (quia aut præcepti, aut consulti, aut indifferẽtes sunt) neq; contra indifferẽtia, neq; contra consulta agẽdo vel omittẽdo peccatũ incurritur: restat igitur, vt quod peccatũ sit, opponatur cõmissioni vel præcepto. Quo fit, vt euidẽter hinc sequatur, nõ quicquid clauditur sub præcepto, vinculũ habere mortale: nisi quis putet omne peccatũ esse mortale. Si enim omne peccatũ opponatur alicui præcepto, & nõ omne peccatũ est mortale, clarè sequitur, ꝙ aliquod peccatũ est cõtra præceptum

Universidad de Deusto Biblioteca

quod non est mortale. Sed quomodo hoc sit, declarandũ restat. Scito ergo ꝙ præceptorum moralium (de quibus solis est sermo) quædam habent pro materia bonos actus, quorum contrarij cõtrariantur charitati: vt patet de præceptis fidei & iustitiæ. Sunt enim de credẽdo articulos fidei, & de tribuẽdo vnicuiq; quod suũ est: quorũ contraria (vt infidelitas & iniustitia) contra charitatem sunt: illa contra dilectionẽ Dei, ista contra dilectionem proximi. Quædam verò habent pro materia actus bonos, quorũ contraria non contrariantur charitati: vt patet de præceptis abstinentiæ, affabilitatis, vrbanitatis, & similiũ. Sũt enim de obseruandis modis debitis in sumẽdo cibum, aut conuersando, aut iocando: quorũ contraria (vt species gulæ & rusticitatis) non sunt contra charitatẽ Dei & proximi, q̃uis mala & peccata in genere moris sint. Spectandum est ergo ad charitatem, quum discernendũ est præcepti vinculũ ad mortale peccatũ: quia solum per mortale peccatũ charitate tollitur & omne peccatũ mortale charitatem tollit. Si enim præcepti violatio charitatem tollit, ad mortale peccatũ obligat: si autẽ non tollit charitatẽ q̃uis tollat quãcunq; aliam virtutẽ, ad mortale peccatũ non obligat. Charitas enim est animæ vita: quæ quia per peccatũ mortale tantũ tollitur, ideo peccatũ tollẽs ipsam, mortale appellatur: tolli autẽ charitatẽ solũmodo constat per id quod cõtrariatur dilectioni Dei, aut proximi. Et propterea duo sunt genera moraliũ præceptorũ, quædam habẽtium vinculũ peccati mortalis: & sunt illa sola, quæ præcipiũt aliquã cõmissionẽ vel omissionẽ necessariã ad dilectionẽ Dei vel proximi. Necessariã autẽ dico vel simpliciter: vt in quibusdã præceptis naturalis iuris: vt Deũ esse colendum, non esse adulterandum, & huiusmodi. Vel ex suppositione: vt in quibusdam præceptis diuini, vel humani iuris: vt, suscipiendum esse Baptismũ, obseruandos esse tales dies festiuos, & huiusmodi: sunt enim hæc necessaria ad salutẽ, quia sic instituit Deus, vel Ecclesia. Quædam habentium vinculum peccati* venialis tantùm: & hęc sunt, quorũ violatio stat cum charitate Dei & proximi. Siue sint de iure naturæ: vt, non esse mentiendum, esse affabilem & huiusmodi: siue sint de iure positiuo: vt, benedicendam esse mẽsam à clericis, & huiusmodi. Peccant enim violantes hæc præcepta, sed nõ mortaliter. Vnde patet, ꝙ nõ omne præceptũ habet vinculũ peccati mortalis.

* Alias, habebatur, mortalis, seu moralis.

Et si ad hãc distinctionem aduertissent priores, nõ conclusissent aliquid esse de cõsilio, ex eo ꝙ nõ est in pręcepto habente vinculũ peccati mortalis. Crediderim quoq; ego multa nos habere hodie secundũ animi communẽ conceptionẽ pro præceptis habentibus vinculũ peccati mortalis, quę si à patribus cũ hac distinctiõe fuissent interpretata, non haberemus hodie hæc sub præcepto vinculi mortalis: vt est præceptum de ieiunio, &c. Multa enim sunt, & opinione mea, infinita positiui iuris præcepta moralia absque vinculo peccati mortalis. Sub huiusmodi siquidẽ morali nõ mortali præcepto cadit tota regula beati Aug. ex eo ꝙ in principio dicitur: Hæc sunt quæ vt obseruetis, præcipimus in monasterio constituti: & ꝙ monachi carnes non comedant. de conse. dist. 5. carnem, &c.

AD Obiectionem ergo in oppositũ dicitur, ꝙ quia nominibus vtendũ est, vt plures vtuntur, Præceptũ nomẽ dupliciter inuenitur. Primò secũdum proprietatem significationis suæ: & sic præceptum in Politicis seu Moralibus distinctum contra consilium in duo secatur genera: vt declaratũ est. Alio modo per antonomasiã: & sic præceptum antonomasicè dicitur solũ illud, quod habet vinculum peccati mortalis. Et hinc orta videtur ista communis vox. Romæ, die 14. Februarij. 1518.

QVAESTIO. II.

Num religiosus factus Episcopus ad obseruantias regulares ex debito legali teneatur.

QVAERITVR An religiosus factus Episcopus teneatur debito legali ad obseruantias regulares. Et videtur quòd non: quia in Decretis. 18. q. 1. cap. vnico: dicitur, ꝙ monachus factus episcopus electione canonica, est absolutus à iugo regulæ professionis monasticæ: constat enim absolutum à iugo legis, non teneri debito legali ad legis obseruationem. Et confirmatur ex gl. ibidem dicẽte, quòd non tenetur ad ieiunia: similis enim ratio est de alijs.

IN Oppositum autẽ est autoritas & ratio S. Tho. in Secunda secũdæ. q. 185. ar. 8. dicentis, quòd tenetur ad omnia non repugnantia episcopo: quia dispositio non tollitur adueniente perfectione, sed magis perficitur. Et confirmatur hoc, quia aliter sequeretur, ꝙ monachus episcopus gauderet beneficio capituli explicati, extra de obser. ieiu. vbi conceditur in die natalis Domini esus carnium etiã feria 6. eis, qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt astricti ad abstinentiam à carnibus. Consequens autem videtur falsum, quia constat exceptionem illam comprehendere monachos, quibus regularis institutio carnes inhibet, absque tamen peccati mortalis nota.

CONCLVSIO.

Religiosus factus episcopus non tenetur ex legali debito ad regulare obseruantias, sed tantum ad tria vota, morali tamen debito ad eas tantum teneri certum est, quæ non dissonent episcopali statui.

AD EVIDENTIAM Huius dubitationis sciendum est, ꝙ dupliciter aliquis tenetur ad aliquid obseruandum, vel ex debito legali, vel ex debito morali tantum. Dico autem tantum: quia debitum legale claudit in se morale debitum, & addit suprà illud legalitatem. Appellatur autem, & est debitum morale, vinculũ ex recta ratione, debitum verò legale est vinculum ex lege. Ita ꝙ vis obligatiua in debito morali, ex sola recta ratione, vt à coactiua virtute proficiscitur: siue habeat aliunde occasionem, siue non. Tenetur enim quilibet ex debito morali ad non mentiendum: quia naturalis ratio sic dictat veritatẽ sectandam, vt contrarium secũdum se prauum diffiniat: & simile est de vinculo ad vitanda quælibet vitia. Tenetur quoque princeps ad obseruationem legis communis ex debito morali (iuxta illud, Patere legem, quam ipse tuleris: extra de consti. ca. quum omnes: & Dominicam reprehensionem, Matth. 23. Dicunt & non faciunt) quãuis nõ teneatur ad legis obseruationem ex debito legali: quoniam lex non habet vim coactiuam supra principẽ. Verùm huiusmodi debitum morale ex naturali ratione sola, vt à virtute coactiua vim habens, occasionaliter ortum habet à lege extante: nam nisi lex maneret in suo robore, ratio naturalis non obligaret principem ad illius obseruationem, sicut nec subditos, quos lex primò, & recta ratio secundò obligat, vt vis coactiua ad legis eiusdem obseruationem. Debitum autem legale est, quòd à lege * vt à coactiua virtute est: lex enim nisi habeat coactiuã virtutẽ, lex non est, ac per hoc respectu illius suprà, quẽ non habet virtutem coactiuam, lex non est simpliciter & absolutè, sed secundũ quid, scilicet vt directiua. Et propterea dicitur & bene, ꝙ princeps solutus est legibus: quia scilicet lex simpliciter & absolutè non est supra eum: quia non ligatur coactiua virtute legis. Et quia vis coactiua legum per legis actum punitiuum exercetur, vt proprium actũ: quia pœna est proprium legis mediũ: per quod ad sui obedientiam inducit: vt S. Tho. docuit in Prima secundæ. q. 92. art. 2. ideo illi soli subsunt virtuti coactiuæ legis, qui legum pœnas incurrunt, contrafaciendo. Qui autem suapte natura non ex priuilegio, legum pœnas non incurrunt, quantumcunq; contra præcepta legum agant, virtuti coactiuæ legis non subijciũtur. Quocirca quia religiosus factus episcopus non subiacet pœnis regulæ, aut statutorũ regularium (quod ex eo patet, ꝙ si puniendus est, non punitur secundũ regularia instituta, sed secundum sacros canones, sicut reliqui episcopi) consequens est, vt religiosus factus episcopus non teneatur ex debito legali ad obseruantias regulares. Et quia censurarum & peccati mortalis pœna ad vim coactiuam legis spectant, ideo nõ incurrit censuras aut mortale peccatum, si huiusmodi ex regula, aut constitutionibus tantum prohibeãtur, oppositum faciendo, quamuis peccet mortaliter aliquod triũ essentialium votorum transgrediendo: quia ad illorum obseruationem ex voti vinculo, cessante lege tenetur. Tenetur tamẽ ex debito morali religiosus factus episcopus ad suæ religionis regulares obseruantias non contrarias, aut dissonas episcopo: quia ex ascensu ad perfectionis statũ non debet deficere à fructu prioris vitæ: vt ratio sancti Tho. monstrat. Perderet autem, si ea, quæ etiam non conferunt ad perfectionem episcopalem, per quæ ad illam peruenit, desereret: simile siquidẽ accidit istis regularibus bonis in episcopo, quod accidit in naturalibus & disciplinabilibus dispositionibus. Videmus enim ad generationẽ ignis perueniri per calorem disponentẽ ad ignem: & propterea igne genito, calor nõ minor manet, aliter tamẽ: quia prius inerat per virtutem quasi coactiuam agentis: postea inest vt

vt consequens naturam geniti. Et similiter frequens meditationis studium ad doctoratũ ducit: & propterea doctor nisi cancri more retrocedat amplius meditatur, licet aliter: quia prius quasi pædagogo cogente, postmodum tanquam actum cõnaturalem exercens. Ita & religiosus profitendo per regulares obseruantias, ad episcopalem perfectionem deducitur: qua adueniente, regulares obseruãtiæ episcopum decentes magis assunt: aliter tamẽ, quia prius tenebatur ad illas ex virtute coactiua legis: modò verò ex recta ratione dictante laborem viæ non debere perire in termino, & quòd per eadem bona, perfectio conseruari debet, per quæ acquisita est.

¶ Ex quibus patet, vtranq; opinionem verũ diuersimodè dicere, & ꝙ tenetur ad regulares obseruãtias, & ꝙ non tenetur: nam tenetur ex debito morali, & non tenetur ex debito legali. Et hinc patere potest, ꝙ monachus factus episcopus, licitè potest carnibus vesci in sexta feria, quãdo natiuitas Domini in illã euenit: quoniã à debito legali, quo sub iugo prohibentis regulæ astringebatur, absolutus est, & debitum morale tunc non habet locũ. Quia conuenientissimũ est, inquit diuus Tho. in Tertia parte. q. 40. ar. 2. vt qui cum aliquibus conuersatur, se eis in conuersatione conformet: ita ꝙ in cibo & potu conformiter se sicut alij habeat: constat enim monachũ episcopum ad conuersandum cum ecclesia sua, & specialiter clericis suis trãslatũ. Et hoc præcipuè locum habet in tanta solennitate: in qua & sancti viri abstinentiæ detrahunt: decet enim tantã internæ lætitiæ causam foris erumpere ad lætas mensas.

AD PRIMAM Ergo obiectionẽ pro parte negatiua ex decretis, dicitur, ꝙ monachus factus episcopus absoluitur à regulari iugo, quod coactionẽ importat, sed non absoluitur à morali debito operis regularis. Et similiter gl. verificanda est, ꝙ absoluitur à iugo ieiunij, & nõ à ieiunij debito morali. Ad obiectionẽ primã pro parte affirmatiua ex autoritate S. Tho. dicitur, ꝙ intelligẽdus est de debito morali, & non de legali. Quod patet tum ex ratione ibi reddita, quæ non nisi debitum morale concludit: tũ ex eo, ꝙ iuxta illam doctrinã religiosus factus episcopus etiam Romanus, tenetur ad regulares obseruantias non dedecentes ipsum: & tamen constat ipsum non teneri debito legali, sed morali tantum ad huiusmodi. Ratio enim literæ illius non magis militat pro alijs episcopis, q̃ pro Romano: quum iste teneatur esse perfectior cæteris.

¶ Ad secundam obiectionem dicitur, ꝙ canon ille Honorij. 3. explicando restringens esum carnis in die natalis Domini ad eos, quæ nec voto nec regulari obseruantia sunt astricti, intelligitur de astrictis ex debito legali ad regularem obseruantiã: & non de his, qui ex debito morali subsunt regulari obseruãtiæ. Et ratio est: quia in qualibet sciẽtia nomina sunt interpretanda secundum vsum illius sciẽtiæ: constat autem solos astrictos debito legali appellari in iure astrictos lege, & non astrictos legali debito appellari solutos à lege, princeps enim solutus dicitur legibus, qui tamen secundum morale debitum subest legibus. Et quod magis viget ad propositum monachus episcopus à iugo regulæ monasticæ professionis absolutus dicitur. ca. statutum. 18. q. 1. non comprehendit igitur monachus episcopus in iuris dispositione inter astrictos regulari obseruantiæ: sed inter absolutos à iugo regularis obseruantiæ, si iuris textum vnum secundum eiusdem iuris textũ alium intelligere debemus. Et tu lector memento scripta nostra de huius quæstionis materia in commentarijs super Secunda Secundæ ad hæc referre subtilius discussa. Romæ 13. Februarij. 1518.

TRACTATVS VIGESIMUSSEXTUS De sacri ordinis Collatione unica Quæstione contentus.

QVAESTIO.

Vtrum in collatione sacri ordinis sufficiat tactus corporalis post completam prolationem verborum, in quibus consistit forma.

QVAERITVR, An in collatione ordinis sufficiat tactus corporalis post completam prolationem verborũ, in quibus consistit forma. Et videtur quòd sic. Primò, quia de facto ritus hic seruatur alicubi absque reprehensione, vt à fide dignis dicitur. Porrigit siquidem ab episcopo dicente semel tantum formæ verba in numero plurali, Accipite potestatẽ &c. calix præparatus: & quotquot sunt ordinandi in sacerdotes, sigillatim accedunt ad contactum calicis episcopo non repetente, neq; continuãte verba, sed deinceps silente: absurdum est autem damnare tantam multitudinem: ergo, &c.

¶ Secundo, quia vbi est diuersitas opinionum, nõ est diffinitiuè asserendum, nisi liquidè manifestata sit veritas: ergo multò magis vbi nihil inuenitur etiam opinatum, non est damnanda altera pars, sed quilibet sensui suo relinquendus. Sed de simultate contactus corporalis in sacrorum ordinum susceptione, nihil apparet etiam opinatũ, quin potius de cõtactu ipso corporali diuersæ sunt opiniones: vt S. Tho. in 4. sen. di. 24. dicit. Non sunt igitur damnandi, qui tetigerunt quidem calicem præparatum, &c. quamuis non simul cum prolatione verborum.

¶ Tertiò, quia si contactus & verborum prolatio deberent esse simul tempore, hoc esset, quia verba formæ aliter non verificarentur. Sed hoc non accidit in proposito, nam in verbis imperatiui modi satisfit, si incontinenti obeditur secundum intentionem imperantis. Episcopo autem porrigenti & dicenti, tot ordinandis, Accipite, obeditur incontinenti secundum eius intentionem: quoniam episcopus etiam explicitè dicit, Ego intendo omnibus conferre ordinem sic successiuè venientibus: ergo, &c.

RESPONDEO In hac difficultate: primò declarabitur veritas de necessitate contactus: secundò, de simultate cõtactus & verborum, tertiò satisfiet oppositis.

CONCLVSIO.

Corporalis contactus in sacri ordinis susceptione necessarium est, vt simul fiat cum prolatione verborum.

QVO AD Primum scito, ꝙ non opinatiuè, sed assertiuè dicendũ est, ꝙ contactus corporalis necessarius est in sacramento ordinis, non solum quia simile est in cæteris sacramentis, in quibus adhibetur extranea materia (Baptismus enim sine cõtactu aquæ, cõfirmatio sine contactu manuũ, vel chrismatis, & extrema vnctio sine contactu olei non fit, &c.) sed quia propria ratio formæ sacramenti ordinis hoc exigit, vt diuus Tho. in præallegato loco docuit. Oportet siquidẽ verba, in quibus consistit forma ordinis, verificari sic, ꝙ actus significati impleantur: alioquin inefficacia vanaq; sunt: sed in verbis formæ percipitur actus susceptionis corporalis: ergo oportet impleri tale imperium per corporalem acceptionem. Probatur minor: quia cũ dicitur, Accipe, aut imperatur solus actus interior, aut cum exteriori acceptione. Non interior solus, quia de interioribus solis ecclesia non se impedit: ergo iũctus exteriori acceptioni. Et confirmatur: quia cum sacramenta consistãt in rebus & verbis sensibilibus (vt patet in principio quarti sen.) demonstrationes iussionesq; sacramentales ad sensum impleri oportet. Propter quod sicut cũ in forma eucharistiæ dicitur, Hoc est corpus meũ, oportet fieri demonstrationem non ad intellectum tantũ, sed ad sensum: ita cum in forma ordinis dicitur, Accipe, oportet fieri iussionem ad sensum: Et sicut ibi oportet mõstrare contentũ sub his sensibilibus speciebus panis, &c. ita hic imperari acceptionem sensibilem, quæ contactu corporali perficitur, &c. Et hæc ratio non solùm infert, ꝙ oportet corporalem susceptionem interuenire in illis traditionibus, quibus imperatur explicitè acceptio alicuius rei corporalis, (puta cum dicitur, Accipe librum vel claues, &c.) sed etiam cum dicitur, Accipe potestatem, vel accipe Spiritum sanctum: idem enim est vtrobiq; iudicium quia idem est in vtrisq; imperatum. Meminisse enim oportet, ꝙ sicut in consecratione sanguinis Iesu Christi, nõ demonstratur ex vi verborum id quod continetur sub specie vini, quod tamen deberet demõstrari sicut in consecratione corporis: sed demonstratur calix continens illas species, dicendo, Hic est calix, &c. & iuxta tropum metonymiæ ponitur continens pro contento, ad insinuandum, ꝙ cõuersio fit in sanguinem, vt potabilem: ita in sacramẽto ordinis iubetur ex vi verborũ quãdoq; acceptio spiritualis rei (puta potestatis seu Spiritus sancti) & iuxta eundẽ tropũ ponitur * quòd dicitur per pro eo ꝙ fit, id est acceptio potestatis, pro qua acceptio corporalis fit, loco ipsius acceptionis incorporalis, quæ in rei veritate imperatur. Oportet enim (vt dictum est) iussionẽ sicut & demonstrationẽ sacramentorum, ad sensum impleri, &c.

* Alias quòd dicit.

¶ Amplius, Nõ minus oportet impleri ꝙ fit in sacram-

Universidad de Deusto Biblioteca

to,q̃ quòd dicitur.Sed in sacramento ordinis si fit traditio calicis actiuè,& nõ accipit,cõstat ꝙ nõ implet quod fit:nulla enim actio impletur sine passione,vnde episcopus & verbo (vt dictũ est)iuxta tropum prædictum,& facto,ipsa scilicet porrectione calicis,vel actiua manuum impositione imperat corporalem susceptionem.Propter quod sicut non sufficit episcopũ manus imponere actiuè tantum:sed oportet corporaliter tangi ordinandũ,& obedire,contactum corporalem sustinendo,quãuis ex vi verborum Spiritus sanctus accipiendus iubeatur in illa impositione:ita non sufficit calicem cum verbis porrigere, sed oportet ordinandum obedire,ad corporalem tactum accedendo,quamuis ex vi verborum potestas accipiẽda dicatur imperatiuè,&c. Confirmatur quoque hoc autoritate decretalis de sa.nõ ite.ca.presbyter.Vbi expressè apostolica traditione tactum corporalem debere interuenire Grego.9.dicit,&c. Non deest quoque autoritas sancti Tho.& Petri de Pa.& rubricarum librorũ pontificalium,&c.Hæc de primo.

QVO AD Secundum scito, quòd oportet corporalem contactum fieri cum prolatione verborum, in quibus consistit in forma simul tempore in toto,vel in parte,&c.quoniam nulla oratio verificatur, aut adimpletur, nisi significatum ponatur in tempore consignificato. Tempus autem consignificatum per orationem,quæ est forma sacramenti,non se extendit extra totum tempus prolationis eius: ergo intra tempus prolationis verborum, oportet acceptionem significatam impleri,&c. Maior est per se euidens:minor autem continet duo:vnum est ꝙ tempus consignificatum sit præsens: alterum verò ꝙ tale tempus præsens non extendatur extra tempus prolationis verborum:his enim duobus euidenter habitis,tota ratio clara erit,et efficaciter inferẽs intentum. Primum autem horum euidens fit ex conditionibus verbi imperatiui:nam inter præsens indicatiui, & præsens imperatiui,& futurũ eiusdem(verbi gratia,accipis,accipe,& accipito)conuenientia est in significatione: singula enim acceptionem significant.In modo autem significandi differentia est,quoniam ly, accipis,significat acceptionẽ indicatiuè,ly verò,accipe, & accipite, significãt acceptionem imperatiuè.In tempore verò differentia est, sed aliter,quoniam tam ly accipis,q̃ ly accipe, significat acceptionem in præsenti,ly verò accipito, significat acceptionem in futuro.Vnde inter ly accipis,& ly accipe, neque in significato,neq; in tempore est differentia aliqua, sed in modo tantum:quoniam dicendo,accipis, acceptionem præsentẽ in te indico:dicendo verò,accipe, acceptionem præsentem tibi impero, &c.Et ex hoc sequitur,ꝙ sicut verum non est dicere, accipis,te in præsenti non accipiente(indicatur siquidem esse in præsenti quod non est) ita efficax non est dicere,accipe,te nõ in præsenti accipiente:imperatur siquidem esse in præsenti quod non est. Ex proprietate igitur cõsignificati tẽporis in forma sacramẽti ordinis consistente in verbo imperatiuo præsentis temporis:apparet ꝙ oportet impleri quod iubetur in præsenti tempore. Quòd autem tale præsens non extendatur vltra tempus prolationis verborum, probatur. Primò ex ipsa ratione temporis consignificati.

¶ Ad cuius euidentiam aduerte tria.Primum est ꝙ differentia temporis verborum non tenet se ex parte prolationis,neq; ex parte proferentis,sed ex parte significati:nam si ad tempus prolationis inspicias,ita mensuratur tẽpore præsenti accipiam,& accepi.sicut accipio,&c.similiter si ad intentionem huius,vel eius proferentis aduerteris,ita potest intendere præsens tempus vnius anni, mensis, vel diei,&c.sicut huius,nunc,&c.sed si significationẽ verbi perspexeris,& mensurã durationis eius cõsignificatã consideraueris, inuenies,ꝙ tp̃s cõsignificatũ vt mẽsura ipsius actus significati ex vi talis verbi intelligitur. Secundũ est,ꝙ consignificatum tempus est,& dicitur præsens,præteritum,vel futurum in respectu ad tempus,quo verbum ipsum significans profertur : quilibet enim fatetur se falsum dicere si dicendo,credo,non habeat in se credulitatem quando hoc dicit.Et similiter si dicẽdo,credidi,scit se nunquam nisi tunc,quando dicit,habuisse credulitatem, falsum dicit,&c,Et verba igitur præsentis temporis significant actum coexistentem ipsis verbis, quando dicuntur, & præterita præteritum,& futura futurum. Tertium est,ꝙ licet secundum veritatem nihil de tẽpore sit vnquã præsens nisi instans:apud Grammaticos tamen tempus præsens dicitur & consignificatur,quod cuicunque parti orationis coexistit:propter quod in sacramentorum actionibus apud Theologos effectus quidem, quia in instanti fit,in fine prolationis verborum fit. Actus autem sacramentalis tam actiuè, quàm passiuè in quacunque parte mensurante prolationem verborum coexistat, sufficit.Ex proprietate igitur consignificati tẽporis euidẽter patet,ꝙ tempus præsens cõsignificatũ in forma sacramẽtorum non extenditur vltra mẽsuram prolationis eorũ. Et confirmatur, quia sicut in Eucharistiæ consecratione cum dicitur,Hoc est corpus meũ,ly est,non consignificat tempus extra prolationem verborum:ita in sacramento ordinis,cum dicitur, accipe, non consignificatur tempus extra mensuram prolationis verborum:vtrobique enim est verbum præsentis tẽporis,& non differunt nisi in modo,indicatiuo,scilicet,& imperatiuo.Mensura autem nõ ex parte modi,sed temporis se tenet:& propterea eadẽ est vtrobiq; ratio.Et ex hoc habes non solum, ꝙ ex proprietate verbi se tenet,sed ꝙ talis rigorosa proprietas in sacramentis ecclesiasticis seruatur,intenditur & exigitur:idem enim esse de omnibus iudicium debet. Et confirmatur: quia nisi tempus præsens consignificatũ intelligatur præcisè terminari cum prolatione verborum,nulla esset certitudo quantum hoc præsens duraret : & sic posset aliquis semel dicendo decem millibus hominum, Ego vos baptizo, &c.per totum diem effundere aquam super singulos, & essent baptizati:quod constat esse falsum.Hæc de secundo.

QVO AD Tertium,ad primum in oppositũ dicendum est,quòd non est mirum,si Spiritus sanctus permittit aliquos episcopos errare in istis,quoniam manifesta apparet in eis demeritoria causa:quia scilicet non submittunt actus suos rubricis põtificalibus,sed sensum proprium sectantes,euanescunt in cogitationibus suis:& dicentes se esse sapientes,stulti facti sunt.Episcopi tamẽ mutantes numerum singularem in pluralem,& dicentes,pluribus simul tangentibus,accipite,in nullo errãt:sicut nec baptizans plures simul aspergendo & dicendo, Ego vos baptizo,&c.Illi quoq; qui inter dicendum semel verba formæ pluribus successiuè tangentibus porrigunt, dicendo,accipite,satisfaciunt sacramẽto:quia etiam si vni tantum tradant dicendo, accipe, non exigitur ꝙ à principio formæ vsque ad finem semper adsit cõtactus:sicut etiam in Baptismo non oportet ablutionem vnius durare:quãdiu durant verba formæ:sed sat est si in aliqua parte verborum durante fiat hic ablutio,fiat ibi contactus,&c.Illi autem qui ante vel post prolationem verborum tangunt,nihil suscipiunt:sicut nec essent baptizati, qui ante vel post prolationem verborum abluerentur.

¶ Ad secundum verò dicitur, quod autoritas rubricarum pontificalium,expressè statuentium contactum & eius simultatem cum prolatione, & rationes autoritatésque supradictæ, excludunt huiusmodi opiniones, & determinant.

¶ Ad tertium autem iam patet, ꝙ non saluatur veritas seu efficacia orationis imperatiui præsentis temporis, nisi illo tempore præsenti fiat quod imperatur:& ꝙ sacramẽtorum efficacia certa exigit tempus præsens, non ad libitum ministri,sed secundum naturam ipsius sacramẽti intelligi.Vnde intentio episcopi etsi in his, quæ iurisdictionis sunt,possit præsens ampliare:in his tamen,quæ ordinis sunt,non potest:sed oportet ipsum in captiuitatem reducere intentionem suam in obsequium Christi,& ecclesiæ, &c. Nec obstant his dicta doctorum sentientium,ꝙ sacerdotes noui in sua ordinatione formam consecrationis Eucharistiæ proferunt,& omnes referũt intentionẽ suam ad instans,quo terminatur prolatio formæ consecrationis eucharistiæ ab episcopo.Hoc enim non est intelligendum,ꝙ fiat ex vi intentionis nouorum sacerdotum, quasi ipsi possint,suspendere effectum verborum in aliud tempus.hoc enim non minus possent perfecti sacerdotes. Sed quia sic fit in ecclesia à Spiritu sancto gubernata, vt omnium consecratio efficax inueniri possit, humana ratio tentauit suadere,adhuc tamen non persuasit, sed in captiuitatem ducto intellectu actus fit.Et hæc dicta sufficiant.Pisis, die 20.Nouembris.

1519.

*

Trac

TRACTATVS VIGESIMVS *septimus de Dispensatione Matrimonij in Occidentali ecclesia, Quæstione unica contentus.*

QVAESTIO.

Vtrùm summus Pontifex possit dispensare cum sacerdote occidentalis ecclesiæ, vt accipiat vxorem.

QVAERITVR Vtrum summus Pont.possit dispensare cũ sacerdote Occidentalis ecclesiæ,vt accipiat vxorem. ¶ Videtur enim,quòd nõ.Primò, quia traditum alteri non potest absque iniuria ab eo tolli:sed corpus sacerdotis occidentalis traditũ est diuinis obsequijs in castitate:ergo,&c.

¶ Præterea,Secundum Sanct.Tho.in Secunda secundæ, quæstio.83.artic.2.dicitur,quòd summus Pont.non potest dispensare religiosum ad contractum matrimonij: ergo nec sacerdotem.

IN OPPOSITVM Est,quia castitas annexa est ordini sacerdotali ex statuto ecclesiæ,ergo per eam potest tolli.

IN HAC Quæstione iuxta tria,quæ apparent in sacerdote Occidentali,discutienda sunt tria, vt plenius satisfiat,& cuiusdã reuerẽdissimi domini Cardinalis votis, & Parisijs nuper exorta quæstio clarius appareat.

¶ Videndũ est igitur primò de sacerdotio absolutè, quomodo se habeat ad matrimonium:secũdò de annexo voto continentiæ:tertiò,de statuto ecclesiæ.Ex his enim, & nõ aliunde impediri contingit sacerdotem à matrimonio.

CONCLVSIO.

Potest summus Pontifex salua conscientia dispensare in matrimonio cum sacerdote occidentali ecclesiæ etiam si non adsit aliqua publicæ vtilitatis ratio.

QVO AD Primum ergo duo dicuntur.Alterum affirmatiuum,scilicet ꝙ sacerdotiũ impedit matrimoniũ contrahendum;alterum negatiuum,scilicet ꝙ nõ dirimit contractum. Et primùm quidem intelligendum est de congruo:quoniam nec ratione, nec autoritate probatur, ꝙ absolutè loquendo,sacerdos peccet contrahendo matrimoniũ,quinpotius & ratio ad oppositũ ducit: quĩ,vt patet 37.di.4 sen.nec ordo inq̃tũ ordo,nec ordo sacer inquãtũ sacer est impeditiuus matrimonij:& in ecclesia occidẽtali olim dyaconi poterãt contrahere matrimonia,vt dicitur cap.dyaconi.dist.28.Manifestè quoq; in 31.dist.in cap.aliter:dicitur,ꝙ Orientales in sacramentis constituti copulantur matrimonijs.Nec admittenda est gloss.exponens,copulantur:id est,copulato vtuntur:quoniam manifestè series textus de contractu matrimonij loquitur, vt confirmat etiam aduersatiua subiuncta, scilicet ꝙ Occidentales non sortiuntur coniugia,&c. Secũdum verò dictum intelligendum est,ꝙ non dirimit matrimoniũ contractum siue antè,siue post.Et hoc(vt dixi)seclusis omnibus legibus ecclesiasticis,stando tantũ in his,quæ à Christo & Apostolis habemus.Et confirmatur vltimò vtrũsque horum ratione.Si ordo sacerdotalis ex natura sua impediret matrimonium contrahendum (ita ꝙ contrahere esset peccatum)aut dirimeret contractum,sequeretur ꝙ in nullo casu quantecunq; necessitatis,aut vtilitatis per ecclesiam militantem posset dispensari cum aliquo sacerdote:ꝙ contraheret matrimoniũ.Hoc consequens est & contra Theologos,& contra Canonistas,& contra autoritatem,qua de facto vtitur Ro.ecclesia. Cõsequentia autem manifestè patet ex exercitatis in Philosophia saltem rationali:quoniam quod est secundum se prauum,nulla ratione potest fieri licitum.Hæc de primo,

QVO AD Secundum,duo discutiẽda occurrũt. Alterum est,an secundum veritatem sacerdos voueat castitatem:alterum est de efficacia illius voti. Quidam putant sacerdotes Occidentales in hoc differre à religiosis, quo ad debitum seruandi continentiam:ꝙ religiosi astringuntur voto solenni:sacerdotes autem non voto, sed statuto ecclesiæ.Verùm hi manifestè errant : quoniã expressè mandatur episcopis,ꝙ neminem ordinent,nisi voueat castitatem,vt patet dist.28.in ca.nullum. ex quo formatur talis ratio.Aut omnes episcopi occidentales sunt trãsgressores præcepti Apostolici,aut non.Non est dicendũ primum:cum cõstet multos esse viros timoratos & sanctos nec reprehendi se à conscientijs proprijs,ꝙ in actu ordinãdi sint transgressores huius præcepti : ergo obseruant hoc præceptum:ergo suscipientes ordines sacros intelliguntur vouere castitatẽ ipso facto,non verbo,sed facto suscipientes ordinem sacrum Occidentali ritu.Nec putes Scotum, Durandum,& Petrum de Pal.his aduersari,eo ꝙ dicũt, ꝙ non potest quacũq; ecclesiastica autoritate annecti votum ex facto extrinseco:quia votum est actus volũtatis intrinsecus & liber.Stant enim hęc simul cum prædictis, quoniam ex antedictis habetur,ꝙ suscipientes ordines sacros,absq; peccato fictionis vouent castitatẽ.Ex hoc autẽ habetur,ꝙ absolutè loquendo possunt suscipere ordinem sacrum absq; voto castitatis,quia voluntas non cõpellitur:sed tamen(vt dictum est)cũ peccato fictionis:mẽtiuntur enim facto profitentes se vouere,& interiori actu oppositum intendentes.

¶ De efficacia autem solennis voti, diuersa est Theologorum opinio.Scotus nanq; & Pet.de Pal.in 4.dis.38. putant eandẽ vim habere simplex & solẽne votũ quo ad Deũ:ac per hoc nullũ,ex natura sua dirimit matrimoniũ contractum.Potéstque eorum positio fundari super hoc ꝙ si solenne votum ex natura sua dirimeret matrimoniũ post contractũ,nullo casu posset dispensari. Sanc.Tho, autem & Ricar. vbi supra tenẽt votum solenne dirimere ex propria natura matrimonium ea ratione, quia ponit ipsum Deum, seu ecclesiam in possessionem proprij corporis.Addit tamen in secunda secundæ S.Tho.88.aliam rationem ex parte cõsecrationis:quia scilicet quod semel sanctificatum est Deo, non potest in alios vsus conuerti.

Nec valet responsio Scoti ad primã rationem, soluẽtis eam per interemptionem, dicendo ꝙ non plus ponit in possessionẽ votũ solẽne quã simplex,eo ꝙ nihil intrinsecum voto habet solenne,quo careat simplex : vt patet in actu interiori volũtatis,cuius est vouere.Hæc inquã derisio derisibilis est:quoniã manifestè patet,ꝙ vouens votũ solenne, non solùm promittit,sed mutat de facto statum, ac per hoc vouens solẽniter vt sic,acceptat interiori actu mutationẽ status,promittens viuere de cetero in illo,&c.

¶ Videtur autem mihi rationabilior via sanc.Tho.si tamen rectè intelligatur.Puto enim ꝙ ad mentem eius,& secundum veritatem distinguendum sit cum ipso in Secunda secundæ,vbi suprà quòd solenne votũ est duplex. Quoddam per se solenne : vt professio religiosorum, & quoddam per accidens solenne:vt votum castitatis annexũ ordini sacro.Est autem ratio huius differentiæ:quia solennitas,siue consistat in exhibitione,siue in consecratione,per accidens coniungitur voto suscipientis ordinem sacrum.Quoniam talis exhibet seipsum,& consecratur nõ ad castitatem sed ad actus ordinis.Religiosus verò benedicitur,& exhibet se ad religionis statum : qui importat per se negationem propriæ voluntatis,corporis & bonorum. Hac verò distinctione stante duas dico propositiones.Altera est,ꝙ votum annexum ordini sacro, per se non dirimit matrimonium contractum:& ratio est:quia est solenne per accidens.Nec etiam per accidens fit ibi exhibitio corporis proprij ad aliquid repugnans matrimonio,sed promissio tantum:vt patet in ca.nullum.dist.28. Altera est,ꝙ votum religionis per se dirimit matrimoniũ contractum:tum quia in eo fit exhibitio corporis ad statum repugnantem matrimonio:tum quia tantæ vis est, vt soluat matrimonium prius legitimè contractũ & non consummatum,non ex statuto ecclesiæ,sed ex propria natura. Et hanc rationem bene notabis contra doc.discrepantes à sanc.Tho.ipsimet enim vtuntur voto professionis quia morte ciuili,cum ad matrimoniũ prius contractum disputatio trahitur:cum verò ad sequens matrimonium dirimendum sermo conuertitur,dicunt professionẽ non plus efficaciæ habere,quàm votum simplex, manifestè insinuantes viris doctoris doctrinæ suæ ruinosum fundamentum.Eadem siquidẽ ratione & efficacia, qua professionis votum dirimit prius cõtractum, eadem dirimit post contractum:imò minor vis requiritur ad dirimendũ consequens matrimonium,quàm antecedens,vt patet in ordine sacro dirimente consequens matrimonium, quàm antecedens,vt patet in ordine sacro dirimente consequẽs, & non antecedens.Non enim post contractum matrimonium per verba de præsenti,si quis inuita vel consentiente sponsa sacerdos fiat,propterea solutum est matrimoniũ sed illa non potest alteri nubere;cum tamen constet,quòd

ſi religioſus fuiſſet factus, ſoluta eſſet à vinculo cõiugali.

Nec obſtat, quòd in libro 6. de voto & voti redempt. dicitur, quòd ſolennitas voti per ſolam eccleſiæ conſtitutionem eſt adinuenta. Hoc enim verum eſt, quemadmodum etiam conſecratio calicis per ſolam eccleſiæ conſtitutionem adinuenta eſt. Cùm hoc namque ſtat, ꝙ quemadmodum nec conſecratio calicis in ſolo eccleſiæ ſtatuto conſiſtit, ſed in diuina benedictione: ita ſolennitas quoq; voti in diuina benedictione conſiſtit: vt in Secunda ſecundæ. q. 88. dicitur, iuxta illud Nume. 6. Inuocabit nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis. Et rurſus: ſicut calix iam conſecratus ex propria natura repugnat profanis vſibus, ſic profeſſus ſolenniter, ex propria natura repugnat proprietati rerum, & actibus venereis, & cæteris. Cùm his tamen teneo, quòd apud S. Tho. poteſt eccleſia diſpenſare in vtroque voto, ſcilicet religionis & ordinis, pro aliqua maxima neceſſitate. Et quòd eccleſia quidem poſſit, nolo aliter probare, quàm ex facto: quia ſcilicet ſummus Pontif. Regem Aragonum (vt Pe. de Palu. refert) diſpenſauit, imò compulit, vt religione dimiſſa vxorem duceret, &c. propter regni illius diſpoſitionem. Quòd autem hoc ſit de mente ſanc. Tho. manifeſtè concipi poteſt ex initio & fundamento poſitionis ſuæ in contrarium in Secunda Secundæ, loco allegato. Ibi ſiquidem volens concludere, quòd Papa non poſſit diſpenſare cum religioſo, pro radice poſitionis aſſumit autoritatem Decretalis, dicens, Sed quia Decretalis, cum ad monaſterium manifeſtè dicit, &c. & deinde vt conformaret ſe Decretali adinuenit illam adaptatione de conſecratione, vt ibi patet. Ex quibus omni paſſione ſemota, quilibet perſpicacis ingenij elicere poteſt, quòd ſi tempore ſuo ſummus Pont. dixiſſet oppoſitum verbo vel facto (vt poſtmodum fecit) quòd ipſe quoque accommodaſſet rationem inobedientiæ ſedis apoſtolicæ. Et propterea illa opinio non eſt ſua, niſi pro quanto ſuſtentabatur ab illa Decretali.

POTEST Igitur ad rationes ſupratactas, quæ videntur concludere indiſpenſabilitatem voti ſolennis religionis reſponderi. Et ad illam quidem de conſecratione, poteſt cum alijs dici, quòd ſemel ſanctificatum Deo, non poteſt in alios vſus paſſim conuerti: ſed bene in magnæ neceſſitatis articulo Liceret ſiquidem bibere in calice conſecrato, vbi aliquis non poſſet aliter bibere, &c.

¶ Ad aliam verò de exhibitione, eodẽ modo dici poteſt, quòd quamuis res alteri tradita dono, non poſſit regulariter ab eo auferri poteſt in caſu neceſſitatis, quo ablatio eſſet magis vtilis, quàm poſſeſſio propter commune bonum, quod præeminet bono particulari.

¶ Ad aliam verò, quę adducta eſt pro fundamẽto poſitionis aliorum doctorum, dici poteſt, quòd magna differentia eſt inter aliqd eſſe per ſe tale, & poſſe per ſe tale quid. Quod enim eſt per ſe tale, nullo caſu, nullaq; diſpẽſatione poteſt non eſſe tale: ſed quod poteſt per ſe in aliquid, contingit impediri, vt effectum intentum non producat: vt patet in agẽtibus naturalibus. Dico ergo in propoſito, ꝙ votum religionis eſt potens per ſe in hunc effectum, id eſt dirimere matrimonium ſequens: contingit tamen (& hoc rariſſimè) vt intentum effectum non habeat propter concurſum alterius cauſæ ſcilicet eccleſię autoritatis, & publicæ vtilitatis non paruæ. Hæc de ſecundo.

QVO AD Tertium (ſcilicet de eccleſiæ ſtatuto conſtat iam, quòd hodie ex eccleſiaſtico ſtatuto tàm ordo ſacer, quàm votũ profeſſionis in aliqua approbata religione, impedit matrimonium contrahendum, atq; dirimit contractum. Et quoniam ordo ſacer non dirimit poſt contractum ex natura ſua, nec ex natura voti impliciti (quia nõ eſt ſolẽne niſi per accidẽs: vt patet ex dictis) ſed ex ſtatuto eccleſiaſtico, idcirco cum ſummus Pontif. poſſit ad libitũ relaxare ſtatuti vinculum, ſequitur neceſſariò, quòd ſi ſacerdos Occidentalis contrahat matrimonium de licentia ſummi Pont. abſq; vlla rationabili cauſa, quòd matrimonium ipſum eſt verè matrimonium, & contrahentes ſunt verè coniuges, & proles eſt verè legitima. Quamuis contrahendo tale matrimonium ſic peccet mortaliter vterq; cõtrahens, contra votũ caſtitatis agẽs abſq; rõnabili, aut dubia ſaltem cauſa licentiatus: & conſequenter nec ipſe Pont. à mortali excuſaretur: ſed ſi cauſa rationabilis diſpẽſandi in voto caſtitatis abſit, contrahens diſpenſatus tutè contrahit, ac contracto vtitur. Et hinc patet, quòd cum rationabilis cauſa diſpẽſandi in voto caſtitatis poſſit eſſe non ſola vtilitas publica ciuilis aut eccleſiaſtica, ſed aliquod aliud maius bonum nunc hîc, & ab hoc, &c. quàm ſeruata caſtitas: conſequens eſt quòd ſummus Pontifex non ſolùm poteſt, ſed etiam ſalua conſcientia poteſt diſpẽſare cum ſacerdote Occidentali, quòd cõtrahat etiam ceſſante cauſa publicæ vtilitatis. Et propterea ſumptuoſa fuit quorundam determinatio, dicens abſolutè, quòd abſque tali cauſa Papa non poteſt. Cùm tamen, vt oſtẽdimus, Papa abſque cauſa vlla poſſit, peccando tamen, & cum cauſa rationabili quacunque abſque peccato: & vtrobique matrimonium eſt validum. Romæ die 12. Aprilis. 1505.

TRACTATVS VIGESIMVSquintus De Matrimonio, Vnica quæſtione contentus.

QVAESTIO VNICA.

Num matrimonium legitimè contractum inter Chriſtianos per verba de præſenti, poſſit ante carnalem copulam dirimi autoritate Papæ abſque religionis ingreſſu.

QVAERITVR Vtrum matrimonium legitimè contractum inter Chriſtianos per verba de præſenti, poſſit ante carnalem copulam dirimi autoritate Papæ abſque religionis ingreſſu.

Et arguitur quòd non. Primò, ex ipſius natura. Quandocunque eſt aliqua res tranſiens, ad cuius poſitionem per ſe ponitur aliquid concomitans, impoſſibile eſt poni rẽ illam tranſeuntem, & non poni illud concomitans: quia quod conuenit alicui per ſe, conuenit neceſſariò & inſeparabiliter. Sed ſacramento matrimonij coniungitur indiuiſibilitas & inſeparabilitas perſonarum, quæ fiunt coniuges: quod probatur, quia hoc ponitur in diffinitione matrimonij. Ergo ſi matrimonium poſitum eſt actu, & tranſit, impoſſibile eſt quin reſtet inſeparabilitas: ſed nulla diſpenſatio poteſt ſuper impoſſibile: ergo.

¶ Secundò ex parte inſtitutionis: Matrimoniũ eſt de iure diuino: vtpote inſtitutum à Deo in paradiſo (dicente, Creſcite, & multiplicamini) ſecundum quod eſt officium naturæ, & à Chriſto, ſecundũ quod eſt ſacramentũ eccleſiæ ſicut cætera ſacramenta: vnde Matth. 20. dicitur: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: & ad Eph. 5. Sacramentum magnum in Chriſto & eccleſia. Papa autẽ non poteſt ſupra ius diuinum: ergo.

¶ Tertiò ex parte ipſius ſacramenti: Non minoris efficaciæ eſt ſanctificatio veri ſacramenti ſanctificatione conſecrationis eccleſiaſticæ. Sed res conſecrata, puta calix non poteſt diſpenſatione Papæ deſinere eſſe conſecratus, quãdiu eſt calix: ergo vir & mulier ſanctificati coniuges ipſo ſacramento matrimonij, non poſſunt quandiu viuunt deſinere eſſe coniuges. Et confirmatur: quia ſicut Papa non poteſt facere, quòd hoſtia ſemel conſecrata deſinat eſſe conſecrata, ita non poteſt facere, quòd vinculum matrimonij ſemel contractum deſinat eſſe inter perſonas, inter quas eſt contractum.

¶ Quartò ex parte talis ſacramenti: Matrimoniũ inquantum ſacramentum ſignificat coniunctionem ſpiritualem Chriſti & eccleſiæ: vt patet per Magiſtrum ſen. in 4. diſt. 26. Sed coniunctio ſpiritualis inter Chriſtum & eccleſiã eſt inſeparabilis: quoniam ſcriptum eſt Matth. vlti. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad cõſummationem ſeculi. Ergo matrimonium inquantum ſacramentũ, eſt inſeparabile. Et confirmatur hæc ratio autoritate ſancti Th. in 4. diſtinct. 33. q. 2. ar. c. q. 1. ad tertium, dicẽtis, ꝙ matrimonium ex quo inſtitutum eſt vt ſit ſacramentum eſt indiſpenſabile, niſi fortè à Deo. Et cõfirmatur: quia tria ſunt bona matrimonij fides, proles, & ſacramentum id eſt indiuiſibilitas.

¶ Quintò ex autoritate. Quia iſta videtur communis ſententia Theologorum.

IN OPPOSITVM Eſt autoritas Canoniſtarum vt patet in cap. ex publico de cõuerſione cõiugatorũ.

IN HAC Dubitatione intẽdo Thologaliter veritatem inquirere & concludere præcipuè ſecundum doctrinam ſancti Tho. vnde tria agenda ſunt. Primò oſtendetur in quo ſtat ratio ambiguitatis. Secundò ipſa ratio tractabitur, Tertiò ſatisfiet oppoſitis.

Quo

CONCLVSIO.

Matrimonium legitimè contractum per verba de præſenti poteſt autoritate Papæ diſpenſari abſque religionis ingreſſu.

QVO AD Primum, ſciendum eſt, quòd cũ matrimonium dupliciter conſideretur, (ſcilicet vt eſt officiũ naturæ, & vt eſt ſacramentum eccleſiæ) ſi attendamus in omnibus & ſingulis conditionibus, quas habet, ſecundũ quòd eſt naturæ officium: quæſtio hæc clara eſt: quia conſtat matrimonium eſſe diſſolubile etiam poſt conſummationem, vt patet de coniugio infidelium. Vnde à præſenti diſputatione reſecanda ſunt quæcunq; ſpectant ad matrimonium, inquantum eſt naturæ officium. Et propterea rationes omnes ex inſtitutione in paradiſo, & ex traditione mutuæ poteſtatis in corpus proprium, & ex commixtione carnali, & ex inſeparabilitate his annexa, non conuincunt intellectum ad conſitendum indiſpenſabilitatẽ: hæc enim omnia ad matrimonium, ſecundum ꝙ eſt naturæ officium, ſpectant, & de naturæ iure ſunt, recipere tamen diſpenſationem in aliquo caſu patet, & 1. ad Cor. 2. & à ſancto Tho. in 3. diſt. 33. q. 2. artic. 1. & 2. Si verò conſideremus matrimonium, ſecundum ꝙ eſt eccleſiæ ſacramentum, tunc diſtinguere oportet ſingulas eius conditiones. Sunt autem hæ quatuor: ſcilicet ſacramentum tantũ, res & ſacramentum, res tantum ſignificata & contenta, & res ſignificata & non contenta: vt patet ex 4. ſent. Sacramentum tantũ, vocantur actus ſenſibiles, quibus contrahitur matrimonium, non abſolutè (ſic enim ſpectãt ad naturæ officium) ſed vt ex diuina inſtitutione ſignum & cauſa ſunt inuiſibilis gratiæ. Res & ſacramentum vocatur ipſum vinculum coniugij, non abſolutè, (quoniam ſic ſpectat ad nature officium) ſed vt ex inſtitutione ſignificat aliquid ſanctum (puta coniunctionem ſpiritualem inter Deum & animam) & diſponit ad gratiam. Res tantũ ſignificata & contenta, eſt gratia gratum faciens, quæ in hoc ſacramento confertur ad ſanctè poſſe vti coniugio. Res autem ſignificata & non contenta, triplex aſſignatur, ſcilicet coniunctio ſpiritualis per charitatẽ inter Deũ & animam, & coniunctio etiam per charitatẽ inter Chriſtum & eccleſiam, & coniunctio per vnionem perſonalẽ inter verbum & humanam naturam: quæ vocatur conformitas in natura Chriſti ad eccleſiam. Si igitur ex nullo horum habetur indiſpẽſabilitas, diſſolubile erit: ſi autem ex his habetur inſeparabilitas, diſpenſari non poteſt. Si diligenter autem inſpiciamus, nihil inuenitur in omnibus his ſupra ea, quæ ad naturæ officium ſpectant, niſi ſignũ & ſignatum, & cauſa & cauſatum: hæc enim tantũ addit ſacramenti ratio ſupra naturæ officiũ. Et ex parte quidem cauſæ & cauſati, manifeſtè patet nõ haberi omnimodam inſeparabilitatem matrimonij: quoniam nihil in hoc ſacramento cauſatur indelebile, cùm non imprimat characterem, ſed ſit iterabile etiam viuentibus coniugibus: vt patet ſi alter religionem profiteatur: gratia quoq; hîc cauſata amitti poteſt, imò quandoq; fit ſacramentum hoc ſine gratia, cum ſcilicet celebratur in peccato mortali in contrito. Ex ratione igitur ſigni & ſignati oportet inſeparabilitatem hanc eſſe, ſi ex ſacramenti vi ſit. Et ſi quidem ſacramentum hoc, primò ſignificatum habet inſeparabile, oportet inſeparabilitatem ſequi: ſi autem primarium eius ſignificatũ, non eſt inſeparabile, ipſum quoque ſeparari poteſt. Notanter autẽ dixi primò ſeu primarium eius ſignificatum: quoniam didici à S. Tho. vbi ſupra, ꝙ contra prima præcepta ſacramenti, non admittitur diſpenſatio, niſi fortè à Deo. Prima autem præcepta ſigni, circa primarium ſignificatum conſtat attendi: ſicut vniuerſaliter prima præcepta cuiuſcunque gradus vel officij circa principalem illius finem. Ad hoc igitur tota quæſtio hæc reducitur, an ſacramentũ matrimonij ſignificat primò aliquid indiſſolubile. Et hæc de primo.

QVO AD SECVNDVM Duos ego in hanc rem inuenio dicendi modos. Magiſter ſiquidem ſenten. in 4. diſtinctio. 26. expreſſè tenet, quòd matrimonium contractum, eſt ſignum coniunctionis ſpiritualis inter Chriſtum & eccleſiam. Et quoniam coniunctionem hanc conſtat eſſe inſeparabilẽ, oportet ſecũdum ipſum, & eius ſequaces, ꝙ matrimonium ratum etiã non cõſummatum, ſit omnino indiſpenſabile. Hanc opinionẽ videntur ſequi omnes Theologi, qui partem negatiuã quæſtionis tenẽt, ponentes tertium bonum matrimonij (quod ſacramentum dicitur) indiſſolubilitatem cõiugij, nõ abſolutè, ſed inquantum ſignum indiſſolubilitatis inter Chriſtum & eccleſiam ponit.

¶ Sed hæc opinio ſalua tantorum virorum reuerentia, falſa videtur: quod dupliciter oſtẽditur. Primò, Si matrimoniũ cõtractũ ac ratũ, ſacramentũ eſſet cõiunctionis inter Chriſtũ & eccleſiam, ſequeretur ꝙ maritus relictæ ante conſummationẽ matrimonij eſſet verè bigamus hoc eſt falſum: ergo. Probatur ſequela: quia ratio bigamiæ eſt defectus ſacramenti: quia ſcilicet nõ eſt vnicus vnius: ſicut Chriſtus vnus vni tantum vnitus eſt eccleſiæ. Hic autem defectus manifeſtè adeſt ſecundo coniugio, ſi matrimonium ex ſolo contractu, ſacramentum eſt coniunctionis Chriſti & eccleſiæ. Falſitas conſequentis patet ex determinatione eccleſiæ, extra de bigamis, ca. debitũ. Et ſcito, ꝙ ſumpta eſt hæc ratio ex illa decretali, & conuincit me, quoniam à deſtructione cõſequentis ad deſtructionem antecedentis eſt optimus & neceſſarius proceſſus. Et atteſtatur eidem ipſe magiſter ſen. quoniam ſicut tenet antecedens, ita etiam affirmauit conſequens in 27. diſt. 4. Vnde à nobis ſicut non ſuſtinetur in conſequente, ita nec in antecedente tenẽdus eſt, quin potius eccleſia determinando oppoſitum conſequẽtis, determinauit oppoſitum antecedentis: connexa quippe ſunt hæc. Vnde inaduertẽter loqui videtur qui in materia bigamiæ dicũt bigamiam non fieri ante conſummationem plurium coniugiorum, & in materia matrimonij dicunt matrimonium non conſummatum ſacramentũ eſſe coniunctionis Chriſti & eccleſiæ: hæc enim, (vt oſtenſum eſt) habent contradictionem implicitam. Secundò: ſi matrimonium ſolo contractu ſignificat coniunctionem inſeparabilem inter Chriſtum & eccleſiam, ſequeretur quòd nec etiam per ingreſſum religionis naturaliter ſolueretur, hoc eſt falſum: ergo. Conſequentia probatur: quia non ſunt facienda mala vt veniant bona. Violatio autẽ ſacramẽti cõiunctionis inter Chriſtũ & eccleſiã, malũ eſt nõ paruũ: cũ ſacrilegiũ ſit. Et fieret per huiuſmodi ingreſſum: quoniam ſolueretur matrimoniũ, & cõſequẽter ſacrũ ſignũ, & cõſequẽter daretur intelligi, quòd ſignificatum eſſet ſolubile. Falſitas autem conſequentis ex eo patet, ꝙ non diſpenſatiuè, ſed regulariter licet cuilibet ante conſummatum matrimoniũ ire ad religionem: imò ſecundum ſanctũ Tho. dantur coniugibus duo menſes ante cõſummationem ad hoc: & (vt in ca. ex publico de conuer. coniug. patet) Papa non diſpẽſando, ſed ſequendo eccleſiæ morem determinat matrimonium ſolui per religionis ingreſſum. Sunt etiam contra hoc autoritates: quæ infra afferentur.

¶ Alij igitur ſequentes determinationem in præallegato cap. de bigamis factam, dicunt, ꝙ matrimonij ſacramentum, quo ad ſignificationem, non eſt completum vſq; ad carnalem copulam incluſiuè: ita ꝙ matrimonium contractum ſignificet coniunctionem Dei ad animam per charitatem, conſummatum verò coniunctionem Chriſti ad eccleſiam. Et inquantum prima coniunctio eſt ſolubilis, ſecunda non: ideo matrimonium contractum tantum ſolui poteſt, conſummatum autem minimè: vnde Dominus Matth. 19. non dixit, Quos Deus coniunxit homo nõ ſeparet, niſi poſt illa verba, & erunt duo in carne vna. Et apoſtolus ad Ephe. 5. non dixit, Hoc ſacramẽtum magnũ in Chriſto & eccleſia niſi poſt illa verba, Et erunt duo in carne vna. Et ideo Leo papa (vt referunt Magiſter in 2. diſt. primi, & Gratianus 27. q. 2.) ait, Societas nuptialis ita eſt à principio inſtituta, vt præter commixtionem ſexuum non habeat Chriſti, & eccleſiæ ſacramentum. Hæc ille. Vbi clarè videas aſſertum à tanto doctore, quod probare laboramus nos. Sanctus Tho. quoq; in 4. di. 27. q. 1. art. 3. q. 2. expreſſè dicit duo notanda ad propoſitum. Primum eſt in reſponſione ad primum, ꝙ quia matrimonium contractum ſignificat coniunctionem ſpiritualem inter Chriſtum & animam, & hæc eſt ſolubilis, ideo religionis ingreſſus aufert ſacramentum. Secundum eſt in reſponſione ad tertium, ꝙ quia matrimonium contractũ tantum non eſt perfectum, ideo non habet omnimodam indiuiſibilitatem. Ex his enim confirmantur omnia dicta. Et colligere potes hanc rationem ſic. Si matrimonij ſacramentum non conſummatum eſſet indiſſolubile autoritate Papæ, hoc eſſet, quia omnimoda indiſſolubilitas eſſet de ratione eius, ſed hoc eſt falſum: ergo. Probatur falſitas conſequentis: quia aut eſt de ratione eius, inquãtum eſt officium naturæ, aut inquantum eſt ſacramentum: ſed

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

neutrum est, vt probauimus:ergo. Potest quoq; idem probari sic: De sacramētis ecclesiæ illud tenendum est, ꝙ Romana ecclesia tenet: sed Ro. ecclesia dispensat de facto apostolicis literis super huiusmodi matrimonia contracta: ergo. Minor patet in Martino 5. & Eugenio 4. quorum bullas super hoc refert Archiepiscopus florentinus se vidisse: & nostris temporibus pluries hoc factum videtur. Non deest etiam naturalis ratio, ꝙ sit dispensabile Videmus enim in vniuerso tria genera rerum: quędā enim sunt necessariæ simpliciter, quas scilicet impossibile est aliter se habere, vt sunt motus cælestes: & quædam sunt cōtingentes simpliciter, vt res volūtariæ: & quædam necessariæ nō simpliciter, sed vt in pluribus, vt naturalia istorum inferiorum. Et inter hæc manifesta est hęc differentia, ꝙ necessaria non possunt impediri: contingentia possunt fieri, vt libet: necessaria verò vt in pluribus possunt quidem impediri, sed rarò. Cum autem indissolubilitas sacramenti matrimonij non sit de genere contingentium (vt patet, quia non potest ad libitum dissolui) nec sit de genere necessariorum simpliciter (quia potest quandoq; impediri, vt patet, si alter coniugum ingrediatur religionem) restat vt sit de genere necessariorum vt in pluribus. Et verè sic est: essentia nanq; matrimonij annexam habet indiuisibilitatem possibilem impediri ex cōcursu alterius causæ, Et hoc dupliciter: vel causæ quasi eiusdem ordinis, & hęc est professio regularis: vel superioris ordinis, & hęc est autoritas apostolica cum causa aliqua rationabili. Vtrū autem discordia orta inter coniuges huiusmodi sine spe remedij, sit rationabilis causa dispensandi, crediderim ꝙ sic, consensu coniugum accedente. Tum in fauorē animarum: ne scilicet in adulteria adolescentes ruant, aut permanere quasi cogantur, dū separati perpetuò manerent. Tū ad euitanda homicidia, quæ à desperatis cōiugibus facilè procurari possunt: præsertim, cum hac de causa Moyses libellum repudij permiserit. Tum ad bonum pacis restituendum inter eos, sublato hoc vinculo, quod causa discordiæ est, præsertim q̄a cōiugij finis vnitas est. Et hæc de secūdo.

QVO AD TERTIVM Respondetur ad primam obiectionem, & dicitur, ꝙ in diffinitione matrimonij non ponitur indiuisibilitas simpliciter, id est omnino: sed quātū est ex se, id est nisi impediatur. Et propterea posito matrimonio, ponitur indiuisibilitas personarum sic non omnino: indiuisibilitati autem sic non repugnat impediri.

¶ Ad secundum verò iam patet ex dictis, ꝙ institutio refertur ad sacramentum perfectum in significando, & non inchoatum tantum. Quamuis posset etiam dici & bene, ꝙ Deus nō instituit matrimoniū indissolubile omnino, sed quantum est ex se, vt dictum est. Et ideo papa non dispensat contra institutionem diuinā: sed vtitur potestate sua, qua potest impedire aliam causam impedibilem institutam etiam à Deo.

¶ Ad tertium dicitur, ꝙ coniuges non aliter sanctificantur hoc sacramento, q̄ per gratiam gratū facientē, & repræsentationem Christi & animæ per charitatem vnitorum. Vnde cum vtrūq; sit separabile, nulla est hic sanctificatio habens effectum perpetuum. Vnde q̄uis non possit fieri ꝙ coniuges non fuerint sanctificati, potest tamen auferri vtraq; sanctitas ab eis. Et propterea non est simile de eis & de calice consecrato: à quo nō potest consecratio auferri. Nec est propterea minoris efficaciæ sacramentum q̄ sacramentale: quoniam longè maius est facere sanctum formaliter, etsi amitti possit illa sanctitas, q̄ facere sanctum ministerialiter, & secundum quascunq; alias huiusmodi denominationes. Vnde sacramenta omnia, quia gratiam conferunt, magis sanctificant cæteris cōsecrationibus: licet non ita diuturnos habeāt effectus propter variam dispositionem subiecti: effectus enim consecrationū & benedictionum non exigunt nisi cōstantiam subiecti: gratia autem & significatio vltra substantialem cōstantiam subiecti, exigunt immutationem voluntatis & status: & propterea mutatis his desinunt. Ad confirmationē autem dicitur, ꝙ peccat supponendo id quod probare debet, & quod in dubium vertitur: hic enim nihil aliud dubitatur, nisi an vinculū ex sacramento matrimonij cōtractum semel, sit inseparabile à personis, quæ contraxerunt: & argumētum hoc supponit, quia supponit, ꝙ se habeat ad personas sicut corpus Christi ad species panis semel consecrati: quod constat se habere inseparabiliter. Vnde neganda est similitudo: quia vinculum matrimonij non habet necessariam connexionem cum personis, sicut corpus Christi ad hostiam: necessaria nanque connexio est, quæ impedit dispensationem.

¶ Ad quartum patet respōsio ex dictis: negamus, scilicet significari coniunctionem Christi ad ecclesiam per contractum matrimonij. Posset quoq; dici, ꝙ cōiunctio spiritualis Christi ad ecclesiam potest considerari dupliciter. Primò secundum suam rationem, & sic est solubilis, quia est coniunctio per charitatem viæ. Secundò, secundum extrema, inter quæ est, scilicet Christum & ecclesiam: & sic est insolubilis. Et quia primo modo vnio spiritualis consideratur per se, secundo per accidens: ideo potest dici, quòd vnio illa est solubilis: vnio autem in conformitate naturæ est omnino insolubilis: quoniam est secundum esse diuinum hypostaticum. Hæc respōsio licet quo ad solubilitatem sustineri possit, non tamen euadit inconuenientia de vnitate: & propterea non est totaliter ei innitendum. Ad confirmationem verò ex autoritate sancti Tho. dicitur, ꝙ loquitur de matrimonio consummato: vt manifestè patet: & ex articulo præcedente in responsione ad secundum conuincitur. Ad alteram autē confirmationem de bono sacramenti, dicitur ꝙ propriè & formaliter loquendo, sacramentum quod est tertium bonū matrimonij, inuenitur quidem in matrimonio contracto, sed imperfectè, quia non nisi causaliter, inchoatiuè & impedibiliter, vt patet ex supradictis. In consummato autem inter fideles inuenitur formaliter, completè, & vt necessarium simpliciter: & propterea consummato repugnat dispensatio, vt sanc. Tho. docuit.

¶ Ad autoritates tenentium oppositum nescio quid dicam: nisi quòd si diligentius hæc animaduertissent, fortè sententiam mutassent. Romæ die 24. Ianuarij 1507.

TRACTATVS VIGESIMUSNONUS De Reddendo debito inter coniuges, altero eorum existente Adultero, unica Quæstione contentus.

QVAESTIO.

Num vxor teneatur sub peccato mortali abstinere à carnali commercio viri publici concubinarij.

QVAERITVR An vxor teneatur sub peccato mortali abstinere à carnali commercio viri publici cōcubinarij. Et videtur ꝙ sic. Vir tenetur ad abstinendum se ab vxore publicè adultera: ergo econtrario. Antecedens patet in Scriptura: quia patronus est turpitudinis, qui crimen celat vxoris: vt in ca. quemadmodum de iureiurādo dicitur, & in sacris canonibus extra de adulte. ca. si vir. & 32. quæstio. 1. capitul. 1. & ca. si quis vxorem. & sacris doctoribus in 35. distin. quarti sen. Consequentia autem probatur: quia vir & vxor ad paria iudicantur circa fidem, libertatem, & debitum matrimonij.

IN OPPOSITVM Autē est: quia vxor non tenetur ad correctionem viri, sicut ecōtrario: quia vir est caput mulieris, vt dicitur primæ ad Corin. 11.

CONCLVSIO.

Vxor innocens & in amaritudine posita de viri adulterio, non amplius sperans per actus coniugij abstinentia, viri emendationē, non tenetur ad abstinendum ab eo, sed potest licitè vti matrimonio tam petendo, quàm reddendo.

AD EVIDENTIAM Huius sciendū est, ꝙ actus coniugij, quum secundū se licitus sit, ad hoc quòd reddatur illicitus ex alterius crimine, oportet vinculum aliquod nouum inde innocentē deriuari ad hoc, vt teneatur abstinere. Crimen autē mariti publici adulteri, quadrupliciter potest considerari: primò inquātum offensiuū vxoris: secundò inquantum emendabile pro bono ipsius mariti: tertiò inquantum punibile pro bono communi quartò inquantum quandam mali speciem in coniugem ducit. Si primo modo sumatur crimen propositū: ipsum quidem virum in lege coniugij errantem fidem violādo priuat iure exigēdi, nō petēdi actū coniugij. Iustū quippe est, vt iniuriā faciēs matrimonio, & à fide recedēs, ius cogēdi alterū ad seruādū sibi promissum perdat: simpliciter petitione actū cōiugij postulare nō prohibetur à volente sibi cōsentire: sicut in alijs debitis, q̄uis extinctis iure potest creditor petere à volūtario debitore, qui nō vult iuris rigore vti, Sed ex hac ratione vxorem offensam in nullo ligat: nō est enim addēda afflicto afflictio: sat est ꝙ quatenus offensiuum est, ipsam affligat. Si secundo modo, vxor innocens non tenetur ad abstinentiam actus coniugij, nisi vt habet rationem remedij curatiui criminis viri: & hoc quia non tenetur ad hoc nisi ratione præcepti de correctione fraterna, ac iuxta mandatū Domini Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. si monitio verbis facta per se vel alios nō sufficit, (quum ipsa non possit verbere virum adducere ad pœnitentiam, sicut econtrario) tenetur adhibere pœnalem medicinam, abstinendo ab eo, & denuntiare ecclesiæ, si hoc non sufficit. Sed, quoniā præceptū de correctione fraterna non habet locum, vbi nō est spes pœnitentiæ, (quoniam finis eius est bonū ipsius peccatoris,) ideo, si vxor non sperat pœnitentiam per hoc remedium, non tenetur ad illud faciendū: & tantò minus si credit ꝙ peior fiet. Si tertio modo, sic quū procurare bonum cōmune in huiusmodi fiat per viam accusationis, non tenetur vxor & illo crimine adulterij viri: quū hoc non sit in corruptionem spiritualem vel corporalem boni communis, nisi annexam haberet corruptelam fidei Christianæ, vel proditionē patriæ, & huiusmodi. Si quarto modo, tunc pro tanto habet speciem mali, (vt cōmuniter affirmatur.) ꝙ innocens misceatur adultero publico, pro quanto videtur illius peccato consentire, correctionē debitam non apponendo. Constat autem, ꝙ si nō est spes pœnitētiæ per huiusmodi abstinentiā, correctio hæc non est debita secundū veritatē: & quod si notum est, ꝙ vxori hoc valde displicet, & propterea ducit in amaritudine animam suam, (vt communiter accidere videtur) cessat ratio apparētis mali & scādali actiui in vxore. Ex oībus igitur cōsiderationibus opportunis cōcluditur, ꝙ vxor innocens, & in amaritudine animæ posita de viri adulterio publico, non sperans per abstinentiā actus coniugij emendationē viri, non tenetur ad abstinendum ab eo: sed licitè potest matrimonio vti tam petendo, q̄ reddendo.

ET AD Obiectiones in oppositum dicitur, quòd nec vir tenetur ad abstinendū, nisi subsit spes correctionis futuræ & ratione scandali. Sed quia ad virum spectat corrigere vxorem etiam facto: ideo tenetur ad vtendum omnibus remedijs vtilibus, sibi tamen conuenientibus: puta ad verberandum eam, segregandúmq; à practica: & huiusmodi: inter quæ remedia computatur abstinentia à thoro illius, quando creditur expediens. Tenetur quoq; magis ad euacuandum à se scandalum actiuum: quia nō facilè creditur vxorem publicè adulterari sine tacito consensu viri. Propter hæc nāq; duo omnes autoritates allatæ damnant virum non separantem se ab adultera: vt patronum turpitudinis. Nec sacri canones intelligendi sunt condidisse nouum ius: sed applicasse doctrinam diuini iuris ad materiam matrimonij: vnde & patrocinium peccati & patronatus turpitudinis: & huiusmodi quæ diuini iuris sunt, afferunt. Et hæc de quæstione hac sufficiant. Romæ die 14. Martij, 1513.

TRACTATVS TRIGESIMUS de Vsu sacrorum Scripturarum ab Ecclesia unica quæstione contentus.

QVAESTIO VNICA.

An apostolica sedes in sacris canonibus abutatur verbis sacræ Scripturæ.

CHARITATE Iesu Christi cogente, quæritur an apostolica sedes in sacris canonibus abutatur verbis sacræ Scripturæ. Et videtur ꝙ sic. Primò, quia clemens VI. in extrauaganti: vnigenitus: de pœ. & re. abutitur autoritate Prouer. cap. 7. dum ad thesaurum, ex quo fiūt indulgētiæ, applicat eam: dicēs, ꝙ est thesaurus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitię Dei. Cōstat enī ꝙ per indulgentiarum gratiam non fit homo particeps amicitiæ Dei: sed solūmodo satisfacit propœna debita.

¶ Secūdò, q̄a Pelagius Papa in Decre. di. 21. ca. q̄uis, probat sedē apostolicā esse plātā cūctis ecclesijs euāgelica voce Mat. 16. Tu es Petrus, & quodcūq; solueris, &c. Et tū cōstat per illā Dñi sentētiā nō esse Petrū prælatū cæteris. Tū q̄a verba illa dicta sunt Petro in psona omniū, sicut ipse Petrus respōdit pro oībus. Vñ & sacri doctores intelligūt ibi non vni, sed vnitati æqualitatis oīm dictū. Quodcūq; ligaueris, &c. Tū q̄a ipse Dñs replicauit in plurali eandē sententiā, Quæcūq; alligaueritis, Matt. 18. Tū q̄a Dñs dicit, Quod vni dico oībus dico, Mar. 13.

¶ Tertiò, quia extrà de consti. ca. translato, affertur autoritas Apostoli, Trāslato sacerdotio, necessè est vt translatio legis fiat. Et decretalis sentētia est, sacerdotiū est translatum a Moyse in Christum, & à Christo in Petrum, sic interpretātur Iuristæ: & Pōtifex permittit seu approbat. Cōstat autem impiū esse dicere sacerdotium translatū à Christo in Petrum: abusiuè ergo apostolica sedes in suis decretalibus sacram Scripturam affert, vímq; illi infert.

IN OPPOSITVM Est ipsius apostolicæ autoritatis dignitas.

CONCLVSIO.

Proprio sensu ac germano sacrarum Scripturarum ecclesia semper vtitur in sacris canonibus.

QVAESTIO Hæc mota est charitate vrgēte, ne hi, qui minus eruditi sunt legentes, vulgatas has iniurias apostolicæ sedi illatas, putēt veras esse. Et si fortè hi, q̄ nouitatibus istis student, discant sapere ad sobrietatem, aut saltem cohibeāt linguas suas. Dedecet siquidē pastori & doctori omnium Christianorū Ro. pontifici iam si quādoq; transumptiuè vteretur aliqua autoritate Scripturæ vt crebro doctores sacri faciunt, detrahere, non modo cōtumeliā irrogare, publicè scribēdo, ꝙ abutitur sacra Scriptura, ꝙ vim infert sacro eloquio. Nunquā hoc ab Augu. Hier. Ambr. alijsq; sanctissimis doctoribus didicimus: Si quis, inquit Iacobus Apostolus, putat se religiosum esse, nō refrænans linguā suā, &c. huius vana est religio. Reducendus quippe est potius aut intellectus, aut sermo in captiuitatem in obsequiū Christi in suo vicario, q̄n videntur nobis minus cōsona eius verba, modò fides salua sit: nec ponamus os in cælū, præsertim ꝙ humanū sæpe fallitur iudicium: & ꝙ vnus putat abusiuè dictū, alter intelligit propriè dictū. Et quia sic accidit in proposito, nulla siquidē inductarum autoritatum abutūtur sacri canones, sed in proprio sensu illarū qualibet vtuntur, vt sigillatim manifestabitur, ideo paruulū hunc laborē nō subterfugi.

¶ Clemens imprimis VI. nō abusiuè, sed propriè vtitur autoritate Scripturæ: q̄m thesaurus, de quo loquitur Scriptura, est thesaurus diuinæ sapientiæ: est enī thesaurus meritorū Christi, qui est ipsa diuina sapientia, & fons sapientiæ. Et quicunq; thesauro hoc verè vsi sunt, efficaciter cōsequendo indulgētias, cū perseuerātia sine qua quocunq; thesauro vanè vtimur, verè participes fiūt amicitiæ Dei cōsummatæ. Cuius nullus pōt esse particeps, q̄diu obnoxius est pœnæ alicui pro quocūq; peccato: q̄m Dei amicitia consummata nō nisi in cælesti patria habetur, in quā nihil pœnæ subiectū ingredi potest. Quia igitur indulgētiæ tollunt ab homine impedimēta diuinæ amicitiæ consummatæ, verè & propriè dicitur thesaurus indulgentiarū esse, quo qui vtūtur, participes fiunt amicitiæ Dei. Nec valet argumentū, Thesaurus diuinæ sapientiæ fuit ante indulgētias, & illo pōt quis vti sine indulgētijs, ergo indulgētiæ non spectant ad illū: q̄m thesaurus diuinæ sapiētiæ continet multa in se diuinæ sapientiæ opera: vt sunt actus sapiendi secundū Deum, & merita Christi vt meritoria, & eadem vt satisfactoria, & multa alia. Et vt thesaurus ipse prior indulgentijs, non dependēt ab indulgentijs: sed econtra indulgentiæ depēdet ab illo. Et potest aliquis vti thesauro illo diuersimode: propterea potest quis vti illo sine indulgentijs, & per indulgentias. Et similiter potest aliquis fieri particeps diuinæ amicitiæ cōsummatæ, & sine indulgentijs & per indulgentias. Non docet siquidem Romana ecclesia indulgentias esse medium, sine quo non possit diuina amicitia consummata haberi: sed esse medium, per quod potest haberi, tanquam remouens prohibens, vt declaratum est.

¶ Quod autē secundò obijcitur de autoritate euāgelica, perspicaciter intentum Pelagio pontifici absq; abusu suffragatur: nā ꝙ illa Dñi verba ad solū Petrū dirigātur, ex multis habetur. Primò ex hoc, ꝙ eidē facta est pmissio, cui exhibita est pmissa res: sed solū Petrū cōstat à Dño cōstitutū caput ecclesiæ, vt patet Ioā. vlti. vbi Dominus post resurrectionē Petro, vt distincto ab alijs Apostolis, dixit, Pasce oues meas. fecit enim comparationem Petri ad alios, dicens, Diligis me plus his? & statim ipsius, non ipsius & aliorum martyrum, pastoralis officij fructum subdidit, Quum esses iunior, &c. Et hoc ibidem confirmat Chrisosto. Præteriens, inquit, Dominus alios Apostolos, ad Petrum dixit, Si amas me, &c. Secundò ex eo, quòd Dominus dixit, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis, &c. certū est enī, ꝙ ex hoc Dominus nō

Universidad de Deusto Biblioteca

beatos dixit omnes Apostolos, nec ꝙ singulis Pater reuelauerit quod Petro reuelatū est. Et cōfirmatur, quia inter discipulos erat tunc Iudas, qui non erat beatus nec in re, nec in spe, quum esset fur: vt Io. Euangelista testatur. Tertiò patet ex hoc, ꝙ Dominus inchoauit sententiam à Petro, vt ab alijs distincto, dicēdo, Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hāc, &c. cōstat autē ꝙ nec de Andrea, nec de Ioāne, nec de Iacobo, &c. verificatur, Tu es Petrus. Verba igitur textus Euāgelij manifestāt, ꝙ Petro singulariter dictum est, Tibi dabo claues regni cælorū: ac per hoc Pelagius papa non abusiuè, sed propriè vsus est autoritate illa ad probandum Petri sedem à Domino voce et sensu cæteris esse prælatā. Nec fuit Pelagius primus, qui hac eadem autoritate vsus est ad idem probandū, quoniā Anacletus martyr sub Traiano hoc idē dixerat, vt habes in decreta. di. 22. cap. sacrosancta. Ad primā obiectionē respondetur, ꝙ Petrus dicitur respondisse pro omnibus, quia Dominus cōmuniter interrogauit, Vos aūt quē me esse dicitis: sed sicut reuelatio teste Domino, soli Petro dicitur facta: ita responsio non ex consilio aliorū, sed ex diuina reuelatione à solo Petro facta est. Sed, quia omnibus placuit responsio pro omnibus respondisse dicitur: frequētissimè siquidem accidit, ꝙ multis collegis præsentibus quod vnus optimè dixit, tanquā si ab omnibus fuerit dictū, habetur: laus tamen solius est illius, qui sapienter respondit. Sacri autē doctores accipiētes hæc verba nō pro vno, sed pro vnitate nō obstant: quia vera sunt. Nec aduersantur dictis, quia de vnitate ecclesiastica loquuntur, quæ est vnitas ordinis, caput vnū habēs. Imò interpretatio hæc, Pelagij sensum cōfirmat, quoniā verba illa dum vnitatē ecclesiæ respiciunt, caput vnū designāt: per quod vnitas ecclesiæ claues habeat regni cælorū, & ordine quodam à Petro ad alios in partē solicitudinis assumēdos potestas absoluendi atq; ligandi deriuetur. Et propterea nō vnus Petrus in persona, sed in omnibus successoribus suis, nec vnus Petrus cum successoribus solus suscepit claues, vt solus retineat: sed vnitas ecclesiæ per vnum suscepit, dum Petrus suscepit cōmunicandas in vnitate ecclesiæ. Quod aūt affertur in argumento de vnitate æqualitatis, falsum est: nec est Sanctorū sentētia de vnitate æqualitatis, sed ecclesiæ, quā constat esse vnitatē ordinis. Et aduerte, ꝙ non solùm glossa ordinaria, sed Cyrillus inter priscos Patres Orientales nulli secundus in lib. Thesau. de Petro et successoribus in Ro. ecclesia, hoc intelligit: vt in cath. au. Matth. 16. habes. Ad secundā verò obiectionem dicitur, ꝙ Dominus non replicauit de clauibus regni cælorum, quum omnibus cōmuniter dixit, Quæcunque alligaueritis: in hoc discernendam relinquens excellētiam Petri super alios. Et rursus ordo ipse, dū primò soli Petro, & deinde cōmuniter alijs loquitur, insinuat quod prius Petro, deinde alijs Episcopis autoritas conuenire debebat absoluendi atq; ligandi. Ad tertiā aūt, Quod vni dico, omnibus dico, respondetur, ꝙ Dominus non dixit, Quod vni do, omnibus do, (nō eīm omnibus discipulis dedit apostolatus dignitatem, nec etiā omnibus dedit dignitatem Septuagintaduorum) in proposito autem nō est quæstio de Dicere, sed de Dare, Tibi, inquit Dominus. Dabo claues, &c. Vnde patet extra propositum esse, quod vni dico, omnibus dico, ꝙ de doctrinali dicere ad literam voluit cælestis Magister intelligi, vt instructio quam vni impendebat, omnibus impensa nuncupetur.

¶ Ad tertium argumentū principale de autoritate Pauli Apostoli dicitur, ꝙ Decretalis illa nec somniauit vnq̄ ꝙ sacerdotiū sit translatum à Christo in Petrū: quū Petrus non nisi Christi sacerdotij minister sit, & Christi vicarium esse decretales clament. Vnde nulla culpa est Pōtificis, si iuristæ malè eam intellexerunt: nisi quis adeo desipiat, vt Pontifici imputet omnes errores doctorū, quia non reprobat eos. Admiratione profectò dignum esset, ꝙ in Papam, in Decretalē, sensum alienū retorquent arguētes isti, nisi manifestior lapsus, testimonium eorū studio perhiberet: subdunt eīm plusquā octingentorū annorum Christianos totius Orientis, & Africæ nunquā sub Romano Pont. fuisse. Nam si Chalcedonensem synodū (vnā ex quatuor, quas sicut sanctum Euangeliū Greg. excipit) perlegissent, Patrūmq; decreta ac gesta librassent, vidissent contigua omnium ætatum testimonia, primatū Ro. ecclesiæ præferentia: falsissimūmq; esse Africæ Orientisq; Christianos Ro. ecclesiæ subditos non fuisse. Ad quod pro nunc sufficiant duo testes ante annos mille ferè. Alter est ex Græcis, Cyrillus, scilicet in libro thesau. vt habes in catena aur. Matt. 16. dicens, Secundum hanc Domini promissionem ecclesia apostolica Petri, ab omni seductione hæreticáq; cōuentione manet immaculata, super propositos Episcopos, & super omnes primates ecclesiarum & populorum in suis pontificibus in fide plenissima & autoritate Petri. Alter ex Latinis, Gregorius scilicet ad Ioannem Episcopum Syracusanum scribens: Constantinopolitanam ecclesiam, quis eam dubitet sedi apostolicæ esse subiectam: vt habes in Decre. dist. 22. ca. de Constantinopolita. Maguentiæ die 22 Martij, 1519.

TRACTATVS TRIGESIMVS primus Ad Leonem decimum Pontificem maximum de septendecim Responsionibus ad diuersa præcipuè obiecta, quæ pro Martini Lutheri assertionibus facere uidebantur.

IN XVII. RESPONSIONES TRActatus trigesimiprimi Summaria.

1 De expositione quinque articulorum Lutheri reprobatorum, Primus articulus est: Verum est prouerbium, & omnium hominum doctrinis de contritione adhuc traditis præstantius, quod summa pœnitentia est non amplius peccare, & quod optima pœnitentia est noua vita. Secundus: Nemini remittutur peccata, nisi credat sibi remissa esse, quando Presbyter remittit, &c. Tertius: Error illorum magnus est, qui vadunt ad communionis sacramentum sub hac confidentia, quòd sunt confessi, & quod cognoscunt esse se sine peccato mortali propter preces & præparatoria præmissa, &c. Quartus: Thesaurus ecclesiæ vnde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum. Quintus: Si Papa cum magna parte ecclesiæ haberet hanc vel illam opinionem & nō erraret, tamen nec peccatum est, nec hæresis contra sentire (præsertim in re nihil pertinente ad animæ salutem) donec alterum per generale concilium reprobetur vel approbetur.

2 Quid sentiendum de sex propositionibus, in laudem beati Ioseph à quodam Theologo prædicatis: prima quòd Ioseph fuit magni meriti, & pater putatiuus Christi, qui Christum ipsum palpauit, & eo familiariter vsus est: Secunda, quod Ioseph sanctus fuit verus vir virginis Mariæ: iuxta illud, Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ. Tertia quod fuit verum matrimonium inter Virginem gloriosam & sanctum Ioseph: quod non potuit esse nisi per mutuam corporis donationem, quæ fuit inter Ioseph & virginē. Quarta quod istud matrimonium fuit priuilegiatum: quoniam in isto matrimonio Virgo non dedit vsum corporis, licet per matrimonium dederit corpus, edocta à Spiritu sancto, vbi regulariter per contractum matrimonij datur corpus & usus copulæ carnalis. Quinta, quod virgo Maria dando corpus suum Ioseph, dedit & sanguinē totius corporis: ex quo sanguine fuit complētū corpus Christi. Sexta, quod hæc propositio est vera: Ex sanguinibus Ioseph fuit formatum corpus Christi, id est ex sanguinibus proprijs virginis Mariæ à Ioseph sancto datis per contractum matrimonij, fuit formatum corpus Christi.

3 An matrimonium contractum à iuuene, posteaquam religionem post discretionis annos ingressus est animo mutandi omnino vitam, & intra nouitiatus tamen annum egressus est ad secularem vitam & habitum, sit validum.

4 An adulter ipso facto sit priuatus iure exigendi debitum à coniuge innocente.

5 Ad quatuor dubia. primum, An iuridicè inquisitus de aliquo crimine teneatur, & debeat nominare complices, si non sunt infamati, & ante correptionem fraternam. Secundum, An si ipse tales nominauerit, possit iudex contra tales procedere ad inquisitionē. Tertium, An iudex sciens defectum alicuius à tribus, vel quatuor nō per modum iudicij, possit ipsum cogere ad dicendum veritatem. Quartum, An infamatus de aliquo possit de omnibus inquiri.

6 An ij, qui ex Iudæis originem ducunt, si in nullo culpabiles inuenti, nec aliter suspecti nisi ratione originis sunt, possit negari ingressus religionis: & si fuerint nouitij, negari possit professio absque peccato mortali: an sit hoc contra præceptum charitatis.

7 An N. ingressus religionem quandam mendicantium, in quodam illius conuentu regularis vitæ, cum animo deliberato perseuerandi vsque ad mortē in illa particulari religione & in illo particulari conuentu in seruitium beatæ Virginis, cui ecclesia illa dicata est, postquam multos menses ibidem degit, possit ob scelera ibidem impunita ad seculum intra probationis annum redire.

8 An is qui in choro sic diuinum officium persoluit, quod sui chori versus submissè sibi ipsi soli dicit, alterius verò chori versus audit tantummodo, satisfaciat præcepto ecclesiæ de persoluendis canonicis horis.

9 Ad tres quæstiunculas: primam. An vsura soluta ab accipiente sine necessitate premias mutuò. sit reddenda illi, qui soluit. Secundū,

An pertinaci etiam vsque ad mortem in aliquo veniali, non ex contemptu, sed quia est veniale, sit deneganda absolutio de cæteris peccatis. Tertiam. Quomodo, intelligatur delictum publicum, vt sine peccato possit reuelari: an quia potest probari, an quia fuit de eo conuictus coram iudice, aut quouis alio modo.

10 An possit annua pensio ex beneficio ecclesiastico debita, pro certa summa pecuniæ semel persoluenda, vendi.

11 An Petrus consignans centum florenos apud Paulum mercatorem, vt eis pro parte lucri capitali saluo, assignet v. flo. residuo lucri sibi reseruato, licitè contrahat, & ad restitutionem illorum in foro animæ non teneatur.

12 Ad v. dubia. primum, An sit simpliciter de necessitate salutis pœnitentem confiteri de singulis peccatis numeraliter in eadem specie, quando potest ea sigillatim ad memoriam reducere. Secundum, Quando circunstantia loci sacri sit necessariò confitenda. Tertium, An sit tàm venditor, quàm emptor sciat naturam rei & valorem, nullum subsit peccatum si res vendatur pro maiori vel minori pretio. Quartū, An principes terrarū per consuetudinem possint sibi licitè appropriare feras. Quintum, An dicti principes possint ita districtè prohibere dictarum ferarum captionem, vt nullus subditus possit eas capere, quin grauissimè puniatur, etiā si capiat eas, vt se à damno præseruet, quod inferunt in bladis, vel huiusmodi.

13 Ad vij. dubia. primum, Quomodo stent hæc simul: licet vendere Iudæis res quibus ipsi vtuntur in suis sacrificijs, & non licet cooperari ad reædificationem Synagogæ Iudæorum. Secundū, Quomodo stent hæc simul: occultissima per accidens subiacent ecclesiæ cēsuris, et autor homicidij occultus nō est sub iudicio humano, quia persona est occultissima. Tertium, An hæc sibi inuicem repugnēt: nullo modo licet inducere ad minus malum etiam paratos, & licet inducere, vt peccent minus. Quartum, Quomodo hæc se compatiantur. Excusantur qui omnino cœnaturis tempore ieiunij exhibent cœnam, & non licet exhibere vinum volenti omnino se inebriare. Quintum, Quomodo hæc. Sicut in alijs iniurijs sufficit restituere, & non oportet petere veniam, ita nec in contumelia: et quando translatio non est omnino voluntaria, oportet non solum reddere pretium atq; sed aliquid correspondens illi conditioni inuoluntarij: sicut semper in restitutionibus faciendum est. Sextū, Cur neque in textu, neque in Cōmento totius Secundæ secundæ tractatur de famoso murmurationis vitio. Septimum, Quid importet scrupulus conscientiæ, quo stāte licitè operamur oppositū.

14 Ad quinque dubia. Primum, Cur permittitur simul stare bonitatem substantialē & veniale peccatum. Secundum, Quomodo verificetur, quòd non oportet restituere eum damno in re superioris ordinis: quum ex hoc videatur sequi mulierem, quæ ex adulterio suscepit prolem, non teneri ad se prodendum, quantùmcunque veri hæredes inde damnificentur. Tertium, An hoc sit solidum fundamentum volentem malitia alterius, semper petere debere aliquid absq; peccato præstabile. Quartū, An sicut votū abstinētiæ vxoris, sic & votū continētiæ viri irritare possit, sic vt vxor secura sit atq; tuta. Quintū, An sit mēs diui Tho. in 4. sen. di. 18. q. 2. ar. 1. q. 4. quòd excōmunicatio iniusta priuat suffragijs ecclesiæ.

15 Ad duo dubia. Primū, Quomō sustineatur, quòd votum est de meliori bono id est bono supererogatiōis, et quod religiosæ personæ venereis vacātes agant contra votū. Secundū, An is qui ad occidendum hominem pergit, quoties interrupta cogitatione inter eundem renouat voluntatem peccādi, toties nouum peccatum committat, an totum sit vnum numero peccatum, &c.

16 Ad duo dubia. primum, Quomodo sit vnus cōceptus mentalis entis. Secundum, Quomodo hæc stent simul, analogum non absoluitur ab his, quibus analogum dicitur: & ens habet conceptum vnum simplicem, ad quem omnia prædicamenta & transcendentia addunt in quem resoluuntur, qui est primò notus.

17 Ad quinque articulos circa emptionem rerum raptarum in bello iniusto. Primus est, An huiusmodi rapta etiam difficillimè reparabilia, sint iudicanda tanquam habita pro derelicto.

Secundus est, An capta à priuatis, possint licitè emi post diem seu certum tempus, vt nonnullæ leges admittunt.

Tertius est, An in huiusmodi casibus, in emētibus scienter tota resolutio sumēda sit ex intētione vtilitatis propriæ, vel Domini &c.

Quartus est, An dictū cuiusdā doctoris dicētis sic probabiliter credo, quod totaliter emēs paratus reddere vero Domino, si comparuerit, credens tamē quòd nō cōparebit, & cōsequēter sperās pro se habiturū, nō peccat: quia verisimiliter pōt de veri dñi volūtate præsumere, sit in cōsciētia tutū et alijs diuulgādū. Quintus est, An emat rectè quis ex pietate calices, & huiusmodi sacra dedignatus, quòd manent apud infideles, daturus propria autoritate ea occurrēti ecclesiæ habito pretio: & an Dominus taliū sit cēsendus omnino ignotus stante notitia regionis, puta Hungariæ.

PETRI Apostoli vestigijs inhærentes, parati sumus rationē reddere omni poscēti nos de ea, quæ in nobis est fide. Quibusdā proinde Christifidelibus viris probis, piè trepidātibus circa quinq; articulos in apostolicis literis contra Martinū Lutherū inter pbatos cōtētos, opē luminis ferre volētes, aperire intēdimus, quare reprobati meritò fuerint, subnectēdo sigillatim dictos articulos cū dubitantiū obiectionibus, prout ad nos delati sunt, et cuicūq; rōnē reddēdo.

RESPONSIO PPIMA.

Super quinque Martini Lutheri articulos: Primus Lutheri articulus. Vera pœnitentia est, non amplius peccare, & nouam prorsus ducere vitam.

PRIMVS Igitur articulus est. Verū est prouerbium, & omnium hominum doctrinis de contritione adhuc traditis præstantius, quòd summa pœnitentia est, nō amplius peccare, & ꝙ optima pœnitētia est noua vita.

¶ Obijcitur: In hoc articulo oēs sancti Patres vidētur cōsentire cū Luthero: et iō nec error pōt esse hic: nec hæresis.

RESPONDEMVS Hūc articulū meritò reprobatū tā secundū illius articuli sensum, q̄ secūdū ꝙ à Luthero prolatus est. Et quidē si ad propriū sensum verborū spectetur, falsus cōprobatur: nā nec summa, nec optima pœnitētia est, qua nō fit remissio peccatorū, promulgauit eīm Saluator pœnitentiā Christianā esse remissionē peccatorū, Luc. vlt. Oportet, inquit, prædicari pœnitentiā in remissionē peccatorū. Hæc aūt duo in articulo posita (videlicet Nō amplius peccare, & Noua vita) cōstat nō sufficere ad pœnitentiā in remissionē peccatorum: qm̄quidem exigitur præter hæc & dolor de preterito peccato (Petrus eīm post peccatū commissum fleuit amare) & recursus ad diuinā misericordiā cum publicano, Deus propitius esto mihi peccatori. Vnde Ecclesiastici 21. dicitur, Fili peccasti, ne adijcias iterū, sed pro pristinis deprecare vt dimittātur tibi. Vbi & etiā Aug. notauit, nō sufficit dicere, Ne adijcias iterū: sed adiūcta est, deprecatio pro pristinis remittēdis. Nō est igitur summa pœnitētia: nō amplius peccare: nec est optima pœnitētia, noua vita, quæ dolorē pro peccatis & deprecationē pro pristinis in se nō claudit. Et videtur ꝙ præcipitē daret pœnitētē hic articulus: nā secūdū eūdē summè et optimè pœniteret auarum, si ab auaritiæ actibus cessaret, & liberalem deinceps vitā ageret. Et similiter accideret intemperato, si a passionibus intemperatis cessaret, & deinceps continenter viueret: & sic de alijs: hoc eīm significat non amplius peccare, & noua vita. Et si hæc summā, optimámq; pœnitentiā constituunt, inanis fides nostra tam de necessario fletu peccatorū, quā de recursu ad Deū pro remissione eorūdē inuenitur. Meritò igitur secūdum ipsius sensum articuli reprobatus est.

¶ Si autem idem spectetur articulus vt à Luthero manauit, reprobatus quoq; rationabiliter inuenitur: nam huiusmodi prouerbium allatum comprobatur à viro negante duas partes pœnitētiæ, scilicet contritionē & satisfactionem: & ad hoc per hmōi prouerbiū tendit vt tā necessitatem cōtritionis: quæ præcipuè cōsistit in dolore pro peccatis, q̄ satisfactiōis tollat: vt patet in libris suis et alijs eius articulis dānatis. Non consonat ergo dictus articulus sanctis Patribus tam secundū seipsum, q̄ vt à Martino manauit, q̄uis si in sanctis Patribus huiusmodi sentētia inueniretur, piè esset interpretāda, & ad bonū sensum reducēda.

ARTICVLVS II.

His proculdubiò remitti peccata certum est, qui sibi remissa esse credunt presbytero illis remittente.

SECVNDVS Articulus est: Nemini remittuntur peccata, nisi credat sibi remissa esse, quando presbyter remittit.

¶ Obijcitur: Hic articulus sincerā videtur cōtinere veritatem, vtpotè quæ stabilimento fidei innitatur.

RESPONDEMVS Credere sibi esse remissa peccata absoluente sacerdote, cōtingit dupliciter, vel quātum ex parte sacramenti, vel quantum est ex parte ipsius, qui absoluitur, Credere primo modo, necessarium est ad remissionē peccatorū: nā hoc credere est actus fidei infusæ: sine qua impossibile est placere Deo. Credere aūt secūdo modo, nō est necessarium ad remissionē peccatorum: qm̄ potest pœnitens, qui absoluitur, piè dubitare de propria dispositione, an scilicet dignè suscipiat illud sacramētum, Verebar, inquit Iob, omnia opera mea: & Isaiæ 14. dicitur, Vniuersæ iustitiæ nostræ quasi pānus mēstruatæ, Et cū hac pia dubitatione, stat ꝙ dignè suscipiat sacramētū absolutionis, & cōsequatur remissionē peccatorū: quoniā huiusmodi pia dubitatio nō cōtrariatur stabilimēto

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidei infusæ,sed firmitati fidei acquisitæ::ad quã constat, ꝙ spectat credere de seipso an sit,vel non sit sufficiẽter dispositus.Sequitur igitur, articulum comprobari falsum ex hoc, ꝙ alicui remittuntur peccata, qui non credit, sed piè dubitat ex parte propriæ dispositionis remissa sibi esse peccata absq; præiudicio stabilimenti fidei Christianæ, quæ non est de hoc obiecto,scilicet mihi esse remissa peccata:sed de hoc,ꝙ est,remissa esse peccata mihi dignè suscipienti sacramentũ pœnitentiæ,Sicut non est fides Christiana,quòd sub hac hostia est corpus Christi, sed ꝙ sub hac hostia concurrentibus vndiq; omnibus requisitis necessariò ad sacramentum eucharistiæ, est corpus Christi. Non cõtinet igitur hic articulus synceram veritatem:sed meritò reprobandus fuit,vtpotè falsus.

ARTICVLVS III.

Vana est illorum fiducia, qui ad communionis sacramentum accedunt, putantes se sine mortali accedere cum sint confessi, & cæteris externis actibus dispositi.

CERTIVS Est,Error illorũ magnus est, qui vadunt ad communionis sacramenta sub hac confidentia,quòd sunt confessi, & ꝙ agnoscunt esse se sine peccato mortali propter p̃ces & præparatoria p̃missa, &c.

¶ Obiicitur:Et hic articulus nititur firma fide, & ob id non videtur erroneus,nedum hæreticus.

RESPONDEMVS, Etsi ad sacramentũ communionis accedere cum dicta fiducia tãquam iustificatrice magnus error est,contra apostolicam doctrinam dicentẽ,Nihil mihi conscius sum,sed non in hoc iustificatus sum:accedere tamen cum eadem confidentia tanquã præseruatrice à peccato indigni accessus ad sacramentum eucharistiæ,nullus est error:sed consiliũ apostolicum.Docẽs siquidẽ idẽ Apostolus,quo pacto quis ad dictũ sacramentum non indignẽ accedat, nec ad iudiciũ sibi manducet & bibat,inquit,Probet aũt seipsum homo:& sic de pane illo edat & de calice bibat.Vbi manifestat eũ qui probauit seipsum,securè ad sacramentum accedere:ita ꝙ nõ est reus & corporis & sanguinis Domini, nec ad iudicium sibi mãducat & bibit. Et quoniã populus Christianus frequenter vtranq; Apostoli doctrinã audit, & vt vnusquisq; potest de seipso testari,quilibet ante cõionis sacramentũ probãs seipsum cõtritiõe, cõfessione,oratiõe, &c. vtitur hac fiducia tanq; pseruatrice à peccato indigni accessus,et nõ tãq; iustificatrice:iõ articulus iste Lutheran? tanq; pnicious,sanctæ fiduciæ Christianæ plebis, & scãdalosus,et inimicus apostolicæ doctrinæ.reprobatus est.

ARTICVLVS IIII.

Indulgentiarum Thesauris, non sunt merita Christi.

QVARTVS Articulus est: Thesaurus ecclesiæ vnde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi,&c.

¶ Obiicitur: In hoc articulo nulla autoritate Lutherus potest conuinci:hoc tamẽ facere decretum est,& bullam confirmare.

RESPONDEMVS Prænotando non vno atque eodem modo, nec æqualiter conuinci autoritate posse Christianum hominem de ecclesiasticis mysterijs, sed licet quædam plus, quædam minus explicata inueniantur in sacra Scriptura, conuinci tamen omnia autoritate affirmamus. Exempli gratia. Sacramentum Baptismi autoritate conuincitur, quia tam materia,quàm forma eius in sacra explicatur Scriptura: sacramentum verò cõfirmationis, quamq; iis nec materia,nec forma,nec institutio illius in sacra explicetur Scriptura: conuincitur tamen ex autoritate, qua Apostoli imponebant manus, & ecclesia vtitur: & simile est in multis alijs. Proinde si in articulo de thesauro indulgentiarum, Lutherum non posse conuinci autoritate dicitur, quia non ita explicitè sicut Baptismus in sacra habetur Scriptura,verum dicitur,sed deliratur, quærendo æqualem certitudinem in omnibus ecclesiæ mysterijs. Si autem piè quæritur autoritas,qua Lutherus potest de Thesauro indulgentiarum conuinci, non est difficile respondere, dicendo, conuinci posse Lutherum autoritate sacræ quidem Scripturæ radicaliter: vniuersalis verò ecclesiæ implicitè, Romanæ autem ecclesiæ, & multorum sanctorum Doctorum explicitè. Ex sacra quidem Scriptura habetur thesaurus superefluentium passionum Christi & Sanctorum,quatenus satisfactoriæ sunt.Et ꝙ Christus quidẽ pluspatiẽdo satisfecerit,ꝙ exigat satisfactio omnũ illorũ,quibus quandoq; applicatur passio Christi,& secũdum se liquidũ est, & ex sentẽtia Ioannis Euangelistæ habetur:Ipsæ est,inquit,propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantum,sed pro peccatis totius mundi. Constat enim ex eo, quòd passio Christi quo ad effectũ non satisfacit pro peccatis totius mundi,quòd tota illa satisfactionum multitudo, quæ posset satisfacere pro his, qui pereunt,superabundat.De passionibus verò Sanctorũ quòd scilicet plus passi sunt multi eorum,quàm satisfacere pro proprijs debuerint peccaris, testatur beatus Iob dicens,Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui,& calamitas,quã patior in statera,quasi arenа maris hæc grauior appareret.Simile est autem iudicium de Iob & multis alijs Sanctis:præcipuè martyribus, qui tot superauerunt tormenta: & beatissima Virgine, quæ quum pro nullo proprio satisfactura esset peccato, sustinuit tamen,iuxta Simeonis verbũ,vt suam Christi gladius pertransiret animam: vnde plusquam martyr iure dicitur.Nec inueniri tantum thesaurum istum ex sacra habemus Scriptura:sed ex eadem quoque habemus thesaurum istum ea intentione à Christo & Sanctis conditum, vt ecclesiæ vtilitati prodesset: testante hoc Apostolo ad Col.1.quum ait, Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi,in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia. Simile est autem iudicium de Paulo & alijs Sanctis plus patientibus,quàm satisfacere debeant pro proprijs peccatis. Nec huic tam sanctæ sententiæ obuiat alia eiusdem Apostoli sententia:qua ait,Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam. Nam passiones Sãctorum,quatenus meritoriæ sunt, & ad præmium respiciunt,sunt proculdubio non condignæ:& remunerãtur à Deo supra condignũ:& hoc explicatur quum dicitur,quòd non sunt condignæ ad gloriam superuenturã. Eædem tamen passiones Sanctorum quatenus satisfactoriæ sunt,sæpè superabundant:quotiescunque scilicet plus patiuntur pro Christo sancti, quàm sit pœna debita pro proprijs peccatis actualibus.Ex hoc enim ipso,quòd ipsimet incapaces sunt huiusmodi superabundantium satisfactionum,vt satisfactoriæ sunt(quia carent peccato,pro quo satisfaciant) relinquuntur superabundantes: ac per hoc, vt Apostolus promulgauit, pro corpore Christi, quod est ecclesia,relinquuntur.

¶ Conuinci igitur potest Lutherus ex autoritate sacræ Scripturæ,& quòd in ecclesia Dei est thesaurus meritorũ Christi & Sanctorum,quatenus superabundanter satisfactoria fuerunt, & quod hic thesaurus est pro corpore Christi,quod est ecclesia. Et si his adiunxeris,quòd vniuersalis ecclesia probat indulgentias,vt pia matris ecclesiæ dona succedetia loco satisfactionis pœnitentialis,quæ est tertia pars sacramenti pœnitentiæ,perspicuum fiet, ꝙ indulgentiæ inueniuntur apud diuinam iustitiam satisfactrices pro pœna actualibus peccatis debita,quã exolsuisset apud eandem diuinam iustitiam pœnitentialis satisfactio.Ex hac autem vniuersalis ecclesiæ approbatione oportet alterum horum fateri, aut quòd indulgentiæ ex sola autoritate huiusmodi vim satisfactiuam habent,aut quòd ex dicto thesauro fiant.Et primum quidem horum: quoniam tanquam absurdum non admittitur,restat vt ex dicto thesauro indulgentiæ vim satisfactiuam habeãt: quod autoritate sanctæ Romanæ ecclesiæ omnium ecclesiarum magistræ expressum est pluries. Nec desunt autoritates Sanctorum,Thome, Bonauenture, &c. Intelligat ergo erroneus quisque falsum esse, quòd nulla posset Lutherus autoritate conuinci de thesauro indulgentiarum.

ARTICVLVS. V.

Papam posse errare hanc vel illam opinionem habendo vel ipse,vel cum maiori parte ecclesiæ,non est hæresis.

QVINTVS Articulus est:Si Papa cum magna parte ecclesiæ haberet hanc, vel illam opinionem, & non erraret, tamen nec peccatum est.nec hæresis contra sentire (præsertim in re nihil pertinente ad animę salutẽ) donec alterum per generale concilium reprobetur, vel approbetur.

Obiicitur:Qui hunc damnarũt articulũ, sentiunt Papam esse super concilium generale, quod nunquam vlla bona autoritate Scripturæ probari potest, vt apertè declarat Patriarcha Antiochenus in libello de comparatione Pont.maximi ad sacrosanctum concilium.

RESPONDEMVS, Falsò creditum ab obiicientibus est, dãnationẽ huius articuli procedere ex opinione superioritatis Papæ ad concilium. Nulla siquidem cura huius quæstionis habita.damnatio huius articuli procedit aliunde:ex hoc scilicet,ꝙ summus Pontifex habet autoritatem determinãdi quæstiones fidei. Quam autoritatem in summo residere Pontifice sacri canones clamant, Hiero.ad Damasum testatur dicens,Quòd si hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio cõprobatur, quicunq; me culpare voluerit,se imperitum vel maleuolũ vel etiã non catholicum,non me hæreticum cõprobabit. Et Dominus aperuit dicens Petro,Ego rogaui pro te vt nõ deficiat fides tua,& tu aliquando cõuersus cõfirma fratres tuos. Articulus siquidem iste propter latens venenũ inly,donec alterum per generale concilium, &c. reprobatus fuit,vtpotè dogmatizans,summi Pontificis diffinitiuam in quæstionibus fidei sententiam non ligare sed contrã sentire nec peccatum,nec hæresim esse:hoc enim refert ly,donec approbetur,vel reprobetur per concilium generale.Et quoniam magistra rerũ experientia testatur, multas hæreses damnatas à sede esse apostolica sine generali concilio,idcirco articulus iste meritò reprobatus est.

¶ Hæc sunt pater beatissime,quæ inter tot aduersas corporis valetudines obedientiæ tuę gratia ex prompto animo sub apostolatus tui censura protuli. Tacitis obiicientibus,vt nemine accusato, cuiusq; in pectus, liberum habeat veritas aditum. Romæ 6.Iunij, 1521.

RESPONSIO II.

Super quædam dicta in laudem S.Ioseph.
Ad reuerendissimum Dominum Nicolaum de Fisco S. Romanæ ecclesiæ Cardinalem.

QVIDAM Magister in theologia in commendationem sanctissimi Ioseph & in laudem eius,dixit dum sermonem haberet ad populum latino sermone,quæ sequuntur.

¶ Primò, quòd Ioseph fuit magni meriti, & pater putatiuus Christi, qui Christum ipsum palpauit,& eo familiariter vsus est.

¶ Secundò,ꝙ Ioseph sanctus fuit verus vir virginis Mariæ iuxta illud:Iacob autem genuit Ioseph virum Marię.

¶ Tertiò, quòd fuit verum matrimoniũ inter virginem gloriosam & sanctum Ioseph, quod non potuit esse nisi per mutuam corporis donationem: quæ donatio fuit inter Ioseph & virginem.

¶ Quartò,quòd istud matrimonium fuit priuilegiatum quoniam in isto matrimonio Virgo non dedit vsum corporis:licet per contractum matrimonij dederit corpus, docta à Spiritu sancto: vbi regulariter per contractum matrimonij datur corpus & vsus copulæ carnalis.

¶ Quintò,ꝙ virgo Maria dando corpus suum Ioseph, dedit et sanguinem totius corporis,ex quo sanguine fuit completum corpus Christi.

¶ Sextò dixit,ꝙ hæc propositio est vera: ex sanguinibus Ioseph fuit formatum corpus Christi: quam propositionem ita exposuit:Ex sanguinibus proprijs virginis Mariæ,Ioseph sancto datis per contractum matrimonij fuit formatum corpus Christi.

REVERENDISSIME Domine protector, vidi schedulã à dominatione vestra reuerendissima mihi transmissam, sex dictorum à quodã magistro in Theologia in cõmendationem sancti Ioseph. Et respõdeo ꝙ in tertio,quarto,quinto,& sexto vnum est non perspicacissimè dictum,quia non plenè discussa est differentia inter copulam coniugalem & copulam carnalem. Si enim hæc nota fuisset, non dictum esset hic, quòd verum matrimonium esse non potuit sine mutua donatione corporis:nam per copulam coniugalem non donatur corpus coniugi,sed potestas vtendi corpore coniugis:iuxta illud Apostoli 1.ad Cor.7.Vir non habet potestatem sui corporis,&c.Vbi nota,quòd dicitur, corporis sui non alterius:& dicitur potestas in alio. Non datur ergo corpus quo ad vsum per coniugalem copulam:sed potestas vtendi tantum:sed per copulam carnalem datur corpus quo ad vsum. Et ex hoc fundamento patet, quòd minus perspicaciter in quarto dicitur,quòd regulariter per contractum matrimonij datur coniugi corpus, & vsus, &c. Constat enim falsum esse:quia non per contractũ absolutè, sed adiuncta consummatione datur corpus & vsus: imò si puella contrahat verè matrimonium animo ingredidi religionem,si Deus dederit sibi Spiritum bonum, verum contrahit matrimonium nec perdit ex hoc virginitatem mentalem:quia consentire in copulam coniugalem,non est consentire in copulam carnalem,nisi in potẽtia, quæ est conditio diminuens, vt patet. Et propterea beata virgo nõ perdidit virginitatẽ mentalem ex cõsensu in copulam coniugalem: nec exposuit se periculo perdendi propter priuilegium diuinæ reuelationis:sicut modo propter statutum ecclesiæ concedentis duos menses sponsis vt consummandum matrimonium vel ingrediẽs dum religionem,contrahentes matrimonium nisi intendant consummare,nec se exponunt periculo perdendi virginitatem,nec perdunt virginitatem mentalem.Ex eodẽ fundamento patet minus perspicaciter in quinto dicto dictum esse,quòd sanguis beatæ Virginis datus est Ioseph, & absurdè dictum in sexto,quòd corpus Christi fuit formatum ex sanguinibus Ioseph, quoniam sanguis beatæ Virginis non fuit datus Ioseph: ac per hoc nõ fuit Ioseph etiam vt datus: vt patet ex dictis. Quãuis habeat & altã dissonantiam ex hoc, quòd sanguis non dicitur alicuius simpliciter,nisi sit ipsius vt pars,quæ scilicet est, aut fuit pars eius(eo modo,quo sanguis dicitur pars animalis)& non ex eo quod est alicuius possessiuè,vt ager aut seruus: aut quia potest vti eo,sicut equus conductus.Videtur ergo mihi,quòd vltimum dictum sit simpliciter falsum:reliqua verò quo ad supra dicta minus perspicacia, & breuiter quòd sententiam teneat,linguam cohibeat, qui hæc dixit.Nihil tamen contra aut præter fidem hîc apparet.

RESPONSIO III.

Quantum valeat matrimonium contractum à iuuene post religionis ingressum & egressum.

SVMMA.

Si quis iuuenis contrahat matrimonium post religionis ingressum vel post egressum,dummodo tacitè vel expressè non fuerit professus in termino anni probationis, validum est matrimonium.

MAGNIFICE Domine salutem & commendationem. Ad casum mihi propositum. An scilicet matrimonium contractum à iuuene, postquam religionem post discretionis annos ingressus est, animo mutandi omnino vitam, & intra nouitiatus tamen annum egressus est ad secularem vitam & habitũ, sit validum. Breuiter respondeo, quòd absque dubio matrimonium illud est validum, quia, vt expressè dicitur in 6.de voto.capitul. 1. solùm votum, vel sacri ordinis,vel professionis tacitæ vel expressæ,dirimit post contractum matrimonium. Constat autem ex capitul.non solùm.de regularibus, libro 6. quòd iste casus distinguitur contra casum professionis tacitæ vel expressæ per notam disiunctionis. Vel ergo iste casus non habet vim professionis tacitæ vel expressæ, quo ad matrimonium dirimendum. Textus autem in oppositu soluuntur facilè ad litteram: quia capitulum non solum, & in fauorem animæ nouitij & propter ius religionis noluit prohibere fratres ab impeditione istius, ne redeat ad seculum: cum etiam si votum simplex in seculo de ingressu religionis fecisset, religio contra ipsum agere posset. Capitulum verò beneficium. ibidem (quod tantum ponderatis) non obstat: quia renuntiatio beneficij, quam iste nouitius ex facto suo præsumitur facere,dum manifestat se omnino vitam velle mutare, tunc sufficit ad hoc, vt beneficium possit alteri conferri: quæ tamen non sufficit ad professionem tacitam vel expressam. ista ergo duo non patificantur, nec æquiparantur in textu. Sed nec quo ad vacationem beneficij hic casus æquiparatur: quia in professione tacita vel expressa est vera renuntiatio: hîc autem est præsumpta,quare,&c. Bene vale, Caietæ, die 22.Octobris, 1505.

Universidad de Deusto Biblioteca

RESPONSIO IIII.

De iure petendi debitum matrimonii ab adultero.

Ad R. Patrem Fratrem Cherubinum de Florentia diuini verbi concionatorem.

QVAESTIO Proposita est, an adulter ipso facto sit priuatus iure exigendi debitum à coniuge innocente. Et est ratio dubij diuersa, vt videtur, sententia doctorum.

SVMMA.

Adulter, quamuis non sit ipso facto priuatus iure exigendi debitum à coniuge innocente, in foro tamen conscientiæ, eo iure priuandus est.

IN HAC Dubitatione præaduertenda sunt tria. Primum est, quòd non est ambiguitas aliqua nisi in foro cõscientiæ: nam in foro iudiciali constat non statim esse priuatũ adulterantem coniugẽ. Secundũ est, quòd etiam in foro conscientiæ tam quando adulterium vnius publicũ est, quàm quñ occultum est notum, tamen est certitudinaliter innocenti, absolutus est, si vult innocens, à vinculo reddendi debitũ: ac per hoc adulter nõ potest exigere actum matrimonij, quàuis possit petere illũ. Exigere siquidẽ importat coactionem, & est in proposito petere actum matrimonij vt debitum, petere autẽ nudam petitionẽ actus significat: petimus enĩ etiã quæ gratiosè cõcedenda putamus. Tertiũ est, quòd tota hæc difficultas consistit, quñ adulterium cõmissum latet innocentẽ coniugem. Et est ratio pro parte affirmatiua: quia statim quòd alter coniugum in adulteriũ declinat reliquus innocẽs secundũ rẽ est absolutus à debito reddẽdo, & solũ deficit sibi notitia facti perpetrati, scilicet adulterij. Si nãq; sciret factũ, constat quòd esset absolutus: notitia enĩ nõ absoluit, sed factũ ipsum ex notitia sua, disponente sic iure naturali & diuino. Naturali quidẽ propter violatã fidem: diuino aũt propter autoritatem Domini, Matth. 5. vbi excipitur fornicationis causa in præcepto de nõ dimitẽdo vxorẽ. Pro parte verò negatiua est cõmunis (vt videtur) animi cõceptio, scilicet quòd adulter occultus post pœnitentiã potest exigere debitum ab innocente, ex hoc nanq; arguitur, quòd non statim innocens cõiux fuerat absolutus à debito, ac per hoc nec adulter priuatus iure exigendi. Manifestatur aũt hoc sic: Post pœnitentiã occulti adulterij, innocens in eodẽ statu est, in quo erat ante pœnitentiã adulterij: quoniã pœnitentia alterius non fecit ipsum de absoluto ligatum. Si ergo post pœnitẽtiam alterius tenetur secũdũ rem reddere debitũ, etiam ante tenebatur secundum rem: & sic ante pœnitentiam non tenebatur secundum rem: sequitur quòd etiam post pœnitentiam illius non tenetur secundum rem.

HIS PRAEMISSIS Narrãdũ est primò quid appareat veritatis pro altera parte, deinde inuestigãda est causa. Quum coniugiũ ergo societas quędã sit, ex alijs natura vel volũtate contractis fœderibus, sumere possumus negatiuam partem esse, scilicet quòd nõ sit statim priuatus, sed priuandus iure exigendi. Inter patrem siquidem & filium naturale ius est, sic vt si filius patrem etiam occultè offendat, nõ teneatur pater hæredẽ illum habere: similiter, inter patrẽ & filium adoptiuũ simile ius est: inter socios quoq; negotiatores violata ab altero fide reliquus non tenetur. In his tamen omnibus & similibus apparet, quòd licet cuilibet, qui fidem violauit, vti iuribus societatis illius: filius siquidẽ tam naturali, quàm adoptiuo iure post crimẽ in patrem grauissimum latens Patrem, potest etiã in foro conscientiæ hæreditatem adire, & similiter negotiator, modo damnum non intulerit: quia obligaretur ad restitutionem. Quo fit, vt adulter occultus, quamuis violati fœderis reus sit, non prohibeatur à matrimonij iure, sed prohibendus: sicut in supradictis similibus priuandus est violator fidei iure illo.

¶ Et quoniã hæc ita esse mihi vidẽtur, ratio reddẽda est. Occurrit autẽ mihi vna cõmunis horũ ratio, & est, quòd pœnæ illæ, quæ in potestate partis vel iudicis sunt ita constitutæ, quòd iudice vel parte sciente & eodẽ modo se habẽte, vt prius aliquis nõ punitur, non incurruntur ipso facto: constat aũt tales esse pœnas priuationũ iuriũ, de quibus est sermo: ergo. Maiorẽ propositionẽ differentia pœnarũ clarificat: pœnæ nanq; ecclesiasticarũ censurarũ non sunt ita in potestate iudicis, aut partis, vt iudicis vel partis, vt prius perseuerãtia excuset cõtra facientẽ ab incursu censuræ, pœnæ aũt aliæ, siue cõuentionales, siue à iure: nisi pars aut iudex sciens velit, non ligant. Minor autem clara est, quia si innocens coniunx sciat adulterium alterius, & pater offensam filij, &c. & eodem modo se habeant cum eis, vt prius non sunt priuati. Consonat autem hæc ratio specialitati pœnæ consequentis incestum cum consanguineis coniugis: ad huiusmodi enim incestum comitatur ipso facto priuatio iuris exigendi: nec est in potestate partis non imputare crimen hoc ad hanc pœnam. nec etiam in potestate iudicis, quamuis possit dispensare. Ad adulteriũ autem simplex, priuatio consequens est in potestate partis, scilicet offensi coniugis, vt patet. Differentia igitur inter vtrunque adulterium est: quòd ille sic incestuosus est priuatus ipso facto, iste autem adulter est non priuatus, sed priuandus: alioquin nihil speciale de adulterio sic incestuoso diceretur. Et hæc positio non dissonat fortè ab aliquo doctorum: nam illi qui videntur pro parte affirmatiua, ad hoc tendunt, vt scilicet adulter priuandus sit ab altero innocente in foro conscientiæ: quum dicunt, dignus est vt non seruetur fides ei, vel aliquid huiusmodi, alij autem pro parte negatiua volunt, quòd non est ipso facto priuatus & vtrunque est verum.

¶ Ad rationem autem pro parte affirmatiua, negatur quòd secundum rem innocens ipso facto sit absolutus: est enim ipso facto habens ius, quo seipsum posset absoluere in foro conscientiæ, si sibi cõstaret de facto. Romæ 20. Decembris, 1513.

RESPONSIO. V.

Ad eundem,

De Nominandis Complicibus à Reo in aliquo iudicio, & de eorum sententia.

LITERIS Tuis frater charissime perlectis, in quibus quædam dubia soluenda mihi proposuisti, respondere distuli aliquot diebus, occupatus in alijs: verum ne omnino charitati tuæ deessem, in hodiernum diẽ censui eximendum ab alijs.

SVMMA.

Non tenetur de aliquo crimine inquisitus complices in crimine nominare, vel accusare, nisi ipsorum crimen fuerit inquisiti criminis per se circũstantia, & in damnum publici, vel aliorum boni, & iudex ex zelo sui officij iuridicè procedat.

AD PRIMVM Itaque dubium, an iuridicè inquisitus de aliquo crimine: teneatur & debeat nominare complices, si nõ sunt infamati, & ante correctionẽ fraternã: & similiter ad secũdum, an si ipse tales nominauerit, possit iudex cõtra tales procedere ad inquisitionem: & eorum rationem (quia consuetudo secularium iudiciũ habet, quòd tormentis cõplices requirunt, & quòd contra nominatos procedũt: in oppositum tamen est ordo fraternæ correptionis) & occultum complicis peccatum. Respondeti vnico verbo potest, quòd hæ q̃ones decisæ videntur extra de confessis, cap. quum monasterium. Vbi dicitur quòd secundum vtriusque iuris statuta de se confessi, super aliorum conscientijs interrogari non debent, crimine læsæ maiestatis excepto: & quòd si cõtingat aliquos nominari, tales noĩati nulli sunt pœnæ subdẽdi, si tamen infamia huiusmodi nominati laborãt indicẽda est purgatio tribus sui ordinis adiunctis socijs. Quia tamen multæ fiũt exceptiones ab ista regula, & multi multa dicunt: vt diffusè habes a Panor super dicto capit. videtur mihi in primo dubio, quòd triplici distinctione vtendum sit in proposito, prima est, si nomen cõplicis est vel non est circunstantia actus proprij illius, qui inquiritur, Secũda, si crimẽ de quo inquiritur, pendet in perniciem publici boni, seu aliorum. Tertia est, si iudex ex solius illius causæ ritu & meritis procedit aut ex zelo proprij officij. Nam si nomen complicis esset circunstantia proprij actus, quum quilibet iudex cognoscẽs de aliquo actu habeat ex meritis illius causæ etiã iudicare de illius circũstãtijs, tũc iudex põt inquirere, & tenetur inquisitus cõfiteri cõplicẽ, sicut quando in foro pœnitẽtiali pœnitẽs nõ põt aliter exprimere peccatũ suũ nisi nominãdo cõplicẽ, debet reuelare cõplicem, puta quum quis cognouit propriã matrẽ. Cõstat autẽ inter circunstãtias annumerari, quibus auxilijs aliquis fecit. Difficile tamẽ apparet accidere casum, in quo nomẽ cõplicis sit circunstãtia proprij actus in foro iudiciali, nisi per accidens: puta quia probabiliter aliũ de iudex dubitat, quòd reus fateatur id quod non cõmisit, vt euadat fortè tormenta, quoniam tunc ex nominatis complicibus cognoscere potest, an verum dicat: sicut ex alijs circunstantijs, puta loci, vel temporis. Sed hoc ex parte iudicis licitum videtur: sed ex parte rei, qui scit se verum dicere, non debet infamia alterius occulti testari culpam suam, ex quo cõplicis nomen nõ est actus sui circunstantia, quantum est ex parte ipsius actus perpetrati. Similiter. si crimen pẽdet adhuc in perniciẽ Reipu. ecclesiæ, aut aliorum priuatorũ: puta, quia sunt multi corruptores fidei, aut conspiratores aut latrones, aut subuersores aliorum: debet iudex ex officio inquirere, & reus huiusmodi perseuerãtes in malo pernicioso omnino occultos (de his sermo est) debet reuelare, nisi fortè probabiliter crederet correctione fraterna eos amplius non peccaturos, quod non facilè credendũ est de religiosis, præsertim huiusmodi sceleribus irretitis: sed dubitandũ potius videtur, quòd fingẽt se emendare. Et propterea tutius est in huiusmodi casibus, prælato potẽti per se vel aliũ, & volẽti saluare, nõ perdere oues suas, & curã famæ proximorũ solito habere, vt pastorẽ decet, cõplices siue nõ cõplices tales reo notos reuelare. Si autem crimen in detrimentũ aliorum nõ pendet, non tenetur reus occultos alios reuelare, sed ordinem fraternæ correctionis præponere. Illud præ oculis est semper habendum, quòd quẽadmodum in communi præcepto inquisitionis, si quis scit, &c. subintelligitur seruato iuris ordine: ita quum quis inquiritur in genere de complicibus, subintelligitur secundum iura reuelandis, quia nõ potest plus prælatus seu iudex præcipere. Et propterea non peccant prælati seu iudices de complicibus inquirendo, si intentio infra iuris limites consistit. Et similiter non peccant inquisiti si omnino occultos tacent, aut dicunt se non habere complices aliquos, habendo occultos tantum: quia responsiua verba intelligenda iuxta sensum interrogationum sunt: intentio tamen oportet, quòd sit infra iuris limites.

SVMMA.

Contra nominatos à Reo aliunde prorsus occultos non est procedendum.

IN SECVNDO Autẽ dubio, si aliunde omnino occulti sunt, qui nominati sunt, non est procedendum contra eos: quoniam talis reuelatio nõ sufficit ad accusandum, nec ad denuntiandum, nec ad infamandum, seu clamorosè insinuandum: propterea omnis via procedendi, quæ in tribus dictis inchoat, aufertur.

¶ Ad id verò, quòd de cõsuetudine opponis seruari: quia consuetudines patriarũ consistunt in facto, ipsi viderint si ita est. Non tamen credo ita esse, nisi in quibusdã criminibus exceptis: & hoc propter sequaces bartholi: & quòd nihilominus aliqua interueniãt indicia contra sic noĩatos.

SVMMA.

Non potest iudex quempiam cogere vt dicat defectum quem non iudiciariè nouerit.

AD TERTIVM Autẽ dubium, vtrum iudex sciens defectum alicuius à tribus vel quatuor non per modũ iudicij, possit ipsum cogere ad dicendũ veritatem: respondeo quòd quæstio hæc decisa est extrà de accusa. cap. inquisitionis. Vbi expressè dicitur, quòd si non extat infamia vel clamorosa insinuatio, non debet fieri inquisitio, etiam si duo vel tres iurati dicant se vidisse delinquẽtem, aut alicui libellum secreto tradant. Vnde patet quòd non potest prælatus cogere talem ad dicendam veritatem.

SVMMA.

Non nisi de crimine, cuius præcessit publica infamia potest quis inquiri.

AD QVARTVM Dubium, vtrum infamatus de aliquo, possit de omnibus inquiri: vt tenet Petr. de Pal. in 4. sent. respondeo quòd non potest inquiri de illis de quibus non laborat aliqua infamia: iuxta dictam Decretalem dicentem, Super illis solummodo fieri inquisitio debet, de quibus clamores aliqui præcesserunt. Dictũ autem Petri de Pal. (cum bona reuerentia dictum sit) tantum valet, quantum sua ratio, scilicet quia iudicare de occultis non propter peccatum, sed propter peccatorẽ prohibetur. Hæc enim ratio falsum assumit: quia occulta ex ipsa ratione, qua occulta sunt, ab humano iudicio exempta sunt: & proportionaliter occulta in tali iudicio seu processu ab illo exempta sunt suapte natura.

¶ Hæc sunt pater venerande, quæ mihi occurrerunt scribenda ad tua dubia, non plus autoritatis habitura sunt, nec cætera mea, quàm ratio eorum mereatur. Bene vale, & Deum pro me ora, Romæ, die 5. nouembris, 1518.

RESPONSIO VI.

De negando religionis ingressu, & professione Iudæis, alias idoneis ad hæc.

Ad R. Patrem F. Matthiam de pace sacræ Theologiæ Salmaticensem Regentem.

SVMMA.

Tametsi in quibusdam locis mortale peccatum nullum sit negare religionis ingressum natis iudæis, alias ad religionis ingressum & professionem idoneis, hoc tamen illaudabiliter faciunt.

REVERENDE Pater salue: Humillimis paternitatis vestræ literis perlectis, quibus petit an illis, qui ex Iudæis originem ducunt, si in nullo culpabiles inuenti, nec aliter suspecti, nisi ratione originis sint, possit negari ingressus religionis. & si fuerint nouitij, negari possit professio absque peccato mortali, an sit hoc contra præceptum charitatis. Respondere, vt par est, volens, paucis me absoluam: eo quòd cum sapiente sit sermo. Actus recipiendi ad religionis statum, vt à prælatis ipsarum religionum egreditur, & terminatur ad aliquem indeterminatẽ, licet habeat rationẽ debiti, (quoniam religiones institutæ sunt non solùm propter præsentes, sed etiam futuros) vt tamen terminatur ad hanc, vel illam conditionem personarum, vel hanc, aut illam personã: caret debiti ratione, nisi necessitas aliqua debiti rationem inducat. Et de persona quidem determinata, patet ex hoc, quòd charitas non arctat ad diligendum seu benefaciendum alicui particulari non aliàs coniuncto, nisi in articulo necessitatis, vt testantur præcepta charitatis tàm in corporalibus de eleemosyna, quam in spiritualibus de correctione fraterna. Vnde & diuus Thom. in quolibetis dicit, quòd habens de superfluo, nõ tenetur obuianti pauperi ac petenti eleemosynam dare: quia licet teneatur superfluum elargiri, non tamen dare huic. Et in Secunda Secundæ de correctione fraterna dicit, quòd cadit sub præcepto, secundum quòd est necessaria ad fratris emendationem. Constat autem quemlibet idoneum ad religionis statum communiter inuenire alibi gratiam, si ab vna religione refutatur. De conditione verò personarum patet ex hoc, quòd religionis prælati statuto possunt cauere, vt genus aliquod hominũ sine eorum culpa ad religionem non admittatur: vt testatur statutum de non recipiendis illegitimè natis. Nec multũ refert inter recipere huiusmodi ad habitum, & receptos ignoranter reijcere ante professionem, quoniam non minus libera est religio intra annum probationis: quam nouitius: quum annus probationis in fauorem vtriusq; datus sit, nec vlla pollicitatio implicitè fiat magis hinc: quã inde. Constat autem ex sacris canonibus, vt patet extrã de regu. cap. statuimus. nouitium posse liberè intra annũ probationis redire ad priorem statum: igitur religio potest nouitium liberè à se excludere. Et confirmatur, quia quemadmodum nouitius si perlectis nouiter censuris in iure latis contra religiosos, & inhabilitatibus mendicantium, quas tamen in seculo præscire potuisset, relicta religione potest ad priorem statum redire: ita religio cognita origine nouitij prius indiscussa põt illum refutare. Quũ igitur natio eorum, qui ex Iudæorum genere sunt, conditionem habeat quibusdam minus gratam propter tot eiusmodi publicam apostasiam, in Hispania si religionis alicuius prælati statuto vel opere eos recusent recipere ad habitum, vel ignorantes receptos nolint ad professionem admittere, nullum ex hoc mortale peccatum ex suo genere incurrunt.

¶ Et quamuis ita esse mihi videatur: irrationabile tamen mihi videtur, perpetuum statutum aut opus huiusmodi refutationis respectu illorum, qui nulla alia suspicionis nota sunt affecti, nisi quòd originem ex Iudæis traxerunt. Tum quia salus nostra ex Iudæis est, ex quibus natus est Christus secundum carnem, & apostoli, & plurimi patres fidei: & ingrati inuenimur, sui generis filios repellendo. Tum quia occasio daretur Iudæis, vt ad fidem non conuertantur, dum intelligunt conuersorum filios in generatione & generatione repulsos à religione. Tum quia religionis status est talis, vbi ipsi potius si in aliquo dubitant solidari in fide, quàm alios inficere possunt. Hæc sunt Pater reuerende, quæ mihi occurrunt respondenda, in die sancti Matthæi Apostoli, Senis, 1514.

Universidad de Deusto Biblioteca

RESPONSIO VII.

De Vinculo perseuerandi in religione, cum quis hoc proposuerit.

SVMMA.

Ingressus religionem cum proposito perseuerandi in illa vsque ad mortem non tenetur in ea viuere nisi huic deliberato proposito fuerit adiuncta aliqua implicita promissio.

CHARISSIME Fili, quæstioni tuæ ob occurrentis de facto casus necessitatem interpositis alijs respondendum duxi. In casu ergo proposito, quum scilicet N. ingressus est religionem quandam mendicantium, in quodam illius conuentu regularis vitæ, cum animo deliberato perseuerandi vsq; ad mortem in illa particulari religione, & in illo particulari conuentu in seruitium beatæ Virginis, cui ecclesia illa dicata est: & postquam multos menses ibidem egit, ob quorundam scelera ibidẽ impunita, ad seculum intra annum probationis rediit. Scito ex duobus capitibus procedi posse. primò, ex assumpto habitu cũ deliberatione perseuerandi vsq; ad mortẽ. secũdò, ex intẽtione particulari ad hũc conuentũ, frustrata ob inopinatũ successum malæ vitæ inuẽtæ in conuentu illo. Et vt à primo incipiamus, quæstio ista petita fuit ab Innocentio III. vt patet extra de regu. & tran. ad religio. in cap. consulti. & ab ipso distincta: & postmodum à Greg. 9 in cap. statuimus, magis explicata. Est autem eorum sententia, quòd suscipiens religionis habitum volẽs absolutè vitam mutare, ad religionem tenetur. Quod potest benè & malè intelligi. Si enim per voluntatem absolutè mutandi vitam intelligatur deliberatum propositũ perseuerandi vsq; ad mortem, et nihil aliud, malè intelligitur: si autem per voluntatem absolutè mutandi vitam, intelligatur deliberatum propositum perseuerandi vsq; ad mortem cum promissione implicita huiusmodi perseuerantiæ bene intelligitur. Quod patet dupliciter. Primò ex eo, ꝙ votum requirit tria: propositum, deliberationem, & submissionem: ita quòd absq; promissione nullum est votũ. Secundò ex eo, quòd ratio quare talis volẽs absolutè mutare vitam, tenetur etiam ad religionem, expressè assignatur in dicto capitulo. quia ipse renuntiat anno probationis in fauorem suum, sic suscipiendo habitum. Ex hoc em̃ habetur, ꝙ voluntas illa est voluntas renuntiantis probationis & facientis hodie quod post probationem erat acturus: quod nihil aliud est quàm promittere perseuerãtiam vsq; ad mortem, quod est vouere religionem. Et si hanc distinctionẽ vis plenius intelligere, finge in religione duos modos distinctos sensibiliter & notoriè omnibus esse regulariter institutos ad ingressum religionis: alterũ cum anno probationis, & alterum sine vlla probatione. & finge rursus duos iuuenes ambos cum proposito deliberato perseuerandi vsq; ad mortem, ingredi religionem illam, sed alterum per illum modum, cui adiungitur annus probationis, & alterum per reliquum modum, cui nulla adiungitur probatio. Et discernes voluntatem vnius à voluntate alterius in hoc, quòd iste secũdus cum deliberatione promissionem, imò exhibitionem sui habuit, ille non: & videbis, quòd de primo non verificatur, quòd vult absolutè mutare vitam, sed de secundo tantũ. Suscipere igitur habitum nouitiorũ (siue sola benedictione distinguatur ab habitu professorum, siue aliter) cum deliberato proposito perseuerandi vsq; ad mortẽ, ita etiã quòd vellet hodie esse finem anni, vt posset tunc profiteri, nõ obligat hominem ad religionem in particulari, aut in communi; sed liberum relinquit, vt redeat ad seculum. Dixit autem nouitiorum propter suscipientem voluntariè habitum professorum, sciendo quid hoc importat: talis enim facto exhibet seipsum religiosum professum: & quia voluntas conformis est facto suo voluntario, in voluntate non solùm est deliberatio, sed promissio ac exhibitio cum renuntiatione probationis. Nihil tamen scrupuli in re hac accidit, si nouitius cõtinuè gestet habitum veterem benedictum pro altero, etiam si libentius deuotionis causa: quia benedictus creditur, gestetur: quoniam habitus professorum vbi sola benedictio distinguit, penes benedictionem, quæ fit propriè professionis tempore, attenditur: vt ex dicto capitulo statuimus, sumitur.

ET LICET Hæc ad propositi casus claritatem sufficiant: vt tamẽ desiderio tuo, an etiam si intercessisset promissio, teneretur: respondebo iuxta secundum caput. Scito quòd si simplicis voti promissio comes fuisset, duo consideranda essent. Primò ex parte intentionis, distinguẽdo inter intentum & attractiuum: quia stat quòd attractiuum alicuius ad particularem religionem & ecclesiã, sit deuotio ad aliquam figuram beatæ Virginis, cõuersatio cum quibusdam religiosis, grata amœnitas loci, & huiusmodi. intentum autem non sit ad hoc limitatum: quũ scilicet intendit esse sicut sunt illi religiosi, qui possunt ad arbitrium prælati secundum regularia statuta inde mitti ad alios conuentus: hoc enim testatur intentionem non esse limitatam ad hunc conuentum solùm. Et si intentio alicuius fuisset limitata ad vnum solum conuentum, euentus ille inuentorum scelerum considerandus est, an sint crimina communia, an paucorũ, an cum spe prouisionis, an sine spe prouisionis. Si enim impune scelera communiter licet committere, nec spes humano more sit superuenturæ prouisionis, non obligatur iste ad obseruandam voti sui legẽ, quam constat in tali euentu non esse inuentam. Votum enim religionis quasi ad tutum portum tendens non debet esse vinculum detentiuũ hominis in tali perenni periculo: scriptum est enim, Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris, &c.

¶ Hæc sunt fili charissime, quæ mihi videntur ad quæstionis tuæ solutionem dicenda: tuum erit applicare ad particulare factum, & meliori, vbi opus est, iudicio vtendo, de N. casu iudicare. Bene vale, & Deum pro me ora. Romæ die. 11. Nouembris 1512.

RESPONSIO. VIII.

De modo exsoluendi & dicendi horas Canonicas in choro. Ad eundem.

QVAESTIONI Tuæ frater charissime, an is qui in choro sic diuinum officium persoluit, quòd sui chori versus submisse sibiipsi soli dicit, alterius verò chori versus audit tãtummodo, satisfaciat præcepto ecclesiæ de persoluendis canonicis horis, respondere eo pacto proposui, vt quia diuersi diuersa dicere videntur, vtriusq; partis rationes pensentur. & sic veritas elucescat.

¶ Opinio igitur dicentium, quòd in casu proposito satisfit ecclesiæ, fundatur super hoc, quòd nullus in choro vel comitatus soluens diuinum officium tenetur dicere totũ: sed sufficit medietatem dicere & medietatẽ audire secundum alternationem versuum hinc & inde: vt consuetudo ecclesiæ testatur: sic autem fit in proposito, quia iste vnius partis versus dicit, & alterius audit: ergo satisfacit. Sed cõtra istam rationem militat: quia vtitur eo, quod est per accidens loco eius, quod est per se.

SVMMA.

Persoluens officium sic vt in choro vnum versum dicat, & alterum audiat non satisfacit diuino officio, sed tenetur secrete dicere.

AD CVIVS Euidentiam claram scito, ꝙ præceptum ecclesiæ est, vt quilibet dicat totum officium, vt patet extra de celebratione missarum cap. presbyter. Sed quoniam aliquem dicere totum officium contingit dupliciter, scilicet communicando cum alio in officio, & sine communione cum altero: ideo duobus modis satisfit diuino officio, scilicet persoluendo sine alterius communione: & tunc, quia cum alio non communicat, totum solus dicit, & communicando cum altero: & tunc alternando, totum quilibet communicans directè censetur, dum quilibet communicans in persona communicantis secum dicit id quod dicit. Vnde in hoc modo dicendi officium, scilicet alternatim, aliquid concurrit per se, scilicet communio dicentium, quo fit, vt quodlibet ab altero dictum fit commune alteri: & aliquid per accidens, scilicet quòd iste partem dicat, & partem audiat. Constat autem, ꝙ quum aliquis sic partem suam dicit, non vt communem, sed vt propriam. non communicat in ea cum altero: talis autem est dicens partem sui chori sic submisse, quod sibi soli dicit. Non communicat igitur iste in proposito casu cũ altera parte chori: ac per hoc non satisfacit. Et confirmatur: quia etiam in choro dicere partem suam nõ qualitercunque, sed vt communem, est pars chori. Dato ergo, ꝙ ecclesia non præcepisset dicentibus officium cum aliquo, nisi dicere partem suam, adhuc sequitur, quòd iste non satisfacit in proposito: quia non dicit id officij, quod dicit vt partẽ ex quo id ꝙ dicit vt partẽ cõis officij sibi & alij, sed vt propriam sibi: quia nõ cõicatur alij per audibilitatem. Et confirmatur: quia si sufficit medium dicere & medium audire, possem medium matutinale officium solus in camera dicere, & deinde audire alium legentem reliquum: quod est ridiculum. Cõcludendum ergo mihi videtur absq; ambiguitate, quod in casu proposito iste non satisfacit officio. Et hæc intelligenda sunt de toto officio: nam in aliquo particulari versu deficere, non est cõtra præceptum. Romæ die 3. Nouembris, 1514.

RESPONSIO. IX.

De vsura & in veniali pertinacia, & publico delicto.

RECEPTIS Literis vestris reuerende pater, inueni tria in illis dubia à me requisita. Primum est, an vsura soluta ab accipiẽte sine necessitate pecunias mutuò, sit restituẽda illi, qui soluit. Et est ratio dubij, quia videtur hic iniustitia esse etiam ex parte dantis. Secundum est, an pertinaci etiam vsq; ad mortem in aliquo veniali, non ex contemptu, sed quia est veniale, sit deneganda absolutio de cæteris peccatis. Tertium est, quomodo intelligatur delictum publicum, vt sine peccato possit reuelari, an quia potest probari, an quia fuit de eo cõuictus coram iudice, an quouis alio modo.

SVMMA.

Restituenda est vsura accipienti pecunias mutuò, sine necessitate.
Non neganda est cæterorum peccatorum absolutio pœnitere nõ volenti etiã in mortis articulo de veniali, quod veniale est.

AD QVAE Prout paternitas vestra exposcit, breuiter respondendo dicitur, ꝙ vsura sic soluta proculdubio restituenda est ei, qui soluit: quoniam ex parte dantis non est iniustitia secundum ipsam dationem, sed secundũ causam tantum, puta si propter pompas faciendas accepit mutuum sub vsuris, datio enim ipsa secundum se non habet vnde sit illicita. Liquidum quoq; est, quòd pertinaci proposito, cum venialium ordinem nõ transcẽdat, nec venialia remissionem mortalium impediant, nec vnum veniale cõnexionem cum alijs venialibus habeat, impendenda est absolutio cæterorum peccatorum.

¶ Ad id verò, quòd tertio quæritur, dicitur quòd per se publicum, (quod per accidens verò infinitis modis inueniri potest) est, quod ex se habet, vnde in communem notitiam perueniat. Vnde non censendum est publicum aliquid ex hoc, quòd probari potest, cum hoc non adhuc habeat, vnde ex se in communem notitiam veniat, quamuis hoc habere possit: sed bene constituitur in esse publico ex hoc, quòd confessus est iudicialiter, nisi per accidens à iudice inhibeatur executio publicationis. Contingit em̃ nõ solùm prædicto, sed multis modis humana delicta deuenire ad prædictam publicationem, vtputa si delinquatur in communi hominum præsentia, loco, scriptura, & alijs huiusmodi: quibus contingentibus sine detractionis vitio possunt delicta hæc tanquam publica dici.

¶ Hæc sunt doctissime pater, quæ pro responsione occurrunt: quæ tu ipse optimè inuenire potuisses, si voluisses. Bene vale, & ora Deum pro me. Florẽtiæ in sancto Marco decimasexta Octobris, 1509.

RESPONSIO. X.

De Annuæ pensionis venditione ex beneficio ecclesiastico debitæ.

SVMMA.

Annuæ pensionis pecuniam recipiens, vel certa pecuniarum summa, vt liberetur ab onere exigendi, &c. nõ incurrit simoniã.

AMANTISSIME Frater, q̃stioni tuæ an possis annuam pensionem tibi ex quodã beneficio ecclesiastico debitam absq; Simoniæ vitio pro certa summa pecuniæ semel persoluenda vendere, respondendo dico nullam interuenire in hoc contractu Simoniæ labẽ: quia annuæ pensionis ius purè temporale est, nihil spiritualitatis habens. Quod ex duobus patet, eo quòd solos fructus beneficij ecclesiastici respicit: nam annua pensio non est beneficium ecclesiasticum, propriè loquẽdo: sed beneficium ex quo tibi annua debetur pẽsio, illius est q tibi debet annuam pensionem de fructibus: propter quod solus ipse beneficium hoc habens, tenetur ad diuinum officium horarum canonicarum: tu enim ex pensione hac non teneris ad diuinum officiũ, vtpotẽ nõ propterea habẽs aliquod ecclesiasticũ beneficiũ. Ex eo ꝙ põt etiã laicis cõcedi: sicut & cõceduntur eis decimæ ecclesijs debitæ. Vt em̃ diuus Th. in Secunda Secundæ quæst. c. art. 4. ad tertium dicit, quũ concedit papa decimas ecclesiarum laicis, nõ intelligitur cõcedere ius spirituale decimarum, sed temporalem actionem circa fructus decimarum. Et similiter est dicendũ in proposito, quòd concessio annuæ pensionis non est nisi purè temporalis rei donatio, ac per hoc potest licitè pro certa summa pecuniæ beneficium ab onere pensionis liberari. Nec obstat, ꝙ in bullis pensionis appositũ est, ꝙ si non annuam soluerit pensionem beneficium sit tuum ipso facto: quoniam hæc & similia non ad ipsius pensionis naturã, sed ad pœnã nõ soluentis spectant: iudiciũ aũt de cõtractibus nõ secundum adiunctas accidentes pœnas sed secundum eorũ naturas attenditur. Et hæc accipe cessante fraude, quàm scio in te nõ habere locũ. Nam si quis in fraudem simoniæ, vnico contextu renuntiat beneficio reseruat sibi pensionem, & extinguit sibi pensionem pro tanta summa, non solùm apud Deum (qui venditionem beneficij palliatam inspicit in corde) sed etiam in foro humani iuris ab æquo iudice damnaretur: sicut in similibus damnantur contractus in fraudem vsurarum. Bene vale Romæ, die. 16. Februarij, 1518.

RESPONSIO. XI.

De recipientium & soluentium pro locatis pecunijs quinque pro centum saluo capitali ad Magistrum Conradum Koelin.

SOLICITVDINI Tuæ pater reuerende deesse nequaquam possum, quum ex fortè pietatis illã procedere video. Quæstionis igitur in qua meum poscis iudiciũ, propterea quòd nuper in partibus germaniæ est exorta casus de verbo ad verbum est ille: Vtrum Petrus consignans centum florenos apud Paulum mercatorem, vt ei pro parte lucri capitali saluo assignet per annum quinq; florenos, residuo lucri sibi reseruato, licitè contrahat, & ad restitutionem illorum in foro animæ non teneatur.

¶ Et est ratio dubij: quia iste contractus, vt proponitur, est manifestè illicitus, sed vt exponitur, dicitur licitus. Exponitur autem, ꝙ contractus iste includit virtualiter tres cõtractus: primò contractũ societatis negotiatiuæ inter Petrum ponentẽ centum florenos, & Paulum ponentem industriam: secundo contractum assecurationis capitalis inter eosdem, Paulo assecurante Petrum de suo capitali: non enim licet minus Paulo, quàm cuicunque alteri assecurare Petrum: & propterea ponitur hic capitale saluum: tertiò contractum venditionis & emptionis lucri sperati inter eosdem, Petro vendente lucrum speratum Paulo pro certo precio scilicet quinq; pro centũ. Et iste similiter cõtractus non est minus licitus Petro cũ Paulo, ꝙ inter Petrum, & quemcunq; tertiũ: & propterea determinatur hic certũ lucrũ, scilicet quinq; pro centũ.

¶ Hic est casus vt proponitur & exponitur, In quo tria dicenda occurrunt: primò ꝙ contractus iste falso exponitur: ita ꝙ non est capax istius expositionis: secundò, qualiter deberent adiungi alij duo contractus primo: tertiò quid absolutè respondendum est quæstioni.

SVMMA.

Consignans pecunias apud mercatorem, vt ei pro parte lucri capitali saluo assignet per annum puta, quinq; aureos residuo lucri sibi reseruato, illicitè contrahit, & in foro animæ & conscientiæ ad restitutionem tenetur.

QVO Ad primum declaratur, ꝙ cõtractus iste falsò exponitur: quia iste contractus secundũ suam formam manifestè est contractus societatis: & si includit alios duos, aut includit eos ex natura sua, aut ex cõditionibus appositis. Non ex natura sua: quia contractus societatis est cõtractus disparatus ab illis alijs: sunt nãq; omnes isti contractus velut singulares quædam species non ordinatæ sicut numeri aut figuræ nec sicut causa & effectus virtualiter inclusi in causa, vt patet ex hoc ꝙ singuli seorsum sine alio inueniri possunt, non includit ergo iste societatis contractus alios duos ex natura sua. Nec ex conditionibus appositis: quia ista conditio, saluo capitali, non infert contractum assecurationis. Probatur, quia cõtractus assecurationis capitalis est contractus cõmutationis: ac per hoc debet fieri dato aliquo honesto pretio pro assecuratione: alioquin commutatio non est: in proposito autẽ casu nihil omnino datur, aut promittitur à Petro pro assecuratione: non igitur ex illa, conditione apposita, scilicet

Universidad de Deusto Biblioteca

saluo capitali, habet cōtractus assecuratiōis capitalis, vt expositor fingit. Similiter altera cōditio, s. assignet quinque florenos pro parte lucri, residuo lucri sibi reseruato, nō infert cōtractū vēditionis & emptiōis lucri sperati incerti: qm̄ cōtractus vēditiōis & emptionis lucri sperati incerti est et cōtractus cōmutatiōis, & debet ita fieri cū Paulo sicut fieret cū tertia psona. Cōstat aūt, q tertia psona nō emeret à Petro lucrum speratū ex centū hoc mō, s. vt ipsa tertia persona nihil in psenti acciperet. sed solā spē habēdi lucrū vltra quinq; pro centū. & ex ista sola spe obligaret se ad dandū Petro singulis annis quinq; pro cētū ex lucro illorū cētū. Et circa hoc nō oportet aliā probationē afferre: qm̄ mercatores ipsi locupletissimi testes sunt, q qlibet initurus hūc cōtractū, pretiū aliquod vltra illā spem exigit pro sua obligatione & periculo. Et qa in casu proposito ista certificatio sperati lucri absq; ptio aliquo imponit Paulo, manifestè patet q nō interuenit hic cōtractus emptiōis & vēditiōis sperati lucri, sed solus cōtractus societatis cū illis conditionibus, falsò ergo exponitur contractus iste. Hæc de primo.

¶ Quo ad secundum, licet dicti tres cōtractus in veritate in casu posito nec formaliter, nec virtualiter sint: quia tamen fieri possent distinctè & seorsum dicti contractus cum appositis pretijs, dicendum occurrit quomodo licitè vel illicitè fieri possunt.

¶ Dupliciter aūt cōtractui societatis possunt dicti duo cōtractus cōiūgi, scilicet ex pacto, & sine pacto. Et siqdē cōtractus societatis habeat hæc pacta annexa, scilicet, vt Paulus teneatur assecurare capitale, & certificare lucrū sine aliquo pretio, manifesta est iniquitas, nec eget declaratiōe aliqua: qm̄ ex dictis satis patet, q esset societas hæc leonina. Si verò cōtractus societatis habeat hæc pacta annexa, s. vt Paulus teneat assecurare capitale, & certificare lucrū pro eodē pretio, quo tertia psona assecuraret, & certificaret, adhuc Paul⁹ iniustè aliqtulū grauaret, quātū est ex rōne iustitiæ: qm̄ cōtractu societate habēte suā æqualitatē nō debet secundū iustitiæ rōnē superadiungi Paulo hoc grauamen, scilicet q teneatur assecurare capitale & certificare lucrum illo pretio, quo alius faceret: quoniam constat, quòd ex æqualitate societatis ad hoc non tenetur, licet gratiosè posset hoc facere, sicut non est licitum ex pacto obligare accipiētē mutuò, vt teneat remutuare q̄uis hoc gratiosè possit & debeat facere. Dixi autē secūdum iustitiæ rationē: qa si ex quasi cōdicto cōmuni pacta hęc in consuetudinē deducta, vt licita essent, sicut pactum de retrouēdēdo introductū cōiter est in detestationē fraudis vsurarū: tolerari possent ista pacta rōne hmōi cōsuetudinis, quæ tamen non esset introducēda: quia in fauorē est fraudis vsurarū. Aperitur enim per hæc pacta via palliādi vsuras cum dāno virorū industriorū, qui hæc pacta subeunt, quia egent pecunijs, vt possint de suis industrijs viuere: & minus malum est eis hæc pacta subire, quam cum manifesto interesse inuenire pecuniā eis opportunā.

¶ Sine pacto autem si dicti contractus superueniant contractui societatis, ita vt contractus societatis fiat liberè ex omni parte cum debitis conditionibus societatis & sociorum, sed seorsum ac disparatè, superaddantur isti contractus, vt Petrus à cura solicitudinéque se exoneret, & à timore fraudis se liberet, dicendū occurrit, q contractus assecurationis capitalis, & cōtractus certificationis lucri ita possunt licitè fieri inter Petrū et Paulū socios, sicut inter Petrū & tertiā psonā possent licitè fieri: adhibitis scilicet honestis ptijs secūdū iudiciū sapiētū in illa arte, illo tpe, in illo loco, cū tali psona, & breuiter consideratis indiuidualibus cōditiōibus, q sciētificè determinationi nō subsunt. Cōstat nāq; q tali tpe, vel propter talē personā, vel pter talē artē in tali loco vix inueniret assecurator, aut certificator lucri nō solū qnq; p cētū, sed nec in minimo. Et ppterea nō videt absq; vsurarū fraude fieri si pmiscuè psupponatur cū qualibet psona, aut in quolibet artificio lucrū certificandū quinq; pro centū, aut capitale saluū. Experientia siquidē testis est multos ex vitio psonę, multos ex tēporis euētu, &c. deficere. Hæc de scđo.

QVO Ad tertiū, satis patet ex dictis, q absolutè loquēdo in qōne casus propositi, tā vt pponit, q vt exponitur, iniustū est societatē hāc inire, & Petrū teneri in foro animæ, ad restitutionē, si hmōi societatē cum Paulo de facto cōtraxit: qm̄ eū iniquè grauauit, de facto conditiones vsurarias apponendo capitalis salui & lucri certi: vt manifestum esse puto ex dictis.

¶ Hæc sunt pater amantissime, quæ mihi occurrunt pro solutione quæstionis propositæ. Rogo vt oretis Deū pro me. Romæ die prima Aprilis, 1515.

RESPONSIO II.

In quinque dubiorum solutiones distributas ad eundem.

ACCEPI Reuerēde pater schedulā quinq; dubiorū, nescio cuius viri notabilis scrupulosę cōsciētiæ petētis a me satisfieri: quū tn̄ P. V. doctissima optimè illi satisfacere potuisset, si mihi hanc sarcinā imponere noluisset. Vt ergo charitati vestrę & illius conscientiæ non desim, quāuis cōualescens, respōdere curabo repetente reuersuro latore respōsionē breuē.

SVMMA.

Non opus est pœnitenti conteri singulis peccatis numeraliter in eadem specie peccati.

EST Igitur primū dubiū, an sit simpliciter de necessitate salutis pœnitentē cōteri de singulis peccatis numeralr in eadē spē, qm̄ pōt ea sigillatim ad memoriā reducere. Et est ratio dubij: qa hoc videt cōiter doctores in 4. sen. sentire. Ad hoc dubiū breuiter dicit, q licet quidā videātur hoc sentire quantum ad integritatē satisfactionis, (ita q sigillatim in singulis peccatis mortalib⁹ adimpleuit volūtatē suā cōtra deū, ita si itegrè satisfacere debet oportet q sigillatim toties detestet crimina sua) si qs tn̄ diligēter cōsideret, nec ad cōtritionē, nec ad cōfessionē, nec ad satisfactionē exigit hmōi numeralis dearticulatio pctōrū. Et de cōtritiōe qdē patet ex veteri testō (qa in quacūq; hora ingemuerit pctōr, oim iniqtatū eius nō recordabor) & ex nouo: qa dimissa sunt mulieri peccatrici pctā multa, qm̄ dilexit multū. Impossibile siquidē est, in quacunq; hora ingemiscimus, relinquēdo peccatorū multitudinem copiosam, oia dinumerare: & rōn dimissiōis peccatorum nō detestatio multiplex, sed multa dilectio reddit. Et vtique rō est: qa momētanea cōtritio virtualiter extēdēs se ad oia crimina cōmissa, sufficit ad salutē. & tāta posset esse q sufficeret ad oimodā satisfactionē: vt de Latrone credit. Nō minus siqdē satisfacit debitor cētū quadratum, si dat vnū aureū valētē cētū quadrātes, q si daret cētū quadrātes numeralr. De cōfessiōe verò clarū est, q vnico vbo pōt cōfiteri cētū millia peccatorū: nec oportet sigillatim singula numeraliter dicere. De satisfactione aūt eadē est rō, q de cōtritione dicta est: vnū siquidē opus pœnale magnū multis paruis æqualet, & tātò melius est, qtò maioris est virtutis vnū magnū opus q multa parua facere: vt patet in Ethicis. Snīa igitur doctorū quarto verificat in hoc, q oportet d singulis aut formalr, aut virtualr cōteri.

SVMMA.

Circunstantia loci per se est necessariò confitenda.

SECVNDVM Dubiū, qm̄ circūstātia loci sacri est necessariò cōfitenda secūdū doctrinā S. Tho. et scđm veritatē. Ad hoc breuiter dicit, q tūc tm̄ qm̄ actus peccati cōmissus directè contrariatur sanctitati loci id est, ei ad qd sanctificatus est locus, verbi gratia: Locus cōsecratus est ad sepulturā vel ad cultū diuinum, & ex consequenti ad libertatem confugientium & depositarum rerum, & huiusmodi: quando ergo fit contra ista, tunc & non aliter venit confitenda circunstantia loci sacri necessariò.

SVMMA.

Tam venditor, quàm emptor sciens naturam rei, & valorem peccat si rem maiori, vel minori pacto veniat, quam valeat.

TERTIVM Dubiū est, si tā venditor, q emptor sciat naturā rei & valorē, an nullū subsit peccatū si res vēdat p maiori vel minori ptio. Et est rō dubij, qa scienti & volēti nō fit iniuria, et si in casu subsit peccatū, declaretur vn̄ oriatur peccatū illud. Ad hoc breuiter dicit, q si res vēditur ptio, q est extra totā latitudinē iusti ptij, nec alia qua hic interuenit donatio, (vt præsupponēdū est) sine dubio peccatū est. Nec oportet qrere aliā originē huius peccati, q inæqualitatē rei ad rē, s. ptij ad rē emptā: in hoc enī cōsistit ipsa iniustitia opposita cōmutatiuæ iustitiæ. Occasiones aūt peccādi, quū possint esse diuersæ, & sint per accidens, extra artē relinquatur. Cōiter tn̄ necessitate cōpellēte id fieri videt, q causat inuoluntariū mixtū. Nec est simile, q pro simili adducitur de puella pauperrima, q nubit viro seni diuiti nō nisi necessitate paupertatis cogēte ducta: matrimoniū enī nō est cōtractus in æqualitate rei ad rē consistēs, sed socialis cōiunctio: ad quā per accidens se habēt diuitiæ & paupertas, & consequēter metus seu fuga paupertatis, et cætera spectātia ad id. Fit ergo sa-

tis iniur

tis iniuria casu posito scienti & volēti volūtario mixto.

SVMMA.

Possunt principes per consuetudinem sibi terrarum suarum feras appropriare.

QVARTVM Dubiū est, an principes terrarum per cōsuetudinem possint sibi licitè appropriare feras. Et est ratio dubij: quia autoritate legis naturæ, feræ durante earum naturali libertate appropriantur cuilibet occupanti: vt patet insti. de re. diui. §. feræ. Et consuetudo contra naturæ ius videtur irrationabilis: & similiter præscriptio ab huiusmodi iure introducta, nō videtur iuuare principes.

¶ Ad hoc dicitur, quòd quum proprietas rerum ex iure sit positiuo, & consuetudo ad ea se extendat, quæ iuri sub sunt positiuo, consequens est, quòd sicut lege positiua appropriari possunt alicui feræ, & ita consuetudine potest huiusmodi appropriatio fieri. Et hoc manifestum est in piscibus, dum venduntur iura piscandi. Et constat q populus habens dominium alicuius syluæ, posset legem ferre, quòd solus rector possit ibidem venari. Nec in hoc præiudicium fit iuri naturæ: quoniam de iure naturæ nō sunt feræ communes, nisi negatiuè: hoc est, quia nulli eas appropriauit. Cùm quo clarè stat, quòd à superueniente iure legis vel consuetudinis potest appropriatio fieri, sicut de reliquis. Nec est contra allatam legem, quæ loquitur de feris, quæ in nullius bonis aliquo iure sunt: dictas etiam feras consuetudo in bonis principis posuit.

SVMMA.

Citra damnum tamen tales principes tantam iurisdictionem habent.

QVINTVM Dubium, an dicti principes possint ita districtè prohibere dictarum ferarum captionem, vt nullus subditus possit eas capere, quin grauissimè puniatur, etiam si capiat eas, vt se à damno præseruet, quod inferunt in bladis vel huiusmodi. Et huic annectitur aliud, an confessores principum possint eos absoluere si nolūt huiusmodi statuta reuocare.

¶ Ad hoc dicitur, quòd licet principes possint huiusmodi venationes prohibere, non tamen possunt prohibere in damnum aliorum: imò tenentur ad restitutionem principes de damnis illatis à suis feris ex hoc, quòd nō permittunt alios venari sicut habēs bouem cornupetam sibi notum, & non prouidens, tenetur de damnis subsequutis.

Et ex hoc patet quid debeant facere cōfessores talium principum: quum enim iniustitia sit peccatum mortale de genere suo, & statutum hoc sit iniquum, non debent ipsos absoluere nisi desistant à peccato. Bene valete, & pro me orate. Romæ secunda Maij. 1514.

RESPONSIO XIII.

In quorundam locorum contradictoriorum super cōmen. Secundæ Secundæ explanationes distributa ad eundem.

LITERIS Tuis, pater venerande, petentibus quædam in commentarijs nostris super Secunda secundę tanquam dubia seu obscura declarari, distuli hucusq; respōsionem ob impedimenta imbecillitatis, & occupationum aliarum. Nactus verò nunc aliquid otij, satisfaciendum charitati tuæ duxi, vt nouitijs quibus hæc obscura videntur, magis elucescant: Breuiter tamen, quia res claræ sunt.

PRIMVM Igitur dubium propositum est: quia in q. 10. ar. 4. dictum est, quòd licet vendere Iudæis res, quibus ipsi vtuntur in suis sacrificijs: in q. autem 1[illegible]. ar. 2. ad quartum, dictum non est licere cooperari ad reædificationem synagogæ Iudæorum.

SVMMA.

Licet Iudeis vendere ea, quibus ipsi vtuntur in suis sacrificijs, dummodo non sint per se superstitiosa.

¶ Facilè respondetur, in primo loco sermonem fuisse de his rebus, quæ non per se ordinantur ad superstitionem Iudaicam: sed de rebus indifferentibus, quibus tamen ipsi Iudæi abutuntur ad superstitionem suam. In secundo autem loco sermo est de synagoga, quæ præsupponitur per se ordinata ad superstitionem Iudaicam. Et propterea eadem vtrobique seruata est sententia, vt patet legenti vtrunque.

SECVNDVM Est. In quæstio. 11. arti. 4. dicitur quòd occultissima per accidens subiacent ecclesiæ censuris: in q. verò 69. arti. 1. dicit, q autor homicidij occultus, nō est sub iudicio humano: quia persona est occultissima.

SVMMA.

Occultissima vitia subiacent ecclesiæ censuris, quāquam humano iudicio non subdatur, vt se prodat.

¶ Soluitur & hoc facillimè, remittendo ad locū secundò allegatū, vbi expræssè dicitur, quòd occultissimus autor notorij incendij non subest humano iudicio, quo ad hoc, vt teneatur se prodere: subest tamē humano iudicio, quia potest excommunicari: vt ibidem dicitur.

TERTIVM Est: In q. 78. ar. 4. dicit, Nullo modo licet inducere ad minus malum etiam paratos: in q. autem 85. art. 8. in 5. causa duelli, videtur dici, quod licet inducere, vt peccent minus.

SVMMA.

Tametsi ad minus peccandum quempiam inducere non liceat, ad pecc. tamen minus inducere sanctum est.

¶ Soluitur hoc dubiū declarando differentiam, quam nō penetrarunt mouentes hoc dubium. Aliud est enim inducere ad totum hoc, scilicet minus peccādum: & aliud est inducere solummodo ad ly, minus. Primum nunquā est licitum, & hoc in primo loco dicitur. Secundū est nō solùm licitum, sed sanctum, imò Angelorum officium, & hoc in secundo loco dictum est. Et hinc fit vt adulterum quum aliter non valemus retrahere, ad simplicē fornicationem licitè prouocemus, non hortando, vt fornicetur, sed si suæ vult satisfacere voluptati, alieno non iniurietur toro. Nec tamen oportet huiusmodi conditionales semper exprimere, sed sufficit quandoque eas mente retinere pro loco & tempore vt sapiens iudicabit: hoc enim non est inducere ad malū maius vel minus, sed est secundum rem retrahere à malo maiori. Fitq; frequentissima exercitatione hoc à redimentibus vexationem suam: vt fecerunt illi decem viri apud Hiere.

QVARTVM Est. In q. 147. dicitur: Excusantur qui omnino cœnaturis tempore ieiunij exhibet cœnā: & doctor sanc. dicit non licere exhibere vinum volenti omnino se inebriare.

SVMMA.

Volenti se inebriare ministrare vinum nō licet sicut exhibere cœnam cœnaturis tempore ieiunij.

¶ Soluitur hoc, dicendo quòd exhibēs cœnam, ministrat homini, non vitio: exhibens autem vinum, manifestè ministrat vitio. Quod patet ex differentia inter vacantē cœnæ & vacantem ebrietati: nam vacās cœnæ, vacat actui humano: & deformitas vitij, solummodo se tenet ex parte circunstantiæ cœnantis: puta quia quando non debet, cœnat. Vacans autem ebrietati, vacat actui per se deformi: ebrietas enim præsupponitur per se praua.

QVINTVM Est: In quæst. 72. articul. 3. dicitur, Sicut in alijs iniurijs sufficit restituere, & non oportet petere veniam, ita nec in contumelia: in quol. autem, q. illa, an in vsura transferatur dominium, contrarium videtur dici. Vbi habetur, quando translatio non est omnino voluntaria, oportet non solum reddere pretium agri, sed aliquid correspondens illi conditioni inuoluntarij: sicut semper in restitutionibus faciendum est.

SVMMA.

Non oportet in cæteris iniurijs vt in contumelia veniam petere, propter quòd ibi subest aliqua honoris gratia.

¶ Soluitur hoc, dicendo quòd petere veniam, dupliciter concurrere potest: vno modo, vt pars restitutionis. Et sic si contingat ad restitutionem honoris oportere veniam petere, ita necessaria est veniæ petitio, sicut necessariū est quodlibet aliud requisitum ad integritatem satisfactionis. Et hoc nunquam negatum est: quoniam semper affirmata est integra satisfactio, quæ proculdubio intelligenda est cum omnibus requisitis ad eius integritatē: ac per hoc cum petitione veniæ si ex parte restitutionis honoris exigitur. Alio modo petitio veniæ concurrit, vt res cōtra restitutionem distincta. Et sic dictum est, quòd non est necessaria: quoniam sicut in cæteris iniurijs sufficit integram exhibere satisfactionē, & non oportet petere ve-

Universidad de Deusto
Biblioteca

niam,ita & in contumelia: quia enim petitio veniæ vltra restitutionem honoris,annexam habet submissionem petentis veniam,ad quam submissionem non facilè quilibet fieri potest,ideo prudentis viri consilio relinquitur si casus accidat,in quo integritas restitutionis honoris debiti contumeliam passo exigat petitionem veniæ.

SEXTVM Dubium est:Cur necq; in textu, neque in commento totius Secundæ Secundæ Tractatur de famoso murmurationis vitio.

SVMMA.

Omissa est in parte vitij murmurationis tractatio quia circuit omnia vitia,vt quid imperfectum,& in eorum explanationibus habita de ipsis est aliqua ratio.

¶ Ad quod dicitur,quòd murmuratio non est genus aut species alicuius vitij, sed circuit multa vitia , vt imperfectum quid in multis speciebus vitiorum:et propterea nõ debuit specialis de murmuratione fieri tractatus , quũ de generibus & speciebus vitiorum tractatum est. Necq; tamen silentio inuoluta est : quoniam murmuratio vt imperfectum quid sonat in vitijs verborum (puta contumelia,detractione &susurratione)tractata intelligitur inter imperfectas contumelias, susurrationes: & detractiones: & similiter quatenus sonat imperfectum quid in vitijs actionum vel passionum,intus vel extra (vt inobedientiæ,impatientiæ vel præsumptionis)tractata quoq; intelligitur cum imperfecta inobedientia,impatientia,&c.

SEPTIMVM Dubium est , quid importat scrupulus cõscientiæ,quo stãte licitè,operamur oppositũ,

SVMMA.

Putans sibi hic & nunc hoc operari magis licitum esse,quàm illicitum,quamuis ignoret num licitum,vel illicitum sit,in non peccat operando sicut peccaret ex conscientia si sciret,et dubitaret de licito tunc operando quod non nouit.

¶ Ad hoc quæsitum dupliciter videtur ab alijs responderi.Quidam enim distinguendam putant quãtitatem ambiguitatis:ita quòd quum quis scrupulum habet de aliquo actu exercendo(puta an liceat pulsare in die festo,sic fluctuat,quòd plus aut æquè credit esse illicitum)scrupulus est,quo stante nõ licet sibi pulsare in die festo:si verò plus credit licitum esse,cum hæsitatione tamen illiciti, scrupulus(inquiunt)est quo stante licitum est illi pulsare in die festo.Quibusdam autem videtur ad rationem licitæ operationis exigi fidem certam excludentem omnem hæsitationem:alioquin periculo peccandi contra conscientiam exponeret se operans cum formidine alterius partis.Et apud istos scrupulus,contra quem licet agere, non est hæsitatio aliqua de opposito; sed consistit potius in quidam apparentia.

¶ Mihi autem occurrit dicendum , quòd siue scrupulus occurrat ex parte appetitus (vt contingit timentibus peccare in aliquo actu,& nesciunt quare)siue ex parte rationis,vt contingit ijs,qui ex aliqua ratione magna, mediocri vel leui fluctuant,distinguere oportet de modo,an huiusmodi hæsitatio seu vacillatio sit modo speculatiuo, vel modo practico:hoc est,an dubitet de licito vel illicito secundum se,vel vt est ratio operis sui hic & nunc. Nam si quis dubitaret,an pulsare in die festo sit licitum vel illicitum,& tamen non dubitaret sibi tunc esse licitum pulsare,iste non peccaret pulsando,quantumcunq; magna esset dubitatio apud eundem de actu pulsandi secundum se,an sit licitus vel illicitus,& similiter quantumcunq; esset maximus timor de eodem. Et per oppositum si quis esset certissimus de actu pulsandi secundum se, quòd est licitus in die festo,& tamen fluctuaret de exercenda nunc à se pulsatione, ita quòd ratio applicandi se ad pulsandũ cum ambiguitate applicat, illicitè quis pulsaret : intellectus siquidem speculatiuus nihil dicit de operando. Et si certitudo speculatiua exigeretur,non solùm rudes,qui sola certitudine adhæsionis alienæ doctrinæ sunt contenti, sed doctores aliorum passim periculo se exponerent:cũ innumera sunt dubia,quorum alteram partem sic amplectuntur,vt absq; scrupulo operentur,& tamen an veritatem speculatiuę euidenter habeant,non pertinaciter assent. Difficile enim,inquit Ari.est nosce se scire:quia difficilè est discernere ac scire an ex proprijs,&c.sciatur. Et diuersitas ipsa opinionum circa aliquod vnum nata est reddere intellectum speculatiuum nutantem. Non est ergo in hoc quæsito spectandũ ad hæsitationẽ magnã vel parvam,ad fidem certam vel incertam de licito vel illicito absolutè,sed ad rationem operandi in singulari. Si enim applicatio ad operãdum certa est,quicquid tam in ratione,quàm in appetitu fluctuet,scrupulus est,quo stante licitè oppositũ operamur:si autem applicatio ipsa ad opus fluctuat circa rectũ vel obliquũ moris, scrupulus est conscientiæ,contra quem illicitè agitur, & obliquitas moralis incurritur. Ratio autem horum est, quia in proposito conscientia non significat scientiam , sed applicationẽ cognitionis ad opus exercẽdum: & propterea scrupulus conscientiæ, qui per se opponitur conscientiæ in ipsa applicatione consistit , & eadem ratione scrupulus omnis ad ipsam applicationem non se extendens , conscientiæ non opponitur.Hinc enim fit,vt vacillatio conscientiæ in applicatione consistens deformem reddat actionem, quoniam sit applicatio modo,quo non debet,debet enim potentia rationalis determinari ad vnum , si rectè exire debet in actum,alioquin discrimini exponitur vtriusq; oppositi,si fluctuante illa quis vtitur.Fluctuans enim quantum sapit fluctuationis, tantum sapit indeterminationis, ac per hoc indebiti modi operandi. Et hoc ambæ supradictæ opiniones fortè intendebant. Prima enim ad hæsitationem intellectus in se videtur respexisse:secunda autem de fidei certitudine,vt est ratio operis,intelligenda est.Bene vale, & ora pro me. Romæ nono Februarij,anno salutis, 1521.

RESPONSIO. XIIII.

In quorundam lecorum in Comment. Secundæ Secundæ sibi inuicem oppugnantium conciliationes distributa ad eunatem.

PVLSAS Venerande Pater, frequenter me pijs dubitationibus,non vt discas, qui alios gloriosè doces, & verbo & scripto,sed vt explicem potius sensum meum. Vnde charitati tuæ satisfacere cupiens, propositis quæstionibus breuiter respondere curaui.

SVMMA.

Potest quispiam in peccato veniali existens substantialiter bonus esse, non tamen meretur peccando in opere substantialiter bono.

QVAERIS Ergo primò,cur in commentarijs nostris super Secunda Secundæ.q.33.articul.2 . responsione ad tertium,& q.83.articul.5.in fine permittitur simul stare bonitatem substantialem atque veniale peccatum . Inde nanq; consurgere videtur, vt iustus in bono quolibet opere ob aliquam accidẽtem imperfectionẽ simul meretur,et peccet venialiter:vt Luterani nouiter dogmatizãt.

¶ Huic quæsito respondetur primùm , non esse in commentarijs nostris scriptum,vnum atq; eundem actum numero esse simul bonum bonitate essentiali & malum venialiter,vt patet intuenti. Nã in primo loco allegato peccatum veniale dicitur omissio:bonitas autem essentialis saluatur in animo seu in virtutis habitu. in secũdo quoq; loco bonitas ponitur in actu orationis, peccatum autem veniale in obmissione. Deinde dicitur , ad rem potius spectando quàm ad verba,quòd magna est differentia inter has duas combinationes , scilicet bonitatem substantialem cum peccato veniali,& meritum cum peccato veniali. Nam prima combinatio frequenter simul cõcurrit in eodem numero actu,dum sæpè facimus actus moraliter bonos ex suo genere,cum aliqua circunstantia moraliter mala;vt quum quis reddit mutuum , non tamen ea hilaritate qua debet,& sic de alijs. Secunda autem combinatio nunquam simul inuenitur in eodem actu : quoniam nullus peccando meretur vitam æternam . Est enim tantæ vis peccatum veniale,vt tollat ab actu quem afficit meritum æternæ vitæ:quamuis non tollat æternæ vitæ meritum à persona:multi enim sancti viri absque hoc quòd perdunt æternæ vitæ meritum, peccant venialiter: verum per illos actus qui peccata sunt venialia, non merentur vitam æternam . Hinc clarè patet , ex hac & sana doctrina non sequi,quòd iustus in quolibet suo bono opere peccet.Nam etsi posset in opere aliquo bono ex genere peccare,in nullo tamen opere meritorio potest peccare.

SVMMA.

Mulier suscipiens ex adulterio prolem non tenetur se prodere eiusdem viri hæredes damnum patiantur.

SECVNDO Quæris ex eisdem commentarijs,

q.62.artic.6.circa responsionem ad tertium,vbi dicitur, Non oportet restituere cum damno in re superioris ordinis,&c.quod videtur ex hoc sequi mulierẽ,quæ ex adulterio suscepit prolem,non teneri ad se prodendum, quantumcunq; veri hæredes inde damnificentur:quod tamen sententiæ notabilium virorum reiragarur.

¶ Huic obiectioni respondetur,mulierem quæ ex adulterio genuit,& propterea veri hæredes damnificantur,nõ teneri ad damnificandam seipsam in fama , vt quantum in se est, veros hæredes à damno hæreditatis præseruet. Quoniam quemadmodum cessante iudiciaria coactione non tenetur homo perdere vitam aut libertatem,vt satisfaciat debito pecuniario,ita nec tenetur mulier huiusmodi perdere famam aut vitam pro euitando damno alieno in re pecuniaria.Et si hoc aliq;bus(vt dictis)viris notabilibus graue videtur,mirãdũ potius mihi videtur de ipsis: quum decretalis de pœ.& remis.ca.officijs.expressè dicat, mulieri,quæ timet vtiq; suo hoc indicare, non esse denegãdam pœnitentiam.Constat enim quòd certitudo de perdenda fama pensanda est,sicut timor,&c.quum non solũ melius sit nomen bonum,quàm diuitiæ multæ:sed toleratiltor sit mulieris seruitus, aut mors , quàm eius infamia si communi consanguineorum voto creditur.

TERTIO Quæris ex eisdem comment.q.78. circa articul.4.& nescio quo opusculo nostro : vbi dicitur, vtentem malitia alterius semper petere debere aliquid absq; peccato præstabile , si solidũ est hoc fundamentũ. Nam videtur quibusdam hoc non oportere , ob id quòd apud August.licitè petitur iuramẽtum ab eo,qui per falsos deos iurat:ita quòd,si per verum deum iurare vellet, non admitteretur iuramentum:vt proinde petitur inquãtum per falsos deos iurat: ergo petitur quòd sine peccato fieri nequit:ergo potest etiam peccatũ licitè peti,dummodo nullum agatur præiudicium salutis.

SVMMA.

Vtentem alterius malitia non licet petere de peccato,cui non obstat idololatras nonnunquam peti posse per deos suos iurare.

¶ Ad huiusmodi obiecta respondetur,solidissimum esse fundamentum,scilicet nunquam licitum esse petere peccatum,& implicare contradictoria:petere peccatum,& non agere in præiudicium salutis: quoniã ipsum petere peccatum,est peccatum. Quod ex eo patet , quòd quicquid licet petere , licet etiam appetere : quum petere actus humanus sit ab appetitu rationali,qui voluntas est, procedens. Sed cõstat quòd non licet appetere peccatum alterius quantumcunq; parati.scriptum est enim de charitate,quòd non gaudet super iniquitate:ergo nõ licet petere peccatum alterius quantumcunq; parati. August.autem,vt patet in epist.ad publicolam, non dicit Barbari iuramentum,si vellet iurare per verum Deum , non esse admittendum:sed vtentem fide Barbari firmata iuramẽto per falsos deos,non communicare peccato illius , quo per falsos deos iurat,sed fidei , id est fidelitati , qua dicta fuit . Vũ petes iuramẽtũ ab idololatra,petit opus sanctũ & ille pōt si vult absq; peccato præstare: quia nil aliud petit nisi fidem iuramento firmatam : quod ille præstare potest si vult,credendo in vnum solum verum Deum & iurando per illum,sed ex sua infidelitate apponit ipse iniquitatem iurando per falsos deos . Falsum ergo opponitur,dicendo quòd si vellet iurare per verum Deum,iuramentum non admitteretur,nisi fortè obijcientes referant hoc ad irrisoriam iurationem:quasi idololatra non vt iuramento,sed vt vana & superstitiosa iurandi adinuentione illo vteretur iuramento per Iesum Christũ. Iuxta hũc enim sensum,fateor quòd non admitteretur, non ex defectu Christianorum,sed ex defectu idololatrarum exhibẽtium hoc non vt iuramentum.Sed ex ista refutatione si accideret, non sequitur , ergo petendum esset, vt iurarent per falsos deos, sed ergo petendum esset,vt iurarent, & non irriderent veram fidem.Et tunc vt prius dicebatur, non petitur nisi iuramentum: quamuis sciatur quòd iurans,iniquitatem apponet iurando per falsos deos.

SVMMA.

Non potest vir vxoris votum continentiæ irritare sicut votum abstinentiæ.

QVARTO Quæris ex eisdem commen.q.88.circa articu.8.An sicut votum abstinentiæ vxoris sic & votum continentiæ viri irritare possit , sic vt vxor secura sit atque tuta.

¶ Huic quæstioni respondetur,nõ esse eandem rationem de vxoris voto circa abstinentiam, & circa cõtinentiam quo ad irritationem à viro : quoniam potestas irritandi vota vxoris,spectat ad virum,quatenus gubernator est, & vxor est illi subdita.Circa actus autem continentiæ, vir & vxor ad paria censentur:& propterea non spectat ad potestatem viri irritare votum continentiæ vxoris, quod non potuit facere,nisi quantum ad petitionem debiti,secundum quam libera est,nec viro subditur.

SVMMA.

Sententia excommunicationis iniusta priuat ecclesiæ suffragijs quoad specialem ecclesiæ intentionem pro illo orantis & cafacientis non autem quoad eius communem intentionem pro suis membris bona operantis.

QVINTO Quæris,an sit mens sancti Tho.in 4. senten.distinc.18.quæst.2.artic.1.quæst.4.prout quidam sibi imponunt,quòd excommunicatio iniusta priuet suffragijs ecclesiæ,cuius contrarium in quadam quæstione speciali nostra legisse dicis.

¶ Ad hanc ambiguitatem respõdetur,duos esse modos, quibus cõmunia ecclesiæ suffragia participãtur à Christi fidelibus.Primus est per communem ecclesiæ intentionẽ qua communia suffragia pro ecclesiæ membris communiter fiunt.Secundus est per specialem alicuius fidelis & præcipuè ministri ecclesiastici intentionem,qua communia suffragia diriguntur pro isto particulari, vt quum aliquis dicit vel facit dici Missam pro ista singulari persona.Excommunicatio autem iniusta habet suum effectũ in priuando suffragijs ecclesiæ,hoc secundo modo : quia timenda est non solùm ab excommunicato,sed ab alijs:ac per hoc alij prohibentur celebrate speciali intentione pro illo,& pari ratione alia communia suffragia pro illo specialiter agere.Et iuxta hunc sensum intellige diuum Thomam dicentem excommunicationem iniustam habere effectum. Primo autem modo excommunicatio iniusta non priuat excommunicatum suffragijs ecclesiæ:quia rationabiliter interpretamur communem ecclesiæ intentionem in suffragijs communibus esse conformem diuinæ dispensationi secundum æquitatem,& non secundum apparentiam,aut errorem humanum(descendit enim imitatiuè militans ecclesia à cælo). constat autem quòd excommunicatio iniusta ex errore humano procedit, & per hoc sub communi intentione ecclesiæ,qua excõmunicati prijuantur communibus suffragijs apud Deum, non cõpræhenditur priuatio excommunicatorum iniustè.nõ enim intendit addere afflictionem afflicto: & quos cogitur ex humano iudicio , excommunicando priuare vno modo,non propterea intendit priuare vtroque modo.Et sic intelligenda sunt quæ alibi scripsimus,quòd excommunicatio iniusta non priuat communibus ecclesiæ suffragijs.

¶ Hæc mihi occurrerunt amantissime pater, ad quæsita tua scribenda:quæ si satisfecerint,gratiæ referantur Deo: sint aliter,suppleat perspicacia tua.Bene vale, & ora pro me.Romæ die 2.Iunij,1522.

RESPONSIO XV.

De natura voti,& vnitate numerali peccati,actus exterioris. Ad priorem Sancti Miniatis.

CHARISSIME Frater, acceptis literis tuis consulentibus me de duobus, considerans solutionem huiusmodi dubiorum multis profuturam,statim respondere inter tot occupationes curaui.

¶ Primũ igitur dubiũ natum ex ratione voti est: Quomodo sustinetur,quòd votum est de meliori bono , id est bono supererogationis, & quòd religiosæ personæ venereis vacantes agant contra votum : quandoquidem cognoscere non suam,seu alienam,secundum se malum est: & abstinere ab huiusmodi, bonum est non supererogationis,sed necessitatis.

¶ Alterum dubium est:An is qui ad occidendum hominem pergit,quoties interrupta cogitatione intercundum renouat voluntatem affectãmque occidendi , toties nouum peccatum committat, an totum sit vnum numero peccatum, an aliquanta mora, & quanta distinguat hæc peccata? Per quid enim,inquis,indiuiduantur voluntatis actus.

SVMMA.

Quanquam votum sit de meliori bono,potest tamẽ voti materia esse quicquid necessario seruandum nobis est,& ex hoc religiosi venerem illicitis mentes agunt contra votum.

Universidad de Deusto Biblioteca

AD PRIMAM Dubitationem facilè dici posset, quòd propria quidem voti materia est bonum supererogationis: communis tamen voti materia est etiam bonum necessitatis, nō quatenus necessarium, sed quatenus voluntarium est, vnde & Iacob Geñ. 28. legitur vouisse habiturum se dominum in Deum. Et multi vouerunt se suscepturos Baptisma, seu Christi fidem: vt Gallicanus, & Clodoueus. Et si quis voueret se non commissurum adulterium, si contrafaceret, non solùm adulterij, sed fracti voti reus esset. Vnde religiosæ personæ non solùm abstinentiam à coniugio, sed ab actu venereo vouisse dici possunt: testante hoc animi sermonisq; conceptu ac vsu, credimus nanq;, & fatemur omnes castitatis votum in omni esse religione. Constat autem quòd castitas continētiam. non solùm à coniugio, sed à cæteris venereis significat. & sic votum castitatis non solùm castitatem supererogationis, sed omnem respicere potest & respicit.

¶ Perspicacius autem dici potest, quòd quia per votum religionis persona diuino cultui dicatur, ac per hoc fit alterius Dei, scilicet specialiter quo ad abdicationem etiam licitorum venereorum à se, vt cogitet quæ domini sunt: ideo non solùm si coniugem de facto accipiat, sed etiam si ad alterius vxorem accedat, vel quomodolibet aliter venereis operam det, sacrilegium committitur: dum persona diuina violatur. Et hoc in suo simili patet. Mulier cùm nubit, nihil aliud sibi illicitum coniugali fide reddit, nisi libertatem alterius coniugij. Cognosci enim à quocunq; non suo, omnino ei illicitum erat: nupta tamen nō solùm alterum de facto coniugium contrahens, sed si cuicunq; alteri consenserit, adulterij rea est, propter dictam rationem: quia scilicet persona sua iam est alterius. Sicut igitur stat, quòd fides coniugij non respiciat ad propriam materiam nisi debitum coniugale huic & non alteri coniugi (alteri enī personæ coniungi oīno illicitū ex se est) & tamen cum quacunq; persona alter coniunx coeat, adulterium committit: ita stat quòd votum religiosi, vt propriam materiam respiciat, abstinentiam a coniugio, & tamen quomodolibet religiosus coeat, sacrilegium cōmittit. Et vtrobiq; (vt dictum est) eadem est ratio: quia vtrobiq; persona fit altereus quo ad partem generatiuam, ac iniuria semper fit illi alteri, scilicet Deo, vel coniugi. & sic quemadmodum fides coniugalis redundat in omnes actus venereos extra coniugium: sic votum religionis in omnes actus venereos simpliciter.

SVMMA.

Vnus numero peccati actus est, quamuis interioris actus voluntatis interrumpatur.

AD SECVNDAM Verò dubitationem dicitur, quòd ibi est vnum tantum numero peccatum, tantò grauius, quantò pluries firmatum.

¶ Ad cuius euidentiam non oportet inspicere per quid voluntatis actus indiuiduetur, sed per quid peccatum sit vnū vel plura. Multi enim actus voluntatis sunt vnum numero peccatum: vt patet, cum quis actum intentionis, fruitionis, electionis, &c. & ad delectabile vnum habet. Peccatum autem formaliter, cùm deordinationem actus voluntarij importet, vbi est vna numero deordinatio, ibi est vnum numero peccatum. Cùm autem aliquis actualiter pergit ad occidendum, constat quòd in eo est actualiter voluntarium deordinatū in spem homicidij: ita quòd & verum est, quòd hic actualiter peccat in spem homicidij, & quòd voluntas eius est actualiter peccans tali peccato: alioquin non voluntarie iret ad occidendum. Interrumpendo autem interiores actus circa idem non fit noua deformitas: sed multiplicantur actus voluntarij: ita ꝙ quod prius erat voluntarium imperatum, modò est imperatum & elicitum: sed quotquot multiplicantur, in eandem incidunt deordinationē voluntarij, quam inueniunt augendo illam. Ita quòd quemadmodum lumen adueniens diaphano iam illuminato, non constituit aliud lumen, sed cedit in identitatem cum eo quod inuenit, quāuis secundum se constitueret lumen nouū: ita quilibet actus elicitus circa homicidium in pergente ad illud cedit in identitatem actualiter inuenti voluntarij homicidij, quāuis secundum se constitueret nouum peccatum homicidij: regulare quippe est, quòd accidens eiusdem speciei in eodem identificatur inuento.

¶ Hæc sunt, amātissime frater, quæ mihi circa vestra dubia occurrunt. Superest, vt vnà cum fratribus tibi creditis ores pro me, & bene valeas. Florentiæ 27. Aug. 1508.

RESPONSIO. XVI.

De conceptu entis ad M. Franciscum Ferrariensem.

AMANTISSIME Pater, ex acceptis vestræ solicitudinis literis percepi libellum nostrum de Analogia nominum vos perlegisse duoq; dubia, de conceptu entis mentem vestram tenere, soluiq; à me familiariter flagitatis. Ego autem quàm primum compleui expositionem librorum de anima (cuius fini incumbebam, cùm vestras recepi) respondere curaui: ne præclaro ingenio tuo deessem. Primum igitur dubium fuit ad hominem, meipsum scilicet, quia in commentarijs de ente & essentia sustineo vnum conceptum mentalem repræsentatiuum entis: & in tract. de analogia nominum videor hoc negare. Secūdum autem est ad diuum Thomam: quoniam ego in pręfato libello sustineo Analogum nō absolui ab his quibus analogum dicitur, & diuus Tho. in q. de veri. q. 1. articul. 1. docet ens habere conceptum vnum simplicem, ad quē omnia prædicamenta & transcendētia addunt, in quem resoluuntur, qui est primò notus. Hæc enim inuicem sibi aduersari videntur: quandoquidem si ens absolui non pōt à naturis rerum, nō erit simplicissimus, nec primò notus, nec in quem vltimò resolutio fiat, & ad quē oēs addunt.

AD EVIDENTIAM Horum, & specialiter primi, recolito, quòd quicquid est imago alicuius similis alteri, est etiam imago illius alterius, quatenus primò assimilatur: ac per hoc omnis conceptus creaturæ est conceptus Dei, sicut omnis creatura aliqua est similitudo Dei. Hinc ergo fit, quòd cùm vnū proportionabilitate vt sic, habeat singula mēbra similia proportionabiliter, oportet ꝙ habeat etiam vnū conceptum mentalem repræsentatiuum illius vnius proportionabiliter. Nec huius oppositum teneo in trac. de Analogia nominum, sed conceptus iste vnus numero in mente secundum esse subiectiuum, est vnus Analogia secundum esse repræsentatiuum: nec repræsentat vnam solam naturam, sed vltra vnam, quam determinatè repræsentant (à qua est impressus) repræsentāt implicitè cæteras singulas illi primo repræsentatè secundum id, in quo proportionabiliter eis similis est: idem enī est iudicium & similitudine rerum inter se, & conceptus mentalis & rerum. Quemadmodum enim ossis natura similis est naturæ spinæ in sustinendo carnes animalium (in quo analogantur) ita conceptus mentalis ossis, vt sustinens carnes, est similis ossi & spinæ: sed ossi determinatè, spinæ autem implicitè, sicut etiam ipsum os non est simile spinæ determinatè, sed quatenus spina sustinet carnes, sicut ipsum os. Hic est primus modus, quo Analogū habet vnum conceptum mentalem: ac per hoc ens, cùm analogum sit, vnum hoc pacto habet conceptum in mente à rebus impressum. Alter autem modus super ipsius intellectus opere, quo natus est adunata diuidere, fundatur: & est tunc conceptus similis vnus numero in mente repræsentans analogum quidem determinatè, nullū autem eorum quæ fundant analogiam explicitè. Cōtingit autem hoc, cùm intelligens mentalem conceptum, quem paulò ante diximus, exspoliat ab illa determinata natura, quā repræsentabat, & loco illius naturæ concipit pronomen aliquod referens, naturas fundantes analogia indeterminatè, verbi gratia: Si conceptus ossis, est os sustinēs carnes: intelligens loco ossis ponat quid, & dicat quòd sustinet carnes: tunc enim manifestè repræsentatur analogum explicitè, implicitè autem tantum natura fundātes analogiam. Est autem inter hos duos conceptus nō solùm dicta ex radicibus differentia: sed etiam quia primus ad quid rei spectat analogi: secundus autē ad id nominis neuter tamen perfectè repræsentat analogum. De quo scilicet perfecto seu adæquato explicitè conceptu analogi interpretandum est, cùm à me vel ab alio scriptum inuenitur, quòd non potest analogum, vnum numero mentalem conceptum habere, sed vnum analogia tantum. Et quoniam conceptus mentales sunt imagines rerum repræsentatarum (nisi sint fictitij) quemadmodum in mente cōceptus adæquatus analogi non est vnus, sed exigit repræsentationem omnium fundantium analogiam: ita significatum analogi adæquatum & perfectum non potest sic abstrahi, vt obijciatur, repræsentetur aut concipiatur absq; fundantibus rebus. Et sicut in mente duplex conceptus imperfectus reperitur, ita res significata, extra potest obijci

obijci dupliciter, imperfectè scilicet, vel in vno explicitè, in quo cætera obijciuntur indeterminatè: vel in nullo explicitè, sed omnia implicitè, in solo formalissimo significato explicitè. Nec prædicta contrariantur doctrinæ san. Thom. ens enim primò notum ordine generationis est secundum conceptum imperfectum: ordine autem distinctæ cognitionis est secundum conceptum perfectū. Ens quoq; habere conceptum simplicissimum, consonat dictis: quoniam cùm simplicitas compositioni opponatur, & vnum analogia non sit vnum compositione aliqua, non habet ens ex hoc, quòd analogum, compositionē admixtam. Et vt exercitatione resolutio monstretur, si substantiam in ens vis resoluere, si in conceptum distinctum entis resolutio quæritur, resoluetur in ipsam naturā substantiæ, quatenus esse fundat: quod est simplicissimū, cui & addit ipsa substantia, & addunt transcendentia. Et si in conceptū confusum, quod est, resolues: ꝙ etiam est simplicissimū, cui etiā pdicta addūt. Sed occasio errādi multis est, qa in resolutione distincta quærūt resoluere in vnū analogia, sicut cōsueuit resolui in vnū vniuocatione. Ita quòd quærūt in analogia, quasi vnum numero terminum, sicut in vniuocis: cùm tamen terminus in analogia sit vnus proportionabiliter tantùm. Ita quòd & singula resolubilia resoluuntur in cōceptus simplices obiectiuos & mentales, & omnia in conceptum obiectiuum & mētalem, simplicem, & vnum proportionabiliter. Ita quòd (vt vnico verbo rem absoluam) ens esse primò notum, in quod fit omnis resolutio, in quod omnia addunt, per modum analogi interpretandum est: cum quo stare potest, quòd ens secundum perfectum adæquatúmq; cōceptum non abstrahit à naturis prædicamentalibus: sicut nec aliquod analogum à fundantibus analogiam. In hoc pendet tota vis claritatis rei huius: vt semper animaduertatur secundum analogorum morem hæc dici.

¶ Plura nunc non mihi occurrunt ad propositum dicenda: sed prolixior fui acutissimo ingenio tuo: quo ex vnico verbo concepisses cuncta. Bene vale, & pro me orare digneris. Romæ die 27. Februarij, 1509.

RESPONSIO XVII.

De rebus in bello iniusto raptis, ad Fratrem Thomam Ragusinum ordinis prædicatorum.

DILECTE Fili pijs præcibus tuis satisfacere volens, consideraui in literis tuis quæstionem distinctam in quinq; articulos circa emptionem raptarum rerum in bello iniusto. Primus est, an huiusmodi rapta etiam difficillimè reparabilia, sint iudicanda tanquam habita pro derelicto. Ad quem respondetur negatiuè: quia nec veri Domini (quamuis non possint recuperare res suas) abdicauerunt à se dominium illarum: nec ex conditione rei, loci aut temporis derelicto huiusmodi consurgit, vt in thesauris, & similibus. Distinguendum tamen esse inter rem & rem, videmus Romæ: quoniam seræ, vectes, & id genus reliqua publicè exposita, Romæ nullum inueniētia dominū, quia nullus scit discernere seras suas ab alienis (quum etiam vendentes lateat cuius fuerint) pro derelictis habentur per accidens, & licitè emuntur publicè. Dixi, per accidens: quia discernere nemo potest cuius fuerint: & publicè ac promiscuè quilibet emit, quamuis nō dubitetur, quòd pars direptionis Romanæ fuerint: hæc enim signa derelictionis sunt.

¶ Secūdus est, an rapta à prælatis, possint licitè emi post diem seu certum tempus: vt nonnullæ leges admittunt. Ad quem respondetur negatiuè in foro conscientiæ: quia ciuiles leges impunitatem concedant ad euitandas lites. Et ratio illicitæ emptionis in vtroque articulo est, quia emitur res aliena sine consensu veri domini.

¶ Tertius est, an in huiusmodi casibus in ementibus sciēter tota resolutio sumenda sit ex intentione vtilitatis propriæ, vel domini: ita quòd ementes pro sua totaliter vel principaliter vtilitate, sint malę fidei possessores: ementes autem pro domini principaliter emolumento, rectè faciant, pretiúmq; repetere possint. Ad quem respondetur, quòd per se loquendo nulli licet emere rem alienam sine consensu veri domini: & si quis emit etiam bona fide, tenetur ad restituendum rem emptam, quam habet, verò domino: nec potest pretium solutum petere à verò domino: quia tenetur ad restitutionem non ratione iniustæ adeptionis, sed ratione rei alienæ, quæ apud ipsum est. Nec hoc est vertendum in dubium, loquendo per se, & propriè. Dico autem, propriè: quia magni refert emere vel redimere: nam emere huiusmodi aliena non licet: redimere autem licet: sed redimit is solus, qui vice veri domini redimit occupatam ab alijs rem illius: vnde non redimit, nisi qui personam veri domini induens, significaturus est verò domino, vt rem suam recuperet, redemptionis pretio soluto. Nec solùm licet, sed pium est redimere viliori pretio huiusmodi res. Emere autem propriè & per se non licet. Dico autem per se: quia per accidens potest esse licitum: vt si cognoscam res raptas fuisse consanguinei mei, impotentis redimere & destituti omni spe recuperandi res suas, & præsumens gratum esse consanguineo meo, ꝙ ego fruar rebus sic irreparabilibus, emam illas. Sed eorū, quæ contingunt per accidens, non est certa regula.

¶ Quartus est, an dictum cuiusdam doctoris dicentis sic, probabiliter credo, quòd taliter emens, paratus reddere vero domino, si comparuerit, credens tamen quòd non comparebit: & consequenter sperans pro se rem habiturum, non peccat: quia verisimiliter potest de veri domini voluntate præsumere, sit in conscientia tutum, & alijs diuulgandum. Ad quem patet ex dictis responsio, scilicet ꝙ nec per se est licitum (quoniam ratione rei alienæ tenetur ad restituendum vero domino sine pretio, quandiu res est apud eum: nec ipsa adeptio caret iniuria, ex eo quòd notum ementi est, quòd res est aliena) nec per accidens apparet aliquid speciale excusans adeptionem: quoniam communia tantùm proponuntur in articulo.

¶ Quintus est, an emat rectè quis ex pietate calices & huiusmodi sacra, dedignatus, quòd manent apud infideles, daturus propria autoritate ea occurrenti ecclesiæ, habito pretio. Et huic adiungitur, an dominus taliū sit censendus omnino ignotus, stante notitia regionis, puta Vngariæ. Ad quem respondetur, quòd hoc est vnum per accidens reddens licitam emptionem. Zelus enim Dei humanis omnibus præferendus efficit, vt licitè quis hæc redimat de manibus infidelium, redditurus, etsi non illi ecclesiæ calicis dominæ, quæ nescitur, attamē ecclesiæ Christi, significando ecclesiæ, cui datur vt quantum in se est, & publicet, & teneat pro ecclesia, cuius erat, & est restituto pretio redemptionis. Et quamuis non censenda sit ecclesia omnino ignota, cuius regio scitur: est tamen maior præsumptionis locus ex hac religiosa causa vni ecclesiæ de alia, quàm mihi de consanguineo meo: quoniam vnica domus est vniuersa per orbem sparsa Christi ecclesia. Hæc sunt, fili charissime, quæ mihi occurrerunt respondenda. Bene vale, & ora pro me. Romæ die 27. Nouembris, 1529.

Primi Tomi opusculorum Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Xisti finis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TOMVS SECVNDVS OPVSCVLORVM THOMAE DE VIO CAIETANI, CARDINALIS SANCTI XISTI, CVIVS SVNT TREDECIM VTILISSIMI TRACTATVS.

***

1 De conceptione beatæ virginis.
2 De eucharistiæ sacramento.
3 De celebratione missæ.
4 De valore orationum dictarum ab audientibus missam in die festo.
5 De præcepto eleæmosynæ.
6 De monte pietatis.
7 De cambijs.
8 De vsura.
9 De simonia.
10 De vsu spiritualium rerum in peccato mortali.
11 De voto.
12 De solutione maleficii opera malefici ad hoc parati.
13 De spasmo beatæ virginis.

TRACTATVS PRIMVS de Conceptione beatæ Mariæ uirginis ad Leonem decimum pontif. maximum, in quinque capita diuisus.

1 De duplici via discernendi ea quæ fidei sunt, vel ei aduersantur.
2 Quæstio de conceptione, quomodo non sit de necessario credendis.
3 Quæ de conceptione sententia fidei aduersetur.
4 Sententia tenens beatam Virginem fuisse in originali conceptam, quàm probabilis existat.
5 Quantum valeant argumenta, quæ tenent oppositum.

CAPVT I.

De duplici via discernendi ea, quæ fidei sunt, vel ei aduersantur.

Diuina reuelatio vel in sacris literis contēta, sanctisq; patribus facta, vel sedi apostolicæ cū synodo, vel sine synodo, vel diuinis miraculis confirmata est pręsus decernēdi quæ fidei sunt vel ad fidem spectantia.

FAVSTVM FELIX QVE Sit. Leo 10. Pōti. Maxime, ꝙ de supremo potestatis tuæ opere prima offerēdæ tuæ beatitudini lucubratiunculæ causa sese obtulit. Definitio secretorū Christianæ fidei, quæ nosse soli Deo natura cōuenit, in mediū venit, propositū est, vt decernas in Lateranēsi synodo, vtrū Deus beatissimā Virginē Mariā a peccato originali præseruauerit, an mūdauerit. Quocirca duo occurrūt scribēda. Primò, viæ decernēdi ea q̃ sunt fidei, modiq́; quibus aliqd eiusmodi credēdū decernitur, explicabūtur, deinde iuxta singulos modos per vias ipsas sermonis ingressus dirigētur.

¶ Duæ sunt viæ, quibus decerni pōt religioni Christianæ quid credendū sit, altera ordinaria, altera extraordinaria. Ordinaria est diuina reuelatio facta in primis autoribus sacræ Scripturæ, cōtenta in canonicis libris Bibliæ, traditionibusq; Apostolorū in symbolo & alijs, q̃ constat ecclesiā per Apostolos suscepisse: vt sacramēta: Reuelatio deinde facta apostolicæ sedi, siue cū synodo, siue sine synodo. Hæc enī differentia ad solennitatē & congruitatem spectat iudicij apostolici de his, quæ sunt fidei, & non ad necessitatem: vt vniuersa testatur ecclesia, hæreticos indubiè tenēs, qui ab apostolica sede damnatā hæresim sectātur. Reuelatio demū facta sacris doctoribus, his pcipuè, quorū & vita & doctrina approbata est ab ecclesia. Sed est inter hæc distātia multa: qm̄ reuelationi cōtētæ in sacra Scriptura & decretalibus fidei inhæremus tanq̃ necessarijs: ita ꝙ se hæreticum cōprobat quicūq; pertinaciter alicui horū aduersatur. Reuelatiōi aūt factæ Sanctis alijs quorū doctrinā ecclesia suscipit, tanquam probabilibus inhæremus: vt diui Augustinus, Thomásq; scripserūt, & magistra rerum experiētia cōtinua testatur. Nec refert in sacra Scriptura & alijs, an aliquid sit reuelatū explicitè, (vt creatio mūdi, incarnatio Verbi Dei, & alia eiusmodi) an implicitè, vt sunt omnia illa quorum opposita non possunt sustineri cū veritate sacræ Scripturæ & aliorum quæ certa fide scimus: nisi ꝙ ingenio, labore, ratione, & intellectu opus est, vt manifestētur hæc quæ implicitè dicuntur contineri esse necessariò connexa illis, in quibus contineri dicuntur. Quò fit, vt in istiusmodi rebus antequā cōstat quid necessariò cōnexū sit certis & indubitatis fidei traditionibus, vnicuiq; liceat quod rationabilius sibi videtur amplecti, sine pertinacia tñ. Et hinc rationibus locus datur ad ea, quæ sunt fidei: vt scilicet afferantur rationes ostēdentes cōsona aut dissona esse fidei, quæ in dubiū vertūtur. Propter quòd oportet oēs rationes ad ea, quæ sunt fidei nō ex solo naturali lumine, sed ex lumine diuinæ reuelationis in pdictis contentæ procedere, & in diuinā reuelationē in pdictis cōtentā resoluere. Et ideo nō ratio, sed diuina reuelatio, nō cuicūq;, sed pdictis facta est, cui fides nostra innititur: & secūdū eā oportet decernere qcquid in fide decernendū est. Extraordinaria verò via, qua pōt aliquid decerni in fide, esset, si miraculo, qđ verè miraculū esset, Deus attestaretur aliquid ad fidē spectās. Sed hic esset opus cautela magna: tū ex parte operū mirorū: qm̄ Angelus Satanæ trāsfert se in Angelū lucis: & signa & prodigia facere multa pōt, q̃ nos verè miracula a solo Deo factibilia putaremus: vt opera sanitatis, & elementorū, & similiū. Vñ & Antichristus facturus dicitur tot miracula in oculis hominū, vt si fieri posset, etiā electi fallerētur. Tū ex parte illusionū, vt cōtingit in pstigijs, tū qa signa teste Apostolo 1. ad Cor. 14. & beato Gregorio in homilia 10. data sunt infidelibus, nō fidelibus, ecclesiæ verò tanq̃ fideli, nō infideli data est reuelatio prophetica & apostolica. Vnde via signorū etsi est a Dño data Marc. vlt. propter infideles & ab ecclesia approbata quo ad fidē personalē, scilicet dicētis se missum à Deo: vt in ca. ex iniūcto. extra de hære. tamen nisi coram Romana ecclesia euidētissimè fieret, verū & indubitatū non mirum, sed miraculum, expressè ad testificandū hoc esse verum, non deberet Romanus pontifex determinare aliquam fidei ambiguitatem ex hac via. Et ratio est, quia habemus à Deo ordinariā viam decretorum fidei: in tantum, vt si Angelus de cælo oppositum huius ordinariæ viæ diceret, non esset ei credendum: vt Apostolus dicit ad Gala. 1. Accedit ad hæc, ꝙ miracula quæ ab ecclesia suscipiuntur in canonizationibus Sanctorum, quæ tamen maximè autentica sunt, quum humano testimonio innitantur (eorum scilicet qui testantur) non omnino certa sunt: quoniam scriptum est: Omnis homo mēdax: licet sint certa more humano, fidei autem Christianæ certitudo nō humano more certa esse debet, sed infallibile omnino debet habere testimonium: quale nullus homo, sed solus Deus præstare potest. Vnde & Petrus Apostolus cælestis vocis in transfiguratione Domini à se auditæ proprio testimonio tanquam humano vtens, subiungitur. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, subiungendo quòd non voluntate humana prophetia allata est. diuino ergo testimonio, nō humano certitudo haberi debet in decernendo iudicialiter res fidei.

¶ Ex dictis autem patet, non solùm decernendi via duplex, sed & modus duplex, quo credendum esse decerni potest. Nam quædam decernuntur credenda tanquā necessariò credenda, ita quòd contrarium sentiens est hæreticus, quædam verò tanquam probabiliter & piè credenda, ita quòd contrarium sentiens non est hæreticus: vt de assumptione beatæ Virginis cū corpore, & sanctificatione eius in vtero matris, & alijs huiusmodi communis ecclesiæ pietas probabiliter credit. Ratio autem quare omnis via tam ordinaria, quàm extraordinaria decernendi ea, quæ sunt fidei, sola reuelatio diuina est, in promptu est: quia scilicet ea, quæ sunt fidei, lumen humanæ mētis excedunt, & ex solo diuinæ volūtatis bene placito dependēt istiusmodi singularia. scriptum est autem, quòd quæ sunt hominis, nemo nouit nisi spiritus hominis, & quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei, & cui voluerit Spiritus reuelare. Hæc de primo.

Cap

CAPVT II.

Quæstio de conceptione quomodo non sit de necessariò credendis.

DICTIS Autem vijs, incedendo vt propositum deinde fuit, manifestatur primò, ꝙ neutra pars quęsiti vt in dubiū vertitur, est necessariò credenda. Et ratio est, qa neutra in sacra Scriptura certisque fidei dogmatibus necessarijs explicitè habetur, & vtraque pars sustineri potest cū veritate sacræ Scripturæ reliquisque necessariò creditis a Christi fidelibus. Et de parte quidem illa, quæ tenet beatam Virginem à peccato originali mundatam, certum est quòd fidei consonat, tum quoniam vniuersales propositiones de peccato originali in omnibus purè hominibus in sacra Scriptura habentur: vt patet ad Ro. 3. & 5. & 2. ad Cor. 5. tum quoniam vniuersali redemptioni Christi in sacra Scriptura traditæ consonat, tum quoniam innumera sacrorum doctorū & sanctorū multitudo hanc partem explicitè tenuit, vt infrà patebit. De parte autem altera, credente scilicet beatam Virginem præseruatam a peccato originali, licet quidam scripserit, quod contrariatur sacræ Scripturæ & determinationi ecclesiæ, quidam autem quod non: mihi tamen theologorum minimo distinguendum videtur circa sensum huius opinionis. Nā potest dupliciter intelligi. Primò, vt beata Virgo sit præseruata totaliter à peccato originali, ita ꝙ fuit exempta ab omnibus ad dictum peccatum spectantibus, Secundò, vt beata Virgo sit præseruata à sola macula peccati originalis per infusionem gratiæ personalis. Est autem inter istos duos sensus maior distantia, quam inter cęlum & terram. Nam cùm anima alicuius hominis qui generatur, incurrit originale peccatū, non solùm macula originalis peccati cōtrahitur, sed in primo instāti, in quo anima rationalis creando infunditur, & infundēdo creatur, prius secundum naturæ ordinem caro seu materia, cui anima infunditur, est infecta: vtpote genita ex cōmixtione vtriusque parentis, & propterea anima, quæ infunditur illi carni, contrahit maculam in seipsa originalis peccati, quia infunditur carni infectæ: neque solam maculam ex carnis infectione contrahit persona in vtero genita, sed multa alia: scilicet reatum clausæ cæli ianuæ, fomitem peccati, & pœnam mortis temporalis: ita quòd infecta caro, cui infunditur anima, est, in qua fundatur ratio non potentiæ contrahendi originale peccatum, sed ratio contracti in propria persona debiti, quòd contrahatur in anima rationali sua peccatum originale, & secundū maculam, & secundum reatum pœnarum spiritualis & temporalis, imò est talis carnis infectio peccati originalis initium inexistens in persona, quæ tunc simul concipitur, & concepta est. Quocirca positio dicens, beatam Virginem præseruatam totaliter à peccato originali, dicit ipsam nō contraxisse carnem suam infectam: ac per hoc non solùm sine macula peccati cōceptam & reatibus & fomite: sed etiam sine debito in propria persona habendi hæc. Positio verò dicens beatam Virginem præseruatam solùm à macula peccati originalis, & ijs quæ à macula sunt inseparabilia (vt est reatus æternæ pœnæ damni) non negat beatam Virginem carnem habuisse infectam: ac per hoc in propria persona debitum contrahendi maculam originalis peccati, & quo ad maculā, & quo ad reatus omnes, & fomitem: sed præseruante Dei gratia non redundauit in animam illius macula peccati originalis, licet redūdauerit & fomes, ligatus tamen per gratiam, & reatus clausæ ianuæ vitæ æternæ, & mortis tēporalis: quia hæc pœna, scilicet mortis, erat naturæ ex parte carnis: illa scilicet clausæ ianuæ erat naturæ ex parte temporis: quia, scilicet Christus adhuc non aperuerat per suam mortem ianuas paradisi clausas per originale peccatum: & similiter fomes ex parte carnis se tenet.

CAPVT III.

Quænam de conceptione sententia fidei aduersetur.

INTER Has igitur opiniones hæc mihi videtur quo ad fidem differentia, ꝙ positio dicens, beatam Virginem esse præseruatam à peccato originali & reatibus, &c. est cōtraria fidei catholicæ: quoniam repugnat his, quæ in sacra Scriptura & alijs documentis fidei certis & necessarijs continentur. Oportet nanq; de beata Virgine firmiter credere, ꝙ Christus est mortuus pro ipsa, & ꝙ ipsa est mortua morte peccati: quoniam in sacra Scriptura habetur ista conditionalis, Si Christus est mortuus pro omnibus, omnes mortui sunt: vt patet Secundæ ad Cor. 5. ca. Constat enim quòd omnis conditionalis vera est necessaria: & quòd a destructione consequentis ad destructionem antecedentis valet argumentum. Formata ergo ratione, clarè apparebit, Scripturam esse falsam, & fidem nostram procedendo sic: Si Christus est mortuus pro omnibus, omnes mortui sunt: sed per istam positionē, Non omnes mortui sunt, quia beata Virgo nō est mortua morte peccati: ergo Christus non est mortuus pro omnibus: quod est manifesta hæresis. Nec potest hic locus glossari, quòd Omnes, distribuat generaliter, & quòd patitur exceptionem, & similia: quoniam constat, quòd in hac propositione illud signum, Omnes, distribuit pro omnibus sine vlla exceptione: quoniam hæreticū constat esse, dicentem Christum non esse mortuum pro omnibus sine vlla exceptione. Nec etiam potest negari, quin de morte peccati sit sermo in consequenti: vnde Aug. in 6. contra Iulianum, tractans hæc verba Apostoli, concludendo, dicit hæc verba: Consequens ergo esse voluit, vt omnes intelligantur mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore restat, vt in peccato mortuos esse omnes, pro quibus mortuus est Christus, nemo neget, nemo dubitet, nisi qui se negat, aut dubitat esse Christianū. Hæc ille. Vnde cùm opinio illa neget beatam Virginem mortuam morte peccati, ac per hoc Christum non mortuum esse pro ipsa, sustineri iudicio meo non potest. Et ne longius protrahatur, hoc oportet summariè ante oculos habere, quòd istæ quinque propositiones sunt omnino confitendæ, scilicet, Christus mortuus est pro beata Virgine: beata Virgo est aliquo modo mortua morte peccati: beata Virgo est reconciliata Deo per Christum: beata Virgo est redempta per mortem Christi: beata Virgo etiam post sanctificationem sui non nisi per Christi mortē aditum habuit paradisi apertū. Quibus adduntur aliæ aut per se notæ (scilicet quòd omnis reconciliatus fuit inimicus: & quòd beata Virgo mortua est morte tēporali) aut determinatè per ecclesiam, scilicet omnis homo redēptus à Christo fuit verè captiuus, & mors est pœna peccati originalis. Primam enim harū refert Augustinus ad optatam de origine animæ à Papa Zozimo decretum, dicens, In epistola Zozimi sic legitur: Nullus, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur: nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuit antè captiuus, sicut scriptum est, Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Et subdit, In his verbis Apostolicæ sedis tam antiqua atque fundata certa & clara est fides catholica, vt nefas sit de illa dubitare Christiano. Hæc ille. Secundam verò, scilicet quòd mors est pœna peccati originalis, constat decretam esse à concilio Mileuitano: vt patet de conse. distinctio. 4. ca. placuit. Vnde patet quòd distinctio illa de redemptione præseruatiua, vel liberatiua, quo ad homines reprobata est, per Romanæ ecclesiæ determinationem: quāuis sanctus Bernardus super cāticis sermone 22. illam vsurpauerit quo ad angelos. Sunt & aliæ vniuersales propositiones certæ & indubitatæ, scilicet per vnum hominem peccatum transijt in omnes, & per peccatum mors, ad Ro. 5. & Omnes in Adam peccauerunt, ad Ro. 3. Et quisquis hominem aliquem esse putat cui necessaria non fuerit remissio peccatorum, excepto vno Mediatore, contrarius est sacræ Scripturæ, inquit Augu. in lib. de perfectione iustitiæ. Et solus Christus habuit similitudinē carnis peccati. Et aliæ huiusmodi, quæ aut nullo modo, aut vix possunt saluari ab huiusmodi opinione, si tamen opinio nominanda est, quū videatur manifestus error in fide. Vnde nec Sixtus 4. in extrauaganti, graue nimis: de hac positione se impediuit, sed solum de præseruatione beatę Virginis à macula peccati originalis: vt expressè patet legenti illā. Damnanda ergo videtur specialiter positio, quæ assereret beatam Virginem totaliter præseruatam a peccato originali, vt scilicet nihil eius incurrerit: quamuis neminem adhuc sciam hoc tenuisse.

illius incurrerit, hæretica est, & ab ecclesia dānata: fuisse eā tamen à peccato sic liberatam, vt maculā ī carne, et pœnæ reatu incurrerit, non aduersatur fidei catholicæ.

¶ In secūdo autē sensu intellecta opinio de præseruatione beatę Virginis, scilicet ꝙ præseruata est à macula peccati originalis, & nō ab infectione carnis, ac per hoc nec à debito in propria persona illius maculæ, nec à fomite & pœnis, non est contraria sacræ Scripturæ, nec determinationi ecclesiæ, nec aliquibus necessariò creditis, quoniam beata Virgo præseruata ex speciali præuentione gratiæ à macula originalis peccati, & habens cætera, quæ diximus, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

est extra latitudinem mortuorum, inimicorum, indigētiũ remissione peccatorum, captiuorum, habentium carnem peccati, obnoxiorum morti & clausuræ cœli. Et cõsequẽter non est extra latitudinem eorum pro quibus Christus mortuus est, reconciliatorum, liberatorum, redemptorum, mundatorum, introductorum denique per Christi mortem in vitam æternam animæ & corporis. Et in promptu ratio est: quia ex eo quòd habuit carnem infectam cum fomite ligato & reatibus, egebat futuro remedio per incarnationem & mortẽ Iesu Christi exhibendo. Et ex eo quòd in propria persona habuit debitum contrahendi maculam originalis peccati imò initium, vnde redundare in animã suam debebat originalis peccati macula, gratia illa, quæ præueniendo sanctificauit eã, ligando etiam fomitem, habuit rationem gratiæ mundatiuæ, recõciliatiuæ redemptiuæ, &c. Liberans nanque animam à macula nõ actualiter habita sed ex propria carne tunc debita, & in eadem carne tunc initiata, non est extra latitudinem liberantium à peccato, mundãtium à sorde, redimentiũ à captiuitate. Neque enim vno modo tantum quodlibet horum dicitur: sed latitudinem habet. Dicitur nanque captiuus non solùm qui totaliter in captiuitatẽ est redactus: sed qui cœpit in sui aliqua parte duci in captiuitatem, & obnoxius est captiuitati. Et similiter dicitur mors peccati, non solùm ipsa actualis mors, sed debitum & initium in propria persona habendi illam. Et similiter dicitur à peccato originali mundatus, non solùm qui à contracta actuali macula mundatus est: sed qui à macula quidem in debito & initio in propria persona fundato, & reliquis tot quasi partibus peccati originalis actualiter contractis mundatus est: & sic alijs. Nec putet quisquã de mea hæc phantasia me proferre: sed videat diuum Thomã in Prima secundæ quæstione 81. articu. 3 (vbi inter alia tractat etiam illud ad Roma. . Per vnum hominem peccatum transijt in omnes, & per peccatum mors) sustinentem quòd per mortẽ sufficit intelligere debitum seu reatũ in propia persona mortis, quãis nunquam actualiter aliquis moreretur. Ex quo habetur, quòd cum Apostolus duo simul dicat (scilicet q̃ in oẽs peruenit peccatũ & mors) sicut secundũ scilicet mors sufficienter saluatur, exponẽdo mortem vel in actu vel in debito in propria persona, ita & primum scilicet peccatũ, saluatur exponendo peccatũ in actu, vel in debito in propria persona. Dixi autẽ toties in propria persona: quoniã si debitum aut initium peccati originalis non ponitur proprium illius, qui concipitur sed cõmune, tam non saluaretur: quòd illa persona esset mortua, redẽpta, recõciliata, &c. Nec esset formalis differẽtia inter errorẽ Iuliani contra quẽ scribit Aug. ponẽtis per gratiã redẽptionis Christi filios christianorũ præseruatos à peccato originali, quod habebant in debito communi: sed esset materialis differentia, quia ille gratiã præseruationis communem Christianorum filijs posuisset, hic aũt poneretur propria vni. Saluatur quoque manifeste in hac positione singularis prerogatiua Iesu Christi, quòd solus cõceptus est sanctus, & nõ in carne peccati sed in similitudine carnis peccati: non solũ ea ratione, quia ipse ex vi, seu natura suæ conceptionis, quæ natiuitas in vtero vocatur, sanctus nascebatur (iuxta verbũ Gabrielis ad beatã Virginem, Quod ex te nasceretur, sanctum) sed etiã quia beata. Virgo cõcepta est cum carne infecta, sed cũ anima sancta ex gratia impediente redundantiam infectæ carnis in maculam animæ. Saluantur & omnes vniuersales propositiones in Scriptura & ecclesiæ determinationibus vt facilè puto apparere exercitatis ingenijs ex dictis. Nec obstat dictis si obijciatur quòd reatus & fomes dicti cõsequuntur infectam carnem mediante macula in anima: ac per hoc si macula non est subsecuta, nec ista sunt secuta, imò videtur quòd sine maculæ incursu, iniustè anima rea remaneat; quum pœnæ iste propriæ culpæ originalis tamen sint pœnæ. Hoc inquã non obstat: quia mediatio maculæ licet sit ordinaria, non tamẽ est sic necessaria, vt impedita macula oporteat impeditam esse consecutionẽ aliorum: sufficit enim, quòd omnium horum communis radix, scilicet infecta caro, sit in instanti illo, quo anima infunditur infectæ carni. Nec est iniustum quòd habenti culpam in proprio debito & initio, actualis culpæ incursus impediatur & reatus pœnarum naturæ remaneant: quoniam extra propriã culpam originalẽ omnino non est qui in proprio debito & initio illam habet.

¶ Et quoniam in hoc sensu prædicatur hodie beata virgo præseruata à peccato originali ab his qui dicũt ipsam sine originali peccato conceptam (sicut quòd per peccatum originale intelligunt maculam peccati originalis: vt patet ex prædicta bulla, seu extrauaganti Sixti quarti edita in fauorem huius opinionis de præseruatione à macula originalis peccati: & ex studio Scoti in 3. sentẽ. distin. 3. q. 1. ad hoc tẽdentis, vt à culpa, offensa inimicitiũq; animã beatæ Virginis in conceptione præseruaret: à qua pueri nũc per Baptismum, & olim per Circuncisionem liberi sunt effecti. Et ex defensionibus Frãciscì de Maironis in 3. sen. di. 3. q. 2. in quibus conatur saluare sanctitatẽ formaliter, cuius sola est aĩa susceptiua in beatæ Virginis cõceptione præoccupantẽ peccatũ originale) ideirco, quũ de duabus opinionibus de conceptione beatæ Virginis erit reliquus sermo, an mũdata, an præseruata fuerit ab originali peccato, de ipsa macula originalis peccati intelligẽdus est. Quocirca coercendæ sunt prædicatorum linguæ, scriptorũmque manus in hac quæstione: & neutram debent damnare partem vt erroneam, vt fidei, vt sacræ Scripturæ, aut ecclesiæ determinationi contrariam: sed sobriè scribere & loqui debẽt, & nõ plus sapere, quàm oportet, iuxta apostolicæ sedis præceptum à Sixto quarto editũ,

CAPVT IIII.

Sententia tenens beatam virginem fuisse in originali conceptam quàm probabilis existat.

QVVM IGITVR Neutra pars sit necessariò credenda, oportet videre, an altera an vtraq; sit probabilis. Quòd enim pars illa quẽ tenet beatã Virginem esse à peccato originali mũdatã, probabilis sit, ex eo patet q̃ tot sancti doctores & tot illustres doctores in Theologia & in Iure canonico, qui scripserunt, hanc partẽ non incõi, sed in singulari nominatim de beatissima virgine Maria loquentes docuerunt. Et ne fingere videar, nominatim sanctos in suis locis afferre censui, ita vt eorum non solũm nomina & loca, in quibus hæc scripserunt, sed verba afferantur. Occurrunt ergo quindecim sancti.

Sanctus augustinus super Psalmum 34. dicit. Adam est mortuus propter pecatum, Maria ex Adam mortua est propter pẽcatum, caro autem Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata. Et in libro secundo de Baptismo paruulorũ dicit, Solus ille homo factus manẽs Deus peccatum nullũ vnquam habuit, nec sumpsit carnem peccati quãuis de materna carne peccati. Et in lib. 10. super Genesim ad literã dicit, Corpus Christi quamuis ex carne fœminæ assumptum sit, quæ de illa carnis peccati propagatione concepta fuerat: tamen quia nõ sic in ea conceptum fuit, quomodo fuerat illa concepta, ideo ipsum non fuit caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Sanctus Ambrosius super Beati immaculati, dicit, Venit Dominus Iesus, & in carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.

Sanctus Ioãnes Chrisostomus super matthæum dicit, Quamuis Christus non esset peccator, naturam tamen humanam de peccatrice suscepit.

Sanctus Eusebius Emissenus episcopus in secundo sermone Natiuitatis domini, qui incipit, Nostis charissimi, ait: A peccati originalis nexu nullus immunis extitit, nec etiam ipsa genitrix Redemptoris.

Sanctus Remigius super Psal. Deus Deus meus, respice, dicit Beata virgo Maria fuit ab omni macula peccati mundata, ita vt ex ea conciperetur sine peccato homo Christus Iesus.

Sanctus Maximus in sermone de Assumptione beatæ Virginis dicit. Beata Virgo gloriosa fuit in vtero matris sanctificata ab omni contagione originalis culpæ antequam nasceretur, & per Spiritum sanctum mundata.

Sanctus Beda in homilia super missus est (& habetur in glossa ordinaria) dicit, Spiritus, Sãctus superueniens in Virginẽ mentẽ eius ab omni vitiorum sorde castificauit, & ab omni æstu cõcupiscentiæ carnalis cor eius temperauit atque mundauit.

Sanctus Anselmus in libro, Cur Deus homo, ca. 16. dicit. Licet ipsa Christi conceptio munda sit, Virgo tamen ipsa vnde assumptus est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater eius.

Sãctus Barnard' i Epistola ad Lugd, dicit. Beata virgo post cõceptũ in vtero iã existẽs sanctificationẽ accepisse cred

creditur, quæ exclusa peccato sanctam fecerit natiuitatem, non conceptionem.

Sanctus Erardus episcopus & martyr in sermone natiuitatis beatæ Virginis dicit, O felix puella, quæ concepta in peccato purificatur ab omni peccato, & filium concipit sine peccato.

Sanctus Antonius de Padua ordinis Minorum in sermone de natiuitate beatæ Virginis dicit, Beata Virgo fuit in vtero matris à peccato per gratiam sanctificata, & sine peccato nata.

Sanctus Thomas de Aquino in tertia parte, q. 27. ar. 2. dicit, Beata virgo Maria, quia fuit cõcepta ex commixtione parentum, originale peccatum contraxit.

Sanctus Bonauentura ordinis Minorum in 3. sentẽ di. 3. q. 1. ar. 2. dicit. Dicendum est q̃ beata Virgo fuit concepta in peccato originali, & quod ei' sanctificatio subsecuta est peccati originalis cõractionẽ. Hic modus dicẽdi est communior, & rationabilior & securior. Cõior, quia ferè omnes id tenent. Rationabilior quia esse naturæ præcedit esse gratiæ, &c. Securior quia magis consonat fidei pietati, & sanctorum autoritati &c.

Sanctus Bernardinus ordinis Minorũ in sermonũ suorũ opere tertio incipiẽte, ignis à facie eius exarsit, in tracta tu de beata Virgine, sermone quarto, incipiente, Sicut solis oriẽs mũdo, dicit, Tertia fuit sanctificatio maternalis, & ista remouet culpam originalem, confert gratiã, & remouet pronitatem ad peccandum tam mortaliter, quàm venialiter, & hæc fuit in Virgine matre.

Sanctus Vincentius confessor in sermone de conceptione Virginis dicit, Beata virgo Maria fuit in originali peccato concepta, sed eadem die & hora statim post animationem fuit per sanctificationem à peccato contracto mundata.

¶ Præter dictos autem Sanctos multitudo magna antiquorum doctorum conuenit dicens in indiuiduo beatam Virginem conceptam in peccato originali, quorum dicta aut in fonte, aut in libris domini Ioannis de Turre Cremata, & magistri Vincentij de Castro nouo, de conceptione Beatæ Virginis cõpilatis, vnde sumpta sunt inuenire quilibet potest.

¶ Hi sancti atque doctores probabilem valde reddunt fidem credentium, beatam Virginem in originali peccato conceptam.

ET QVIA Autoritates istæ non de humano genere, aut Christianis in communi, sed de beata Virgine in indiuiduo expressa loquuntur, ideo glossa illa, qua Sanctorum autoritates intelligendæ, dicuntur de lege cõmuni, & non de priuilegio singulari, locum hic nullum habet, tunc quia glossa huiusmodi de lege communi, aut priuilegio locum habere potest, quando est sermo in communi, seu vniuersali (propter quod non attuli vniuersales propositiones Sanctorum sensim Christum à peccato originali excipientium) sed quando est sermo de aliquo singulari indiuiduo nominato, locum non habet glossa, quòd intelligatur de lege communi: nisi hoc (scilicet sermonem esse, quantum est ex lege communi) specificetur, vel ex ignorantia aut maliuolentia, aut dissimulatione hoc procedat, quæ omnia longè à Sanctis, & eorum autoritatibus allatis esse constat. Tum quia ex eo quòd sancti & doctores beatam Virginem in particulari explicant, subiacere legi communi in conceptione cum peccato originali, & excipiunt ipsam beatam Virginem à communi lege aliorum in duratione peccati originalis (quia dicunt ipsam ex priuilegio sanctificatam in vtero) constat quòd sancti & doctores antiqui beatæ Virginis prerogatiua scrutati nullum de præseruatione eius à macula originalis peccati priuilegium admiserunt.

¶ Excludunt quoque dictæ autoritates glossam aliam, scilicet de facto, vel debito, vel (& in idem redit) quantum est ex se, vel ex causa extrinseca. Quasi Sancti intenderint quòd beata Virgo incurrerit peccatum originale non de facto, sed de debito: hoc est quia debuit contrahere originalem maculam, sed non contraxit de facto, similiter quòd quantum est ex se, beata Virgo contraxisset peccatum originale: sed de facto non contraxit ex causa extrinseca, Deo scilicet præseruante per suam gratiam. Hanc, inquam, glossam excludunt, tum quia ly de debito, & ly quantum est ex se, est conditio secundum quid aut diminuens: quoniam habens aliquid quantum est ex se, vel de debito, non habet illud simpliciter & absolutè, sed si solùm ex debito habet, secundum quid habet: & si solùm quantum est ex se habet, non habet illud, sed oppositum illius. Sancti autem & doctores dicunt, quòd beata Virgo habuit peccatum originale sine vlla conditione secundum quid, aut diminutione, ac per hoc simpliciter & absolutè. Tum quia non deerant vocabula sanctis & doctoribus, quibus debitum originalis peccati in beata Virgine, & non peccatum ipsum explicarent. Tũ quia petendum est ab istis, si verba ista, beata Virgo fuit concepta in peccato originali, & similia, non explicant quòd ipsa de facto contraxit originale peccatum, quibus verbis vti debebant sancti & doctores ad hoc explicãdum. In his nanque explicatur persona beatæ Virginis nominatim, vt subiectum originalis peccati: explicatur tempus conceptionis, explicatur originale peccatum, explicatur factum per ly concepta est, contraxit & similia: quid vltra debuit apponi? Et si ista hoc non significant, consequens est, vt dicentes oppositum, scilicet beatam Virginem non esse conceptam in peccato originali, non significant hoc quod dicunt. Fatuæ ergo atque temerariæ sunt huiusmodi non extorsiones, sed corruptiones autoritatum, locutionũmq; Latinarum.

¶ Repellunt etiam dictæ autoritates glossam de conceptione ante infusionem animæ vel in ipso instanti infusionis animæ, quasi Sancti & doctores intendant, quòd beata Virgo fuit concepta in peccato originali, quo ad conceptionem antè infusionem animæ, & non quo ad conceptionem in infusione animæ. Tum quoniam sancti & doctores ita loquuntur de conceptione beatæ Virginis in peccato originali, sicut de conceptione aliorum hominum per commixtionem seminum genitorum: constat autem quòd sermo semper est de conceptu in infusione animæ ergo. Tum quoniam ante infusionem animæ non habet locum peccatum originale: quoniam sine anima rationali non inuenitur culpa originalis. Tum quoniam loquuntur de beata Virgine: constat autem quòd ante infusionem animæ non erat beata Virgo. Restat ergo, vt sola illa stultitia per glossa Sanctorum & antiquorum doctorum admissione digna sit, scilicet si Sancti & prisci doctores nunc essent, dicerẽt oppositum. Hãc ergo glossam ita veram putauerim, quemadmodum verum puto, quòd si Christus nunc in terris conuersaretur, mutaret doctrinam fidei suæ vt conformaret se populis, &c. Stant igitur solidæ allatæ Sanctorum & doctorum autoritates ad sustinendum beatam Virginem conceptã esse in peccato originali: & propterea rationabilem probabilẽmq; esse partem illam constat.

CAPVT V.

Quantum valeant argumenta tenentium Beatam virginem ab originali fuisse præseruatam.

ALTERIVS AVTEM Partis scilicet quòd beata Virgo præseruata est de specialissima gratia à macula peccati originalis, probabilitas affertur ex nouẽ: ex autoritate doctorum multorum, ex determinatione synodi, ex cultu ecclesiastico, ex indulgentia concessa, ex communitate sequacium, ex scandalo piarum aurium, ex pietate opinionis, ex reuelationibus nouis, ex miraculis. Quæ figillatim examinanda sunt pro veritatis honore.

Primum argumẽtũ à Sanctorũ & doctorũ dictis.

DOCTORES Tenentes beatam Virginem esse præseruatam, sunt numero infiniti, si ad modernos spectemus, Paulò antè tamen fuiqui, licet pauci fuerunt: vt Scotus Franciscus de Maironis. Et beatæ Brigidę reuelatum dicitur beatam Virginem præseruatam esse ab originali peccato.

¶ Sed hæc probabilitas valde exigua est: tum quia est contra tot Sanctos: & nullus est inter istos Sanctus. Sanctæ autem Brigidæ è regione ponitur sancta Catharina de Senis: quæ dixit sibi reuelatum esse oppositum: vt refert Archiepiscopus Florentinus in prima parte Summæ suæ titulo septimo, capitulo secundo, circa finem.

Et maiori fide digna videtur sancta Catharina: quia canonizata est sicut cæteri sancti: sancta verò Brigida canonizata est tempore schismatis, quo nullus habebatur certus & indubitatus Papa, à Bonifacio in sua obedientia nono. Tum quia in ijs, quæ sunt fidei, magis sentiendum est cum antiquis, q̃ cum modernis. Tum quia ipse Scotus, qui primus doctor aut inter primos introdu

eit hanc opinionem, timet hanc opinionem sequi. Nam in 3.sentent. distinctio. 3. quæstione 1.post tractatas de conceptione Virginis cum peccato,aut sine peccato originali opiniones,dicit,Quod autem horum factum sit, Deus nouit:si autoritati ecclesiæ vel autoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariæ.

¶ Quod aut nouí sint oēs doctores,hāc opinionē tenētes patet ex eo,ꝙ Magister sententiarū de Sanctorum testimonio in re hac dicit in 3.dist.3.Sanè dici potest,& credi oportet iuxta Sanctorū attestationis conuenientiā,ipsam (scilicet carnem Christi) prius peccato fuisse obnoxiam sicut & reliqua virginis caro:sed sancti Spiritus operatione ita mundatam,vt ab omni peccati contagione immunis vniretur verbo.Hæc ille.Et sanctus Bonauētura in.3. sent.dist.3.q.1.loquens de autoritate sanctorū, dicit.Nullus autem inuenitur dixisse de ijs,quos vidimus & audiuimus auribus nostris beatā Virginē fuisse ab originali peccato immunem in sui cōceptione.Et Adam angelicus in 3.sen.dist.3.dicit,Si credendum est dictis Sanctorum, tenendum est beatam Virginē fuisse conceptā in peccato originali:& nullus Sanctorum inuenitur dixisse contrariū.Hæc ille.Et ipse Franciscus de Maironis,in 3. di.3.q.2. art.4.dicit ꝙ non obstante beata Virgo fuerit præseruata à peccato originali,propter dicta tamen Sanctorū possumus dicere ꝙ aliquo modo peccatum originale cōtraxit. In quibus verbis ipsemet ostendit,ꝙ dicta Sanctorum cogunt ad confitendum peccatum originale in beata Virgine.ipse enim labor istorum ad glossandum dicta Sāctorum testatur,ꝙ sancti contrarium suæ opinionis sonant. Quamuis vanus sit eorum labor,nisi ad autoritates Sanctorum,quæ in cōmuni de humani generis originali peccato loquuntur,referatur. Illæ namque quæ de originali peccato in beata Virgine in indiuiduo cōtracto loquuntur,glossari nequunt:vt patet ex dictis.Propterea non est mirū,si nullus Sanctus,nullus illustris doctor antiquus pro hac parte afferatur,nisi fortè à falsarijs. Vnde autoritates quorundam Sanctorum(scilicet Augustini,quum de peccatis agitur de Maria propter honorē Domini, nolo habere quæstionē.Et Anselmi,Docuit,vt mater Domini ea puritate niteret:&c.Et sancti Thomæ in primo sen. Immunis fuit ab oī peccato,&c.& si quæ sunt similes quæ pro hac opinione afferuntur)licet scholastica disputatione nō sint indignæ,à iudicio tñ veritatis procul esse debēt:qm̄ nō ex dictis facilè veras glossas & expositiōes rationabiles habentibus extorqueri debet hæc singularis veritas:sed debent afferri autoritates Sanctorum & antiquorū non in genere,sed in specie peccati originalis maculam negantes à beata Virgine,non tempore conceptionis Iesu Christi,sed tempore conceptionis propriæ: vt nos fecimus pro opposita opinione,prætermittendo communia.Constat nihilominus allatos tres sanctos expressè docuisse beatam Virginem cum peccato originali conceptam:vt patet ex allegatis.

Argumētum ab Autoritate basili. synodi.

DETERMINASSE quoque inducitur Basilieñ.synodum in sessione 36.pro hac opinione in hæc verba,Nos diligenter inspectis autoritatibus & rationibus, &c.doctrinam illam asserentem gloriosam Virginē preueniente & operante diuini numinis gratia,singulari nūquam actualiter subiacuisse originali peccato,tanquam piam & consonam cultui ecclesiastico,fidei catholicæ, rectæ rationi & sacræ Scripturæ ab omnibus catholicis approbandam fore tenendam & amplexandam diffinimus & declaramus:nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare seu docere.Hęc ibi.Anno Domini,1439. 15.Cal.Octobris.

¶ Sed isthæc determinatio multò minus prodest,quàm prima:tum quoniam congregatio illa Basilieñ.tunc temporis non erat synodus,nec concilium,sed erat schismatica:vt pote scissa à capite ecclesiæ Eugenio quarto : vt patet ex ordine sessionum:nam in 34.sessione, 7.Cal.Iulij deposuerunt de facto Eugenium,& post in sessione 36. quintodecimo Calen.Octobris sequentis determinarunt de conceptione.Vnde hinc non nisi synagogæ Satanæ autoritas afferri potest ; quòd licet etiam ipsa verba allata contraria dictis Sanctorum, vt in suprà allegatis patet, manifestent,vniuersalis tamen ecclesia adorans tunc & post continuè vsque hodie dictum Eugenium : & Nicolaum quintum eligens ac suscipiens superstite antipapa Basilieñ.conciliabuli Amadeo locupletior testis est. Quocirca allegare Basilieñsem synodum pro tempore illo, quo fuit schismatica,perinde est ac si allegaretur Pisanum nuperrimè contra Iulium secundum cælebratum conciliabulum : quod vidimus omnes, & manibus tetigimus fuisse schismaticum. Tum quoniam dicto conciliabulo è regione opponitur verum ac venerandum cōcilium ex Ferraria in Florentiam translatum Græcorum & Latinorum sub prædicto Eugenio quarto:vbi inter dogmata fidei traduntur hæc verba, Firmiter credit,profitetur, & docet sacrosancta Romana ecclesia, neminem vnquam ex viro fœmináque conceptum à diaboli dominatu fuisse liberatum,nisi per fidem Mediatoris Dei & hominum Iesu Christi domini nostri : qui sine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis peccata delendo,solus sua morte prostrauit,& regni cælestis introitum,quod primus homo peccato proprio cum omni sua successione perdiderat,reserauit.Hæc ibi.Quæ pro tanto inducta sunt,vt appareat,quòd illo tempore, quo res in quæstione erat,vniuersalis ecclesia solum Christum excepit ab originali peccato : quod non erat dicendum,si beata quoque Virgo excipienda esset.

ECCLESIASTICVS Deinde cultus affertur,ꝙ iam per omnes fere ecclesias Latinas festum conceptionis non sanctificationis celebratur : insinuando per hoc, quòd non sanctificata est à peccato originali:sed cōcepta est sine illo beatissima Virgo.

¶ Sed hæc probabilitas dupliciter deficit. Primò quia multæ ecclesiæ sunt per orbem diffusæ celebrantes in illo die sanctificationem nō conceptionem.Et in hoc ecclesia vnumquenque in suo sensu abundare permittit.Secūdò, quia constat, quòd à quibuscunque catholicis celebratur hoc festum, celebratur ratione sanctificationis beatæ Virginis in vtero matris, siue illa sanctificatio fuerit præueniens, & quasi præoccupans peccati originalis actualē incursum.vt opinio ista dicit,siue fuerit mundans ab originali peccato iam cōtracto,vt altera dicit opinio. Quocirca omnes cōueniunt in sanctificatione beatæ Virginis:& quòd fuit in vtero,& quòd est ratio celebritatis iuxta illud.Tū solus sanctus,Mariam sanctificans.Licet differant in effectu sanctificationis an scilicet præseruauerit, an mundauerit à macula, Et propterea rationabiliter ab omnibus deberet celebrari dies conceptionis sub nomine sanctificationis vt nomen consonaret rei.

INDVLGENTIA verò concessa nihil confert huic opinioni sicut nec festi celebritas:quia ad honorem beatæ Virginis ob gratiam propriæ sanctificationis in vtero fertur,relinquēdo ambiguum,an præseruans à macula,an mundans fuerit gratia illa,vt dictum est.

¶ Quòd autem tam cōis facta sit hodie ista opinio (ita vt omnes ferè catholici Latinæ ecclesię arbitrentur obsequium se præstare Deo in huiusmodi sequela opinionis) ex eo reddit opinionem probabilem:quia probabile est quod multis videtur. Sed probablitas hæc vulgarem autoritatem nō excedit:& eisdem contra ponitur,ꝙ probabile in veritate est,quod videtur sapientibus:qui vt patet ex supradictis,contrariam secuti sunt opinionem. Vulgus autem probabile in apparentia non in veritate constituit.

¶ Quia scādalosa deinde dicitur opposita opinio & piarū auriū offensiua à multis etiā vniuersitatibus Theologorum,probabilis redditur ista opinio. Sed quoniam vniuersitates contra tot Sanctorum & cōmunem priscorum doctorum doctrinam in his,quæ sunt fidei,præsumptuose sunt,& scandalum hoc nō actiuum,sed passiuum insipientium est potius quam piarum aurium imò Pharisæorum conuinceretur esse, declarata eis veritate, ideo nihil ex hoc probabilitatis sortitur opinio hæc nisi apud ignorantes.

¶ Pietas denique huius opinionis magna esse dicitur: quoniam piū valde est credere,quòd beatæ Virgini quicquid gratiæ conferri potuit, sub Christo tamen,totum collatum est:quoniam illi dixit Angelus,quòd erat plena gratia,&c. Sed hæc radix zelo quidē innititur sed non secundum sciētiam:propter quod à fide ad deuia multa abduceret:iuxta hanc siquidē vocatā pietatis regulā liceret cras credere,ꝙ beata Virgo fuit concepta de Spiritu sancto,& tñ sub Christo:quia propterea non esset Deus & homo.Possemus quoꝗ dicere,ꝙ beata Virgo erat in hac vita simul viatrix & cōprehendens:& tñ sub Christo, quia non in tam alto beatitudinis gradu. Possemus etiam adhuc dicere,ꝙ ipsa fuit Deus & homo:& tamen sub Christo,quia Christus masculus,& ipsa mulier:Christus vniuersalis redemptor per suam mortem, ipsa non. Et multa fortè alia erronea aliquis ex tali pietate deduceret.De solo nanque vnigenito Dei credimus, ꝙ non ad mensuram datus est Spiritus:beatæ autem Virgini & reliquis Sanctis secundum mensuram donationis Christi plus & minus,prout voluit, datum credimus. Si tamen restringatur ad actualem munditiam à peccati macula dicta propositio,& dicatur quòd pium est credere,quòd beatæ Virgini quicquid gratiæ,sub Christo tamen conferri potuit ad actualem munditiam à peccati macula collatum est,fateor quòd pia esset credulitas ista,nisi Sanctorum autoritates obstarent.Quod Scotus timuit : sed minus docti non timent:propterea fortassis,quia ad pauca respicientes de facilè enuntiant.

¶ Nouæ autem reuelationes contra tot Sanctos & antiquos doctores,Angelum Satanæ in Angelum lucis trāsformatum,aut phantasias, vel etiam figmenta sapientibus ingerere videntur.Hæ siquidem cum vacatis miraculis, quæ in hac causa afferuntur pro mulierculis , non pro sacra sunt synodo : vnde nec censeo digna, de quibus verba fiant.

EX OMNIBVS Autem dictis facilè est colligere,quòd neutra pars propositæ quæstionis in sensu quo vertitur in dubium,est necessariò credenda: & quòd altera(scilicet dicens,beatam Virginē esse mundatam ab originali peccato)est probabilis:altera verò(scilicet dicens, beatam Virginem esse præseruatam à macula originalis peccati)est tolerabilis:& apud sic affectos vel assuetos,aut verè Theologiæ sanctorum parum, aut nihil habentes,probabilis.

¶ Hæc sunt,beatissime pater, quæ sanctitati tuæ, cuius correctioni atque iudicio hæc & reliqua à me tam scripta,quàm scribenda submitto, offerenda occurrunt. Vnde euidenter cernitur pars credens,beatissimam Virginē ab originali peccato mundatam in sinu Sāctorum & sacrorum doctorum priscorum quiescens,nilq; sibi timens à sacrosancta synodo(quandoquidē à Spiritu sancto, quo inspirati locuti sunt Sancti Dei homines contrariè in fide sententiæ prodire nequeunt).quin potius sperat,si decernēdum aliquid est,seipsam tanquam probabiliorem & sanctorum ac doctorum dictis consonam approbandam: exemplo Vienneñ.synodi sub Clemente quinto, quæ de Baptismi effectu decreuit partem probabiliorem, dictis Sanctorum & doctorum consonam. Pars verò reliqua credens,beatam Virginem à macula originalis peccati præseruatam,multitudine sequacium & fauoris amplitudine conspicua apparet. Superest igitur,P.S.vt inter quindecim sanctos(Augustinum.Ambrosium aliósque, quorum expressa sunt nomina)necnon innumeros doctores antiquos ex vna,& pauidum in causa hac Scotum, Franciscum de Maironis,Petrum Aureoli(contra tamen patres sui)ordinis modernos & promiscui vulgi clamores ex alia, medius tu arbiter à Christo datus,in hac sancta Lateran.synodo religionis Christianæ vel veritatem firmiter amplectendā tradere,vel à publicis oblocutionibus & scandalis consulere digneris:memor illius oraculi, nō in multitudine,nec in commotione Dominus. Vale felix semper Augustæ.Romæ anno salutis 1515.

¶ Tractatus de conceptione beatæ mariæ virginis,editi per Thomam de vio caietanum Cardinalem Sancti Xisti:finis.

TRACTATVS SECVNDVS

Thomæ de Vio.Caietani Card. S.Xisti.De Erroribus contingentibus in Eucharistiæ Sacramento in duodecim capita diuisus.

1 *Quomodo Ioannis 6.Dominus non modò de fide formata in ipsum habenda,sed de ipsius spirituali manducatione in eucharistiæ sacramento,locutus fuerit.*

2 *Quod Dominus Io.6.dicens,caro non prodest quicquam,non exclusit ab eucharistiæ sacramento carnem suam, nec veram corporis sui spiritualem manducationem.*

3 *Quòd falsum sit Theologos opinari in Eucharistiæ sacramento corporaliter & perceptibiliter sumi corpus Christi.*

4 *Quomodo non falsò,sed verè extimant Theologi fidem venire hominis iudicio & electione,& extendi vsq; ad sensibilia.*

5 *Quòd sibi inuicem minimè aduersantur hæc,in Eucharistiæ sacramento verum Christi corpus esse,& spiritualiter tantum manducari.*

6 *Quomodo non docuerunt Theologi non esse cogitandum de mysterio Eucharistiæ.*

7 *Quomodo catholicè sint exponenda verba ipsa formæ Eucharistiæ.*

8 *Quomodo non falsum,sed verum sit deleri peccata per hoc sacramentum Eucharistiæ.*

9 *Quomodo Eucharistiæ sacramentum sit sacrificium & in missa offerri sit institutum à Christo,vel ab apostolis.*

10 *Quomodo non sit idolatria adorare sanctum Eucharistiæ sacramentum.*

11 *Quòd nullus vnquam sanctorum doctorum verbis suis fouerit Christi corpus esse in eucharistiæ sacramento vt in signo.*

12 *Quod non duæ,sed vna tantum sit salutis via his, qui fidem habent de Eucharistiæ sacramento.*

PRIMVM Caput est,quòd Dominus Ioā.6.non loquitur de eucharistia. Tum quia loquitur de fide & fiducia hominum in Christo. Tum quia ibidē dicitur,Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem,in me manet,& ego in illo.Constat autem multos sumere eucharistiæ sacramentum, & non manere in Christo per fidem charitate formatam.

CIRCA Hoc caput aduerte erudite lector,aliquid dici verū,& aliquid falsum.Verum quidē est,quòd in capite 6.Io. Dominus loquitur de fide formata charitate in ipsum habenda:vnde & prius loquitur de credenda diuinitate sua:& deinde de credenda morte sua pro vita mundi. Falsum autem dicitur:pro quanto excluditur à sermone illo fides sacramenti Eucharistiæ.

¶ Ad cuius euidentiam memento, quòd tria inueniuntur in eucharistia:scilicet ipsum sacramentum,quod adoramus,& manducatio sacramētalis, quæ est communis bonis & malis, dicente Apostolo 1.ad Corinth.11.Qui māducat & bibit indignè.Vbi clarè patet indignos manducare & bibere sacramentali manducatione & potu: hoc est,sumunt hostiam sacram vt sacramentum, nō vt panem.sumunt enim credendo illud esse sacramentum corporis Christi.Tertiò interuenit manducatio spiritualis,quæ est propria bonis,quæ fit per fidem formatā charitate : quæ est refectio animæ secundum vitam spiritualem,secundum vitam,de qua dicitur, Viuo ego, iam non ego,viuit verò in me Christus, ad Gal.2. His autem tribus inuentis circa sacramentum Eucharistiæ, ex eo quòd in hoc capite Dominus non loquitur de vno eorum,(scilicet de sacramentali manducatione)non verè infertur, quòd excludantur reliqua duo,stat enim quòd de reliquis duobus loquatur,de sacramento ipso,& de manducatione spirituali sacramenti.Et quidem quòd loquatur, de manducatione spirituali,verba ipsa sonant dicendo,Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem,in me manet,& ego in illo. Manducare enim spiritualiter Eucharistiæ sacramentum,est per fidem formatam charitate in Christo manere, & econuerso Christum in ipso manere. Quòd de sacramento quoꝗ ipso loquatur, appareat, tum quia in futuro loquitur, dicens, Panis,quem ego dabo:nondum siquidem instituerat sacramentum Eucharistiæ,quum hæc diceret in synagoga Capernaum:constat enim quòd sacramentum Eucharistiæ institutum est Hierosolymis in nocte, qua tradebatur. Tum quia distinguit manducare & bibere, dicens, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem,non habebitis vitam in vobis.Si nanque de fide solius mortis suæ pro vita mundi loqueretur, satis fuisset explicare mortem suam pro vita mundi per separationem carnis à sanguine,quæ in cruce facta est:sed vbi non solùm carnis & sanguinis separationem pro vita mundi,sed carnem præcepit manducandam & sanguinem bibendum,si vitam vellemus habere in nobis ipsis insinuauit, quòd sacramentum erat institututus corporis & sanguinis sui per modum cibi & potus : ita quòd nisi spiritualiter manducauerimus, & biberimus carnem, & sanguinem in cruce immolanda & in sacramento continenda : non haberemus vitam in nobis. Significatur siquidem per hoc, quòd de necessitate salutis tenemur credere etiam Eucharistiæ sacramentum.

¶ Accedit ad hæc quòd Ioannes Euangelista (cuius studium fuit scribere altissima Christi mysteria, minus ab alijs Euangelistis explicata) tractans cœnam Domini,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil de sacramento eucharistiæ scripsit: quia sacramētalem vsum alij Euangelistæ expresserant, spiritualem autem cum illius effectu, ipse hîc descripserat: dicens, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, &c. Nisi enim tanti sacramenti rationem Ioannes habuisset, non tanta fuisset vsus diligentia ad distinguendum actus manducandi & bibendi, ad declarandum vtrunque coire in vnum in præsenti (scilicet manere in Christo, & econuerso) ad declarandum effectum perpetuum vtriusq; vitam æternam, ad declarandam vtriusque necessitatem, Nisi manducaueritis, &c. Hæc enim omnia collecta præ se ferunt, quòd de manducatione & potatione spirituali non solùm mortis Christi, sed sacramenti mortis Christi sub specie cibi & potus, Euangelista scribebat.

¶ Ex his omnibus collatis cum textu euangelico, videre facilè potes, erudite lector, quòd licet verum sit & quòd de fide formata Christi filij Dei ac mortis eius pro vita mundi, & quòd non de manducatione sacramentali est sermo in capite sexto Ioannis; non tamen verum est excludi à capite illo fidem formatam seu manducationem spiritualem sacramenti eucharistiæ. Hæc de primo.

CAPVT II.

Quòd Dominus Ioannis 6. dicens, Caro non prodest quicquam, nullo modo exclusit ab eucharistiæ sacramento corporis sui veram & spiritualem manducationem.

SECVNDVM Caput est, quòd Dominus Ioannis quoque 6. dicens, Caro non prodest quicquā, exclusit à sacramento Eucharistiæ veram suam carnem: quia sensus proprius est, Caro comesta nō prodest quicquam. Et hunc esse naturalem sensum, patet ex eo, quòd Iudęis quærentibus, quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum, Dominus dixit, Caro non prodest quicquam. Ex hoc enim, quòd quæstio & sermo de manducatione erat, consequens est vt de carne relata ad manducationem dictum sit, Caro non prodest quicquam: quod est dicere, Caro comesta non prodest quicquam. Hinc enim sequitur, quòd caro in hoc sacramento non comedatur, ꝙ nulla sit in hoc sacramēto caro (vtpote quæ nihil prodest) nulla debet in hoc sacramēto de carne quæstio esse: quia caro non prodest quicquam.

CIRCA HOC CAPVT, Quia pro fundamento firmissimo totius erroris assumitur, & millies repetitur, aduerte primò non esse naturalem sensum literæ Caro non prodest quicquam glossaræ, Caro comesta non prodest quicquam: quoniam expressè contradicit euangelico contextui. Nam ibidē, eodémque contextu Dominus dicit, carnem suam comestam dare vitam æternam: ait enim, Qui manducat meam carnē & bibit meū sanguinem, habet vitam æternam. Non solùm ergo cōtra sensum, sed contra verba Domini est glossa ista, Caro comesta non prodest quicq̄. At si quispiā excuset glossam dicēdo, ꝙ mens glossatoris est non de comestione spirituali, sed de comestione carnali glossare, habes tunc intentū: quia verba Domini sic glossata nō excludunt carnē Christi ab hoc sacramento, quoniam ecclesia non docet carnē Christi carnaliter māducari in hoc sacramēto. Si enim caro carnaliter comesta excluditur à sacramento, optimè excluditur: sed nō potest propterea inferri, Ergo vera Christi caro exluditur à sacro: quia caro Christi vera spiritualiter concludenda est in hoc sacramēto: & comesta spiritualiter in hoc sacramēto, dat vitam æternam. Et vsq; adeo spirituali comestioni hoc tribuimus, vt fateamur, ꝙ quantumcunque caro Christi sumatur in sacramento nisi spiritualiter manducetur, non prodest quicquam.

¶ Aduerte secundo, ꝙ germanus sensus dupliciter potest explicari: & vtroq; modo in vnam & eandem veritatis sententiam redit. Vbi nota, ꝙ Christus non loquitur in istis verbis plus de carne sua, q̄ de aliena, sed simpliciter absolutè de carne: non enim dicit, Caro mea non prodest quicquam, sed, Caro nō prodest quicq̄. Rursus Christus loquitur de carne, è regione distinguendo carnē a spiritu: vt contextus testatur euangelicus, dicens, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam proculdubio ad viuificandum.

¶ Alter itaq; modus intelligendi est, Caro sola non prodest quicq̄: ita ꝙ ly sola excludat spiritum, Ac si dictum sit, Caro sine spiritu non prodest quicq̄ ad vitam ęternā, quia spiritus est qui viuificat. Et hæc glossa fundatur, tū super verbum, Caro, absolutè prolatum: constat enim carnem simpliciter & absolutè sine spiritu: nihil conferre ad vitam æternam. Tum super distinctionem carnis contra spiritum à Domino inductam. Firmatur quoque hæc glossa: quia applicata ad propositum inuenitur quadrare. Tum quia de carne Christi, quæ descripta est dans vitam æternam manducata, modo aperitur, ꝙ sine spiritu nihil prodest ad vitam æternā. Et verè sic est, quia caro Christi quantumcúque crucifixa pro nobis, nihil prodest sine spiritu adoptionis filiorum Dei. Tum quia Iudæis quærentibus, Quomodo potest hic nobis dare carnem suā ad manducandum, directè respondetur, ꝙ non de sola carne fuit sermo, quū dictū est, caro mea vere est cibus: & Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. quia caro sola non prodest quicquam ad vitam ęternā: sed de carne comitata spiritu: quia Spiritus est qui viuificat: vt sic intelligere possent, ꝙ eius caro quidem esset manducanda, sed Spiritu interueniente, sed Spiritu faciente manducationem: nā efficiente Spiritu manducationem carnis meæ erit quod dixit, Qui manducat meam carnem, habet vitam æternā.

¶ Alter modus est, quòd caro nō est nomē substantiale, sed carnalis officij hoc in loco, & significat cibū carnalē. Ita quòd sensus est, Cibus carnalis nō prodest quicquam. Et hic sensus ex eodē procedit fonte: quia scilicet de carne absolutè, non de carne sua specialiter dicit, Caro non prodest quicquā, & caro distinguitur cōtra spiritum: & vbi de manducatione est sermo, & dicitur, spiritus est qui viuificat caro non prodest quicquam: sensus est, quod carnalis cibus non prodest quicquam, spiritualis autē cibus est qui viuificat. Et hoc directè respōdet quæstioni Iudæorū, qui non de substantia, sed de modo quærebant, Quomodo potest hic nobis dare carnē suam ad māducandū? Præsupponebant carnem, & quærebant modum, respondet Dominus quòd modus non est carnalis, sed spiritalis: quia caro, id est cibus carnalis, non prodest quicquam ad vitam æternam, spiritualis autem cibus est, qui viuificat animam.

¶ Quòd enim in Scriptura sacra caro sumatur quandoque non pro substantia carnis sed pro officijs carnalibus, patet in Apostolo primæ ad Corin. 15. dicente, Caro et sanguis regnum Dei possidere nō possunt. Cōstat enim quòd non excluditur à regno Dei substantia carnis et sanguinis (Quoniā resurgemus, sicut Christus, carnē et ossa habentes) sed carnalia officia. Quòd autem in hoc loco caro non sumatur pro substantia carnis, ex ipsomet euangelico contextu patet. Nā ibidem Dominus dixit de substantia carnis suæ, Qui māducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternā. Hinc enim clarè patet, quòd substātia carnis eius spiritualiter manducata prodest multum, et viuificat: vtpote dans vitam æternā. Non ergo de ipsa substantia carnis dictum est, Caro non prodest quicquam. Quòd autem de carnali officio ad literam sit intelligendum, patet, tum ex eo, quòd Iudæis carnaliter quærentibus, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad māducādum, directè respondetur, quòd caro, id est carnalis cibus prodest quicquā, sed spiritualis cibus facit vitā æternā, vt per hoc intelligere non possent quòd quum dictum est, Nisi manducaueritis carnem filij hominis &, Caro mea verè est cibus, &c. non de carnali cibo, sed de spirituali fuit sermo. Tum quia sicut Nicodemum alloquens Dominus de generatione spirituali, postquam dixerat, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu non potest introire in regnum Dei, statim subiunxit ad excludendam generationem carnalem: Quod natum est ex carnæ caro est: & quod natū est ex Spiritu, spiritus est: ita Iudeis quærentibus, Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducādum: dixit, spiritus est qui viuificat, caro nō prodest quicquam: significās quòd cibus carnalis non prodest nisi carni, cibus autem spiritualis est qui viuificat. Et si vnico verbo vtrunque modū exponi placet cōplecti, dic, Caro carnaliter non prodest quicquam ad vitam animæ, spiritu autem, prædita viuificat.

¶ Ex his omnibus habes erudite lector, quòd licet verum sit, quòd de carne relata ad manducationem Dominus loquatur, dicēs, caro nō prodest quicq̄: falsum tū est, quòd loquatur de carne comesta: sed loquitur de carne, vt cibo carnali. Falsum quoque est, quòd per hæc verba excludatur ab Eucharistia vera Christi caro. Et si proteruus
exe

ex euangelicis verbis vis conuincere, petito, an caro Christi manducata spiritualiter, prosit ad vitam æternam: si prodest, ergo vera Christi caro comesta prodest: ergo ex hoc, quòd Dominus dicit, Caro non prodest quicquam, non excluditur quin caro Christi spiritualiter manducata prosit. si non prodest, quia caro non prodest quicquā, ergo falsum est quod Dominus ibidem dicit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Hæc de secundo.

CAPVT III.

Quòd falsum sit Theologos opinari in Eucharistia sacramento corporaliter & perceptibiliter sumi corpus Christi.

TERTIVM Caput est, quòd Theologi prætendunt corporaliter & perceptibiliter in eucharistia sumi corpus Christi iuxta coactam confessionem Berengarij. de consecratione, distinctione secunda. Ego Berengarius.

CIRCA Hoc caput constat falsissimū esse, quòd theologi dicunt corpus Christi corporaliter & perceptibiliter sumi: quoniam & spiritualiter & non percipiendo (siue sensu, siue intellectu) sed credendo dicūt corpus Christi sumi in eucharistia: sacramentales autem species corporaliter & perceptibiliter sumuntur.

¶ Verba autem confessionis Berengarij ex ratione dicēdi interpretanda sunt. Quia enim Berengarius errorem, quē iste suscitare conatur, secutus est, (scilicet quòd in sacramento Caro Christi erat sicut in signo tantum, & ecclesia catholica fatetur carnem Christi non solùm significari, sed contineri in hoc sacramento) ideo Patres in concilio decreuerunt in detestationem talis erroris, quòd confiteretur Berengarius, corpus Christi sensibiliter sumi, manibus sacerdotum tractari, & dentibus conteri: vt intelligerent Christiani per hæc verba, quòd fideles sumendo eucharistiam, sumunt non solùm sacramentum (hoc est sacrum signum carnis Christi, sed sumunt etiam speciem continentem carnem Christi, quod hæretici isti negāt & impugnant. Et non intelligebant Patres, nec volebāt intelligi, quòd caro Christi in seipsa sentitur, tangitur, conteritur dentibus: hoc enim nec somniant Christi fideles.

Tota itaque differentia in hoc cōsistit, quòd qui prius confitebatur Christum manducari in signo tantum, coactus est à fide catholica confiteri carnem Christi manducari non solùm in signo, sed in continente sacramento eucharistiæ. Hæc de tertio.

CAPVT IIII.

Quomodo non falsum, sed verè extimant Theologi Fidem venire e hominis iudicio & electione, & vsque ad sensibilia extendi.

QVARTVM Caput est, quasi theologi errent in duobus. Primo quòd putant fidem ex hominis venire iudicio atque electione. Secundò, quòd fidem ad res sensibiles extendunt: quum nullus credat quod sentit aut videt.

CIRCA Hoc caput scis eruditè lector, falsum esse, quòd theologi dicant primum: quoniam cum Paulo Apostolo ad Ephe. 2. fatentur fidem donū Dei esse, quòd quia non confertur inuito. sed volenti, sed disposito ad illud voluntaria electione Christianitatis, ideo dispositiuè verificatur fidem pendere ex hominis electione.

¶ Secundum autem dictum nosti posse bene & malè intelligi. Nam si intelligeretur fidem extendi ad res sensatas tanquam ad res creditas, falsum esset: constat enim, quòd quæ creduntur, non sentiuntur. Sed in hoc sensu non dicūt Theologi fidem extendi ad sensibilia, nam fatentur cum Paulo ad Heb. 11. quòd fides est eorum quæ non apparēt. Si autem intelligitur, quòd fides extenditur ad res sensibiles tanquam ad extrema rerum creditarum, optimè dicitur, & pessimè reprehenditur, nam multæ res creditæ consistunt in coniunctione rerum sensibilium cum rebus insensibilibus: ac per hoc quum oporteat credere coniūctionem rei sensibilis cum re insensibili, necesse est tunc fidem extendi ad rem sensibilem tanquam ad alterum extremū coniunctionis creditæ. Et patet quod dicimus in mysterio incarnationis: Fide credimus, quòd Verbum caro factum est, & consistit mysterium hoc in cōiunctione Verbi ad carnem sensibilem: nec potest credi ista coniunctio, nisi credulitas extendatur ad carnem. Ita ꝙ si videremus Christum hîc præsentem, non crederemus carnem, quam videremus, sed crederemus coniunctionem diuinitatis cū carne: ac per hoc extenderetur fides nostra ad carnem visam, non quatenus videtur, sed quatenus est extremū inuisibilis cōiunctionis cum Deitate. Vnde habes clarè, quòd qui negat fidem sic extendi ad sensibilia, negat fidē Christianam esse de mysterio Verbi incarnati. Sic autem est in proposito: quoniam non credimus, sed videmus species sacramenti eucharistiæ, credimus autem præsentiam corporis Christi sub illis speciebus, ita ꝙ coniunctio ineffabilis illarum specierū ad corpus Christi, sub fide cadit: & non species ipsa, quæ palpatur, & videtur. Hæc de quarto.

CAPVT V.

Quòd sibijnuicem minimè aduersantur hæc, in Eucharistiæ sacramento verum Christi corpus esse, & spiritualiter tantùm manducari.

QVINTVM Caput est, ꝙ simul stare non possunt hæc duo, in sacramento Eucharistiæ esse verum Christi corpus, & spiritualiter manducari, quia spiritus & corpus adeò à se distāt, vt neutrum possit alterum esse: & dicere corporalem carnem spiritualiter manducari, nihil aliud est quàm dicere spiritum esse corpus, & econuerso.

CIRCA Hoc caput, quia ridiculum est argumētū, manifestè videre potes, prudēs lector, ꝙ digreditur à re ad modū rei. Nullus ita insanit, vt dicat spm̄ esse corpus: sed dicimus corpus Christi habere modū essendi spūalē i hoc sacramēto: quia est quidem in sacramēto verū corpus, sed nō per modū corporis in sacramēto existit, per modū quidē corporis existit in cęlo, in sacramēto autē nō existit per modū corporis: nō enim existit occupādo locū, sed spirituali modo incōpræhēso ab intellectu humano, sicut etiā incōpræhēsus est modus vnionis verbi Dei ad humanitatē assumptā: sicut etiā incōpræhēsus est modus, quo vnus Deus est trinus in personis. Credimus enim hæc omnia, quamuis nō cognoscamus [illegible]. Et similiter māducatur verū Christi corpus in sacramēto, sed nō corporaliter, sed spiritualiter. Et hoc est dictū ꝙ māducatio corporalis nō masticat Christi corpus, quāuis cōterat sacramētales species corporis Christi, sub quibus continetur vera caro Christi: sed spiritualis manducatio, quæ per animam fit, ad Christi carnem in sacramento existentem pertingit. Hæc de quinto.

CAPVT VI.

Quomodo non docuerunt Theologi non esse cogitandum de mysterio Eucharistiæ.

SEXTVM Caput est, ꝙ Theologi docuerūt, vt nō cogitēt Christiani ī mysterijs eucharistiæ, vt eo pacto veritas nō prodiret in lucē.

CIRCA Hoc caput, ridiculū ferè est rīdere. Quia constat Theologos iuxta qualitatem personarum consilia dare: & idiotas ac simplices hortari, vt sufficiat eis credere tam ea quæ sunt trinitatis, quàm ea quæ sunt huius sacramenti & prædestinationis & similia: iuxta illud, Altiora te ne quæsieris: viros autem idoneos ad capiendum mysteria fidei hortari ad meditandum & sciendum ex sacris literis mysteria fidei & sacramenti eucharistiæ. Hæc de sexto.

CAPVT VII.

Quomodo catholicè sint exponenda verba ipsa formæ Eucharistiæ.

SEPTIMVM Caput est, ꝙ in verbis cōsecrationis, Hoc est corpus meū: verbū, est, nō est intelligēdū secūdū propriā significationē: sed vsurpatur extra propriā significationē, ita vt sumatur Est, pro, Significat: & est sensus, Hoc significat corpus meū. Vnde corpus Christi non est in hoc sacro nisi sicut in signo. Vbi quatuor dicunt. Primū ꝙ in sacra Scriptura pluries vsurpatur Est, pro, significat: vt patet Gen̄. 41. & Matth. 13. & Luc. 8. Secūdo redditur ratio, quare cogimur intelligere in verbis cōsecratiōis Est, pro, Significat: quia oportet alterū duorū dicere: aut ꝙ Christus falsum dixit, dicendo, Caro non prodest quicquam, quòd est impium: aut quòd Est, sumitur pro, Significat. Et patet sequela: quia si Est sumitur propriè, esset in hoc sacramēto vera Christi caro vtilis ad vitam æternam: & sic falsum dixisset Christus, Caro non prodest quicquam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertiò assignatur alia ratio ad idem ex fide: quia quicquid corpus est, vel quod percipi aut tangi potest, nullo pacto ad fidem pertinet. Quartò assignatur ratio ad idem, quia omnia quadrant, intelligndo Est, pro, Significat. Quadrat enim quod dominus dixit, Hoc facite in mei commemorationem. Quadrat quod Paulus dixit: Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. Quadrat quòd in primitiua ecclesia describitur fieri, primæ ad Corint. 11. de conuentu Christianorum in ecclesia ad cœnam Domini, &c.

CIRCA Hoc caput, singula sigillatim notanda sunt. Quod igitur imprimis dicitur, in Scriptura sacra vsurpari quãdoque Est, pro, significat, verum dicitur: sed in hoc errat: quòd non discernitur diuersus loquẽdi modus. Scriptura siquidem quandoque loquitur metaphoricè, & quandoque propriè. Et quum sermones sunt metaphoricè, tunc Est æquiualet ad Significat: puta, Petra autem erat Christus, Ego sum vitis vera, Ego sum ostiũ, & similia. In his enim vis sermonis similitudinarij cogit ad intelligendum esse, Est, erat, sum, fui, non secundum proprietatem, sed secundum similitudinem. Et in hoc genere constat contineri omnes textus scripturæ, quos iste allegat: vt patet intuenti. Quum autem non secundum similitudinem, sed secũdum proprietatem Scriptura loquitur, nunquam Est, esse, erat, fuit, trahitur extra propriam significationem, sed secundum proprietatem suæ significationis intelligitur. In proposito autem constat, Christum non loqui de corpore suo similitudinariè, sed de verò & proprio corpore suo, dicendo, Hoc est corpus meum: vt etiam ipsi aduersarij consentunt. Erratur ergo vsurpando hîc est, pro, Significat, ex eo quòd in loquutionibus metaphoricis & parabolicis Est vsurpatur, pro, significat.

¶ Quum autem secundò afferitur ratio, quia caro non prodest quicquam, ampliore instructione non eget. Monstratum siquidem est in secundo capite, quòd per illa verba, Caro non prodest quicquam, Dominus nihil aliud significat, nisi quòd caro sola, seu carnalis cibus, nõ prodest quicquam ad vitam æternam. Cum qua veritate optimè quadrat hæc etiam veritas, quòd hoc, id est, substantia sub his accidentibus est corpus meum: quoniam corpus Christi in hoc sacramento contentum, nec est cibus carnalis, nec prodest sine spiritu.

¶ Quum verò tertio loco affertur ratio ex parte fidei, dicendo, quòd quicquid est, corpus nullo pacto spectat ad fidem: mirum est tam manifestam falsitatem ingeri. Plenum est symbolum fidei, quòd credimus Christum crucifixum, mortuum & sepultum, quòd ascendit in cælum, credimus carnis resurrectionem: hæc omnia corpora sunt: Quomodo ergo dicitur, quòd ad fidem nullo pacto spectat quicquid corpus est?

¶ Quum demum quartò affertur, quòd omnia quadrãt scripta de hoc sacramento, &c. aduerte venenum. Verum siquidem est, quòd sacramentum hoc est memoria recordationis mortis Christi: imò quod plus est, quòd est signũ corporis Christi. Scis enim plenis buccis Theologos in quarto sententiarum sonare, quòd species sacramentalis est signũ geminæ rei: scilicet corporis Christi naturalis, vt rei contentæ & significatæ, & corporis Christi mystici, vt rei non contentæ, sed significatæ. Hæc enim omnia vera esse affirmamus, sed iste homo ab affirmatione signi, memoriæ & huiusmodi, infert negationem carnis Christi contentæ. Quasi non stent simul, quòd in sacramẽto hoc sint ambo, signum scilicet, & signatum: quæ tamen constat verissimè stare simul: sed iste homo ex veritate non integra excludit aliam veritatem. Et per hoc patet, quòd conuentus Corinthiorum ad cœnam Domini & annuntiatio mortis Christi, & id genus reliqua, vera sunt, affirmant quòd verum est: sed non negant alteram veritatem de existentia corporis Christi in eodem sacramento.

¶ Vbi etiam libet intueri, quòd conuentus Corinthiorũ ad cœnam Domini, ab Apostolo Paulo mõstratur, quòd non erat conuentus ad gratiarum actionem tantum, ad panem significatiuum tantùm, sed ad verum corpus Christi sacramentaliter sumendum: alioquin non dixisset, Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Et quare subdit, Non diiudicans corpus domini, si ad signum tantum corporis Domini conuenirent sumendum nõ esset reus corporis & sanguinis Domini indignè sumẽs: quia cõstat non esse reum corporis & sanguinis Dñi, qui indignè pacẽ in ecclesia sumit, qui panem benedictũ (vt in multis ecclesijs fit) comedit, q̃ diuinis interest officijs, vt Christianus. Et tñ ad hæc oia cõuenientes in ecclesia, profitemur nos esse Christianos, nos pertinere ad corp? Christi mysticũ: vt pote Christianos: sicut apud istos hæreticos cõuenientes ad cœnã Dñi, profitenẽ esse de corpore Christi mysticõ. Vñ ex ipsa Apostoli doctrina circa illũ cõuẽtũ, docemur cõuẽtũ ad cœnã Dñi plus importare, q̃ ad panẽ significatiuũ: dum instruimur, q̃ reus erit corporis & sanguinis Dñi, qui indignè sumit. Quærantur ab istis, q̃b⁹ verbis debuisset vti Apostolus ad signũ cãdũ verũ Christi corpus, si hæc nõ sufficiũt: q̃b⁹ verbis Christus vti debuit, si illa nõ sufficiũt. Hoc est corp⁹ meũ? Cõfunde demũ istos, q̃ rẽdo ab eis, Si hæc Christi et Pauli verba nõ sat sunt ad docẽdũ verũ Christi corpus esse i sacramẽto eucharistiæ, dicite, quæso vos, q̃b⁹ verbis vtẽdũ erat, vt exprimeret verũ Christi corpus esse ĩ hoc sacro: Si hæc Christi verba, (Hoc est corpus meũ) ꝓpriè, imò proprijssimè significãtia substantiã demõstratã sub accidẽtibus panis esse copus Christi, nõ sufficiunt: si locutio secũdum proprietatem sermonis non sufficit, nullus sermo sufficiet. Si metaphoricus fuisset sermo, varius esset sensus: si circunlocutione vsus fuisset, minor inueniretur certitudo, minor inueniretur veritatis explicatio: omnis enim sermo alius à proprio, minor est proprio. Dicite, quæso, quibus verbis Paulus manducationem sacramentalem veri Christi corporis debebat explicare, dicendo, Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini, explicando, Reus erit corporis & sanguinis Domini, nõ explicauit: Hæc enim tam clarè significant, vt clarius explicari nequeat. Reus, inquit, erit corporis & sanguinis: nõ signi corporis, aut sanguinis. Erubescant ergo.

CIRCA Claram intelligentiam verborum consecrationis, Hoc est corpus meum, recolito primò, q̃ verba hæc sortiuntur veritatem suam in fine prolationis, & non antè. Et hoc non est proprium huic locutioni, sed est commune ei & omnibus locutionibus enuntiatiuis. Et ratio est, quia veritas locutionis enuntiatiuæ comitatur significationem eius: constat enim q̃ non prius locutio enuntiatiua est vera, quàm significet: ac per hoc antequã habeat completam significationem, nec est vera, nec falsa. Constat quoque, q̃ vsque ad finem prolationis nõ completur significatio orationis: & consequenter non est vera nec falsa ante finem prolationis. Et hinc est, q̃ si sacerdos non finiret verba hæc non solùm significant verum, sed etiam efficiunt veritatem, quã significant. Significant enim hoc esse corpus Christi (quod est verissimum prolatis his verbis in persona Christi: in cuius persona constat sacerdotẽ affirmare, hoc est corpus meũ,) efficiũt q̃ hoc esse corpus Christi. Et significationem quidẽ verba ipsa sonant: efficientiam autem exercere fides Christiana confiteturi: credimus enim verba hæc esse cõuertiua panis in corpus Christi. Et ad hoc sola fides sufficit. Collige consequenter, verificari in fine prolationis horum verborum duo simul, scilicet esse & fieri, id est hoc fieri, & esse corpus Christi. Nam significationi verè respondet esse, id est hoc esse corpus Christi: vel autẽ efficacitæ respõdet fieri, id est hoc fieri corpus Christi, ita q̃ simul & semel in eodẽ instanti verificatur hoc fieri, & esse corpus Christi. Quòd si quis philosophiæ naturalis expers mirabile reputet aliquid simul in eodẽ instãti fieri, & esse, habes in prõptus canonẽ philosophicũ de efficiẽtijs instantaneis quib⁹ idẽ simul in eodẽ instãti fit et est tale: vt patet de aëre, qui instãtanea illuminatiõe simul ĩ vno instãti et fit, & est diaphanus actus.

HIS Præmissis patet primò, q̃ in istis verbis, Hoc est corpus meũ, pronomẽ Hoc, neq; demonstrat panẽ, neque demõstrat corpus Christi: qa demõstrationi panis repugnat veritas essendi: nã sensus esset, hoc, id est, iste panis, est corpus meũ: qd cõstat esse falsissimũ: nã nec in fine sermonis, nec postea, nec antea iste panis est corpus Christi: quinũq; panis est corpus Christi. Quãuis enẽ sacramẽto cõfecto, & ipo durãte, verũ sit, q̃ id qd fuit panis, est corpus Christi, nũq; tũ verũ est, q̃ panis est corpus Christi. Demõstrationi aũt corporis Christi repugnat verũ fieri, ita veritas efficiẽtiæ: qm̃ corpus Christi nõ fit corpus Christi. Si enẽ pronomẽ, hoc, demonstraret corpus Christi, esset sensus, Hoc, id est, corpus meũ, est corpus meũ: qd constat nõ fieri p hæc verba, sed esse verissimũ aũ ista verba. Verè ergo significationi verborũ repugnat, q̃ pronomẽ, Hoc, demõstret panẽ: qa panis nunq̃ est corpus Christi. Et verè efficiẽtiæ eorũdẽ verborũ repugnat, q̃ pronomẽ, hoc, demõstret corpus Christi: qa corpus Christi non fit corpus Christi, nõ cõuertit ĩ corpus Christi. Oportet igit per pronomẽ, hoc, demõstrari id qd cõgruit vtriq; scilicet & esse & fieri: vt illud demõstratũ simul & semel & fiat & sit corpus Christi. Qd (vt priscl Patres docuerunt) est indiuiduũ substãtiæ absq; determinatione naturæ tã panis q̃ corporis Christi. Nec hoc volũtariè asserũt: sed quia pronomẽ, hoc, est demõstratiuũ substãtiæ, pculdubio singularis, ideo affirmãt demõstrari substãtiã indiuiduã. Et qa nõ plus exigit vis pnominis (quũ etiã apud grãmaticos significet substãtiã sine qualitate: id est, sine determinatione naturæ) & huiusmodi demõstratio quadrat tàm respectu ꝓ respectu esse: ideo cõcludũt q̃ pronomẽ, hoc, ĩ his verbis demõstrat substãtiã, q̃ sub illis est accidẽtib⁹, nõ explicãdo naturã panis aut corporis Christi. Quadrare aũt hãc demõstrationẽ tã ad fieri, q̃ ad esse, clarissimè patet. nã p hæc verba in fine prolationis substãtia cõtẽta sub his accidẽtib⁹ fit corpus Christi: & rursus verissimũ est in fine prolationis, q̃ substãtia cõtẽta sub his accidẽtibus est corpus Christi. Vbi manifestè videre potes iuxta hũc sensum verificari & verã significationẽ verborum, & eorũdẽ verã efficiẽtiã: qa p hæc verba in persona Christi prolata (scilicet hoc, id est hæc substantia, est corpus meum) hæc substantia fit, & est corpus Christi.

¶ Ampliato & manifestato hæc, eo quòd nulla in hoc sensu interuenit extorsio, nulla improprietas, nulla mendacitas, sed sistitur infra proprietatem verborum & fidei Christianæ confessionem. Hæc de septimo.

CAPVT VIII.

Quomodò falsum non fit, sed verum, deleri & remitti peccata per hoc sacramentum Eucharistiæ.

CTAVVM. Caput est, q̃ falsa est fides, sacramẽtũ hoc delere peccata: qa sola mors Christi nostra delet peccata.

CIRCA Hoc caput errorẽ facilè deprehẽdes, si vim rõnis inspicias. Ex hoc enẽ, q̃ sola mors Christi nra delet peccata, nõ seq̃t, Ergo applicatio mortis Christi ad nos nõ delet peccata. Sicut nã ex hoc, q̃ solus artifex facit sphærã, nõ excludũtur instrã artificis, quib⁹ sphærã operatur: ita ex hoc, q̃ sola mors Christi delet nra peccata, nõ excludũtur sacramẽta ecclẽsiæ, quæ sunt instrumẽta, quibus mors Christi applicat ad nos, alioqn delere oportet ex symbolo. Cõfiteor vnũ Baptisma ĩ remissionẽ peccatorũ. Si enẽ ex hoc, q̃ sola mors Christi delet nostra peccata, excluderentur sacra, Baptism⁹ quoq; excludit à deletione peccatorũ. Et sicut secũdũ veritatẽ nõ excludit Baptismus, ita nec alia sacramenta excludũtur à deletione peccatorum. Nihil ergo valet inducta ratio. Hæc de octauo.

CAPVT IX.

Quomodo eucharistia sacramentum sit sacrificium, & in missa offerri sit institutum à Christo, vel ab Apostolis.

ONVM Caput est, Falsa est fides tenẽs, q̃ Eucharistia sit sacrificiũ. Tũ qa sacrificiũ Christi semel in cruce oblatũ sufficit in æternũ: vt patet ex doctrina Pauli Apostoli ad Hebræ. 10. Vna enẽ sanctificatione cõsummauit in æternũ sanctificatos. Et nono, Per ꝓpriũ sanguinẽ introiuit semel in Sãcta, æterna redẽptione inuẽta. Tũ qa falsum est Christũ offerri in eucharistia, nam Christus non offertur in sacrificium nisi moriatur, nisi sanguine intercedente: vt patet ex doctrina Pauli Apostoli etiam ad Hebræ. 9. dicentis, neq; vt sæpe offerat semetipsum, alioqui oportebat eum frequẽter pati ab origine mundi, &c. Constat autem Christum in hoc sacramento non mori, nec posse mori. Tum quia nec à Christo, nec ab Apostolis instituta est missa.

CIRCA Hoc caput, aduerte errari in hoc, q̃ existimatur sacrificiũ altaris esse diuersum sacrificiũ à sacrificio qd obtulit Christus in cruce: quũ tñ in veritate sit illudmet: sicut est illudmet corpus Christi, & illemet sanguis Christi in altari, & in cruce, & in cælo modò. Differẽtia aũt est in modo offerẽdi: qa tũc oblatũ est corporaliter, modò offerũ ꝓpũaliter: tũc est oblatũ ĩ re mortis, nũc offertur in mysterio mortis. Et hoc intellige referẽdo oblationem tam ad rẽ contentã, q̃ significatã in sacrificio hoc. Quod dico: qa si ad species sacramẽtales refertur, oblatio corporalis & sensibilis manifestè est. Nec ꝓpterea spũalis hæc oblatio fit, q̃ insufficiens fuerit sacrificium Christi, sed vt in sacris mysterijs Christus eiusq; sacrificium iugiter recolatur, iuxta Christi mandatum Hoc facite in mei commemorationem. Vnde patet rationes allatas ex doctrina Pauli ad Hebræ. ad æquiuocum afferri, quoniã Paulus Apostolus loquitur de corporali oblatiõe Christi, quam fatemur esse vnam & sufficientissimam in æternum, quum autem de Eucharistiæ sacrificio est sermo ad spiritualem oblationẽ Christi transitur. Et bene nota, quòd nõ dicimus spirituale corpus Christi offerri in sacrificio altaris: sed dicimus spirituali oblatione offerri naturale Christi corpus in sacrificio altaris.

¶ Et hæc erudite lector intellige spectando ad rem contentam in hoc sacrificio, corpus scilicet & sanguinẽ Christi: nam si ad mortem Christi sacrificiũ altaris referatur signum tantum, & non res inuenitur: nam neque mors Christi neque status mortis Christi est secundum se: sed Christus viuit, & regnat in cœlo, & consequenter in sacrificio hoc non continetur, sed significatur mors Christi. Intelligẽdũ sanè iterum duo: Christus in hoc sacrificio significatur, & continetur: mors verò eius significatur quidẽ, sed non continetur. Vnde nõ oportet, & quoties hoc sacrificium offertur, verificare, quòd Christus moritur, sicut oportet verificare quòd Christus in eo continetur: in eo offertur, in eo tanquam res existens contenta & oblata. Significatur autem Christi mors hoc sacrificio nõ solùm quia verba consecrationis illam explicant, (dicendo, Qui pro vobis, & pro multis effundetur,) sed etiam quia sanguis seorsum à corpore consecratur: ipsa enim separatio sacramentalis significat separationem realem sanguinis à corpore Christi in morte ipsius.

¶ Quum autem obijcitur, sacrificium altaris non esse institutum à christo neq; ab Apostolis, aduerte, q̃ ex verbis Pauli Apostoli in epistola ad Corinthios prima, colligitur, Christum instituisse hoc sacrificium, & tempore Apostolorum fuisse in vsu non solùm vt sacramẽtum, sed vt sacrificium. Inquit siquidem Apostolus: Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniã dominus Iesus in qua nocte tradebatur, &c. Ex hoc enim, q̃ Paulus dicit se tradidisse Corinthijs, antequã scriberet eis primam Epistolã, quod accepit à Domino de Eucharistia, duo dicimus. Alterum est, quòd multa Apostoli tradiderunt ecclesijs seruanda, quæ tradita fuisse ab Apostolis non est scriptum in sacræ Scripturæ libris. Ecce vides hîc q̃ nisi subsecuta fuisset hæc Epistola, nesciremus Paulum tradidisse Corinthijs id quod accepit à Domino de Eucharistia, & tamen in rei veritate ipse tradiderat Corinthijs ante Epistolam doctrinam eucharistiæ, quam acceperat à Domino: vt ipse testatur. Alterum est, quòd id quod acceperat à Domino, & tradiderat Corinthijs de eucharistia est illud, cuius in præcedenti capitulo meminerat tanquam ritus iam in ecclesia Corinthiorum vsitati, dicendo, Fugite ab idolorum cultura: calix benedictionis cui benedicimus, nonne cõmunicatio sanguis Christi est: & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus: omnes quũ de vno pane & vno calice participamus: videte Israel secundum carnem, nonne qui edũt hostijs, participes sunt altaris? Quid ergo, dico quòd idolis immolatum sit aliquid, aut quòd idolum sit aliquid? sed q̃ quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo, nolo autem vos socios fieri dæmoniorum, non potestis calicẽ Domini bibere, & calicẽ dæmoniorũ, nõ potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. In quibus verbis, in quo textu & contextu clarissimè patet, quòd Apostolus supponit ritum ecclesiæ, qui tunc, & nunc seruatur: scilicet quòd sumentes eucharistiam, sumunt de sacrificio altaris, & ex hoc ipso, quòd sumũt de sacrificio, de immolatis Deo, monet Corinthios vt fugiant culturam idolorum, afferens ex veteris ritu legis, quòd edentes hostias, erant altaris participes, & similiter Gentiles dæmonijs immolantes, mensæ dæmoniorũ sunt participes, &c. Habes ergo ex hoc singulari textu, quòd calix & panis Domini tempore Apostolorum in sacrificij vsu erant: nisi quis adeò despiat, vt impertinenter hæc omnia ab Apostolo tam accuratè allata putet.

Et hiẽ textus iunctus ei, quod dixit apostolus, Ego enim accepi à Domino, quòd & tradidi vobis, sufficit ad testimonium perhibendum quod Christus instituit non solùm hoc sacramentum, sed etiam hoc sacrificium, & quòd Apostoli docti à Christo tradiderũt ecclesiæ hoc

Universidad de Deusto Biblioteca

sacrificium.

¶ Si extra sacram scripturam alijs scriptoribus credendũ est, inuenimus Iacobum fratrem domini missæ celebrationem addidisse, vt sexta synodus refert de conse. di. 1. ca. Iacobus. Inuenitur tempore Telesphori Papæ (qui octauus cõputatur papa à beato Petro) missas celebrãdas esse nocte natiuitatis Domini: vt patet de conse. distin. 1. c. nocte.

Nota hîc, non institutionem sed testimoniũ sextæ synodi de additione facta à Iacobo fratre Domini circa missam: quia non Romanus pontifex, nõ latina ecclesia, sed Græca, sed Orientalis tẽpore Agathonis papæ, & constantini Iunioris Imperatoris Constantinopoli congregata centũ quinquaginta Patrũ, testatur missam à Iacobo Apostolo, ordinatã: si vnius historici scriptoris testimonio creditur, certè indubia debetur fides centũ quinquaginta Patrũ testimonio. Taceo quòd etiam vt dictũ est, tempore Telesphori papæ q̃ octauus à beato Petro papa recẽsetur (qũ ecclesia Romana nullo temporali gloriabatur imperio, sed triumpho martyrum) inuenitur sacrificium missæ in nocte natalis Domini offerendum: vt patet de cõse. di. 1. ca. nocte. Et si gestis martirum autenticis apud ecclesiã fides ab istis datur, habes ante Constantini tempora (quũ ecclesia Romana non gloria temporali, sed martirio floreret) sacrificium eucharistiæ viguisse: vt patet ex verbis Laurẽtij ad Sixtum: Quo Sacerdos sanctæ sine diacono properas: tu nũquam sine ministro sacrificium offerre cõsueueras. Ecce quod Sixtus sacrificium offerre consueuerat, proculdubio eucharistiæ. Vnde de se diacono subdit: Experire vtrum idoneum ministrum elegeris: cui cõmisisti Dominici sanguinis dispensationem.

¶ Aduerte hîc demum quòd etiam si nihil esset scriptũ, ipsa successiua traditio non vnius partis mundi, sed vniuersalis ecclesiæ toto orbe diffuse sufficiẽs testimoniũ præberet sacrificiũ hoc institutũ esse à Christo & traditũ ab Apostolis, vt patet ex eo, quòd autoritas ecclesiæ sufficit ad maiora. Ex autoritate siquidem ecclesiæ habemus cõs libros sacræ Scripturæ: nam Euangelium Ioannis nescirẽ magis, quàm Bartholomei nisi me autoritas ecclesiæ admoneret: & sic de alijs. Si sacrũ hoc latina tũ ecclesia haberet, aut de nouo in ecclesia Dei esset introductũ, esset fortè locus suspicioni, quòd adinuentio fuit Romana: sed vbi Græci, Latini, Barbari, &c. hoc semper habuerũt sine initio alicuius medij temporis: etiam si Scripturæ testimonium deesset, sufficere deberet: quantò ergo magis, cùm tot scriptis testimonijs. Hæc de nono.

CAPVT X.

Quomodo non sit idololatria, adorare sanctam Eucharistiæ sacramentum.

DECIMVM Caput est, quòd idololatria est adorare eucharistiæ sacramentum. Tum quia pura Christi humanitas non est adorãda. Tum quia solus Deus, quem nemo vidit vnquam, adorandus est, adorantes autẽ Eucharistiam adorant quod vident. Tum quia non legitur, Apostolos adorasse eucharistiam in cœna.

CIRCA Hoc caput, facilè patet error primæ rationis: quia in sacramẽto hoc non adoratur humanitas Christi pura, sed adoratur Christus verus Deus, & veram habens carnem assumptam. Et per hoc idem patet error secundæ rationis, quia non adoramus accidentia illa panis & vini, quæ videmus, sed Christum contentum sub accidentibus illis.

¶ Circa id verò quod tertio afferitur: quia non legitur, Apostolos adorasse Eucharistiam in cœna, duo dicito. Primùm, quòd non legitur, eos adorasse Christum præsentẽ in cœna, quid mirũ si nõ legitur, adorasse sacramẽtũ ipsius Christi? Et propterea quòd non legitur, Apostolos Christum adorasse in cœna argumentum valet, ergo nec à nobis Christus est adorandus. Deinde dicito, nõ valere argumentum vniuersaliter: non legitur hoc factum ab Apostolis, ergo non est faciendum. Nusquam enim in sacra Scriptura legimus, eos condidisse symbolum fidei, & tamen fecerunt illud: nusquam enim legitur in sacra Scriptura approbasse eos Euãgelium Lucæ & Marci, & tamen ab illis credimus approbatum. Hæc de decimo.

CAPVT XI.

Quod nullus vnquã Doctorum ac sanctorum verbis suis fouet Christi corpus esse in eucharistia sacramento, vt in signo.

VNDECIMVM Caput est, q̃ Tertulianus, Augustinus, Origenes, Hilariũsq̃ fouent, quòd in Eucharistia corpus Christi est vt in signo, &c.

CIRCA Hoc caput (in quo iste homo multa affert, quæ facilè ab erudito quoque ex suprà dictis comprobantur inutilia ad errorem istius) aduerte, quòd autores isti vbi quandoque affirmant sacramentũ esse figuram, aut signum corporis Christi, aut aliquid huiusmodi, vera dicunt: non tamen propterea negant cum hoc signo inueniri etiam rem signatam figuratã, & contentam Christi carnem. Ratione siquidem specierum sacramentalium appellauerunt, & appellant doctores sacramentum hoc signũ, figuram, & id genus reliqua: non tamen propterea negant rem contentam sub tali signo.

Vbi etiam aduerte, quòd sapienter sacri doctores frequentia sacramentorum postponunt virtutibus quia virtutes sunt bona propria bonis hominibus, sacramẽta verò communia sunt bonis & malis. Hæc de vndecimo.

CAPVT XII.

Quòd non duæ, sed vna tantùm sit salutis via his, qui fidem habent de Eucharistiæ sacramento.

DVODECIMVM Caput est, quòd si fides esset de Eucharistia, essent duæ viæ salutis: vna fidei in Christum, altera fidei in sacramentum.

CIRCA Hoc caput, scis erudite lector, ridiculum esse. Non enim duæ sunt artes in aurifice, altera operandi anteà, altera vtendi instrumentis ad faciendum aurea opera. Non sunt duæ fides: altera ad Christum, altera ad instrumenta Christi, quibũ mediantibus nobis suam virtutem salutiferam applicat. Sacramenta siquidem ecclesiæ instrumenta sunt Christi ad nostram salutem ab ipso instituta. Et qui fidem sacramentorũ negar, deleat ex Euangelio, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Hæc de 12. anno. 1525.

TRACTATVS TERTIVS

De Missæ celebratione, in duas quæstiones diuisus.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum sacerdos sumpta ablutione, licitè possit sumere reliquias Eucharistiæ, in calice vel extra remanentes.

QVAERITVR Vtrum sacerdos sumpta ablutione, licitè possit sumere reliquias Eucharistiæ, in calice vel extra remanentes. Et videtur quòd non. Primò quia verè non est ieiunus ieiunio naturæ: quoniam sumpta ablutio vinum vel aqua est, quorum vtrunq̃ soluit ieiunium naturæ.

¶ Secundò, Quia si hoc liceret, cùm ita sit perfectè corpus Christi in qualibet particula relicta, sicut in tota hostia, pari ratione posset vnam aliam hostiã consecratam sumere: quod constat esse illicitum. Et rursus pari ratione posset aliam missam celebrare: quod non esse licitum, patet ex ritu ecclesiæ in nocte natalis Domini, &c.

¶ Tertiò, Si liceret sacerdoti post ablutionem sumere reliquias Eucharistiæ, liceret quoque communicantibus: sed hoc non licet, vt patet: ergo, &c.

CONCLVSIO.

Sumpta ablutione potest sacerdos sumere Eucharistiæ reliquias intus vel extra remanentes.

IN HAC DVBITATIONE Scito primò diuersas esse opiniones. Quidam enim (de quorũ numero est Scotus in 4. sen. di. 8.) putant nõ licere post sumptam ablutionem reliquias Eucharistiæ sumere propter primam rationem: quidam autem sentiunt oppositum.

¶ Et quoniam hæc opinio rationabilior atq; ecclesiæ ritui conformior est, ideo declaranda firmandaq; est. Scito ergo, q̃ vnum (vt patet 5. Metaph.) cum multipliciter dicatur, quantum ad propositum spectat, dicitur dupliciter: scilicet simplicitate & perfectione. Quod non solũ est verum in rebus, sed in actibus: nam non solùm aliqua res est vna simplicitate (vt albedo) aliqua perfectione (vt calceus constans ex omnibus ad ipsum requisitis) sed aliqua oper-

operatio est vna simplicitate, vt visio: & aliqua perfectione, vt prandere constans ex multis operationibus requisitis ad prandium: vt sumere panem, carnem, vinum, &c. Qui igitur examinant actus sacerdotis sacrificiũ offerentis & sumentis, secundum naturam actuum simplicium, coguntur consequenter dicere, q̃ sumpta ablutione non possunt sacerdotes sumere reliquias. Qui autẽ actus sacerdotis secundum naturam actuum perfectorum constantium ex pluribus ad sui perfectionem, discutiunt, dicunt q̃ sicut oblatio corporis & sanguinis est vnum perfectum sacrificium, & sumptio eorundem sub speciebus panis & vini est vna perfecta refectio cõstans ex cibo & potu: ita tota sumptio eucharistiæ, reliquiarum, & ablutionis est vnus consummatus actus: ac per hoc reliquiæ tunc sumptæ ad eundem numero actum perfectum spectant, non vt necessariò requisitæ ad integritatem illius, sed vt partes materiæ.

¶ Quòd autẽ actus sumptionis eucharistiæ & actus ablutionis, computari debeant, non tanẽ diuersi simplices actus, sed pro vnico actu: ritus ecclesiæ cogit omnes confiteri, ex hoc, q̃ non saluari rectè aliter possunt difficultates accidentes in huiusmodi sumptionibus, & sic optimè saluantur. In primis non potest aliter saluari, quomodo reliquiæ eucharistiæ adhærentes palato, vel dentibus, possint licitè post ablutionem deglutiri. Et patet ratio: quia sumptio cibi vel potus, quo ad ieiunium naturæ, & quo ad veram comestionem & potationem, non est absq; deglutione. Cùm igitur in casu hoc non sit ieiunus, quomodo hoc saluabis, nisi dicendo q̃ totũ pro vnico actu computatur? Nec officit intento, si quis dicat, q̃ non est simile de reliquijs in calice, & patena, & in ore: quia istæ sunt semel sumptæ, ille non. Nam satis est in proposito, q̃ oportet acceptari ab omnibus hoc, q̃ actus isti non iudicãtur vt diuersi secundum se, sed cõputantur pro vnico, adhuc enim eucharistia etiam tota remanente in ore, etiam ablutione sumpta, licitè sumitur absq; dispẽsatione ieiunij nõ alia ratione, nisi quia totum pro vnico actu computatur. Nam si singuli actus seorsum acciperentur, nõ posset ille ieiunus eucharistiã verè sumere, id est deglutire: sumptio enim in ore sola, non est sumptio. sed inchoatio eius: quia non est comestio, neq; potatio. Non potest quoq; deinde aliter saluari, quomodo in parasceue, quando hostiæ pars in vino posita remaneret in calice, sumpto vino, sumi à ieiuno rectè potest, nisi totum pro vnico actu computando. Quòd autem oporteat primam ablutionem, si statim sumitur, sumi à nõ ieiuno, ex eo patet, q̃ statim adhuc est ibi verus sanguis Christi. Cũ enim semper in calice maneat aliquid humiditatis post sumptũ sanguinẽ: & illud non sit sine subiecto, si vinũ fuisset, proculdubio retinet adhuc vini speciem: & cùm non tam citò corrumpatur, restat vt in secũdo haustu sanguis Christi adhuc sumatur mixtus vino: qui nõ nisi à ieiuno sumendus est, sicut nec pars hostiæ mixta vino, &c. Non potest quoq; aliter reddi ratio, quare liceat ablutionem sanguini mixtã statim duobus haustibus sumere, & particulam hostiæ post primum haustum in calice remanentem oporteat relinquere quare enim magis licet sanguinis reliquias vino mixtas, q̃ hostiæ post primum ablutionis haustum sumere? Non potest quoque aliter saluari differentia in præfatis casibus inter hominem sumpta ablutione, & hominem, qui prius tantundem bibisset. Et tamen qui bibisset, ab omnibus iudicatur inhabilis ad sumendas etiam reliquias: Qui autem, qui ablutionem sumpsit, in omnibus prædictis casibus absque dispensatione excusatur. Nec hoc est aliunde, q̃ ex hoc, q̃ absolutio non computatur contra reliquias.

¶ Quòd verò reliquiæ eucharistiæ vt partes materiæ se habeant, ex ritu ecclesiæ, & ratione apparet. Ex ritu quidem: quia non dicitur his communicare, qui post sumptã hostiam sacram particulas reliquas sumit, etiã si credens se nihil amplius accepturum, adoratum fuit ante ablutionem: vt in religione fit. Et tamen si aliam hostiam sumeret, quantumcunq; ieiunus, iterum cõmunicaret, nisi forte vt reliquias communionis susciperet: quod cõfirmaret intentum: quia scilicet ratio reliquiarum haberetur. Ex ratione autem: quia sicut in alijs rebus duplices assignantur partes, scilicet speciei & materiæ, ita in eucharistia vt partes speciei sunt species sacramẽtales panis & vini: hæc enim in diffinitione cadunt: vt partes verò materiæ sunt particulæ specierum panis & vini: quæ etsi in diffinitione non ponerentur, sicut nec semicirculus in diffinitione circuli, ad integritatem tamen materiæ spectant. Vnde quamuis eucharistiæ sacrificiũ sumpta hostia & sanguine, perfectum sit essentialiter, adhuc tamen perficiendum restat quo ad partes materiæ: quę reliquię sunt. Et quoniã ablutio necessariò immiscetur his partibus, ideo sumptio ablutionis & partium huiusmodi pro vnico actu rationabiliter computantur.

¶ Ex p̃dictis igitur, tu studiose collige quid est in hac difficultate, super quod rationes fundari & difficultates solui possint: & est quòd sumptio reliquiarum eucharistiæ & ablutionis earum pro vnico actu computantur. Oportet enim hæc duo simul concurrere: scilicet rationem reliquiarum, & rationem ablutionis earũ ad hoc, vt ad vnũ spectent actum: propter quod non est idem iudicium de alia hostia, & de reliquijs, nec de potatione præcedẽte & de ablutione: nec de ablutione quã pro reuerentia sumũt cõmunicantes sub specie panis, & ablutione sacerdotali: quoniam ista est ablutio reliquiarum extra manentium, illa non, sed aut pro intus tantùm manentibus, aut pro reuerentia. Et quoniam ablutio sacerdotalis nõ est ablutio specierum sanguinis tãtùm, sed corporis: idcirco reliquiæ corporis & sanguinis post sumi possunt. Et quoniam particulæ hostiæ remanentes in patena vel corporali de numero reliquiarum sunt, quamuis non ablutæ, sumi sicut ablutæ possunt alioquin particula hostiæ ex stridore frigoris fortè parietibus interioribus calicis inhærens non abluta, sumi non posset cum ablutis; quod est ridiculũ. Ex quo enim saluatur ratio tam reliquiarum, quàm ablutionis reliquiarum, quamuis nõ omnes sint actu ablutæ, omnium sumptio pro eodem actu computatur, &c.

EX HIS PATET Responsio ad obiecta. Nam ad primum dicitur, q̃ ieiunium naturæ debet præcedere totum actum sumptionis sacramenti, & non singulas eius partes, &c. reputatur enim ieiunus totũ sumere, qui ieiunus cepit: vt dictum est.

¶ Ad secundum patet responsio: quia licet quo ad rem sacramenti: scilicet corpus & sanguinem Christi idem sit de toto & partibus iudicium: non tamen quo ad species ipsas: quæ sunt sacramentũ tũ, vt ritus ecclesiæ cõuincit.

¶ Ad tertium autem dicitur, quòd communicãs statim vt ablutionem reuerẽtialem acceperit, refectionem suam compleuit. Nec est amplius de numero discumbentium: vnde est mirum, si non potest sumere reliquias. Sacerdos autem qui ablutionibus reliquiarum sumẽdis vacat, adhuc est in actu refectionis: propter quod non est mirum, si licet sibi reliquias sumere. Et simile est iudicium de sumentibus particulas hostiarum sacrarum in vino calicis, potest enim post primum haustum remanẽtes reliquias, secundo & tertio haustu assumere, & hærentem sacerdotis digitis particulam sugere: quandiu sumendis vacat reliquijs & ablutioni earum. Et hæc dicta sufficiãt. Pisis die 26. Nouembris, 1509.

QVAESTIO II.

Vtrum sacerdos celebrans pro pluribus, satisfaciat pro singulis.

QVAERITVR, Vtrum sacerdos obligatus ad celebrandum pro aliquo, & accipiens eleæmosynã ab altero vt celebret pro eo, satisfaciat dicendo vnam tantum missam pro vtroque.

¶ Et videtur q̃ non. Primò quia effectus missæ, pro quo habendo missa petitur & promittitur, est finitus. Finitũ autem diuisum, minus habetur à singulis, quàm si totum haberetur ab vno. Quicquid igitur datur secundo, admittitur à primo, & sic neutri satisfit. Assumptum: scilicet quòd effectus missæ sit finitus, probatur ex eo, quòd pro eodem dicuntur plures missæ.

¶ Præterea, Cum idem sit iudicium de duobus & de valde multis, imò de omnibus, si potest missa promissa vni satisfacere pro altero, satisfaciũt ergo est pro omnibus; & sic ecclesia non bene institutisset missas pro aliquibus determinata, sed debuit omnes pro omnibus offerre: vt bonum commune sine detrimẽto particularium procuraret, communis mater omnium.

¶ Præterea, Si satisfacit hic sacerdos vnica missa pro pluribus, pari ratione satisfaciet etiam vnica missa pro quas

Universidad de Deusto Biblioteca

euor missis promissio eidem,accepta ab illo eleemosyna pro quatuor missis.Hæc autem constat esse falsa:damnaretur enim ab ecclesia,q vnica missa dixisset se satisfecisse pro missis beati Gregorij,quæ sunt triginta ergo,&c.

IN OPPOSITVM Est: quia virtus missæ est infinita:quia est virtus Iesu Christi in seipso.Infinitum autem potest quibuscunque applicari, & ab eis participari absque vllo singulorum damno:ergo,&c.

CONCLVSIO.

Sacerdos suscipiens eleemosynã,vt pro aliquo celebret, si accipiat à pluribus eleemosynam, pro omnibus satisfacit, iuxta illorum deuotionem.

IN HAC Quæstione,quia missa cõtinet duo:scilicet orationem & sacrificium eucharistiæ,primò de sacrificio(quod est præcipuum in missa)deinde de oratione dicendum est.Rursus,quia effectus vtriusq; est multiplex: scilicet meritum,impetratio & satisfactio,sigillatim desiniendũ est.Rursus,quia effectus dupliciter oritur, scilicet ex opere operato,& ex operẽ operãte, vt perfecta habeat de quæsito notitia, singulis examinatis decernetur quid simpliciter respondendum sit quæsito.

¶ Sacrificiũ igitur missæ dicit duo.Est nanq; sacramentum & sacrificium:& inquantum sacramentum,non est ad propositũ:quia effectus eius est respectu sumentis tantùm.Inquantum verò sacrificium est ad propositum, & distinguitur ex parte operis operantis,& ex parte operis operati.Et sumptum hoc sacrificium secundũ opus operatum consideratur dupliciter,scilicet secundum seipsum absolutè:& secundum seipsum applicatum huic: si enim consideratur hoc sacrificium secundum opus operatum absolutè,sic est immolatio Iesu Christi,ita q; res oblata est Iesus Christus.Et quantitas huius sacrificij est infinita,ita q; est impetratiuum,meritorium,& satisfactiuum infinitè:vnde effectus eius infinitus est sicut & passionis Christi:est enim Deo acceptius,q̃ sint exosi omnes peccatores,&c.Verũtamen sicut infinitas effectus Christi crucifixi est secundum sufficientiam,& non secundũ efficientiam,& secundum naturam causæ vniuersalis, indeterminatæ,scilicet & non determinatæ ad hunc aut illum: ita hoc sacrificiũ est ex suipsius natura infinitæ sufficientiæ, & indeterminatæ efficaciæ. Et sicut efficacia passionis Christi determinatur ad hunc per hoc vel illud sacramentum:ita efficacia huius sacrificij per hanc vel illã deuotionem.Et quoniam deuotio pertinet ad applicationem sacrificij, ideo loquendo de effectu huius sacrificij ex solo opere operato secundum se,patet nullum habere particularem effectum in quocunq; homine, sed tantum in ordine ad Deum habet acceptibilitatem, gratiarum actiones,commemorationem,& si quid est huiusmodi. Vnde in hoc videtur cõmunis multorum error,q; putãt hoc sacrificium ex solo opere operato habere certum meritum,vel certam satisfactionẽ,quæ applicatur huic vel illi:hoc enim non esse verum, iam patet. Et confirmatur:quia cum ex opere operato sit infinitæ virtutis,etiam in satisfaciendo non esset maior ratio ex se, quare magis tantam & non maiorem satisfactionem daret.

¶ Si autem sumatur hoc sacrificium vt applicatum isti vel illi,sic effectus eius est finitus iuxta quãtitatem deuotionis offerentiũ,vel eorũ,pro quibus offertur:ita q; quia in applicatione huius sacrificij duo sunt:scilicet applicatio ipsa ad hunc vel illũ,& effectus particularis in hoc, vel in illo,duo quoq; actus cõcurrunt ad hanc determinationẽ:intentio,scilicet & deuotio:intentio enim applicat hoc sacrificiũ huic vel illi,deuotioni autẽ effectus rñdet: vnde intentio propria est sacerdoti,deuotio autẽ cõis est ei & alijs.Vnde & in canonẽ missæ sacerdos actũ intẽtionis applicatiuẽ huius sacrificij exercẽs, dicit, Tibi offerimus pro ecclesia tua sancta, papa nostro, &c.&,Memẽto Domine famulorum famularũmq;,&c.& omniũ circunstantium.Deinde actum deuotionis subiungit,Quorum tibi fides cognita est,& nota deuotio.Hoc enim nõ solùm ad circunstantes,sed alios refertur:ex his insinuãs applicationem huius sacrificij non solùm intentione, sed deuotione adiuncta perfici,ita q; quanta est horum deuotio,tanta applicatur eis ex illa infinitè satisfactio.

¶ Et ratio est:quia in sacrificijs & oblationibus quantitas deuotionis magis pẽsatur,q̃ quantitas rei oblatæ.Vt patet de vetulæ oblatione Luc.21.& ex autoritate Gre. in homi.Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ,dicẽtis,Nõ perpendit Deus quantũ in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur.Et qm̃ ex parte rei oblatæ,est infinitas in hoc sacrificio,& per vnicã deuotionẽ non exhaurit, nec minuit, consequens est vt non solũ pluribus, sed infinitis deuotionibus vnicũ sacrificiũ sufficienter respondeat, cuilibet certã pariẽdo satisfactionẽ.Nihil igitur adimit alicui facienti pro se offerri hoc sacrificium,ex quãtitate effectus huius sacrificij secũdũ se & applicati ad ipsum, ex hoc, q; alter procurat eandẽ pro se dici,nec econuerso:sed vnicuiq; respõdet tantundẽ, quantũ si pro se solo diceret: quia vnicuiq; sufficienter,& efficienter iuxta quantitatẽ deuotionis suæ.

¶ Et cõfirmatur hoc ex ipso canone missæ, in quo non solũ generaliter pro ecclesia,pro principibus & omnibus Christianis:sed specialiter pro his qui in Memento cogitantur,& oibus circũstãtibus offerri dicit hoc sacrificiũ. Cõstat nanque, q; non est determinatus numerus cogitandorum in Memẽto:& multò minus determinatus est numerus circũstantium:& q; nullus ex alterius cõsortio minus habet de effectu missæ:& quòd hæc non referunt ad orationẽ,sed sacrificium : quoniã ibi expressè dicitur, pro quibus tibi offerimus,vel qui tibi offerũt hoc sacrificium laudis.Et quòd non solũ pro impetratione, sed pro satisfactione offertur:quoniã expressè dicitur, pro redẽptione animarum suarum:redẽptio enim à malis est, & vt ipsum nomẽ testatur,satisfactio per modũ solutionis est: sicut Christus redemit nos soluendo pretium Deo patri. Potest igitur sine cuiusq; detrimẽto pro infinitis sacrificiũ hoc offerri,& satisfacere iuxta singulorum deuotiones.

Caue tamen hîc ne fallaris:putans ex hoc sequi, q; vna missa tantum satisfacit si dicatur pro vno quantũ pro pluribus.Hoc enim nõ sequit ex dictis:qm̃ nõ diximus, q; effectus huius sacramẽti respõdet intẽtioni,sed deuotioni.Nõ enim quantũ intẽdo ex hoc sacrificio satisfacere tantùm satisfacio, sed quãtam deuotionẽ habeo, tantùm, ex illo haurio.Vnde si ego offerens hoc sacrificium, habeo deuotionem tantam,q; ei respondet in hoc sacrificio satisfactio vnius anni,& intendo celebrare pro satisfactione vnius,ille releuabitur satisfactione vnius anni.Si autem intendo satisfacere pro duobus æqualiter. quilibet releuabitur pro medio anno tantum, si pro tribus, pro tertia parte anni:& sic de singulis. Et similiter etiam dico de satisfactione respõdente deuotioni Martini,qui facit celebrari eãdem missam,q; si pro vno fit,totam sortitur ille: si pro pluribus,diuiditur inter eos. Et similiter dico de quotcunque alijs facientibus eandem missam celebrari. Semper enim satisfactio cuilibet deuotioni respondens est finita,& si ad plures per intentionem applicetur diuidit,& minus à singulis participatur.Et sic verificatur theologorũ sñia,dicentiũ effectum huius sacrificij finitũ & diuisum minorari in eis quibus applicatur.Intelligit enim(vt patet ex dictis)nõ in ordine ad plurium deuotiones:sed vti participatum ab hac vel illa deuotione.

¶ Ex his ergo patet,q; missa rogata à pluribus,plus satisfacit,cæteris paribus,q̃ rogata à paucioribus:quia ex pluribus deuotionibus offerẽ:& similiter missa rogata pro aliquibus,plus valet illis,q̃ si ex sola deuotione sacerdotis pro illis diceretur:quia ibi effectus est iuxta deuotionem etiã rogãtium.hic non. Et ex hac doctrina(quã accepi ex tertia parte diui Tho.q.79.ar.5.)soluũtur oẽs difficultates accidentes in hac materia,quoad valorẽ sacrificij.

Hinc saluatur infinitas sacrificij secundum se,& finitas effectũs in vnoquoque, & autoritas doctorum, & ritus ecclesiæ in celebrando pro particulari, & maior fructus in vno,q̃ in pluribus & cõsuetudo tam offerentium pro vna missa(vt in parrochijs accidit)quàm celebrantiũ pro pluribus petentibus eandem sine fraude,vt in solennitatibus accidit.Si autem consideretur hoc sacrificiũ ex parte operis operantis, sic etiam quantitas effectus eius attenditur secundum quantitatem deuotionis offerentium. Sed quoniam ex hac parte non est quæstio,nec ex ista parte petita,aut promissa intelligitur missa(sola enim intẽtio sacerdotis applicatiua sacrificij ad hunc, petitur & promittitur communiter)ideo pertranseo.

ET AD Secundam partem missæ, quæ est oratio,descendendo,dicẽdum occurrit,q; oratio cũ sit actus religionis,cuius est cultum Deo exhibere (vt ex Secunda Secundæ,q.83,patet:per orationem enim mens ipsa Deo offertur:vt Diony.Greg.& S.Tho.dicunt)ex proprio genere infra latitudinẽ sacrificij cõtinetur:iuxta illud Oseæ vlti,Reddemus vitulos labiorum nostrorum,& ad Heb.

vlt.

vlt.Per ipsum ergo offeramus hostiã laudis semper Deo, id est fructum labiorum cõfitentium nomini eius.Addit tamen aliquid speciale ex propria ratione,inquantum est petitio:propter quod distinguitur de oratione,inquãtum est meritoria,vel satisfactoria,vel impetratoria,vel cõsolatoria.Et quia nullus meretur de condigno nisi sibi, & similiter,quia cõsolatio spiritualis est effectus in ipso orante ex attentione & meditatione propria procedens, nulla est hîc difficultas de oratione,inquantũ meritoria & consolatoria,vbi de oratione secundum eius communicabilẽ effectum est quæstio.Imperatoria autem vis,fidei principaliter innititur ex parte nostri:iuxta illud Mar.11.Quicquid orantes petitis,credite,quia accipietis,& fiet vobis: ex parte verò Dei innititur suæ misericordiæ. Et quoniã nec fides de vno petito minuit fidem de alio obtinendo, nec liberalitas diuina circa vnũ minuitur ex alterius largitione:ideo oratio,inquantum impetratoria,non minus, si pro pluribus,q̃ pro vno fiat,valet:sed magis pro quanto ex maiori fiducia diuinæ largitatis:& ampliori charitate procedit.Inquantum autem satisfactoria,vim habet ex duobus,scilicet ex deuotione(sicut & alia sacrificia)& ex pœnalitate orantis,sicut cætera opera pœnalia.Et quoniam de omni sacrificio verũ est,q; satisfacit iuxta quantitatem deuotionis offerẽtium(vt patet ex autoritatibus adductis)vel eorum,pro quibus offertur (vt patet ex responsione ad secundum,in q.supradicta tertiæ par.) ideo idem est proportionabiliter iudiciũ de satisfactione orationis & sacrificij eucharistiæ:non quo ad quãtitatẽ oblati,sed quo ad quantitatem deuotionis & satisfactionis illi respõdentis:& propterea sicut dictum est, istud posse pro pluribus offerri,ita & orationem.Quo ad pœnalitatem autem restat tantum in orante,quum sit personalis, & oratio de genere suo non sit opus pœnale, nulla etiam apparet difficultas in proposito:quia non petitur propriè à sacerdote afflictio (vt in ieiunio) sed intentio applicandi orationes ad impetrandum pro se primò,& ad satisfaciendum:quoniam dum petitur oratio,tale sacrificium, scilicet petitorum postulatur.Ex his autem patet quid dicendum sit etiam de ipso sacrificio missæ,inquantum impetratorium vel meritorium.Nec testes dubius propter meritum congrui:quoniam cùm consistat in quadam condecẽtia(vt scilicet nobis faciẽtibus quod in nobis est, Deus faciat quod ipsum decet)vis meritoria de congruo in sacrificijs & postulationibus attenditur secundum deuotionem & fidem offerentium, vel eorum, pro quibus offertur.Et ideo multitudo nihil nocet singulis ex hac parte: sicut de alijs dictum est.Et per hæc patet, quòd affirmatiuẽ respondendum est quæsito.

VNVM Tamẽ dubium restat in prædictis,an appellatione deuotionis eorum,pro quibus offertur, veniãt defuncti & remoti,nihil sciẽtes de hac missa,quæ offertur pro omnibus secundum eorum deuotionem:quoniam si omnes intelliguntur,par erit conditio procurantis, & nõ procurantis missam:omnino enim secundum suam deuotionem erit eius particeps.Si verò non omnes intelliguntur,non erit vniuersaliter verum,q; hoc sacrificiũ valeat secũdum deuotionem eorum,pro quibus offertur:pro omnibus enim offertur.Sed hæc ambiguitas ex ipso consursu deuotionis ad sacrificia, soluitur. Concurrit nanq; deuotio vt causa quædam determinatiua sacrificij ad hũc effectum:vnde Greg.in autoritate allegata,affectus deuotionẽ ponit vt causam,dicens q; perpendit Deus ex quanto profertur.Vnde deuotio quantificans effectum sacrificij non se tenet ex parte accipientium effectum, q̃uis indispositio talium ad impediendam receptionem tanti effectus sufficiat:sacrificium enim non operatur per modum agentis vt sacramenta,sed per modum oblationis:sed tenet se ex parte concurrentium ad tale sacrificium causaliter,quomodolibet sit causalitas ista,puta petendo, ministrando,consulendo,adiuuando,fauendo,&c.Quo fit,vt defunctis secundum præcedẽtem eorum deuotionem in communibus vel in specialibus,& secundum deuotionẽ viuentium pro eis offerentium, viuentibus verò circunstantibus tanquam seruitoribus ad minus:vniuersis autẽ tanq̃ communicantibus in tali oblatione iuxta eorũ deuotionem prosit.Quum enim sacerdos oret,& offerat in persona ecclesiæ,& quilibet fidelis sit membrũ ecclesiæ, consequens est,vt quilibet per sacerdotis actus oret, & offerat:& sic causaliter concurrat ad sacrificiũ,ac per hoc quælibet missa singulis fidelibus prodest etiã satisfactoriẽ iuxta eorum deuotionẽ,quam habent in cõmunibus ecclesiæ orationibus & sacrificijs:sicut habentes deuotionem in orationibus & missis alicuius personæ participes fiunt illarum iuxta suam deuotionẽ ex generali communione Sanctorum. Nec propterea æqua est rogantis & non rogantis conditio:sicut non est magis & minus deuoti æqua cõditio:sicut nõ est æqua vno tm̃ & vno & altero modo facientis sibi aliqd debitũ cõditio.Rogare em̃ & eleemosynam pro hoc tribuere, corporaliter venerari, & huiusmodi,& maioris sunt deuotionis, & faciunt vt non ex communione sanctorum tantùm,sed ex tali actu etiam hoc assequatur.

AD PRIMVM Argumentum in oppositũ iam patet responsio ex dictis,quòd effectus,scilicet missæ est finitus cuilibet secũdum suã fidem,quo ad impetrationem,& secundum suam deuotionẽ,quo ad satisfactionẽ propterea vtrunque dicitur in canonem, Quorum tibi fides cognita est,& nota deuotio.Est tamen infinitus in multitudine:quia infinitis potest respondere,singulis suas satisfactiones finitas & impetrationes pariendo.

¶ Ad secundũ dicitur,quòd canon missæ testatur missas ita ab ecclesia ordinatas pro particularibus, vt tamen semper pro omnibus viuis & defunctis explicitè celebrẽtur:vt patet intuenti,Vnde prouida simul & pia Mater voluit,vt ex deuotione sua omnibus sacrificiũ prodesset, & specialiter capitibus:& ex deuotionibus priuatis his vel illis prodesset,& sic sine fraude,& sine cuiuscũq; dãno excitat priuatas deuotiones pro se vel alijs,vt iuxta eorũ deuotiones fructus referant speciales.Est etiam alius fructus ex specialibus missis quoniam enim naturaliter vnicuique amabile est proprium bonum,& quod cõmune est negligitur,excitamur magis.Adiungitur quoque non parui pẽdẽdus effectus in sacerdote:q & de propria deuotione offert pro particularibus à quibus suscepit eleemosynas,vel quibus afficitur.

¶ Ad tertium dicitur:quòd si offerentes & pro quibus offertur haberent tantam deuotionẽ in vna missa, quãtã habẽt in triginta,vna missa satisfaceret pro triginta. Sed quia non est sic(manifestè enim patet petentem habere maiorem deuotionem in triginta & meritò, quia maior honor exhibetur Deo in pluribus quàm in vna, cæteris paribus)ideo qui promittit dicere triginta,tenetur dicere triginta. Et hæc de hac quæstione dicta sufficiant. Romæ,1510.die primo Decembris.

TRACTATVS QVARTVS

de ualore orationum dictarum ab audientibus missam in Die festo,unica quæstione contentus.

Num ad Canonicas horas obligatus,aliquam earum,infra missam exoluens,ad quam ex die festo obligatur,satisfaciat vtrique.

QVAERITVR An obligatus ad canonicas,horas exoluens earũ aliquã infra missam ad quã in die festo obligatur,satisfaciat vtrique.Videtur namq; quod nõ.primò ex numero cultus:quia cultus missæ distinguitur contra cultum horarum canonicarum. Nam sicut tenetur quis ad Primam & Tertiam, vt duos cultus, ita tenetur ad missam & horas vt diuersos cultus, ac per hoc sicut non potest simul duas horas exoluere, ita nec missam & horam. Et confirmatur, quia homo tenetur interesse missæ attentè,sicut tenetur exoluere horas attentè. Cuius signum est, quòd si quis ex proposito per notabilẽ partẽ missæ non curaret attẽdere secũdum suum modũ,sed mentẽ ad alia diuerteret,non satisfaceret præcepto de missa:quia nõ diceretur interesse missæ plusquam dormiens.

¶ Secundò ex tempore,quia sicut ecclesia totum diem festum determinauit ad cultum Dei per cessationẽ à seruilibus,ita partem temporis,scilicet qua missa celebratur: determinasse videtur ad cultũ Dei positiuum,ac per nõ licet occupare hoc missæ tempus ad quemcunque alium cultum proprium exigentem tempus,vt est quælibet canonica hora.

IN OPPOSITVM Autem est,quia obligationes istæ sunt de compossibilibus simul,quia missa exigit solam præsentiã,& hora exigit q; attentè dicatur:cons-

Universidad de Deusto Biblioteca

stat autem ꝙ vtrunque potest simul fieri. Quòd autem ad missam sufficiat præsentia, patet ex eo ꝙ aliter tã surdus & cæcus, quàm multitudo maxima vni præsens missæ, & vbi sacerdos submissè dicit (vt in Germania) non satisfaceret præsens missæ: quod falsum reputatur.

¶ Præterea in huiusmodi missa, præsentibus licitum est orationes vocales priuatas dicere, saltem quum sacerdos non auditur, aut nõ intelligitur: sed nulla hora canonica, nulla oratio iniuncta pro pœnitentia est, quam quis non possit dicere, vt priuatam orationem: ergo pari ratione vtrunque licet. Et confirmatur, quia duobus dicentibus in missa Tertiam, aut Psalmos pœnitentiales, altero pro debito horæ, seu pœnitẽtiæ, altero ex sua deuotione, & vtroque pari attentione dicẽte, aut neuter minuit debitũ missæ, & habetur intentũ, aut vterque violauit debitũ missæ, quod omnes negant: aut alter tantùm, qui debitor erat horæ aut pœnitentiæ: & tunc nisi voluntariè hoc dicatur, oportet reddere rationem differentiæ, quum cõueniãt ambo in oratione dicta, & illius quantitate, & in attentione. Si dicatur, ꝙ quia differunt in ratione debiti, quia alter debet, alter non: ideo ille non satisfacit, & iste sic: hæc differentia nihil facit ad propositum, quia ratio debiti per accidens se habet ad impediendum, vel non impediendũ cultum missæ. Si enim huiusmodi oratio impedit cultũ missæ, ita impedit, si sponte, quàm si ex debito dicatur: & si non impedit ita, potest solui ex debito sicut sponte: tota enim ratio illiciti si est, pendet ex hoc, quòd vnum impedit seu tollit aliud tanquam sibi incompossibile.

¶ Præterea, Quũ de hoc sint contrariæ opiniones, & contingit aliquem de facto exoluisse infra missam in festo horam, aut pœnitentiam, si non licet, erit iste reus omissionis aut missæ (& sic errauit irreparabiliter) aut tot horarum: & sic commisit tot peccata mortalia omissionis: quod est durum. Et præterea quæ est maior ratio, quòd sit reus omissionis horarum, quàm missarũ aut econuerso, quum alterum impedierit.

CONCLVSIO.

Quanquam minus liceat infra præceptam missam orationes aliàs præceptas dicere: dicens tamen illas, satisfacit vtrique.

AD EVIDENTIAM Huius quæstionis primo præmittendũ est, quid sub præcepto cultus missæ cõprehendatur quantum ad populum. Secundò declarandũ est in quo stat difficultas. Tertiò respondendum quæsito.

¶ Quo ad primum, quia missa principaliter importat sacrificium & secundario doctrinam, (vnde pars doctrinalis vocatur missa catechuminorum, quia ad eruditionem ordinatur: sacrificium verò vocatur missa sine additione aliqua) ideo sicut ministris præcipitur vt sacrificium offerant: ita populo præcipitur, vt intersit corpore & mente. Si enim sola corporalis præsentia sufficeret, posset quis se præsentem sacrificio facere & voluntariè dormire: & rursus posset mentem ad quæcunque voluntariè diuertere: quorum vtrũque est absurdum. Præceptum enim ecclesiæ hominibus factum de interessendo sacrificio, intelligendum est more humano, vt scilicet intersint vt rationales. Ita ꝙ sicut clericos præceptum de horis canonicis dicendis obligat, vt dicant ore & mente, hoc est proposito, seu animo vacandi Deo (quia præcipitur cultus diuinus homini, vt homo, hoc est vt rationali: non colit autem ratione vtens, qui animum ad alia spõte diuertit, quia ratio ipsa dictat oppositũ) ita populus ex hoc, ꝙ obligatur ad missæ cultum interessendum, tenetur corpore & mente interesse: hoc est cum animo vacandi Deo, quantum Deus dederit.

¶ Est autem in missæ cultu inter sacerdotem & populũ conuenientia & differentia. Cõueniunt siquidem in duobus, scilicet in attentione & materia, scilicet missa: nam vterque tenetur attendere missæ, & de sacerdote quidẽ clarum est. De populo autem vltra dicta, declaratur ex quatuor. Primò ex eo, ꝙ ipsi dicitur, Orate fratres, &c. vbi mandatur petitio: vt petat, scilicet sacrificij acceptationẽ. Secundò, ex eo ꝙ eidem dicitur, Sursum corda: vbi indicitur oratio: hoc est mentis eleuatio ad instans sacrificiũ. Tertiò, ex eo ꝙ eidem dicitur, Gratias agamus, &c. vbi inuitatur ad gratiarum actionem. Quartò, ex eo ꝙ institutio missæ habet, vt populus & audiat quæ doctrinæ sunt, & dicat quæ laudis sunt. ad populum enim (iuxta Patrum instituta) spectat hymnum cantare, Sanctus, Sãctus, &c. dum sacerdos agit sacra mysteria. Cõmunis est igitur vtrique attentio ad missam. Sed differunt in exteriori occupatione: quia sacerdos est exteriori operatione occupatus circa missam tam dicendo, quàm faciendo: populus autem secluso auditu eorum, quæ altè dicuntur, quũ intelliguntur, ab exteriori occupatione vacat, & in sola attentione ad missam relinquitur. Et quoniam imperfectorum, (qui sola mente circa missam occupari nõ sufficiunt) magna est multitudo, inde fit vt licitè populus aliquam vocalem orationem, dum sacerdos diuina facit, aut secretò dicit, & pari ratione dum altè dicit, si non intelliguntur quæ dicuntur, assumat ad excitandam aut conseruãdam mentem attentam seu vacantem Deo durante sacrificij tempore: Hæc enim in adminiculũ humanæ imperfectionis ad vacandum mente tanto sacrificio, fieri piè intelliguntur: melius enim, imò recta via esset vt sola mẽte aut quasi sola mente circa tantum sacrificium occuparentur præsentes, petendo vt sacrificium gratum sit pro ecclesia, pro se, pro defunctis, &c. gratias agẽdo Deo de tanto beneficio passionis Christi & præsentiæ ibi, &c. Nec propterea laqueum iniicimus animabus: quoniam sicut clericus obligatus ad horas, & sacerdos celebrans, si præter intentionem euagatur, excusatur ab attentione: ita & populus: satisfit enim huic præcepto ex proposito, quo cuilibet vadit ad missam, vt faciat quod ecclesia ordinauit, dummodo voluntariè postea non ponat obicem, diuertẽdo aduertenter mentem ad alia notabiliter: quia modicũ pro nihilo reputatur. Hæc de primo.

QVO AD Secundum difficultas consurgit ex eo, ꝙ hinc licitum est populo assumere quancũque orationem ad habendam mentem Deo vacantem tempore sacrificij: ac per hoc non prohibetur ad hoc assumere orationem votiuam, aut pœnitentialem, aut etiam horam canonicam: quum nihil horum habeat aliquid in se repugnãs ad finem, ad quem assumitur: imò quodlibet horum ad sacrificium missæ optimè ordinatur. Inde autẽ obstat, quoniam si sic fieret, ex duobus cultibus debitis non solueretur, nisi vnus tam quo ad attentionem, quàm quo ad tempus: nam, quum in missa dicuntur Psalmi pœnitentiales, licet dicatur missa, & dicantur Psalmi, vnica tamen attentio est, qua quis attendit missæ & Psalmis: & similiter vnicum tempus est, quo persoluitur vtrunque: quum tñ duo disparati cultus (quales sunt propositi) exposcant suas duas attentiones (sicut quælibet duæ disparatæ materiæ exigunt suas duas disparatas formas) & similiter exigãt duo sua tempora. Vnde fraus committi videtur quo ad numerum cultus secundum attentionem & tempus, ex duabus debitis attentionibus persoluendo vnam, & ex duobus temporibus soluendo vnum. Hæc de secundo.

QVO AD TERTIVM Duo occurrunt pro responsione ad quæsitum dicenda. Primum est, Non licet in missa præcepta dicere orationes aliàs præceptas. Probatur, tum quia disparati cultus debiti sunt in sua disparatione exoluendi, alioquin non suauiter exoluuntur: Tum quia oppositum faciendo interuenit confusio attẽtionum & temporum dum duæ attentiones confunduntur in vnam, & duo tempora in vnum. Tum quia minus soluitur, quoniã pro duabus attentionibus soluitur vna, & pro duobus temporibus dicatur Deo vnũ. Tum quo ad horas, quia priuata autoritate non licet vnum publicum cultum subordinare alteri publico cultui disparato: quod tamen fieret, si vna hora canonica diceretur infra missam: quia assumeretur ad habendam mentem vacantem Deo tempore sacrificij. Et sic verificatur opinio tenens, quòd non possunt hæc infra missam præceptã dici. Non tamen per hæc intelligas, quin dum cãtatur Kyrie, possit licitè sacerdos lectis legendis dicere horas canonicas: quoniam tunc non tam missa, quàm missæ solẽnitas agitur: & ipse nihil omittit missæ, sed est tempus, et per accidens vacans. & idem est iudicium de ministris & alijs in choro, qui graduali lecto, dum cantatur, horam persoluunt residuam.

¶ Secundum est, Si infra præceptam missam aliqua oratio aliàs præcepta dicitur, vtrique satisfit: quamuis minus bene, vt dictum est. Et loquor quando secreta dicuntur, vel quando sacerdos non auditur, aut non intelligitur. Et similiter loquor de satisfacere, quantum ad vitandũ peccatum mortale omissionis vtriusque: non autem quantũ ad meritum: quia nullus peccando venialiter, meretur vitam æternam. Et propterea si peccatum est dicere hæc infra preceptam missam, tollitur meritum, quod haberetur

per

per talem actum, si rectè fieret. Hanc itaque conclusionẽ non pono, eo ꝙ illius rationem affirmatiuã videam, sed quia non video vnde sit falsa: vt patet discurrendo per singula. Rationes enim quæ inferunt præcedentem conclusionem, quamuis sufficere videantur ad concludendũ esse illicitum exoluere vtrunque debitum simul, non tamen sufficiunt ad concludendum, non valere solutionẽ vtriusque si de facto fiat. Quod enim multa debita ex diuersis præceptis possint simul & vnico actu Deo exolui, non est dubium: nam si quis vouisset exponere se martyrio, & antequam implendi votum tempus transeat, occurrit casus, in quo quis ex præcepto confitendæ fidei tenetur exponere se martyrio, non est dubium, quòd exponens se satisfacit & præcepto voti reddendi, & præcepto Christi de martyrio, & præcepto de satisfactione pro peccatis cõmissis. Potissima igitur ratio in oppositũ est, quia disparati debiti cultus nõ exoluũtur vt sunt (vt scilicet diuersi & disparati sunt) si simul exoluũtur. Sed hæc recipit distinctionem: quoniam disparati cultus sunt duplices. Quidã, quorum materiæ sunt simul incompossibiles, vt duæ horæ canonicæ, & similes, quorum scilicet vterque exigit occupationem exteriorẽ: & hos oportet disparatos solui vt sunt. Quidam verò quorum materiæ sunt simul compossibiles: quia alter non requirit occupationẽ exteriorẽ: & possunt vtroque modo exolui: & disparatè, & simul subordinando vnum alteri. Et tunc licet non exoluantur, vt sunt totaliter disparati, exoluitur tamen disparata materia: quia vtraque materia, missa scilicet & pœnitẽtialis oratio, exoluit. Et hoc sufficit: quia nullibi hoc præceptũ inuenitur vt non valeant, nisi exoluantur, vt totaliter disparati. Et sic quando populus non occupatur exterius circa missam, potest orationem pœnitẽtialem vel votiuã assumere ad mentem Deo vacãtem habendam tempore sacrificij: sicut potest quamcunque aliam assumere: & sic cultui vtrique faciet satis. Quòd verò de duabus attentionibus & temporibus obstare apparet, euaditur ex eo quòd licet præceptum sit, quòd quilibet cultus exoluatur attentè: non tamen inuenitur præceptum, quòd omnes duo cultus duabus attentionibus exoluantur. Et propterea si duo cultus possunt sub vnica attẽtione exolui, nulla conuincitur præcepti trãsgressio. sat enim est, quòd quilibet exoluitur attentè. Et idẽ dicitur de duobus temporibus: nullum enim inuenitur præceptum de duobus temporibus: propterea si multi possunt sub eodem exolui tempore, nullum præceptum violatur. Et similiter dicitur, quòd licet minus quantum ad numerum attentionũ & tẽporum exoluatur, non tamen huiusmodi minoratio destruit valorem cultuum debitorum. Et similiter licet malè faciat aliquis subordinando priuata autoritate horam canonicam missæ, non tamen propterea euacuat alterum cultum. Et sic verificatur altera opinio.

VNDE PATET Responsio ad primum argumentum. Conceditur enim, quòd peccatum est simul hæc exoluere: si tamen fiat, valet.

¶ Et idem dicitur ad secundum, addendo quòd non est simile præceptum de festo præcepto de missa: quia illud datur directè de tempore: & ideo tempus oportet in illo præcipuè considerare: in quo tamen licet dicere votiuas & pœnitentiales orationes: quia tempus festiuum habet indeterminatam materiam positiuam, in qua homo occupari debet: & libertati Christianæ relinquitur, in quo sancto opere, siue aliàs debito, siue non, quis se in festo occupet. Istud verò datur directè de cultu missæ, & tempus missam mensurans per accidens respicitur. Si enim tempus missæ per se præciperetur, quum habeat materiã determinatam, scilicet missam, non satisfieret vtrique cultui: quia non satisfieret vtrique tempori, vt patet.

¶ Rationes autem ad alteram partem allatæ non concludunt, quòd liceat vtrunque simul exoluere. Prima enim soluitur, quia suauis exolutio exigit duas disparatas attentiones in duobus disparatis cultibus. Missa enim exigit solam præsentiam sed nõ solius corporis, sed etiam mentis: vt declaratum est.

¶ Ad secundam dicitur, quòd non est par ratio: quia hîc sunt duo cultus disparati debiti, vt sunt: non sic autẽ est in spontaneis orationibus. Et per hoc respondetur ad confirmationem. Et quum instatur, quia ratio debiti est per accidens ad impediendum, respondetur, quòd non ideo illicitum interuenit in hoc casu, quia vnus impedit aliũ, sed quia vnus occupat attentionem & tempus & suauitatem alterius: quod per se oritur ex hoc, quòd vterque est debitus seorsum suauiter.

¶ Ad vltimam dicitur, ꝙ non interuenit mortale peccatũ: & si reatus omissionis esset, omissa esset oratio assumpta: quia principale, quod est missa, intelligeretur nõ violari per adiunctam orationem aliàs debitam: quia ad vacandum Deo sacrificij tempore assumpta intelligitur.

TRACTATVS QVINTVS

De præcepto Eleemosynæ ad mentem S. Thomæ in sex capita diuisus.

1 *Operis ratio ac intentio, atque falsæ quorundam opinionis super mentem diui Thomæ circa necessitatem largitionis eleemosynarum, relatio, & possibilis origo.*

2 *Quàm falsa fuerit æstimatio eorum, qui imponunt D. Tho. quòd negauerit necessitatem eleemosynæ.*

3 *Verborum diui Thomæ, ex quibus reprobata opinio pullulauit, explanatio.*

4 *Quorundam obiectionum solutio ponitur, quæ falsam sententiam D. Thomæ impositam confirmare videbantur.*

5 *Solutio obiectionum in primo capite positarum pro fundamento illius falsæ opinionis.*

6 *Expositæ opinionis S. Thomæ ex Sanctorum, & illustrium virorum autoritate confirmatio.*

CAPVT I.

Operis ratio ac intentio: atque falsæ quorundam opinionis super mentem diui Tho. circa eleemosynarũ largitionis necessitatem relatio & possibilis origo.

CHARITAS Christi vrget me, vt propter fratres meos & proximos meos loquar pacem: hoc est, ordinis tranquillitatem in eleemosynarum largitione necessariò seruãdam: intuitus siquidem sum ob quorundam scripta minus bene doctrinam sancti Thomæ intelligẽtium, multorum facilè periclitari. Et quãuis omnis quæstio de peccato mortali, periculosam habeat à vero deuiationem, & ea maximè timenda ac cauenda sit à veritate declinatio, qua latiori quis se credit via: tum quia proni sunt sensus hominis ad assensum præbendum his, quæ libẽter sequuntur: tum quia facilè est viam latam ingredi quum multorum sit, & peccati expers vix esse potest: in hac specialiter quæstione tantò maius imminet periculũ, quantò vltra prædictas causas viri celebres, quorum cõsilio confessores regũtur, sanctum Thomam docuisse id quod in re hac falsum esse ostendetur, asserunt. Sanè Abbas Siculus in iure Canonico doctor famosus super secundo Decretalium de iureiurando cap. si verò. & frater Antoninus Archiepiscopus Florentinus veteribus Christianæ gregis pastoribus non minor, in secunda parte suæ Summæ titulo primo. ca. 14. de inhumanitate scilicet: & quidam frater ordinis Minorum, qui Summulam fecit Rosellam nomine, in de eleemosyna & mutuo: non malitia, sed minus perspicaci intellectu in hac re ducti imponunt sancto doctori ex Secunda secundæ, quæst. 32. erroneam & procul ab humanis finibus opinionem circa eleemosynarum largitionis necessitatem. Aiunt, quòd secundum sanctum Thomam ibidem homo non tenetur de necessitate salutis facere eleemosynam, nisi concurrentibus his duabus conditionibus simul, scilicet quòd dans habeat aliquid superfluum, nedum naturæ, id est vitæ, sed personæ, id est decentiæ status, tam sibi, quàm suis (quorum scilicet ei cura incumbit) & quòd appareat pauper patiẽs extremam necessitatem, aliàs licet bene faciat quis eleemosynam faciendo, non tamen tenetur.

CONCIPERE Autem poterunt hunc sensum ex sancto doctore propter duo. Primo ex eo, quòd articulo. 32. questio. vbi disputat, an dare eleemosynam sit sub præcepto, in corpore articuli determinans hanc quæstionem, dicit hæc verba, Quia præcepta dantur de actibus virtutum, necesse est, quòd hoc modo donum eleemosynæ cadat sub præcepto, secundum quòd actus est de necessitate virtutis: scilicet secundum quòd recta ratio requirit: secundum quam est aliquid considerandũ ex parte dantis, & aliquid ex parte eius, cui est eleemosyna danda. Deinde subdit, quæ sunt ista consideranda: & dicit, quòd sunt superfluitas, non solùm naturæ, sed personæ ex

Universidad de Deusto Biblioteca

parte dantis, & extrema necessitas ex parte pauperis: & subdit deinde: alias autem eleemosynas dare est in consilio. Ex his enim videtur haberi, quòd ad hoc quòd eleemosyna cadat sub præcepto, oportet simul concurrere aliquid ex parte dantis, scilicet superfluitatem, & aliquid ex parte recipientis, scilicet extremam necessitatem.

Secundò, ex eo quòd in sequenti articulo determinando dicit, quòd quando occurrit extrema necessitas alicuius priuatæ personæ, vel etiam aliqua magna necessitas reipublicæ, laudabiliter aliquis prætermitteret id, quod ad decentiam sui status pertinere videtur, vt maiori necessitati subueniret. In his enim verbis expressè dicit, quòd concurrente altero prædictorum tantùm, scilicet extrema necessitate alicuius, non habens de superfluo personæ, id est decentiæ status sui laudabiliter eleemosynam facit. Quòd si laudabiliter, igitur non de præcepto, sed de consilio est eleemosynam dare: nisi vtraque supradicta conditio concurrat. Confirmatur hoc: quia ante hæc verba loquens de necessario personæ præmittit hæc verba: De huiusmodi ergo dare eleemosynam est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio. Hæc ille.

CAPVT II.

Quàm falsa fuerit eorum æstimatio, qui imponunt D. Thomæ, quòd negauerit largitionis eleemosynarum necessitatem.

QVOD AVTEM Prædicta expositio non sit secundum mentem & doctrinam Sanct. Thom. liquet primò ex eo, quòd Sanct. Tho. in 4. senten. distinctio. 15. quæstio. 2. articu. 1. quæstio. 4. expressè determinat oppositum. Tenet enim has duas conclusiones. Prima est, Habens superfluum naturæ & personæ tenetur de præcepto erogare pauperibus illud superfluum, etiam si non patiatur extremam necessitatem. Secunda est, Patienti extremam necessitatem tenetur de præcepto habẽs superfluum naturæ, licet non personæ, subuenire. Superfluum naturæ & personæ dicitur, quòd secundum statũ præsentem non est necessarium sibi, vel his, quorum sibi cura incumbit crassa pensatione: attentis tamen futuris casibus, qui probabiliter futuri æstimabuntur, & non omnibus, qui possunt contingere: hoc enim ad consilium non pertinet, vt dicitur 3. Ethi. Extrema autem necessitas vocatur, non quãdo aliquis iam spiritum efflare cernitur, & subsidium recipere non potest: sed cùm apparent signa probabilia futuræ necessitatis extremæ, nisi subueniatur, nec apparet, nec in promptu est qui ei subueniat. Determinat autem has conclusiones adeò clare, vt inficiari impossibile sit. Sunt siquidem verba eius ibidem ista, Quũ eleemosyna sit actus virtutis, oportet ꝙ aliquo modo cadat sub præcepto: quia præcepta legislatoris ad virtutem inducere intendunt: vt dicitur 2. Ethi. reducitur autẽ ad hoc præceptum, Honora parentes. Honor autẽ ille secundum Augu. ad reuerentiam & subuentionem in necessarijs pertinet, & nomine parentum omnis proximus intelligitur: sed præcepta affirmatiua non obligant ad semper quamuis semper obligent, sed obligant pro loco & tempore, & secundum alias determinatas cõditiones. Quum autem vsus diuitiarum sit ordinatus ad subueniendũ necessitatibus præsentis vitæ, quæ quidem subuentio debet esse ordinata, patet ꝙ qui diuitijs non vtitur ad subueniẽdum necessitatibus præsentis vitæ, vel inordinatè vtitur, à virtute recedit. Ordo autem subuentionis talis debet attendi, quantũ ad duo. Primò ex parte eorum, quibus subuenitur, vt primò sibi, postea sibi coniunctis subueniat, deinde extraneis. Secũdò, ex parte necessitatis talis debet esse ordo: vt prius absolutis necessitatibus subueniatur, quàm alicui necessitati conditionatę, quæ est quum quis indiget aliquo ad sui status decentem conseruationem. Et ideo præceptũ legis ad hoc obligat, vt illud quod superest alicui post subuentionem perfectam sibi, & sibi coniunctis, puta familiæ, quã gubernare debet, respectu vtriusq; necessitatis in eleemosynas expendat ad subueniendum alijs respectu vtriusque istarum necessitatum: sicut etiam natura id quod sibi de alimento superfluit ab actu nutritiuè, in quo attendit necessitas absoluta, & actu augmentatiuæ in quo attẽditur quasi necessitas conditionata, parat ad conseruationem speciei, generatiuæ virtuti subministrans. Et similiter præceptum legis obligat, quòd etiã necessitati extraneorum absolutæ, primò subueniatur, quàm propriæ vel propinquorum conditionatæ: & ideo dicitur communiter, quòd dare eleemosynam de superfluo cadit in præcepto, & similiter dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate. Dare autem de eo quod est necessarium necessitate secunda, non autem de eo quod est necessarium necessitate prima: quia hoc esset contra ordinem charitatis. Hæc ille. Vbi apparet, quàm apertè supradictas conclusiones asserat atque confirmet: & consequenter manifestè cuique liquere potest, quòd doctrinæ suæ consona non est opinio illa sibi imposita ex Secũda Secũdæ. Quòd si aliquis dixerit hoc, quod dixit in 4. senten. retractata ab ipso sanct. Tho. in Secunda Secundæ, aduertat se in errorem lapsum propter septem. Primò, quia non est consuetudinis suæ, vt opinionem quam alibi non solùm sequutus est, sed probauit retractet absque memoria vel suæ olim opinionis, vel illorum, qui sequuntur eam, vel ipsius opinionis. Secundò, ex eo, quòd ista sententia non solùm sua, sed cõmunis antiquorum fuit: vt ipse refert in supradictis verbis. Quis autem vnquam inuenit san. doc. reprobare suam olim, & communem aliorum opinionẽ, si non illius opinionis meminerit, ac aliqua eam ratione refellerit. In hac siquidem Secunda Secundæ, quæstio. 88. artic. 2. opinionem, quam in 4. senten. distinct. 38. quæstio. 1. artic. 4. secutus fuerat circa dispensationem voti per professionem solennizati reprehendens, expressè eius meminit. In tertia quoque parte, quæstio. 9. artic. 4. opinionem, quam tenuit in 4. sent. distinct. 14. artic. 3. circa scientiam animæ Christi retractans, explicitè seipsum reprehendit. In Tertia similiter partẽ, quæstio. 70. artic. 4. opinionem, quam in 4. senten. distinctio. 1. quæstio. 2. artic. 4. circa gratiã circuncisionis secutus est, reprehendens, expressè etiam seipsum mutasse opinionem asserit. Alibi quoque similiter facit: sed sufficiat hæc tria adduxisse, vt ostendatur mos eius. Si ergo hæc est eius consuetudo, quomodo hoc in loco suam & communem ipso teste sententiam reuocat, nullam penitus innuens illius memoriam. Tertiò, patet hoc idem ex eo, quòd non sine suæ gloriæ macula potuit intendere retractationem suæ olim & communis opinionis verbis adeò obscuris & extortè exponendis, absque vt dictũ est, suæ intentionis propalatione. Hoc siquidem & est cõtra promissionem à se factã in proœmio totius Summæ: vbi dilucidè secundũ quòd materia patietur, se prosequi cuncta velle spondet. Et est contra tanti doctoris prouidentiam: quis enim (nisi desiperet) in re tam ardua verbis oppositum præ se ferentibus vteretur, potens claris vti? Nunquid timebat hic seipsum ac alios reprehendere, & alibi æquanimior factus est? An fortè diuites odio habebat, vt veritatem eos celare vellet? Quartò, ostenditur hoc idẽ ex verbis san. Tho. in Secunda Secundæ ibidem: concludendo enim ait, Si ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate, aliàs autem eleemosynas dare est in consilio. Quum enim San. Tho. Latina scripserit lingua, & dilucidè, is sensus ex istis est sumendus verbis, quem verba ipsa significant. Accersito autem quemcunque optimum grammaticum, & proponas sibi quid intelligendum sit ex istis verbis, Præceptum est, vt fiat hoc, & fiat illud, respondebit certè, quòd duo præcipiuntur: & quòd scilicet hoc fiat, & ꝙ illud fiat. Quum autẽ verba san. Tho. talia sint, quare nõ talis sumẽdus est sensus. Dixit enĩ, In præcepto est dare eleemosynã de superfluo, & dare eleemosynã ei qui est in extrema necessitate. Duo ergo grammaticaliter intelligẽdo præcipit, cum dicit, & quòd detur eleemosyna de superfluo, & quòd detur eleemosyna patienti extremam necessitatem. Quintò, confirmatur hoc idem ex verbis san. Th. in eadẽ Secunda Secundæ, q. 66. articul. 7. in cor. vbi ait, Res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi: vnde dicit Ambro. & habetur in Decretis distinct. 47. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, quòd tu recludis: miserorum redẽptio & absolutio, est pecunia, quam tu in terra effodis. Sed quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subueniri, committitur arbitrio vniuscuiusque dispensatio propriarum rerum, vt ex eis subueniat necessitatem patientibus. Hæc ille. Vbi cernere potes primam conclusionem. Secunda autem ex his, quæ addit ibi in corpore, & in responsione argumentorum, elici potest. Sextò cõfirmatur hoc idẽ ex verbis san. Tho. in eadem Secunda Secundæ, q. 87. articul. 1. ad quartum: Vbi ait, Tertiæ verò decimæ, quas cùm pauperibus comedere debebant, scilicet in veteri testamento, in noua lege augentur, per hoc, ꝙ Dominus non solùm decimam partem, sed omnia superflua pauperibus iubet exhiberi, secũdũ illud Luce 11. Quod superest, date eleemosynam. Hæc ille. Vbi apertè cernis iussisse, non consuluisse Dominum Iesum superflua erogari pauperibus secundũ doctrinam S. Tho. Septimò confirmatur hoc idem ex verbis sanc. Tho. in eadem Secunda Secundę, q. 118. ar. 4. ad secundũ: inquirens enim ibi an auaritia semper sit peccatum mortale, arguit secundo loco ad partem affirmatiuam sic, Minimum in auaritia est, quòd aliquis retineat sua inordinatè: sed hoc videtur esse peccatum mortale. dicit enim Basilius, Est panis famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam tu conseruas, indigẽtis argentũ, quod tu possides: quocirca tot iniuriaris, quot exhibere valeres: sed iniuriari alteri est peccatum mortale, quia contrariatur dilectioni proximi: ergo multò magis omnis alia auaritia est peccatũ mortale. Deinde respondendo huic argumẽto ait, Ad secundum dicendũ, quòd Basilius loquitur in illo casu, in quo aliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel propter superfluitatem habitorum. Hæc ille. In quibus verbis clarissimè vtranq; conclusionem posuit. quomodo ergo in Secunda Secundæ retractauit quod dixit in 4. senten. si in tot locis in Secũda Secũdæ expressè confirmat quod determinauit in Quarto. Caue ergo ne decætero talia sancto doctori imponas.

CAPVT III.

Verborum diui Tho. ex quibus reprobata opinio pullulauit, explanatio.

VERVM Quia non sat est falsam expositionem destruere, nisi vera apponatur, ideo declaranda sunt verba eius, quæ illi minus bene intellexerunt. Verba eius in loco allegato (scilicet in Secunda Secũndæ, q. 32. arti. 5. vbi inquirit, an dare eleemosynam sit in præcepto) sunt ista: Quum dilectio proximi sit in præcepto, necessè est omnia cadere sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non cõseruatur. Ad dilectionem autem proximi pertinet, vt proximo non solùm velimus bonum, sed etiam operemur: secundũ illud 1. Ioan. 3. Non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Ad hoc autẽ vt velimus & operemur bonum alicuius, requiritur ꝙ eius necessitati subueniamus: quod fit per largitionẽ eleemosynarum: & ideo eleemosynarum largitio est in præcepto. Sed quia præcepta dantur de actibus virtutum: necessè est ꝙ hoc modo donum eleemosynæ cadat sub præcepto, secũdũ ꝙ actus est de necessitate virtutis, scilicet ꝙ recta ratio requirit, secundũ quam est aliquid considerandum ex parte dantis, & aliquid ex parte eius, cui est eleemosyna danda. Ex parte quidem dantis considerandum est, vt id quod in eleemosynas est erogandum, sit superfluum: secũdum illud Luce 11. Quod superest, eleemosynam date. Et dico superfluum non solùm respectu suipsius (quod est supra id, quod est necessariũ indiuiduo) sed etiam respectu aliorum, quorum cura sibi incumbit, quia prius oportet ꝙ vnusquisq; sibi prouideat, & his quorũ cura sibi incũbit, & postea de residuo aliorum necessitatibus subueniatur: respectu quorũ dicitur necessarium personæ, secundũ ꝙ persona dignitatem importat: sicut & natura primò accipit id cibi, quod est necessariũ ministerio nutritiuæ: superfluum autem erogat ad generationem alterius per virtutem generatiuam. Ex parte autem recipientis requiritur, ꝙ necessitatẽ habeat: alioquin nõ esset ratio, quare ei eleemosyna daretur. Sed quũ non possit ab aliquo vno omnibus necessitatem habentibus subueniri, non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa sola, sine qua is, qui necessitatem patitur, sustẽtari non potest: in illo enim casu locum habet quod Ambro. dicit: Pasce fame morientem: si non paueris, occidisti. Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate: aliàs autem eleemosynas dare in consilio est, sicut & de quolibet meliori bono dantur consilia. Hæc ille. Ex quibus talis est accipienda sentẽtia: Eleemosynarũ largitio est in præcepto: quia dilectio proximi non solùm secundũ affectũ, sed effectum, est in præcepto. Tunc autem est in præcepto, quãdo est necessaria virtute charitatis, ita quòd sine tali eleemosyna donatione charitas manere non potest: quia est actus eius. Tunc autem est de necessitate charitatis, quando recta ratio ad hoc necessitat. Necessitantia autem secundũ rectam rationem ad eleemosynæ actum sunt duo: aliquid scilicet ex parte dantis, & aliquid ex parte eius cui eleemosyna est danda. Ex parte quidem dantis necessitans ad eleemosynæ actum est superfluitas bonorũ non solùm naturæ, sed personæ: iuxta Christi præceptum, & naturæ processum. Ex parte autem eius, cui eleemosyna est danda necessitãs ad eleemosynæ actum, est necessitas, seu indigentia, non quæcunq; (quia ab vno etiam habente superflua non potest omnibus necessitatibus apparentibus subueniri) sed extrema, iuxta verba Ambrosij. Vnde & dare eleemosynam de superfluo est in præcepto ratione superfluitatis: & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate, est in præcepto ratione necessitatis extremæ: aliàs autem est in consilio. Quòd autem iste sit verus sensus, patet ex eo, ꝙ secundũ istum sensum nulla extorsio est literæ, nullum sequitur inconueniens, nulla discordia inter principia & conclusiones, nulla contradictio inter dicta eius hic et in alijs locis supra allegatis: sed omnia inueniuntur cõsona, non solùm supradictis, sed etiã alijs dictis sanc. Tho. In quæstionibus siquidem de malo, q. 13. art. 2. ad quartum, exponens supradictam autoritatem Basilij ait, Basilius loquitur in casu illo, quãdo aliquis tenetur bona sua pauperibus erogare: puta si sit ei superfluum: secundũ illud Luce 11. Quod superest, date eleemosynam. In quolibetis quoq; quolibeto 7. vel 8. apud aliquos codices, q. 6. arti. 2. vbi quærit vtrum ille, qui non dat pauperi petenti, si habeat de superfluo, peccet, ponit eandem primam conclusionem in hæc verba: Circa hoc distinguendũ est: supposito enĩ, ꝙ aliquis habeat de superfluo & respectu indiuidui, & respectu personæ, ꝙ tenetur pauperibus erogare, aut videt in paupere petente euidentia signa extremæ necessitatis, aut nõ: si videt, certum est, quòd tenetur dare, & peccat non dando: hoc enim casu loquitur Ambro. Pasce fame moriẽtem: si non paueris, occidisti. Si verò non apparent, tunc non tenetur dare pauperi petenti: quia quamuis teneatur dare superfluum pauperibus, nõ tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare, sed tenetur distribuere, secundum quòd sibi visum fuerit, opportunũ. Hæc ille. Ex quibus prima cõclusio euidẽter apparet.

¶ Fundantur autem hæ conclusiones super rationes multas. Quũ enim bonum consurgat ex causa integra, malũ autem ex particularibus defectibus (vt Dio. dicit 4. cap. de diui. nomi.) charitas ipsa erga proximum indigentem conseruari non potest, nisi ex parte vtriusq; omne corruptiuum tollatur: contrariatur autem dilectioni proximi (vt ex dictis & dicendis patet) ex parte dantis superfluũ personæ indigentibus negare, ex parte verò pauperis extrema necessitas non adiuta: & ideò quodcunq; illorum inueniatur, charitas non saluatur, & consequenter malũ culpæ mortalis consurgit: & hæc est ratio quam tetigit S. Tho. in q. 32. loco præallegato: quũ dixit, ꝙ actus eleemosynæ est de necessitate virtutis, secundũ ꝙ recta ratio requirit, secundũ quam aliquid est cõsiderandũ ex parte dantis, & aliqd ex parte eius, cui danda est eleemosyna. Amplius: Quũ ordo charitatis sit in pcepto (vt testatur sanctus Thomas in Secunda Secundæ, q. 44. artic. vlti.) & ex charitate diligenda sit vita corporalis proximi: secũdum omnes plus tenemur diligere vitam proximi, quàm bona nostra exteriora, sicut plus animam proximi, quàm corpus nostrum. Sed decentia status est quoddam bonũ exterius: igitur tenemur de necessarijs ad decentiam status nostri subuenire vitæ corporali illius, qui est in extrema necessitate. Et similiter quum charitatis ordo exigat, vt decentiã status proximi superfluitatibus nostris proponamus (quoniam tale bonum charitas proximo vult) hoc autem malum abijcit, tenemur ex superfluo naturæ & personæ aliorũ necessitatibus subuenire. Et hæc est ratio, quam adduxit sanctus Thomas in 4. sent. vbi supra. Amplius: Quum virtuti duo sint extrema cõtraria, scilicet superabundantia & defectus, (vt dicitur 2. Ethi.) charitas autẽ licet secundũ se extremo superabũdãti careat (quia, vt inquit Bernar. charitatis modus est absque modo esse: ex eo quòd obiectum non potest tantum amari, quantum est amabile) vtrunque tamen extremũ habet secundum exteriores operationes: vt ex Secun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

da Secundæ q.26.ar.7. habetur: vnde & ex superabundantia & defectu exteriorum operũ corrumpitur. Ad excessum aũt in proposito pertinet plus de corporalibus bonis, quàm oporteat attribuere tam sibi, ꝗ̃ alijs: quia amicabilia quæ sunt ad alios, sunt ex amicabilibus, quæ sunt ad se, vt dicitur 8. Ethi. Defectus verò est minus corporalibus bonis, vt quàm oporteat & ad sui, & aliorum sustẽtationem. Quum autem superflua naturæ & personæ habens, nec indigẽtibus dispẽsans, plus sibi, quàm oporteat huiusmodi bonorũ applicet (aliter superflua nõ sunt) manifestũ est, ꝙ in charitatis extremũ contrariũ secundũ superabundantiam incidit: sicut & ille, qui in superfluis & voluptuosis conuiuijs plus alijs, ꝗ̃ deceat, tribuit, & consequenter vterq; peccat mortaliter. Similiter quũ negans necessariũ personæ patienti extremam necessitatẽ, minus alijs, ꝙ oporteat, cõmunicet huiusmodi bona (quia debẽtur exteriora bona ordine naturali sustentationi vitæ humanæ primò, deinde cæteris cõmoditatibus) p[...]t quòd in extremũ secundũ defectũ declinati, sicut & ille, qui sui ipsius ob suã miseriã corporali saluti subuenire negligit: vnde & vterq; à charitate recedit: & cõsequenter mortaliter peccat. Et hæc est ratio, quam tetigit S. Tho. in quolibeto 6. q. 7. Amplius: Quũ de iure naturali omnia sint cõmunia, & ius gentiũ res appropriauerit quo ad vsum, procurationẽ & dispensationẽ (vt dicit S. Tho. in Secũda Secundæ, q. 66. ar. 2.) constet quoq; à iure gentiũ nihil in ordinatum vim sumit (quoniã à natura vt rationalis est, oritur) impossibile est ea, quæ huic superfluũt quo ad naturam & personam, eius esse quo ad vsum (v[...]s enim superfluorum inordinatus est, aliter superflua non sunt) licet istius sint quo ad procurationẽ & dispositionẽ. Si autẽ ex iure gentiũ eius non sunt quo ad vsum, indigẽtibus ex iure naturali debentur: dispensanda [...]mẽ secundũ arbitriũ possidentis, cui (vt dictũ est) dispensationem ius gentium appropriat. Contra ius ergo naturale est superflua naturæ & personæ indigẽtibus non largiri. Similiter licet necessarium personæ sit habentis, etiã quo ad vsum, simpliciter loquendo: in casu tame[n q]uo extrema necessitas alterius appropriat, vt superfluũm censetur e[iu]s vsus respectu istius patientis extremam necessitatẽ, & iuris naturalis vis ex[ig]it, vt tanquã superfluũ patienti debeatur. Non enim ratio, à qua ius gentium deriuatur, ita necessarium personæ appropriat huic quo ad vsum, quin iudicet in casu necessitatis alteri deberi ob iuris naturalis vim. Cuius signum est: quia si ab isto possidente necessariũ personæ in tali casu non dispensetur patienti extremã necessitatẽ laudabiliter ab eo auferri potest, vt extremis necessitatibus subueniatur. Est igitur & contra ius naturale, nõ subuenire extremæ necessitati de necessario personæ. Et hæc est ratio, quã tetigit S. Thom. in Secunda Secundæ, q. 32. in hoc ar. in rñsione ad secundũ: & est sumpta ex verbis Basilij & Ambrosij Ille eñ exponens verba Diuitis, Luce 12. dicentis, Cõgregabo omnia, quæ nata sunt mihi, et bona mea: ait, Dic mihi quæ tua, vnde ea sumens in vitã tulisti? sicut qui præueniens spectacula, prohiberet aduenientes sibi, appropriãdo, quod ad communẽ vsum ordinatur: similes sunt diuites qui cõmunia, quæ præoccupauerunt, æstimant sua esse. Si eñ quilibet suæ neces[s]itatis sufficientiã recipiens, relinqueret superfluũ indigenti, non esset diues, nec pauper. Cæterũ si fateris ea tibi diuinitus prouenire, an iniustus est Deus, inæqualiter res nobis distribuens? cur tu abundas, ille verò mẽdicat, nisi vt tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille verò patientiæ brauijs decoretur? Nónne [s]poliator es, qui dispensanda suscepisti, propria reputãdo? Est panis famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quã in cõclaui conseruas: discalciati calceus, qui penes te marcescit: indigentis argentũ, quod tu possides inhumatũ: quocirca tot iniuriaris, quot dare vales. Amb. autẽ eandem parabolã tractans: vt in Decretis habetur di. 47. sicut hi. ait, Propriũ nemo dicat, quod est cõmune: quod plus quã sufficeret sumptui, etiã violenter obtentũ est: & subdit, Quis enim tam iniustus, quàm qui tam multorũ alimenta non suũ vsum, sed abundantiam & delitias facit? neq; enim minus est criminis habẽti tollere, quàm quum possis & abundas indigentibus denegare. Concludendo igitur secundũ veritatem & san. Tho. doctrinam, duas diuisim radices necessitatis ad eleemosynæ opus producendum dicimus, superfluitatem scilicet naturæ & personæ ex parte dantis, & extremam necessitatem ex parte indigentis.

CAPVT IIII.

Quarundam obiectionum solutio ponitur, quæ falsam diuo Thomæ impositam sententiam confirmare videbantur.

ANTEQVAM Autem satisfiat motiuis vnde orta credit̃ illa falsa expositio alias quasdam obiectiones cõtra determinatam veritatẽ ad illius falsę expositiõis robur afferẽda censui.

¶ Quadrupliciter, igitur instat̃. primò sic: Quũ eleemosyna fit ad alterũ, oportet cõiũctim vtriusq; conditiones cõsiderare, & nõ diuisim: sicut & de iustitia dicitur 5. Ethi. vnde & san. Tho. in hoc art. ait, ꝙ nulla est ratio, quare eleemosyna alicui detur, quantũcunq; aliàs habeat superflua, nisi iste egeat: ergo copulatim oportet intelligere, ꝙ duo sunt consideranda ad præceptũ eleemosynæ, scilicet superfluitas: & extrema necessitas. Secundò: quia si non coniunctim intelligatur, sequitur deficiens doctrina, & quodammodo impossibilis ad[im]pleri. Deficiens quidem: quia dicit, ꝙ habẽs superflua, tenetur largiri eleemosynaliter, & non dicit cui: & similiter ꝙ patienti extremã necessitatem sub præcepto subueniendum es[se], & nõ dicit à quo. Impossibilis verò quandoq;: quia in aliqua patria nullus est pauper, & tamen aliquis habebit de superfluo.

Tertiò: quia post articu.[...]tum quærit san. Tho. vtrum corporalis eleemosyna sit danda de necessario: ex hoc enim arguitur sic: Si in præcedenti art. iam determinatũ est, ꝙ patienti extremam necessitatem tenemur dare de necessario personæ, quid opus erat dubitare vtrũ sit dãda eleemosyna de necessario? Quartò: quia sanc. Tho. in quolibeto, 6. quæst. 7. seu, ar. 12. in responsione ad primũ, dicit hæc verba, Non semper peccat mortaliter quotiescũque nõ dat pauperi: qui superfluũ habet, [se]d quãdo necessitas imminet. Quando autem sit talis necessitas, ꝙ obliget ad mortale, non potest ratione determinari: sed committitur prudentiæ. Et in responsione ad secundũ dicit, Dare omnia sua pauperibus, cadit sub præcepto secundum animi præparationem: vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si necessitas immineat. Minor tamẽ necessitas requiritur ad superflua eroganda, ꝗ̃ ad omnia exhibẽda: tamen hoc totũ rõne vniuersali determinari nõ p[o]test, sed committitur prudẽtiæ vt dictum est. Ex his enim verbis videtur ꝙ superflua erogare secundum sanctum Tho. nõ sit in præcepto nisi tempore necessitatis.

AD HAEC Respondetur. Et ad primũ dicitur, ꝙ aliud est loqui de exquutione præcepti eleemosynæ: & aliud de obligatione eius. Licet enim ad exequendum eleemosynæ præceptũ exigãtur duo, scilicet superfluitas naturæ & personæ ex parte dãtis, & indigẽtia naturæ vel ꝑsonę ex parte eius cui est eleemosyna dãda: vel superfluitas naturæ ex parte dantis, & indigentiæ naturæ, id est extrema necessitas ex parte patientis (quia aliter non est ratio, quare danda sit eleemosyna) obligatur tamen quis per se loquendo, ex hoc solo, ꝙ superfluum naturæ & personæ habet illud distribuere. Solo autem dico, excludendo non oẽm sed extremã alterius necessitatem: quam hic san. Th. superfluitati combinat: oportet enim ꝙ si vni supersit, alteri deficiat: vt Basilius dixit. Et similiter ipsa extrema necessitas alicuius quantũ est ex se, obligatiua est ad hoc vt sibi subueniatur. Per accidens autẽ est, ꝙ hîc vel nunc quis non teneatur, puta quia latent eũ indigentes. Vnde qa san. Th. radices pręcepti inuestigabat, & nõ exequutionẽ, ideo diuĩctim intelligendus est (vt probatũ fuit) aliter in maximos incideret errores. Et si subtiliter aspiciat quis, videbit ꝙ & ad ipsam obligationem præcepti duo concurrunt scilicet superfluitas naturæ, vel personæ ex parte dantis, & necessitas naturæ vel personæ ex parte patientis: quoniã præcepta moralia dantur de his, quæ vt plurimum eueniunt: vt pluries Aris. in Ethi. dicit. Cõmuniter autem imò potius semper, superfluitas vnius est indigentia alterius: sed quia nõ ex parte indigentiæ est obligatio ad mortale, nisi sit extrema, neq; ex parte superfluitatis est præceptũ, nisi sit vltra personæ dignitatem, ideo summarię loquens san. Tho. ea quæ complent rationes præceptorum: assumens, ad aliaq; loca tanq̃ ad commentaria, quæ se scripsisse nouerat remittendo, assumpsit: & cõclusit dicens duo præcipi, & dare de superfluo, & dare extremam necessitatem patienti.

¶ Ad secũdũ dicit̃, ꝙ doctrina sufficiẽs est: & qa summarię tradita, & qa alibi explicata est: & qa facilè subintelligi põt, cui danda sunt superflua (indigenti scilicet & pa-

tienti extremam necessitatem) & à quo subueniendũ est, ab eo, scilicet qui nouit & potest. Posse autem quemlibet superfluum naturæ habentem, clarum est. Nec est verum, quòd quandoq; impossibile sit hoc obseruare: quoniam secundũ euangelicam doctrinã pauperes semper habebimus nobiscũ: & dato quòd nõ appareret aliquis indigẽs obseruaretur præceptũ, futuris pauperibus thesaurizãdo.

Dicitur secundò, ꝙ quia (vt dictum est) sermones morales sunt secũdũ subiectam materiã, quæ vt in pluribus hoc habet, ideo si in aliquo particulari casu aliquid occurrat quod impedire videtur obseruationem præcepti, nihil vigoris ipsi præcepto adimitur.

¶ Ad tertium sufficienter respõdetur quantũ ad propositum spectat, quærendo ab obijcientibus, ad quid sanctus Doctor in 4. senten. distinct. 15. post articulũ adductum, in quo expresse has conclusiones determinauit, mouit illammet dubitationem (an scilicet eleemosyna danda sit de necessario) in eadem qõ. an. 4. Causa enim quam reddituri sunt, quare hoc fecit in quarto, est illa quare hoc fecit in Secunda Secundæ: & quum in 4. videant, quòd talis articuli quæstio non repugnet veritati huius prioris determinationis, nec superfluè addita sit, fateantur fallax assumpsisse signũ in Secunda Secundæ ad suã expositionem probandã. Est aũt in promptu causa, quare vtrobiq; talem articulũ adiecerit: quia specialem scilicet præ se fert difficultatem necessariorum distributio: quũ enim audis necessarium: distribuendũ non videtur. Vnde licet ex præcedenti articulo facilè deduci potuisset conclusio ista, quòd necessarium personæ erogandum est patienti extremam necessitatem: tamen tota quæstio, an scilicet liceat necessarium erogare, nota non erat: quare, &c.

¶ Ad quartum dicitur, ꝙ oportet intelligere responsionum terminos secundũ ꝙ in argumẽtis oppositis assumpti sunt. In illis autem argumẽtis non est sermo nisi de necessario naturæ & superfluo naturæ: vt patet in primo ex præcepto Ioannis Baptistæ Luc. 3. quod inducitur scilicet, Qui habet duas tunicas, det vnã nõ habẽti: duæ eñ tunicę sunt superfluũ naturæ, nõ personæ: vt glossa ibidẽ dicit, & Petrus de Palude in 4. di. 15. & ratio conuincit, tum propter temporũ variationẽ naturalem secundũ calidum & frigidum serenitatẽ & intemperiem: tum propter communem humani generis morem. Vnde verba illa, quæ in solutione primi dicit, confirmant secundã conclusionem supra determinatam: quia necessarium personæ quod est naturæ superfluũ, in articulo necessitatis extremæ erogandum dicit sub peccato mortali.

¶ Secundũ autem argumentũ replica est contra hãc responsionem hoc modo. Dare omnia etiam necessaria naturæ, est in præcepto in articulo necessita[ti]s, quod tamen simpliciter est in consilio: ergo dare superflua naturæ, qđ est in præcepto, obligat extra articulum necessitatis. Tenet consequẽtia: quia præceptũ obligat plus quam concilium: ergo malè responsum est, ꝙ præceptũ illud de duabus tunicis, & similia, intelliguntur in articulo necessitatis. Et ad hoc respõdet, ꝙ vtrunq; est in præcepto secundũ præparationem animi pro articulo necessitatis: sed articulus necessitatis habet latitudinẽ. Necessitas eñ obligans ad necessaria naturæ cõmunicãda, est non quæcũq; extrema necessitas pauperis, sed illa, qua quis etiam vitã propriam tenetur discrimini exponere propter illũ: si eñ pro fratribus mori aliquando est in præcepto, consequẽs est ꝙ priuare se necessarijs vitæ adminiculis, committendo se diuinæ prouidentiæ in aliquo casu præceptũ sit. Necessitas autem ad superflua obligans naturæ cõmunicanda, est minor: sufficit enim ad hoc, ꝙ pauper non ha[be]at vnde sustẽtari queat. Vñ ex hac respõsione secũda cõclusio iterũ confirmatur, sicut & per corpus illius articuli.

CAPVT V.

Solutio obiectionum pro fundamento illius opinionis in primo cap. adductarum.

AD EA Verò, q̃ in principio pro fundamẽto illius expositionis adducta sunt, respondetur. Et ad primũ quidẽ rñsio ex dictis aperta est. Iã eñ declarauimus & probauimus, qũo duo cõsiderãda sunt secundum rectam rationem ad necessitatem virtutis eleemosynariæ.

¶ Ad secundũ verò dicitur, ꝙ ly laudabiliter, põt dupliciter sumi. Vno modo, vt distinguit̃ cõtra, Necessariò, & sic idẽ sonat laudabiliter qđ bene, sed nõ de p̃cepto, sed de cõsilio. Alio mõ vt distinguit̃ cõtra, vituperabiliter: & sic idẽ sonat qđ virtuosè. In ꝓposito S. Tho. accepit, Laudabiliter secũdo mõ, & non primo. Et nihil aliud voluit dicere, nisi ꝙ in illis casibus trib9, quos enumerat nõ inordinatè, sed virtuosè qs necessaria personæ largiretur. Ex hoc aũt ꝙ virtuosè hoc fieri dicitur, nõ sequitur, ergo nõ de p̃cepto: qm̃ actus virtutis cõis est p̃ceptis & cõsilijs.

¶ Et qa hoc verbũ arbitror fuisse occasionẽ errãdi alijs, & falsam fouisse expositionẽ, propterea ꝙ creditũ est, ꝙ S. Th. vteretur ly Laudabiliter, primo modo: ideo ostẽdo ꝙ secũdo modo accepit Laudabiliter ex quatuor. Primò ex articuli titulo, ac S. Th. more. Quũ eñ cõsueuerit diuinũ eius ingeniũ qõnibus respõdere sermone formali: propter qđ vniuersaliter profundæ sunt eius sentẽtiæ, & occultæ minus perspicacibus: & titulus articuli non sit, an de necessario fieri eleemosyna debeat sub p̃cepto vel consilio, sed an de necessario dare liceat eleemosynã, sua non intererat rñdendo disserere, ꝙ hoc sit in cõsilio vel præcepto: sed ꝙ hoc sit cõtra virtutẽ vel secũdũ virtutẽ, licet ad perfectiorẽ doctrinã potuisset post subiũgere: & hoc non solũ est secũdũ virtutẽ, sed etiã in p̃cepto. Quod dixit. Ergo Laudabiliter, Virtuosè exponẽdũ est, si difficultati motæ formaliter respõsum esse fateri volumus. Secundò, ex prima parte corporis illius articuli, ait eñ ibi, ꝙ nõ licet dare de necessario naturæ, nisi ad sustentationẽ reipublicæ, vel ecclesiæ in aliquo casu necessitatis. Tũc eñ laudabiliter, inquit, seipsum et suos mortis exponeret periculo: qa bonũ cõmune p̃ponẽdũ est proprio. Ex hoc arguitur sic: Certũ est, ꝙ in aliquo casu tenetur qs de p̃cepto, nõ solũ mortis periculo se exponere, sed etiã mori ꝓ fratribus: ergo quũ S. Tho. dixit laudabiliter hoc fieri in aliquo casu, nõ accepit, Laudabiliter, vt distinguitur cõtra Necessario, seu de p̃cepto, qa falsum dixisset, quũ in p̃cepto hoc esse nõ sit dubiũ in aliquo casu, accepit igitur Laudabiliter, id est virtuosè. Quod si hîc hãc acceptas glossam, quare nõ infra in proposito nostro? nulla siquidẽ est q̃stionis aut stili disparitas. Tertiò, ex regula gñali, ex qua excipiens profert hæc verba: Quũ eñ distinxisset Necessariũ in necessariũ naturæ & personæ: & de necessario naturæ regulã tradidisset, ꝙ nõ licet dare ex eo eleemosynam. & exceptionẽ fecisset ad necessariũ personæ trãsiens, ipsum absolutè cõsiderans (vt qõ exigebat) duas regulas tradidit. Prima est, ꝙ dare de necessario personæ, simpliciter scilicet & absolutè considerãdo ipsum: est bonũ sub cõcilio tm̃, nõ præcepto. Secũda aũt quasi aduersatiuè addita est, ꝙ inordinatũ est dare tm̃ de necessario personæ, ꝙ de residuo nõ possit cõuenienter vita peragi. Et ab hac secunda regula excipit tres casus, ingressum religionis, facilem reparationẽ, & extremã necessitatẽ priuatæ personæ, vel magnã reip. qa in his laudabiliter necessaria personæ erogãtur. Ex his verbis videre quispiã põt clara luce, ꝙ laudabiliter posuit cõtra inordinatũ. Regula eñ erat, ꝙ necessariũ personæ nimis à seipso subtrahere est inordinatũ. Exceptio aũt est, ꝙ in tribus casibus hoc fit laudabiliter: id aũt est dictu laudabiliter, vt distinguitur cõtra inordinatè & cõtra vituperabiliter. Quartò patet hoc idẽ ex 4. sen. di. 15. q. 2. ar. 4. q. 1. ibi eñ tractãs hũc articulũ, eãdẽ reg[u]lã tradit, & eosdẽ tres casus excipit ab illicitis. Cõstat aũt ꝙ ibi iam determinauerat, ꝙ nõ solũ licitum, sed præceptũ erat dare de necessario personæ vltimã necessitatẽ patienti. nihil ergo obstat prædeterminatæ sentẽtiæ, ꝙ id quod præceptum dixerat, post laudabile aut licitũ dicat, exigente hoc noua difficultate: quia formaliter sibi vult responderi. Laudabiliter [i]gitur, id est virtuosè dixit dari eleemosynam de necessario in articulo necessitatis.

¶ Et per hæc patet, qualiter intelligẽda sint verba illa, q̃ ad cõfirmationẽ dicebãtur, scilicet dare eleemosynã de necessario personæ, est bonũ, & nõ cadit sub præcepto, sed cõsilio. Quũ eñ hæc verba in eodẽ sint articulo, accipienda sunt, vt quæsitũ formaliter determinat. Quæritur aũt ibi, an nõ liceat de necessario dare eleemosynã in tali vel tali casu: sed, vt dictũ est, quia ipsum Necessarij nomẽ erogationẽ excludere videt̃, q̃ritur an cõsiderãdo id qđ necessariũ est alicui absolutè & simpliciter, liceat eleemosynã de eo dare. Ad hoc aũt quęsitũ facta distinctione de necessario naturæ & personæ, subtiliter & optimè quo ad necessarium personæ dictum est, quòd licet seu bonum est de consilio, tamen non de præcepto. Ex hac tamen responsione non sequitur, ergo in nullo casu, vel in casu, extremæ necessitatis hoc non cadit sub præcepto: quæsita eñ aliter à sapientibus determinantur solitariè sumpta, & al-

Universidad de Deusto Biblioteca

ter coniuncta alicui casui, siue fini. Si enim quæras, an occidere hominem sit bonum, optimè respōdebitur ꝙ non, quòd si addas in casu, quo iustitia exigit, respondetur ꝙ hoc est in pcepto. Similiter si quæras an exponere se mortis periculo, sit bonum, optimè respondebitur quòd nō: ꝙ si addas propter actum virtutis, dicetur quòd hoc quandoq; cadit sub præcepto: & similiter de aliis euidenter apparet, quòd aliam responsionem sibi vendicant solitariè quæsita, & alia coniuncta cum aliquo alio. Vnde ad insinuandum san. Tho. quòd dare de necessario personæ solitariè sumptum bonæ affectionis est, dixit quòd sub consilio, non præcepto cadit. Ad insinuandum autē, quòd hoc in aliquo casu sub præcepto cadit, suprà dixerat, & infra dicit, & alibi, vt est allegatum, quòd de necessario personæ extremæ necessitatis sub præcepto tenetur quis subuenire. Patet igitur ex dictis, quòd S. Th. sententia est, quòd duo sunt præcepta circa eleemosynam faciendam, scilicet dare de superfluo naturæ & personæ indigentibus quibusuis, & dare de necessario personæ patienti extremam necessitatem.

CAPVT VI.

Exposita opinionis S. Thom. ex multis illustribus doctoribus antiquis & modernis, confirmatio.

ET QVIA Hoc videtur multis fortè nimis graue, & S. Tho. quem prius imitabantur sequendum, non putabunt, & coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, vt omnino inexcusabiles reddantur, apponendos censui multos illustres doctores eādem tenentes sententiam: licet non paruipendendum sit verbum illud S. Tho. in 4. quando ait hanc esse communem sententiam.

¶ Primam ergo conclusionem, scilicet quòd habens superfluum naturæ & personæ, tenetur aliis subuenire ratione superfluitatis licet pauper non appareat in extrema necessitate: tenent imprimis Basilius & Ambr. in verbis suprà adductis. Aug. quoq; ad Macedonium: vt habetur 14. q. 4. ca. quid dicā: idem sentit in his verbis. Nōne oēs qui sibi videntur gaudere conquisitis, eisq; vti nesciunt, alienum possidere conuincimus: hoc enim certè alienum non est, quòd iure possidetur: hoc autem iure, quòd iustè, & hoc iustè, quòd bene, omne igitur quod malè possidetur, alienum est: malè autē possidet qui malè vtitur. Hæc ille. Vbi apparet superfluum naturæ & personæ alienū esse quoad vsum, & consequenter dispensandū: aliter iniustè possidetur, quia habens non rectè vtitur illo. Eandem confirmat sententiam Hiero. di. 42. ca. hospitalem: dicēs, Aliena rapere cōuincitur, qui sibi vltra necessaria retinere probatur. Hæc ille. Theophilus quoq; super illa verba Luc. 18. Facilius est camelū, tractans an hæc Dñi sententia impossibilitatē ostēdat circa diuitū salutē affirmansq; impossibilitatē, ait: Reuera ita est: aliud eñ est diues, & aliud œconomus: nam diues est, qui sibi reseruat diuitias œconomus verò, siue dispēsator, qui ad opus aliorū has tenet. Porro attēdatur, ꝙ diuitē quidē impossibile dicit saluari, possidentem verò diuitias difficile, quasi di. Diues, qui captus est à diuitiis, & famulatur eis, non saluabitur: habens verò illas, qui scilicet eis dominatur, vix saluabitur, causa humanæ fragilitatis. Hæc ille. Vbi manifestè damnantur omnes reseruantes sibi diuitias, id est superflua, & qui eis famulantur. Quòd autem talis famulatus excludens à vita æterna, sit ipsa custodia superfluorum, apparet ex verbis Chrys. ibidem dicentis, Non prohibet ditari, sed opibus famulari, vult vt in necessariis vtamur eis, non vt custodiamus: nā famuli est custodire, sed domini dispensare. Si conseruari eas vellet, non tradidisset eas hominibus, sed sineret eas in terra iacere. Apparet etiam ex verbis Domini, Matthæi 6. Non potestis Deo seruire & Mammonæ, vbi Hieronymus, exponens quid sit seruitus diuitiarum, ait, Audiat hoc auarus, audiat hoc qui censetur vocabulo Christianus, non posse simul diuitiis, Christóq; seruiri: & tamen non dicit, Qui habet diuitias: sed, Qui seruit diuitiis: qui eñ diuitiarum seruus est, diuitias custodit, vt seruus: qui autem seruitutis excussit iugum, distribuit eas vt dominus. Hæc ille. Vbi expressè apparet, quòd est impossibile superflua custodire, non dispēsando, & Christū amare. diuitiis enim amatis, se odio haberi, necessarium esse, ibidem dicit Dominus. Beda quoque super illud Luc. 11. Quod superest, date eleemosynam, ait, Neq; enim ita facienda iubetur eleemosyna, vt teipsum cōsumas inopia: sed vt tui cura corporis expleta, inopem quantum vales, sustentes. Hæc ille. Vbi iuberi exposuit sustentationem inopum post necessaria nobis.

¶ Inter posteriores verò doctores Petrus de Palude in 4. dist. 15. q. 3. expressè ponit hoc cadere sub præcepto. Richardus quoque in 4. dist. 15. quæst. secunda hoc idem confirmat. Durandus autem & Romanus ibidē, quasi mortale pauidi timent.

¶ Secundā aūt conclusionē (ꝙ scilicet dare eleemosynā existenti in extrema necessitate de necessario personæ sit in præcepto) Ambro. di. 86. ca. pasce: cōfirmat dicēs, Pasce fame morientem: si non pauisti, occidisti. Gregorius quoque in homiliis suis ait: Quia enim in lege scriptum est, Diliges proximum tuum sicut teipsum, minus proximum amare conuincitur, qui non cum eo in necessitate illius etiā ea quæ sunt sibi necessaria, partitur: idcirco de diuidēdis cum proximo duabus tunicis datur præceptū. Hæc ille. Vbi euidēter apparet, quòd necessaria non communicata necessitatibus absq; dubio extremis, minorem debito dilectionem Christi conuincunt: & consequēter charitatis extinctionem, quæ diminutionem nō patitur.

Basilius etiam super illud Lucæ, 3. Qui habet duas tunicas, ait, Hic autem docemur, ꝙ ex omni eo quod affluit supra proprii victus necessitatē, tenemur erogare illi, qui non habet, propter Deum: qui quæcunq; possidemus, largitus est. Hæc ille. Vbi clarè sonat intentā sententiā. Iuniores quoque, scilicet Petrus de Palude, Richardus, Duran. & Romanus in 4. sen. dist. 15. intrepidè asserunt teneri quemlibet de necessario personæ subuenire extremæ necessitati pauperis. Non absque temeritate ergo à tot doctoribus ac rationibus subtrahet se quispiam, volens magis hominibus placere, quàm veritatē sequi. Quòd si mihi illud Rosellæ obieceris, quòd scilicet diuitum confessiones audiri nō possent, & confessores damnationem incurrerent: audi dominum Iesum Christum in Euangelio, diuitibus dicentem, Facilius est camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorū. Confessoribus autem, Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt.

¶ Et sic patet regula generalis, circa eleemosynarū necessariam largitionem: applicatio autem eius ad particularia scientificæ determinationi non subest, sed prudentiæ committitur, quæ circa particularia versatur. Est autem magna opus circumspectione, vt concludatur hunc habere superflua. oportet siquidem considerare statum, filios, filias, seruos, alumnos, hospites, conuiuas, diuisionem, munificentiam, magnificentiam, & si qua sunt huiusmodi: & habere semper præ oculis, quòd necessarium personæ non consistit in indiuisibili: multis enim adiunctis, non apparebit superfluum: & multis subtractis, non censebitur quis indigens. Et hæc de eleemosynæ præcepto dicta sufficiant. Anno Domini, 1496. Finis.

TRACTATVS SEXTVS

De monte pietatis in quindecim capita diuisus.

1 Quid sit Mons pietatis: quæ eius capitula, & quid discutiendū.
2 Ex quibus & quomodo procedendum est ad huius veritatis inuestigationem.
3 In quo genere, & in qua specie virtutis, vel vitii operationes istæ locentur.
4 Conditiones iusti commutatiui & distributiui.
5 Prima opinio dicentiū, nihil vsuræ, aut iniustitiæ inueniri in contractibus Montis pietatis stādo infra limites iustitiæ cōmutatiuæ.
6 Examinatio prædictæ opinionis cum determinatione quòd in his contractibus committatur multiplex iniustitia.
7 Secunda opinio examinantur, soluendo duo dubia concernentia dicta in præcedenti capitulo.
8 Solutio rationū argumentum, quòd contractus prædicti secundū commutatiuam iustitiam sint iusti.
9 Determinatio, quòd in prædictis contractibus committitur vsura.
10 Opinio dicentium iusta esse capitula Montis pietatis secundū formam iustitiæ distributiuæ.
11 Examen prædictæ opinionis determinans, quō hic sit distributio.
12 Determinatio quòd secundum iustitiæ distributiuæ formā multiplex in hoc Monte iniustitia committatur.
13 Opinio dicens in monte hoc nullum esse propriè mutuū, sed societatem potius quandam piissimis capitulis ad commune bonum vtilem.
14 Examen prædictæ opinionis determinans iniustitiam nihil minus inueniri in capitulis Montis secundum hanc viam, quàm secundum alias supradictas.
15 Exclusio quorundam extra, eorum dictorum concludens vltimo loco tantam sententiam.

Mon

CAPVT PRIMVM.

Quid sit mons pietatis, quæ eius Capitula, & quid discutiendum.

Quid mons pietatis.

MONS PIETATIS In multis iam Italiæ populis erectus, & nunc discutiendus, vocatur summa quædā pecuniæ ad perpetuum vsum pauperum deputata, hoc modo. Compatiētes diuini verbi prædicatores aliqui inopiæ multorum pauperum, quorū facultates, (quia non semper in promptu habere contingit, vnde suis prouideant necessitatibus) ab Hebræorum vsuris vorantur: induxerunt populū, vt pietatis intuitu oblatione volūtaria quisquis quod sibi placeret, offerret, quatenus ex multis oblatis vna quædam fieret nummorum summa, conseruāda integrè ad hoc, vt pauperi cuicunq; mutuari possit, vnde sibi prouideat. Et quoniam charitate plena res est hæc, fructuosa fuit prædicatio: adunatáq; est pecunia multa sub communibus custodibus reposita, quæ mons pietatis dicitur. Quūq; modū conuenientem & perpetuum humano more rectores ciuitatis statuere vellent, quo pauperibus prædicta pecunia distributione perpetua & æquali mutuari possit, statuerunt bonos ciues ad hoc exequendum cum his capitulis.

¶ Primò, ꝙ custodiant dictam pecuniam, & stent parati ad mutuandū egentibus tot aureos (puta tres ad summum) & intra tantum non plus temporis (puta annum) restituendos, & hoc vt bonum possit esse communius.

¶ Secundò, ꝙ pignora ab accipientibus mutuū sumāt, & suo periculo custodiant in domo ad hoc conducta, & restituentibus intra annum reddant: non restituentium verò publicè vendant, & ex venditione pecuniam exigentes reddendā domino venditi pignoris, deducto prius eo, quod Monti debet: & hoc omniū & totalis suæ administrationis rationēs scriberent, & redderent. Et hoc totum fit, vt perpetuari possit Mons, & futuris pauperibus prodesse.

¶ Tertiò, ꝙ vltra pecuniā mutuatā exigāt secūdū numerū librarū singulis mēsibus tot denarios prædictis debitoribus, ita ꝙ quot libras aliquis mutuò susceperit à Monte, tot denarios singulis mensibus, quibus illas retinet, dare teneatur. Et hoc non, vt aliquid vltra sortē Monti accedat: sed pro recōpensatione operarū custodū & ministrorum, qui publico pauperū bono in supradictis cū suo periculo & labore deseruiunt, & expensarū quæ pro pensione domus, & emptione librorū, & cæteris ab eisdē fiunt. Hæc sunt capitula Mōtis pietatis. Quorū duo prima, quia per se notū est esse sancta, tertiū examinādum restat, an sit licitum aut illicitū: & si illicitum, an vsurā sapiat.

CAPVT II.

Ex quibus, & quomodo procedendum est ad huius veritatis inuestigationem.

OPORTET Aūt huius dubitationis, sicut & cuiusq; alterius verā solutionem ex eius propriis principiis indagare. Quia autē quæstio hæc moralis sit, & ab homine naturaliter scibilis, non est ex autoritate diuina aut humana, sed moralis philosophiæ principiis tantū procedendū. Ex autoritate siquidē diuina in canonicis sacræ Scripturæ libris contēta quædā per se ponūtur credenda: & hæc sunt, quæ humani excedunt vires ingenii, (quia fides est argumentū rerum non apparentiū) vt puta ꝙ Deus sit trinus, & alia huiusmodi. Quædam quasi per accidens: & hæc sunt multa ratione naturali cognoscibilia, tam credenda, quàm operanda, vt citius, cōmunius, & tutius veritas humano generi innotescat, vtputa ꝙ Deus sit, & ꝙ sit vnus, ꝙ adulteriū est malū, &c. In neutro aūt horum genere præsens continetur quæstio, scibilis siquidem naturaliter est, & nullibi in sacra Scriptura decisa inuenitur. Ex traditis autem in ea si solui debet, oportet ad morales venire propositiones: non inquantū creditas, sed lumine naturali notas. Hoc autē est ex principiis moralibus, non ex diuina procedere autoritate. Autoritas verò humana tā canonica, quàm ciuilis duo similiter tradit operum genera. Quædam ideo bona, quia mandata: vel mala, quia prohibita, & quædā ideo præcepta, quia bona, vel prohibita, quia mala. In horum primo ordine constat hos, de quibus agimus, actus, non contineri: in secundo autem claudi, nullibi explicitè habetur, Implicitè autem probari non potest ex iuris principiis, inquantum humana sunt autoritate firmata: sed oportet recurrere ad philosophiam moralem, vt ex eius rationibus naturali lumine fultis, ostendatur, an hoc sit secundum se malum, aut bonum.

¶ Ex hoc autem, quòd nulla autoritas quæstionem hanc propriam sibi vendicat, euidēter quatuor patere possunt.

Primò, quòd præsentis quæstionis decisio, nec canonici, nec ciuilis iuris doctores, nec purum Theologum, secūdum quòd Theologia vltra philosophicas disciplinas est simpliciter necessaria, exposcit, sed moralem philosophū.

Secundò, quòd sapientes in hac parte nec habendi, nec vocandi sunt doctores prædicti: sed ponentes potius falcem in messem alienam. Gratiæ tamen sunt eis habendæ, qui secundum iura, quantū licuit, quæstionem hanc ventilarunt. Tertiò, quòd non est mirum, si tot huiusmodi homines in re hac minus bene dixerint: quoniam tractāt fabrilia fabri. Quartò, quòd ex eo quòd tot & tales dixerint, vel dicturi sint in re hac suas opiniones, aut decisiones, nemo hæc intelligens debet, aut potest conscientiā suam eis credere: sicut nec corporeæ infirmitatis periculū aromatariis, nisi stultè committeret.

¶ Nec obstat quòd agere de contractibus & vsura, ad iura spectet, & ad Papam & principem decernere: hoc eñ verum est quo ad cōtentiosa fori exercitia & humana iudicia. Inter homines siquidem summi Pontificis est vsurarum ambiguitates determinare, & non simpliciter.

Dupliciter enim aliquid ad ecclesiasticum iudiciū spectat, scilicet per se, & simpliciter. Et sic summi pontificis iudicio subiunt ea tantum, quæ sunt fidei: eo quòd ipse est constitutus à Christo doctor & rector fidelium, inquantum fideles sunt, & nō hominū, inquantū homines sunt: & sibi promissa est omnis veritas de necessariis ad salutē fidelium: & non omnis veritas naturaliter scibilis, aut moralis. Aliquid verò subditur ecclesiæ iudicio per accidens, & secundum quid: si scilicet illud necessarium certa ratione nescitur, aut si ratio verè scita ab aliquibus, nō capitur ab aliis, &c. & de horum numero constat ex dictis quæstionem hanc esse. Et propterea sicut in his, quæ sunt fidei, summi Pontificis autoritas omnibus præest rationibus: ita in his scibilibus suprà tam ipsum, quàm quemcunq; alium iudicem, ratio naturali lumine roborata locum obtinet: contra quam sola autoris naturæ autoritas statuere, aut decidere aliquid potest. Et quoniam solius veritatis amore opus hoc agitur, & materia moralis est, vt omnibus amabilis veritas reddatur, nemo opinās nominabitur, aut mordebitur quouis modo: sed opiniones discutiemus, bene dicta suscipientes, minus autem bene, ordinantes, & secundum vires fraternitate & charitate emendantes.

CAPVT III.

In quo genere, & in qua specie virtutis, aut vitii operationes istæ locentur.

Opera, q in Mōte pietatis exercētur, non modò ad cōmutatiuæ iustitiæ rationē reducūtur, sed etiam distributiuæ.

HVMANA Opera virtutis, aut vitii susceptiua, in duo secantur genera. Quædam eñ sunt, quorum bonitas vel malitia in ordine ad operantem consistit, vt concupiscere, irasci, timere, audere, & vniuersaliter humanæ passiones. Talium siquidem rectitudo sufficienter habetur, si ipse operās in seipso aliqualiter se habet, puta si passio secundum rationem refrænetur, &c. Alia autem sunt, quorum propria & per se primò bonitas aut malitia consistit in ordine ad alterum, licet ad completam virtutis bonitatem etiam in ordine ad operantem bona esse oporteat: vt reddere depositum, restituere accōmodatū, & vniuersaliter operationes, quæ iustitiæ subiacent. Ad horum siquidem rectitudinem propriā, id est ad hoc vt, iusta opera sint, sufficit ꝙ alteri æqualiter cōmensurata sint, puta ꝙ restitutio acceptioni æquetur. Non eñ refert, qua quis intentione depositum reddat, aut debitum persoluat, si operis iustitiam inspicimus: licet plurimum intersit, si iustitiæ virtutē operanti attribuere volumus. Propter quod hoc est quàd singulare in iustitiæ operib', ꝙ iusta operari possunt carentes iustitiæ virtute, cæterarū autem virtutum opera nemo absq; virtute illa explere sufficit. Quod ideo, (vt ex dictis patet,) accidit, quia cæteræ virtutes perficiunt hominem in his, quæ sunt ad se, iustitia verò in his, quæ sunt ad alterum, vt in quinto dicitur Ethi.

¶ Quum autem clara luce liqueat opera hæc, de quibus præſens agitur quæſtio, in numero eorum, quæ ad alterũ ſunt cum æqualitatis ciuili debito contineri, eorum bonitatem vel malitiam ex ipſa ratione iuſti, quod ad alterum eſt, ſecundũ æqualitatẽ ciuiliter debitam, conſiderare oportet. Et ob hoc omnes rationes, quæ in re hac adducuntur, ex rectitudine voluntatis & pietate intẽtionis communitatis & miniſtrorum defectiuæ ſunt, non enim attingunt ad opus ſecundũ ſe, an iuſtũ vel iniuſtum ſit.

Et quoniã iuſtum non humana lege poſitum (quoniã illud non eſt ad propoſitũ, eo ꝙ non habet locũ niſi in indifferentibus) ſed naturale, id eſt ex ipſa rei natura æqualitate aliqua alteri commenſuratũ, in duas ſecatur ſpecies, ſcilicet ſecundũ iuſtitiam commutatiuam, & ſecundũ iuſtitiam diſtributiuam, oportet non latere, ſecundum quã iuſti ſpeciem opera hæc examinare oportet: non enim eodem modo iuſti ratio in vtraq; inuenitur. Quamuis autem primo aſpectu ad commutatiuam iuſtitiam omnia huiuſmodi opera ſpectare videantur (quia vel reſtitutionis, vel recompenſationis, vel locationis actus ſunt) quia tamen ſecũdum multos diſtributiua admiſcetur iuſtitia, idcirco primò ſecundum formam iuſtitiæ commutatiuę, deinde ſecundum admixtam diſtributiuam, & demum quandam ſingularem opinionẽ examinãdo procedemus.

CAPVT IIII.

Conditiones iuſti commutatiui & diſtributiui.

Cõmutatiua iuſtitia exigit, vt aliquid detur et accipiatur inter ſingulares perſonas ſecundum æqualitatẽ arithmeticã: diſtributiua verò exigit diſtributionẽ à principibus, vel ciuitate factã ſingulis perſonis ſecundũ æqualitatẽ geometricã.

QVIA VERO Ignoratis rationibus terminorum, impoſsibile eſt intelligere cætera, prælibandum eſt quid ratio iuſti in cõmutationibus exigat, et ſimiliter quid ratio iuſti in diſtributionibus requirat: ad hęc enim aſpicientes, oportet reliqua examinare. In ciuitate, quũ totum quoddam ſit triplex debiti ratio, ſine qua iuſtum non inuenitur, conſiderari poteſt, ſcilicet partis ad partem, & totius ad partes, et partiũ ad totũ. Primus ordo dirigitur à iuſtitia cõmutatiua, ſecundus à diſtributiua, tertius à generali, quæ legalis alio nomine dicitur, de qua in quinto Ethicorum dicitur, ꝙ neq; heſperus, neq; Lucifer eſt ita fulgens, aut admirabilis. Partes ſiquidem ciuitatis ſunt ſingulares perſonæ: quarum & res & opera & perſonas cõmutare adinuicem oportet, vt quod vni deeſt, abſq; dar[illegible]s damno ab altera habeatur. Bonum ſimiliter vel malum commune neceſſe eſt ſingulis proportionaliter diſtribuere: ſingulorũmq; bona ad commune bonũ ordinanda eſſe nemo dubitat.

¶ Sed omiſſa pro nũc tertia hac iuſtitia (quoniã vt poſt patebit, nõ eſt ad propoſitũ) ſciendũ eſt, ꝙ iuſtũ ſecundũ iuſtitiam cõmutatiuã requirit tres cõditiones. Prima eſt, ꝙ ibi ſit datio & acceptio ex parte vtriuſq; extremi: aliter commutatio non eſſet, & cõmutatiuæ iuſtitiæ (quæ directiua cõmutationũ eſt) propria deeſſet materia. Secũda eſt, ꝙ ſit inter partẽ et partẽ, id eſt ſingulares perſonas: aliter à diſtributiua, aut gñali iuſtitia nõ diſtingueretur, vnde ſeruitium cõmunitati exhibitũ, recompenſatur ab ea, vt ſingularẽ perſonam induit: ſicut & vendit & emit, vt perſona ſingularis. Tertia eſt, quòd ſeruetur ęqualitas arithmetica, id eſt quantitatiua: vt ſcilicet quantũ fuit ſeruitiũ, tanta ſit merces, & quãta læſio, tãta vindicta, &c. aliter cõmutationes iuſtæ non eſſent. Mutuanti enim quatuor, niſi quatuor reſtituerentur, iniuſtitia eſſet, & ſimile eſt in alijs.

¶ Iuſtum aũt ſecundũ iuſtitiam diſtributiuam, tria ſimiliter exigit. Primò, ꝙ ibi ſit diſtributio, quæ propria eſt iuſtitiæ diſtributiuæ materia, vt ex eius nomine patet. Secũdò, ꝙ ſit inter totũ & partes, ita ꝙ à toto ad partes terminetur: aliter debiti ratio & diſtributio in vnũ non coirent. Diſtributio nãq; partitionẽ ſonat alicuius: quòd niſi totius eſſet, partibus debitum, vt diſtribueretur, nõ eſſet. Vocamus aũt totum cõmunitatem vel principẽ vt ſic: partes autẽ ipſos ciues. Tertiò, ꝙ ſeruetur æqualitas geometrica, id eſt proportionalis: vt ſcilicet talis ſit ꝓportio eius quod datur de cõmunibus bonis vni perſonæ ad id quod datur alteri, qualis eſt inter perſonas ipſas, id eſt, vt quantum vna perſona præcedit alteram in illa republica, tantũ quod vni datur excedat id, quod datur alteri. Aliter æqua non eſſet diſtributio: quia boni totius partibus debiti tantò plus alicui parti debetur, quantò pars illa principalior eſt in illo toto: quæ principalitas in diuerſis politijs ſecundũ diuerſa attenditur, ſcilicet ſecundum virtutem, aut diuitias, aut aliquid huiuſmodi.

CAPVT V.

Prima opinio, dicentium nihil vſuræ aut iniuſtitiæ inueniri in contractibus Montis pietatis, ſtando infra limites iuſtitiæ commutatiuæ.

HIS IGITVR Præmiſsis illorum occurrit opinio, qui terminos commutatiuæ iuſtitiæ non egrediendo, contractus omnes huius Montis, nec vſuræ nec iniuſtitiæ aliquid ſapere credunt. Et quoniam hi duabus incedunt vijs: illa primò adducenda eſt, quæ hos contractus adeò ſecundum ſe iuſtos dicit, vt ſi de cuiuſq; priuatæ perſonæ intentione recta conſtaret, ſicut de pia communitatis & Montis intentione modò conſtat, cuilibet liceret pecunias ſuas cum ſupradictis contractibus pauperibus mutuare.

¶ Vt autẽ huius ambiguitatis veritas clarius eluceſcat: ex quo non refert ſecundum hanc viam, quis mutuet, publica ſcilicet an priuata perſona, nec refert cuius ſit quod mutuo datur, an ſcilicet mutuantis ſit an alterius: ponamus in terminis caſum diſcutiendum, præſuppoſita recta intentione mutuantis, quam tamen præſupponere non eſt opus: quia contractus ſecundũ ſe iuſtitiam quærimus, quæ in æqualitate commutationis conſiſtit, quacunque id intentione fiat. Sit ergo Petrus mutuis indigentium exponẽs 10000. ducatos, cõducátq; miniſtros ſcriptores, & cuſtodes pignorum, ſine quibus mutuum nulli dare vult: exigátq; vnum denarium pro qualibet libra ſingulis menſibus à ſingulis accipiẽtibus, & retinẽtibus mutuum, ſuppoſito quòd tanta quantitas pecuniæ requiratur ad mercedem reddendam debitam miniſtris, & cuſtodibus, &c. Dicit itaque his ſtãtibus hæc prima opinio tria. Primò, quòd hîc ſunt tres contractus: ſecundò quod in his nulla interuenit vſura: tertiò quòd in his nulla inuenitur iniuſtitia.

¶ Primum horum declaratur diſtinguendo contractus. Eſt ſiquidem hîc primò contractus mutui inter Petrum mutuantem & Ioannem pauperem. Eſt deinde cõtractus pignoris inter Ioannem pauperem & ipſum Petrum, ſeu miniſtros eius, quod idẽ eſt: qa in mutuantis perſona pignus ſuſcipiũt. Eſt & tertiò contractus locationis: quo miniſtri operas ſuas locant ad ſcribendũ, cuſtodiendum & excutiendum pignora, &c. & pauperes mercedẽ eis debitam retribuunt, vnum denarium pro libra ſoluendo.

¶ Secundum verò, ſcilicet quòd hîc nulla ſit vſura, probant ex ipſius vſuræ ratione dupliciter. Primò: quia vſura eſt quando aliquid vltra ſortẽ ex mutuo quæritur: ita quòd mutuum ſit non occaſio aut cauſa ſine qua non, ſed ratio & cauſa propter quam aliquid pecunia æſtimabile vltra ſortẽ percipitur. Conſtat autem ex diſtinctione contractuum, quod hîc nihil propter mutuum vltra ſortem quæritur: ſed tantùm propter locatas operas miniſtrorum, cuius euidens ſignum eſt, quòd ſi miniſtri gratis hæc facere voluiſſent, donantes ſingulis illos denarios, nemo turbabitur. Secũdò: Quia ſi iſta miniſtrorũ merces eſſet vſuraria, à quocunq; redderetur, eſſet vſuraria: nõ enim refert, an fœneratori vſuræ dẽtur ab accipiẽte mutuum, vel à principe, vel à quocũq; alio. Sed conſtat quod prædictis miniſtris abſque vllo ſcrupulo põt tanta merces pro his laboribus à communitate vel principe reddi: vt Mediolani, & Brixiæ, & Veronæ fit: ergo non eſt vſura.

¶ Tertium autem, ſcilicet quod hîc nulla ſit iniuſtitia, declaratur ſic: Si hîc eſſet iniuſtitia, aut eſſet iniuſtitia iſta ex parte miniſtrorum: vt ideo iniuſtitia ſit exactio iſta, quia ipſi gratis tenentur operas ſuas impendere & hoc non; quia non ſumus in caſu extremæ neceſsitatis, aut ſuperfluitatis tantæ quòd teneantur ad hoc. Aut ex parte modi accipiendi: vt ideo iniuſta ſit acceptio, quia taxatur vnus denarius pro libra ſingulo menſe, & hoc non: tum quia multorum ſapientium & bonorum virorum ſententia conſideratis particularibus circunſtantijs via hæc æquiſsima iudicata eſt: particulariũ autẽ iudicium prudentibus viris cõmittendum eſt ſecundũ moralem philoſophiã. Tum quia huic modo ratio ſuffragatur, cõmenſuratur enim hoc modo ſoluto periculo & labori miniſtrorũ. Quantò maioris pretij pignus, aut maiore tẽpore retinetur, tantò plus periculi cuſtodes ſubeunt & curæ & laboris, ſi excutienda (vt ſępe accidit) pignora ſunt. Aut ex parte pauperũ: vt iniuſta ſit hæc exactio, qa à non debẽte ſoluere exigitur, & hoc nõ ꝓpter duo. Primò, qa ſi pauper nõ tenetur ad hoc, cũ aliquis ad hoc teneatur, debet

bet aſsignari quis eſt, qui ad hoc obligetur. Ipſe Petrus mutuans non tenetur: quoniã damnũ incurrere non tenetur ex hoc, quòd beneficium mutui impendit, quinimò ſi aliquod damnum ex hoc incurreret, poſſet à paupere accipiente mutuũ illius recompenſationem exigere: vt ab omnibus doctoribus concorditer dicitur. Princeps quoq; aut cõmunitas ad hoc non tenetur, tũ quia ſumus extra caſus extremæ neceſsitatis & ſuperfluitatis, extra quos eleemoſyna non eſt in præcepto: tum quia principes, etſi teneantur pauperum curam habere, & eis ſubuenire, non tamen tenentur hoc modo ſubuenire: vt de ſe patet. Si ergo nullus inuenitur, qui ad hoc teneatur, reſtat ꝙ pauper ipſe teneatur. Secundò, quia morale principium eſt, quòd ille debet onera rei ſuſtinere, in cuius fauorem res agitur, cum autem cõſtet, quòd miniſtrorum opera propter pauperes fiant, vt habeant vnde ſuis prouideant neceſsitatibus, conſequens eſt: quòd ipſi pauperes debeant miniſtrorum operas recompenſare.

CAPVT VI.

Examinatio præpoſitæ opinionis cum determinatione, quòd in his contractibus committatur multiplex iniuſtitia.

QVOD Autẽ prædicta opinio in multis à veritate deficiat non ex opinabilibus, ſed ex per ſe notis principijs moralibus deducendum eſt. Aſſumamus itaq; duo principia in cõmutationis contractibus per ſe euidentia. Alterũ affirmatiuum, ſcilicet ille tenetur mercedem reddere, in cuius fauorem opus agitur. Alterũ negatiuũ, ſcilicet nullus tenetur mercedẽ reddere pro opere facto in alterius fauorem. Hæc principia ſtando infra limites iuſtitię cõmutatiuæ per ſe nota ſunt: quoniã ex ſeipſis æqualitatem iuſtitiæ clarè continent, & ideo indiſciplinati eſſet quærere eorum probationẽ. Sub his aũt principijs oportet ſubſumere propoſitiones minores, quas difficile eſſet intellectu penetrare niſi prius operationes miniſtrorum interuenientes in contractibus iſtis diſtinguerẽtur, & ſigillatim diſcuteretur quę in cuius fauorẽ fiat, hac enim deciſione habita, ſtatim tota ratio integrè patebit. Sed ad hanc deciſionem abſq; errore habendã, oportet ex his, quæ per ſe inueniũtur in operatione qualibet, & non ex his, quæ per accidens inſunt, & ex proprijs & immediatis cuiuſq; conditionibus, & non ex cõmunibus & remotis ſententiã proferre. Propter quod nõ eſt in hac cõſideratione immiſcendũ, ꝙ hoc, vel illud opus fiat in fauorem boni cõmunis, aut aliud huiuſmodi, finis ſiquidẽ cõmunis & remotus eſt vniuerſitatis bonũ in particularibus commutationibus. Iam enim ſtabilitum ſuperius eſt, quòd iuſtum ſecundum iuſtitiæ cõmutatiuæ formam attenditur ſecũdum æqualitatem commutationis huius perſonæ ad illã perſonam, & non ſecundum ordinem ad cõmunitatem.

¶ Ex per ſe ergo & proximis conſiderari, diſtinguamus imprimis operas has miniſtrorũ, dicentes ꝙ harum operarum quædã ſunt quaſi per ſe cõmuniter intentæ: & hæ ſunt illę, quę vſq; ad venditionẽ pignorũ interueniũt. Quædã verò ſunt ſpecialiter, & per accidens intentæ: & hæ ſunt ſubhaſtatio & venditio pignorum, & his annexa, quæ ex mora quorundã debitorũ accidũt. Diſtinguẽdo autem ſigillatim prima opera, dicimus ea eſſe hæc, ſcilicet cuſtodiam pecuniæ, præparationem ad mutuandum actum mutuandi, ſumere pignus, ſcribere hæc, cui annectuntur expẽſæ pro libris, &c. cuſtodiam pignorum: cui coniungitur conductio domus pro eorum cõſeruatione, & tandem reſtituere pignora. Horum autem pars maior & periculoſior in fauorem ſit Petri mutuantis, aut vniuerſitatis pauperum: cuſtodia enim pecuniæ, acceptio pignorum, eorum cuſtodia, ſcribere hæc, expenſæ pro libris conductióq; domus (in quibus totum periculum eſt) ad alterius vel vtriuſq; ordinantur ſecuritatem. Reliqua autem paucula, ſcilicet præparatio ad mutuandum, & ipſe actus mutuandi, & reſtitutio pignoris ad huius pauperis ordinantur vtilitatem.

ET VT CLARIVS Eluceſcant hæc, videamus ſingula. Cuſtodia imprimis pecuniæ, in illius fauorem proximè ſit, cui cuſtodienda reponitur: pecunia autẽ hæc cuſtoditur duobus, ſcilicet Petro mutuanti, cuius eſt directum dominium huius pecuniæ: & vniuerſitati pauperum, cuius eſt quaſi dominium vtile eiuſdem. Nulla enim alia ratione hanc pecuniam oportet conſeruari, niſi vt Petrus ſit ſecurus, ſi quando vellet rehabere pecuniam ſuam. & vniuerſitas pauperum ſit certa, quòd communis ſit etiam futuris pauperibus vtilitas iſta. Acceptio ſimiliter pignorum, quum ad conſeruationem & ſecuritatem capitalis proximè ordinetur, conſtat quòd in fauorem ipſius Petri & vniuerſitatis pauperum ſit. Et ſimile omnino eſt de ipſo actu ſcribendi, & expenſis pro libris. Hæc enim omnia nulla alia ratio fieri cogit, niſi ob integritatem & ſecuritatem pecuniæ. Ioannes enim pauper mutuum accipiens, non curat quòd hæc præſcribantur, aut quòd pignus ab eo exigatur: ſed hæc omnia pecuniæ dominus ſecuritati ſuæ conſulens fieri vult.

¶ In cuſtodia autem pignorum cõſiderandum eſt, quòd ſicut pignus habet in ſe duo: ſcilicet quòd ſit pignus, & quòd ſit talis res, (puta veſtis,) ita in ipſa pignorum cuſtodia diſtinguendum eſt, quòd ipſa eſt cuſtodia pignoris, & quòd eſt cura talis rei. Si conſideretur formaliter pignorum cuſtodia, manifeſtè patet quòd in fauorem Petri mutuantis, & vniuerſitatis pauperum ſit: quia proximè ordinatur in ſecuritatem pecuniæ rehabendæ. Vnde quia contractus pignoris ſecundũ veritatem eſt in fauorem acipientis, ideo accipiens ipſum tenetur ad reſtitutionem eius, ſi etiam perdidit illud, vt cõuincitur ex illo morali principio reſtitutionum poſito à ſan. Tho. in Secũda Secundæ q. 62. ꝙ aliquis tenetur ad reſtitutionẽ non ſolũ ratione rei acceptæ, ſed etiã ratione acceptionis tenetur reſtituere, etiam perdita re. Et in hoc differt accipiens depoſitũ ab accipiente pignus, ꝙ ille depoſito perdito, nõ tenetur ad reſtitutionẽ: quia obligatur ad reddendum depoſitũ ratione rei acceptæ, & nõ ratione acceptionis: quia depoſitũ datur in fauorem deponentis: iſte aũt, ſcilicet accipiens pignus, quia tenetur & ratione pignoris accepti, et ratione acceptionis (quia pignus datur in ſecuritatem petentis ipſum) obligatur ad reſtitutionẽ non ſolũ quandiu pignus habet, ſed etiã cum non habet: ſuo enim periculo tenetur naturali iure illud cuſtodire: ſicut qui accõmodatum accipit eadẽ ratione, &c. Si autem conſideretur cura talis rei, quæ eſt pignus, (puta excuſsio veſtiũ & huiuſmodi ſolicitudo) ſic quia hoc accidit pignori, de ſui ratione nõ exigit, ꝙ ſit in tali materia, ſed ſufficit ſibi ꝙ ſit tanti pretij, vt ſecura ſit pecunia rehabẽda: ideo non eſt eadem ratio de ſolicitudine exercenda, & de ipſa cuſtodia. Hæc nanq; cura quãuis in fauorem vtriuſq;, dantis ſcilicet & accipientis cedat (dũ pignoris domino res ſua illæſa ſeruatur, & huic creditori pignoris pretium conſeruatur, vnde poſsit mutuatam rehabere pecuniã) ſimpliciter tamen & per ſe ſit in fauorem domini pignoris: quia mutuãs licet exigat pignus: nõ tamen exigit qualitatem pignoris, imò hãc oneroſam conditionẽ refugit naturaliter. Vnde paciſci poſſet cũ Domino pignoris talis, quòd ipſe non vult ſolicitudinẽ hanc, ſed ꝙ Dominus ipſe mittat tẽpore curæ habendæ ad excutiẽdas veſtes ſuas, & alia huiuſmodi.

Nec obſtat, ꝙ ſi nullo interueniente pacto veſtes in pignus acceptas contingit lædi, retinens ipſas tenetur ad ſatisfaciendum domino pignoris. Hoc enim non prouenit ex eo ꝙ retinens tale pignus teneatur per ſe ad curã eius: ſed ex eo quòd per accidens iſte tenebatur ad hoc: quia ſcilicet non fuit proteſtatus, manifeſtando domino pignoris, ꝙ talis pignoris curam refutaret. Implicitè enim obligatur quilibet ſumens pignus qualecũq; ad eius curã, (expenſis tamen domini) niſi aliud proteſtetur. Domus autẽ conductio, inquantum deſeruit cuſtodiæ pecuniæ & pignorum, & cum in fauorem eſt Petri mutuantis, & vniuerſitatis pauperum. Inquantum autem pignorum expanſioni & curæ vtilis eſt, in horum pauperum fauorem ſit. Reliqua autem tria opera, ſcilicet actus mutuandi, & pignora reſtituendi, & paratum eſſe ad mutuandum, in fauorem manifeſtè ſiunt Ioannis pauperis. Sed prima horum, ſcilicet actus mutuandi, & reſtituendi pignus, ſub mercede non cadunt: quoniam actui mutuandi reſpõdet actus reſtituendi acceptum mutuũ: & actus reſtituendi pignus reſpondet actui dandi ipſum pignus: ſicque par pari refertur. Tertium autem ſub mercede eſſe per ſe patet: pecunia ſiquidem æſtimabilis eſt obligatio ad paratum eſſe ad mutuandum. Opera verò in altero diuiſionis membro poſita, ſcilicet quæ ſpecialiter reſpectu quorundam accidunt, (vt venditio pignoris, & cætera annexa,) non opus eſt diſcutere, in cuius fiant fauorem: quoniam propter moram debitoris ab ipſo ſoluenda ſunt: ſicut & expenſæ, quæ poſt eius moram fierent in citatione coram iudice & litibus, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EX OMNIBVS Igitur his colligendo, cum pateat vnum tantum actum mercenarium propriè & per se ordinari vniuersaliter in fauorem cuiusque singularis pauperis, scilicet obligatam præparationem ad mutuandum, ex supradictis principijs facilè veritas intenta deduci potest, consistens in quinque conclusionibus. Prima est negatiua, scilicet, Nullus pauper tenetur ad reddendam mercedem debitam ministris huiusmodi pro custodia pecuniæ vel pignoris, pro opere scribendi libros ratiocinij, aut pro domo ad hęc cōducta. Patet ista ex illo principio negatiuo, quo dicitur, quòd nullus tenetur mercedē reddere pro opere facto in alterius fauorem. Ex dictis eñ iam constat ista opera nō esse facta in fauorē Ioānis pauperis, sed alterius, puta Petri mutuantis, vel vniuersitatis pauperum, vel vtriusq;. Secunda est etiam negatiua, scilicet, Non omnis pauper accipiens mutuum, tenetur ad reddendum mercedem ministris pro cura pignorum, aut domo ad hæc vtili. Patet ista ex eodem principio: quia non omnis pauper offert pignus tale, id est, onerosum, & consequenter non omni pauperi exhibetur hoc seruitium. ac per hoc nec à quolibet reddendam esse mercedem iustitia exigit cōmutatiua. Nec obstat, si quis fingat omnes teneri ad hoc: quia licet hic non det milit pignus excutiendum: ego tamen qui ignorabam quale pignus esset allaturus, iam conduxi excussorum in seruitium eius & aliorum paratum. Ignorantia siquidem hæc non suffragatur: quoniam probabilem cognitionem (quæ in huiusmodi, certitudini par est) Mons habet, quòd pauperum indigentium mutuò alij afferent pignora excutienda, & alij nō: vt quotidiana experientia testatur. Et consequenter conducendus est sibi excussor pro quibusdam, ab illis mercedem recepturus, si iustitiæ commutatiuæ æqualitas seruari debet. Tertia est affirmatiua, scilicet, Petrus mutuans, siue vniuersitas pauperum, tenetur ad satisfaciendum ministris pro operibus in prima cōclusione positis, scilicet custodia pecuniæ & pignoris, &c. Patet ista ex affirmatiuo principio, quo dicitur, quòd ille tenetur mercedem reddere, in cuius fauorem opus agitur. Patet equidē ex dictis, quòd opera ista in vtriusq; vel alterius horum fauorē per se fiunt, non Ioannis pauperis. Quarta etiā est affirmatiua, scilicet, Quilibet pauper mutuum sumēs tenetur satisfacere pro obligata preparatione ministri ad mutuandum, & illi pauperes tenentur ad satisfaciēdum pro cura pignorum oneroforum & particula pensionis domus inquantum deseruit ad hoc, qui pignora talia aferūt. Patet ista ex eodem principio: patet enim ex dictis obligatam præparationem ad mutuandum in fauorem singulorum pauperum esse, & excussionem pignorum in fauorem Dominorum. Quinta conclusio principaliter intenta, (quæ ex prædictis apertè sequitur) est ista: Iniustè exigitur à quolibet pauperè vnus denarius pro libra singulis mensibus, pro mercede reddenda supradictis ministris, &c. Clarissima est ista: quia cum iniustè exigatur ab aliquo id, ad quod non tenetur, & ex dictis constet, q̄ pauper quilibet non tenetur ad hæc omnia soluenda (sed ad vnum, scilicet obligatam præparationem ad mutuandum) cōsequens est, quòd iniustè exigatur à quolibet merces pro omnibus ministrorum operibus reddenda.

CAPVT VII.

Secunda opinio examinatur, soluendo duo dubia concernentia dicta in præcedenti capite.

Pauperū vniuersitas ad cetera soluenda tenetur, q̄ pauptas iustè solueret.

ANTEQVAM Soluātur obiectiones ad oppositum factæ, & examinetur, an vsura hīc inueniatur, duo circa supradicta relicta soluenda sunt: inserendaq; horum solutioni est secunda opinio, quia eius decisio simul apparet. Restat igitur dubiū primò, an Petrus mutuans an vniuersitas pauperum, an vterque simul teneatur ad satisfaciendum ministris pro illis operibus, pro quibus Ioannes pauper non obligatur. Sed si prædicta diligenter inspiciantur, patere potest, quòd non Petrus mutuans, sed vniuersitas pauperum tenetur ad hoc. Adductū enim iam est principium, dicēs, quòd ille, in cuius fauorem res agitur, tenetur ad mercedem reddendam: constat autem, quòd custodia seu conseruatio pecuniæ integræ (ad quam cætera hæc opera ordinantur) non in Petri fauorem, sed pauperum vniuersitatis fit: quia Petrus non propter se custodiendam pecuniam deponit, ipse enim per seipsum custodiret pecuniam propriam, nisi pauperum vtilitas exponendam pecuniam suam custodibus exposceret. Patet etiam hoc idem ex eo, quòd pecunia hæc non custodiretur periculo Petri offerentis: quoniam restituenda est sibi nō solùm ratione rei acceptæ, sed ratione acceptionis, & iam dictum est, quòd quando aliquis tenetur ad restituēdum ratione acceptionis, etiā re perdita tenetur: Petrus igitur gratis offerens pecuniam mutuis, licet non donet, nō tenetur, sed pauperum vniuersitas.

ET TVNC Surgit secundum dubium, cur iniustè dicatur exigi à Ioanne paupere particula quædā eius, ad quod vniuersitas pauperum tenetur, cū Ioannes pars sit totius pauperum vniuersitatis, sicut autem vniuersitas tenetur ad integram satisfactionem, sic pars eius ad partem. Quinimo impossibile est, q̄ aliter vniuersitas pauperum satisfaciat: quoniam præter pauperū res nihil habet. Sed ad hoc quoque dubium ex dictis responsio facilè haberi potest. Iniustum siquidem esse huiusmodi exactionem ratio indicat commutatiuæ iustitiæ: infra cuius latitudinem stando, à parte exigi non potest id, ad quod totū tenetur: eo quòd totum vt extremum est cōmutatiui iusti, partis rationem habet, idemq; est a parte exigere secundum iustitiam commutatiuam id, ad quod totum secundum eā tenetur, ac si exigeretur ab vna parte id, ad quod pars alia tenetur: quod iniustissimum esse constat. Ex prędictis autem sufficienter habetur, quòd omnes huiusmodi operationes secundum iustitiæ commutatiuæ formam modò examinantur. Quid autem dicendum sit secundum iustitiam distributiuam, si locum in hac re habet, proprio loco dicetur. Sat sit tunc scire, q̄ iniustè exigunt hæc à Ioanne paupere, si infra iustitiæ commutatiuæ limites res agatur, vt opinio prima dixit.

EX PRAEMISSIS Autem patere potest defectus alterius opinionis, defendentis contractus istos secundum iustitiam commutatiuam, licet non ita amplè sicut prior. Propius siquidē accedens secunda hæc opinio ad casum Montis pietatis, & non curans an singulari personæ liceret pecuniam propriam tali mutuò exponere, casum in terminis ponens, licet in cæteris concordet cum præcedenti: in hoc tamen differt, quòd Petrus ponit abdicantem à se proprietatem & dominium pecuniæ mutuandæ, sicut & illi qui Monti pietatis pecunias offerunt, donant. Et sic casus omnino idem cum Monte pietatis est iste. Petrus vocato populo cum eius rectoribus offert donatione libera & irreuocabili 10000. ducatos, ad hoc vt inde perpetuò pauperibus mutuet: hac donatione facta statuuntur postmodum à populo & rectoribus ministri, &c. vt suprà. In isto dicit casu, cùm dominium pecuniæ nec Petri, nec alicuius alterius sit, cuius signum est, quòd absolutè loquendo, quicunque eam distraheret, iniustè hoc faceret: vtpote contra expressam intentionem piam donantis, qui non nisi ad hoc donauit) consequens est, quòd obligatio ad mercedem reddendam ministris, ad singulos deriuetur pauperes. Cōmunitas enim ad hoc non tenetur, cùm extra casum necessitatis extremæ & superfluitatis res hæc agatur, & vt dictum est, non tenetur ad habendum determinatum modum subueniendi. Patet siquidem huius opinionis defectus ex consideratione principiorum supradictorum: nihil enim minus iustitiæ in hoc accidit casu, q̄ cùm in præcedenti. Tum quia Ioannes pauper etiam hīc non tenetur ad mercedem reddendam; quia non fit opus in suum fauorem, & nihil refert, an hoc opus fiat in fauorem Petri mutuantis, an communitatis, an vniuersitatis pauperum, an etiam ipsius Dei. Sufficit nanque Ioanni pauperi ad hoc, quòd ipse non teneatur, ista obligatio, scilicet quòd opus hoc non fiat in suū fauorem: quia in hoc casu inueniri probatum fuit. Principium enim negatiuum adductum est, quòd nullus secundum iustitiam commutatiuam tenetur ad mercedem reddendam pro seruitio alteri impenso. Alterum autem est etiam ipsum pauperum collegium à singulis pauperum, in primo Politicorum patet: & infra iustitiā commutatiuam stando, probatum est prius.

Tum quoniam vniuersitas, siue collegium pauperum ad hoc tenet etiam in isto casu: & consequenter iniustè à singulis pauperibus mutuum accipientibus hoc exigitur. Eadem siquidem ratio, qua vniuersitatem pauperum ad hoc teneri prius dicebatur, hīc locum habet: quoniam non ratione dominij ipsius pecuniæ ad hoc tenebatur, sed ratione quasi vtilis dominij, id est quia pecuniæ securitas, & integritas in suū per se & proximè fiebat fauore: quòd in hoc casu manifestius fieri apparet. Et ideo vniuersitas ipsa pauperum ad satisfaciendum ministris pro operibus illis, quæ non sunt in fauorem Ioannis pauperis, tenetur. Est igitur multiplex secundum istam viam in contractibus his iniustitia.

CAPVT VIII.

Solutio rationum, arguentium quòd contractus prædicti secundum commutatiuam iustitiam sint iusti.

OBIECTIONVM Autem in oppositum adductarum prius conuenit illas soluere, quæ iniustitiā ab his contractibus auferre conabantur, & postmodum illas examinare, quæ de vsura eorum agebant. Dupliciter igitur hīc inueniri iniustitiā ex dictis patere potest, scilicet ex parte modi exigendi, et ex parte pauperū à qbus exigitur. Ex parte siquidē pauperum: quia ipsi nō tenētur ad satisfaciendum ministris, nisi quo ad aliquid tantum. Nec est inter modica deputandū id, in quo aggrauantur: quoniam, vt ex dictis liquet, nō tenetur fortè qui libet pauper ad tertiam partem soluendam eorum, quæ ab ipso modo exiguntur, vniuersaliter enim non tenetur nisi ad satisfaciendum pro obligata præparatione ad mutuandū: quod cum omnibus suis appenditijs si mercedis nunc exactē tertiam partem sibi vendicat, sufficientem recompensationē habet, vnde cū grauetur Ioānes pauper in duabus partibus, non in modico grauatur. Imò si immediate, vel tertia, vel quarta, vel decima pte grauari eū necesse esset, iniustitia esset non inter modica reputāda: tū quia decima pars aliquid notabile esse potest: incerta siquidem est eius quantitas: quoniā secundum Montis diuitias plus & minus poterit mutuari, &c. tamen quia iniustitia modica non reputatur, nisi quando per accidēs incurritur: in proposito autem ex intentione committitur vnde iniustitiæ mortale peccatum non euitatur.

AD ID Autem quod obijciendo quæritur, quis teneatur ad hoc si Ioannes pauper non tenetur, dico duo. Primò, quòd de iuris rigore tenetur vniuersitas pauperū: cui pecunia cōseruatur per pignora, &c. Et teneretur ipse Petrus mutuans si non in fauorem vniuersitatis pauperū pecuniam custodiendam exponeret, aut ēbnaret. Et ad id, quod in contrarium adducitur, scilicet quòd nullus mutuans tenetur aliquod damnūm incurrere ex hoc, q̄ beneficium mutui impēdit: quinimo potest si quod damnum ex hoc incurrit, secundum omnes doctores exigere: dico quòd hoc commune dictum est summè verum, sed malè applicatur ad propositum: quoniam expensæ istæ nō causanē ex bñficio mutui, licet occasionētur & remotē ex mutuo prouenīāt, sed causantur ex contractu pignorum, quod formaliter est in fauorem mutuantis. Dixi notabiliter, quòd occasionantur & remotē prouenīūt expense istæ ex contractu mutui, & non dixi, ex beneficio mutui causantur: quia mutuum non est causa, sed occasio harum expensarum, non proximē sed remotē: nec habet rationem occasionis huiusmodi, inquantum est in fauorē accipientis mutuum. Propter quod ratio ista concludit oppositum sui intētī, eo quòd sicut iniquum est mutuantem ex hoc, quòd mutuat dānificari: ita iniquum est dantem pignus ex hoc lædi: æqua enim est vtriusque cōditio per se loquendo. Vnde exēplum q̄ adducūt, q̄ opinionem hanc plurimùm fouisse videtur, ad propositum non est. Dicunt enim: Si Petrus Mediolani existens Ioanni petēti ibidem pecuniam mutuò, frater dicat, Pecuniam quā petis, Genuæ habeo: mittamus tuis expensis pro illa, & sic mutuū gratis accipito, constat quòd Petrus nō exigit iniustè à petente mutuum expensas illas: quia non tenetur incurrere damnū hoc ex hoc quod mutuat. Ergo à simili, neque in his contractibus iniustum est expensas exigere. Ad propositum, inquam, nō est exemplum hoc: quia clarè patet quòd expensæ istæ fiunt ad hoc vt pecunia ad mutuum petentem perueniat: & consequenter in eius fauorē per se & proximè ordinantur: in proposito autem nostro expensas istas nō ordinari per se in fauorē Ioannis pauperis mutuum accipientis, ex dictis clarissimè constat.

Propter quod aduertant cuiusque ordinis viri, vt exemplis nō fallantur: quoniam multa in eis dissimilia inueniuntur, quorum quodlibet, quia nō facilè est cuilibet discernere, duo subiungenda duximus, ex quibus cætera facilius dijudicari possint. Creditur enim primò, q̄ sicut Martinus qui mutuat Bernardo indigenti, accepit pecunias à fœneratore, & expensas fecit, vt pignora per famulos tutè deuehantur, licitè potest à Bernardo pauperè exigere nomine interesse huiusmodi expensas, & vsurā, quā soluit: sic in proposito fieri possit à Petro seu cōmunitate qui ad has expensas cogitur ex alio opere facto in fauorē Ioannis pauperis, scilicet mutuo. Creditur quoq; secundò, q̄ sicut à petente mutuum licitè potest mutuans exigere securitatem: & si accipiens mutuum, chirographo eum facere tutum eligat, notarióq; mercedem reddat, nō iniustè grauatur, & tamen Chirographum fit in fauorem mutuantis: ita in proposito petens pignus nō iniustè grauat Ioannem pauperem circa expensas, ex quibus nihil sibi vtilitatis accresit, sed sola indēnitas Mōtis seruatur.

Sed in his & huiusmodi plurima est dissimilitudo. Et primum quidem exemplum à Montis natura differt, q̄ expensas illas Martinus facit, & Bernardi personā induit indigentis subsidio tali, quasi sibi pignora accommodās, vt mutuum inueniat: & ideo non est mirum, si expensas tales Bernardus tenetur subire: nihil enim minus tenetur quàm si ipse per seipsum à fœneratore mutuū sumens, expensas illas fecisset propter hæc accidentia. In casu verò Montis, nec Petrus, nec communitas in persona Ioan. pauperis expensas has facit, sed collegij pauperum, vt ex dictis patet: & ideo Ioan. pauper iniustè grauatur in huiusmodi expensis. Circa secundū verò exemplum sciendum est, quòd vt dicitur in 4. Meta. nisi cuicq; quæsito respondeatur formaliter, omnis certitudo destruetur, eo q̄ extra rationē formalem vagantibus infinita occurrunt circa quodlibet. Vnde in proposito solicitè semper attendendū est quid formaliter quæratur, aut ratiocinādo adducatur. Aliud enim est petere securitatem rehabēdæ pecuniæ, & aliud est petere talem securitatem, scilicet habētem expensas annexas, puta Chirographum: quemadmodū etiam superius distinctum est, q̄ aliud est loqui de pignore, & aliud de tali pignore. Petens enim securitatem nihil petit in sui fauorē habēs annexū damnū eius, à quo petit illam: sicut nec petens pignus. Vnde si accidat, quòd petitam securitatē aut pignus ego dare non possim, nisi cum aliqua expēsa, quam qualitas securitatis aut pignoris à me electa parit, ego ipse damnum mihi hoc infero: sicut in exemplo adducto cōtingit. Non eñ ex securitate petita, sed ex qualitate securitatis à me oblata expēsæ istę per se prouenīunt. Et ideo teneor ego notario mercedem reddere: sicut & expensas illas subire, q̄ ex pignoris emanant accidentibus. Petens verò securitatem talē (puta chirographum) càm in fauorē sui petat rem habentē expēsas annexas, & iniquū sit ex eo, quod in fauorem sui agitur, alterū damnificari, iniustè grauat eum à quo illam petit, ad reddendam mercedē notario debitam. Vnde euidēter patet, q̄ Montis natura ab hoc exemplo differat in hoc, q̄ hic petens securitatē, nihil petit, ex quo per se oriatur expensa aliqua: in Monte autem volens pignus, vult sibi à Ioanne paupere solui pro custodia alijs, ad quæ ipse tenetur naturali iure, aut quæ ipse fieri vult nō in Ioannis pauperis fauorem, vt ex dictis patet. Omnes ergo iterū atq; iterum monitos esse rogo, quatenus caueant ne exemplis inhæreant: quoniam multa latent in eis accidētia, ex quibus etiam sapientes contingit falli.

Secundò dico, quòd non sufficienter arguendo probatur, cōmunitatem aut principem non teneri ad soluendam ministris mercedem. Licet enim rectè concludatur, quòd non teneantur simpliciter; non tamen ex hoc concluditur, quin teneantur ex suppositione, id est supposito quòd hunc modum mutuandi statuant. Et licet, vt dictū est, vniuersitas pauperum de iuris rigore, non communitas aut princeps ad hoc teneatur, quia hæc omnia ad cōmutatiuam iustitiam spectant, & absq; publica autoritate facta iniusta non essent: æquitas tamen à iustitia nō multùm remota exigit, quòd princeps aut communitas ex publico ærario pauperibus etiā hoc modo subueniat.

Modus autem accipiendi, quòd etiam iniustitiam contineat, manifestatur. Cùm duo genera operum sint, pro quibus hęc à paupere exiguntur (scilicet illa, pro quibus non tenetur) vel quia nullus pauper ad hoc tenetur (puta pro custodia pignorū) vel quia hic non tenetur, puta pro excussione pignorum (quia ferreas virgas in pignus dedit) de modo exigendi mercedē, pro istis non oportet probare, quòd sit iniustus: quia si exactio est iniusta, modus eius iustus esse nō potest. Sed & modus exigendi pro his, ad quæ Ioannes pauper tenetur, scilicet pro obligata præ-

Universidad de Deusto Biblioteca

paratione ad mutuandum, iniustus ostēditur: ex eo quòd obligatæ præparationi ministri ad mutuandum, nec ratione periculi, nec ratione laboris, aut cuiusuis occupationis, aut damni commensuratur diuturnitas temporis, quo mutuum acceptum tenetur, aut quantitas acceptæ mutuò ipsius pecuniæ. Nisi quis diceret damnum incurri ex eo, quòd non potest tam frequenter mutuum iterare: ac pro hoc cessat ministri merces à pluribus suscipienda. Sed subtiliter consideranti apparebit, quòd ex hoc nō habetur, quòd oportet mercedem istam quātitati mutui & tempori quo retinetur, commensurare: sed quòd oportet consideratis omnibus, certum salariū sibi statuere, & illud summariè ac verisimiliter, calculatis prudentiū arbitrio pauperibus venturis ad suscipiendū mutuum, soluendum æqualiter taxare, eo quòd æqualiter ad omnes huiusmodi se obligat, sic enī merces ministris debita reddetur absq; ambiguitate & iniustitia aliqua. Nec inconuenit contingere pauperē pluries indigentem plus soluere minus paupere: quoniam merces hæc redditur non mutuò, aut quantitati pecuniæ mutuatæ, sed obligatæ præparationi ad mutuandum: quæ æqualiter omnes respicit, & pauper pluries sumens, duorum rationem habet. Nec est opus prudentium virorum iudicio ista tantùm submittere, quia scientiæ subiacent: sed eorum arbitrio, vt dictū est, relinquitur quantitas stipendij ministris debiti, & taxatio quantitatis pecuniæ à singulis soluendæ æqualitate supposita, & alia huiusmodi singularia.

CAPVT IX.

Determinatio, quòd in prædictis contractibus committitur vsura.

RELIQVVM Quo ad hanc partem est, videatur, an iniustitia, quæ in his cōuenitur contractibus vsuræ rationem habeat, quod ex duobus considerandum est.

¶ Primò ex eo, q̄ vsura duobus modis cōmittitur, scilicet augendo ex mutuo capitale, & exigēdo recompensationem damni, quod nō propter mutui beneficium incurritur. Neq; enim minus vsuram sapit velle ab accipiente mutuum recompensationem damni, quod ab hostibus vel latronibus passus est, quàm velle ad augendas opes aliquid vltra sortem. In proposito autem, cū iam pateat, Montem pietatis, siue vniuersitatis pauperū, & breuiter volentem sibi pecuniam Montis integrè & securè saluare, quicunq; sit ille, exigere à Ioan. paupere mutuum petente expensas, quæ non in illius fauorem fiunt: consequens est quòd exigat recompensationem damni, q̄ non ex mutui beneficio incurritur, sed propter pecuniæ rehabendæ securitatem. Nec obstat aliqualiter, q̄ damnum hoc ex mutuo emergit, saltem occasionaliter: nihil siquidem refert, vnde dānum hoc proueniat, aut à quo inferatur, dummodo ex eo, quod fit in fauorem Ioā. pauperis vt sic, non causetur, ista enī negatio sufficit ad hoc quòd iniustè exigatur ab eo: & consequenter quòd vsurariè, ex quo, vt dictum est, non refert ad vsuram, damnum indebitum à petente mutuum exigere, aut lucrum quærere.

¶ Secundò ex eo, quòd non minus vsurarium est, mercedem alteri debitam, non ex seruitio impenso ad mutui beneficium vt sic, ab accipiente mutuum exigere, q̄ quodcunq; aliud lucrum vltra sortem petere: neq; enim ab vsura remotius est grauare iniustè accipientem mutuum ad soluendum aliquid vltra sortem alteri, quacunq; ex causa quàm sibiipsi mutuanti. Constat autem, quòd hîc grauatur iniustè Ioannes pauper, dum accipit mutuum ad soluendum ministris pro operibus, pro quibus non tenetur; quanquam nihil ad Montis mutuantis augmentum exigatur. Non igitur subterfugi potest, quin vsuraria sit exactio ista, secundum iustitiæ commutatiuæ formam loquendo.

AD EVIDENTIAM Verò solutionis obiectionum in oppositum diligenter attendendū est, quòd hîc sunt duo, scilicet reddere mercedem ministris, seu (qđ idem est) ipsos ministros accipere mercedem pro locatis operibus, & hoc est iustissimum & omni æquitate plenum: quia eius causa est locatio operum suorum. Alterū est exigere huiusmodi mercedem à Ioan. paupere, & hoc iniustum & vsurarium est: quia eius nulla causa alia est, nisi mutuum: quoniam operæ illæ colatæ non sunt Ioan. pauperi, vt propter illas ab eo exigi merces posit.

¶ Vnde prima ratio peccat, assumendo quòd hîc nihil vltra sortem quæritur propter mutuum; sed tantùm propter locatas operas: quoniam secūdum veritatem ex mutuo exactio ista causatur, vt ex dictis patet. Vel (& in idē redit) verbaliter respondendo dicatur, quòd exigere propter locatas operas, potest contingere dupliciter. Vno modo propter locatas operas in fauorem accipientis mutuum: & tunc bene sequitur, ergo nō propter mutuum: quia locatio operarum in huius accipiētis mutuū fauorē facta, causa proxima est, quòd ab eo iustè merces hæc exigatur. Alio modo propter locatas operas nō in fauorem huius accipientis mutuum, sed alterius, quicunq; sit ille. & tunc malè infertur, ergo non propter mutuum: quoniam causa proxima huius exactionis est vel mutuum, vel locatio operarum: sed locatio operarum causa secundum iustitiam esse non potest, eo quòd operæ non sint in fauorem huius accipientis mutuum locatæ, igitur mutuū huius exactionis causa proxima est, ac per hoc vsura cōmittitur. Ned obstat id quod confirmando subdebatur, scilicet quòd si ministri donare hoc volunt, Mons nō turbabitur. Ex hoc enim nihil aliud haberi potest, nisi q̄ Mons lucrum ex hoc non quærit. Sed non habetur quin Ioan. pauper grauetur ex accepto mutuo ad mercedem reddendam ministris, ad quam non tenetur: sicut si pauper ab aliquo mutuum sumat, cum onere, quòd rustico cultori vineæ mutuantis mercedem reddat, vsura nō deficit ex eo quòd rusticus potest illi pauperi absq; mutuātis turbatione donare mercedem propriam.

¶ Secunda autem ratio concludit, mercedem ministrorum non esse vsurariam, & hoc proculdubio verum est: quoniam iusta & sancta est, sed non probat quin mercedis exactio à Ioan. paupere, qui non tenetur, sit vsuraria: debet enim merces illa exigi ab eo, qui tenetur ad illam, & non ab hoc paupere. Et ideo si reddatur merces talis ab eo, qui tenetur, iustitia est, vel charitas, si pietatis intuitu ab aliquo, qui non tenetur. Si autem exigatur ab eo, qui non tenetur, clarè constat, quòd, quamuis merces sibi debeatur, iniusta tamen exactio est, quia hîc nō tenetur. Et si adiunxeris, quòd exactio ista non nisi propter mutuum mandatur, vsuraria manifestè apparebit: quod in casu isto contingere iam patet. Est igitur infra iustitiæ cōmutatiuæ terminos loquēdo, multiplex iniustitia & vsura in capitulis Montis pietatis.

CAPVT X.

Opinio dicentium, iusta esse capitula Montis pietatis secundum formam iustitiæ distributiuæ.

SVNT IGITVR Alij subtilius naturam Montis huius speculantes, qui infra iustitiæ commutatiuæ limites standū non credunt, sed iustitiam distributiuam insertam dicentes secūdum eius formam iustitiam in his capitulis saluari defendunt. Hi casum Montis pietatis illum esse approbantes, qui in ca. 7. positus est: in quo scilicet Petrus vocato populo donat 10000. ducatos nō consumendos, sed mutuandos perpetuo tempore pauperibus, &c. vt suprà. non inferunt iustitiam distributiuam ipsis cōtractibus mutui, vel pignoris, vel locationis operarum, sed inuentioni mercedis reddendæ operarijs. Si nanq; superius dicta aduertentur, ad hoc deuentum est, q̄ pauperum vniuersitas tenetur reddere mercedem ministris Montis: & ideo ipsa vniuersitas pauperum ex quo in communi nihil possidet, inuenire volens, vnde soluere posit mercedem hanc ministris sibi deseruientibus, onus hoc distribuendum esse in suas partes, pauperes scilicet, statuit. Vnde ipsa mercedis redditio in iustitiæ commutatiuæ terminis relinquitur: sed intentio mercedis reddendę secundum iustitiæ distributiuæ formam fieri secundum hanc opinionem potest, & de facto in Monte hoc fit.

¶ Dicit igitur duo hæc opinio. Primò, quòd secundum distributiuam iustitiæ formam in vniuersitate pauperū inuenienda est merces reddenda ministris. Secundò, quòd inuentio ista iustè secundum iustitiæ distributiuæ æqualitatem in capitulis huius Montis ordinatur, ita quòd nullus pauper iniustè grauetur.

¶ Primum probatur dupliciter. Primò, quia cùm vniuersitas pauperum teneatur de suo satisfacere his ministris, suum autem non sit nisi altero modo, vel quia in communi aliquid habetur, vel quia suarum est partium: & in proposito vniuersitas non possideat aliquid in communi, restat vt de his, quæ partiū sunt, satisfacere debeat, partes autem pauperes esse patet, inter eos igitur oportet pecuniam hanc inueniri. Et cùm constet, quòd cōmunia onera iustè distribuenda sunt, consequens est quòd secundum iustitiam distributiuam inuentio hæc fieri debet.

Secundò, quia sicut bonum totius partibus est debitū, & ideo proportionaliter eis distribuendum: ita & malū totius partes quoq; proportionaliter sustinere tenentur, onera autem omnia inter mala computantur. onus igitur huius mercedis soluendæ partes vniuersitatis pauperum proportionaliter sufferre tenentur. Hoc autem est inueniri pecuniam istam in vniuersitate pauperum secundum iustitiæ distributiuæ formam, quod erat probandum. Secundum autem, scilicet quòd de facto nulla iniustitia in modo distribuendi hæc onera inueniatur, probatur etiā dupliciter. Primò, quia in hac vniuersitate bonū est ipsa subuentio & releuatio pauperum, malum verò est onus soluendi mercedem: æquum autem est, vt qui plus boni percipit, plus etiam mali sentiat: cui igitur maior sit subuentio, is magis onus solutionis subire debet. Et sic statutum est in hoc monte: vt scilicet cui plus & maiori tempore mutuatur, plus onus soluendi ministris sentiat. Secundò, quia æquum est, vt cōmunium onerum illis plus imponatur, qui maiorem occasionem subeundi talia onera vniuersitati præbent. Illi autem, quorum pignora maiori tempore & periculo custodiuntur, sunt huiusmodi: quoniam maiorem mercedē tenetur reddere vniuersitas ministris pro custodia illorum, quàm aliorum. ergo illi, qui diutius pignora ibi tenent, & similiter illi, qui prætiosiora offerunt pignora, ex hoc quòd maius mutuum sumunt, debent amplius grauari: quod in capitulis Montis pietatis continetur. Non est ergo iustitiæ distributiuæ violatio in capitulis istis.

CAPVT XI.

Examen prædictæ opinionis, determinans quomodo hîc sit distributio.

VT EODEM Autem ordine ostendatur, opinionem hanc deficere, primum dictū examinando oportet ex communibus animi conceptionibus incipere, & ostendere quomodo ratio distributionis hîc saluatur. Quia ergo, vt dicitur in 5. Ethic. iustum in distributionibus cōfitentur omnes secundū dignitatem quandā oportere esse, ita quòd sicut iustitia commutatiua dignitatem personæ non considerat nisi inquantum in quantitatem rei redundat: vt puta cùm considerat dignitatem principis percussi, quia percussio ex hoc criminosior est: ita iustitia distributiua quantitatem rei non ponderat, nisi inquantum redundat in dignitatem personæ: vt puta cùm magnifacit virtutis egregium actū, ex hoc quòd dignior persona illa ex tali opere redditur: ex hoc, inquam, consequens est, quòd distributionis ratio absq; dignitate non inueniatur. Dignitatem autem dicimus non quodcūque bonum hominis, sed illud, ex quo homines sortiuntur, quòd partes sint totius vniuersitatis, siue illud sit virtus, vt politia, aristocratia: siue rerum abundantia, aut nobilitas, vt in olicratia * siue libertas, vt in democratia, siue quodcunq; aliud. Et cùm talis partium dignitas ad commune aliquod opus, quod totius proprium est, ordinetur, oportet si hanc pauperum vniuersitatem in communitatem quandam erigere velimus, inuenire & quid sit totius opus, & secundum quid partium dignitas attēdatur. Est autem hîc opus totius perpetua commoditas mutui inueniendi: propter hoc enim omnia fiunt, & hoc sequitur mediante pecuniæ mutuandæ (quæ mons dicitur) integra conseruatione. Dignitas verò indigentia est: id enim in qualibet communicatione dignitas dicitur: propter quod aliquis debet admitti, & iniustè repelli putatur, vt discurrendo per omnes supradictas politias apparet. Sola autem indigentia existente, meretur quis de hoc esse collegio, & iniustè expelleretur, suppositis semper his, quæ secundum legem ordinata essent: puta quòd tantùm pauperes ciuitatis admittantur, igitur indigentia pro dignitate in hac vniuersitate habetur. Indigentiam autem dicimus non quācunque, sed talem, quæ scilicet pignoribus posit securum facere Montem. Hic est modus, quo vniuersitas pauperum velut communitas quædam distributionis est auctrix & capax. Qui licet sit sustentabilis, clarius tamen & verius distributionis forma in ea saluatur, dicendo quòd sicut si militibus vltra debita stipendia propter res bene gestas pro republica distribuenda statuatur quædā pecuniæ summa, distributiōis iustus modus erit, vt quātò melius hic illo egit, tantò maius sit quod huic, eo quòd illi datur: & sic modus & forma distributiuæ iustitiæ seruatur absque tot difficultatibus. Ita si pauperibus multis onera distribuenda sunt, vt hîc accidit, sufficit quòd distributionis iustæ forma seruetur, quæ exigit æqualitatē proportiōis, vt dictum est: quæ tunc tantùm seruatur cùm æqualibus æqualia, & inæqualibus inęqualia imponuntur.

¶ Et quoniam siue hoc, siue primo modo ponatur distributio in pauperum vniuersitate: non refert quo ad præsentem quæstionem, idcirco concedatur distributionem inueniri in inuētione mercedis reddēdæ operarijs Montis: à quocunque distributio ista mandetur, siue à principe, siue à communitate, siue ab ipsa pauperum vniuersitate.

CAPVT XII.

Determinatio, quòd secūdum iustitiæ distributiuæ formam multiplex in hoc Monte iniustitia cōmittatur.

RESTAT Ergo cōsiderandum secundum, scilicet, an distributio isto modo facta iusta sit. Vbi præmittendum est, quòd licet in distributionibus communiter minus seruetur iustum etiam absque conscientiæ periculo, quàm in commutationibus: eo quòd comparationes personarū sunt odiosæ: & pacis bonū tollūt quod cæteris bonis cōibus præstat: statuta tñ distributionū dispositiua tātò iustiora esse oportet, quātò facilius ab eis declinare quodāmodo cogimur. Si enim ipsa statuta à iusto declinare inciperēt, nimia posimodum in distribuēdo elōgatio à medio fieret, sicq; iustitia corrūperet. Et ideo diligēter oportet distributionis huius statuta examinare, ne lex iniusta sui obseruatores ad iniustitiam deducat.

Secundū distributiuæ iustitiæ rigorē, sicut maius bonū melioribus & dignioribus distribuendum est ita eidem minus malum inferēdū est.

¶ Sciendum est igitur, quòd aliter bonum, aliter malum distribuendum est inequalibus partibus alicuius totius. Bonum siquidem distribuendum est sic, vt digniori maius bonum detur. Et ratio est, quia bonum totius, quod est debitum alicui parti, tantò maius est, quanto pars illa maiorem principalitatem habet in toto: & tantò minus quātò pars minorem habet dignitatem in toto. Malū autem econuerso distribuendum est vt scilicet digniori parti minus malū, & minus dignè maius malum imponatur. Et huius ratio est: quia ex quo minus malum habet rationem boni, vt dicitur in 5. Ethi. quia eligibilius est quàm maius malum: eiusdē rationis est, quòd alicui debeatur plus boni & minus mali. & cōsequēter parti principaliori, cui debetur maius bonū, debet etiā minus malū & proportionaliter parti viliori, cui minus bonorū debetur, plus malorū imponendū est. Et loquimur semper de bono & malo totius quod partibus distribuendum est.

¶ Suadet quoque hanc distributionis esse æqualitatem naturæ operatio, quæ alimentū distributura membris, ad principalia mēbra digniores partes, & ad viliora viliores trāsmittit: infirmitatē autē si pōt à principalibus mēbris ad viliora propellit, vt experientia continuè docet. Vnde si in pauperum vniuersitate, quæ super indigentia fundatur, bona distribuenda essent, quantò aliquis esset magis indigens, tantò maius bonum sibi deberetur: eo q̄ maiorē principalitatē habet in tali toto, sicut magis diues maiorē principalitatē habet in politia, q̄ fundat supra diuitias, quæ olicratia vocatur. Et cōsequenter quantò aliquis est magis indigens, tantò minus mali cōmunis sustinere debet. Et quia onus hoc mercedis soluendæ inter mala connumeratur, oportet quòd secundum iustitiæ distributiuæ formā magis indigens minus soluat. Magis autem indigentem inter pauperes esse constat, qui maiori eget mutuo, & minus cito potest soluere. Non ergo iustè statutum est, quòd plus mutui sumentes & maiori tēpore retinentes, plus teneantur soluere. Nec impeditur conclusio huius processus, si quis cauillationibus fortè adinuentis non suscipiat: id quod tamen probatum est, scilicet vniuersitatem hanc super indigentia fundari, aut quòd ista non sit verè communitas quędam. Stat enim vis rationis in hoc, quòd distributio onerosa non debet commensurari indigentiæ: ita quòd quātò quis plus eget, tantò plus cōmunis oneris sustineat: hoc enim probatione non eget. Sub hoc autem principio, siue vera distributio, siue modus distributionis hîc saluetur, subsumitē quòd ista distributio est onerosa: quod manifestè patet: ergo non debet quantò quis magis eget, tantò plus

Universidad de Deusto Biblioteca

grauari. Sed secundum capitula huius Montis quantò pauper magis eget, magis grauatur, quod manifestè patet, quia magis grauatur diutius plus mutui retinens: hic autẽ est magis egens: ergo. Committitur etiã vltra hæc iniustitia hic dupliciter: & ea scilicet, ad quæ aliqui tantùm secundũ iustitiam commutatiuam tenentur, omnibus imponendo, scilicet mercedẽ pro excutione pignorũ: & ea, ad quæ omnes æqualiter tenentur, scilicet mercedẽ pro obligata præparatione ad mutuandum, imponendo inæqualiter, quoniam omnia in vnum adunando, ad formam seu modum distributionis, & quæ commutatiuæ iustitiæ sunt confunduntur: & quæ distributiuæ sunt violantur.

EX HIS Autẽ facilè est soluere rationes in oppositum. Prima siquidẽ peccat, primò in medio termino, in quo tota vis rationis cõsistit. Assumit enim æquum esse, vt qui plus boni totius percipit, plus etiam eius mali sentiat. hoc autem falsum esse monstratum est. Iniquũ quippe secundũ iustitiæ distributiuæ formã est, vt is plus cõmunis mali sustineat, qui plus boni suscipere debet: quia vt dictum est, minus malum quoddam bonum est. Sed aduerte diligenter, quòd dicẽtes plus aut minus boni vel mali, de quantitate absoluta ipsius boni vel mali loquimur, & non de quantitate proportionali. De hac enim loquendo æquale malum & æquale bonum omnibus partibus de communibus dandũ est: quia iustum in distributionibus in æqualitate proportionali consistit: vt superius ex 5. Ethi. diximus. Et quia paruũ malum magis lædit nobilem partem, quã magnum vilem, vt patet in mẽbris corporis: & in proposito plus pauperculus læditur ex solutione duorũ solidorũ, q̃ artifex minus egens ex solutione quatuor: ideo non vsquequaq; falsum est illud assumptũ, scilicet æquũ est, vt qui plus percipit boni, plus sentiat mali. sed vt iam patet, etiã si non est pro opinione illa. Secundò peccat in eo, quod subsumit, scilicet subuentio mutui est bonũ cõmune huius vniuersitatis pauperum. Releuatio nanq; pauperis ex accepto mutuo ex ipso mutui beneficio causatur. Mutuum autem ad iustitiam commutatiuam adeò spectat, vt iniustitiæ distributiuæ attribuere ridiculũ sit, nisi fortè distributio mutui statueretur: qđ hic non fit. Iniusta deinde lex esset, si qua statueretur, q ex subuentione, quã ex mutui beneficio quis percipit, aliquid pecunia æstimabile mutuanti daret, & similiter cuicunq; alteri, cui ex alia causa non tenetur. Ex hac siquidem causa nulli ciuiliter obligatur, quãuis amicabiliter debeat. Si mutaretur quoq; argumentũ, & esset sermo nõ de subuentione per mutuũ, sed de cõmoditate perpetua mutui inueniendi, quam totius commune bonum dictum est, non potest adhuc concludi iustitiam seruari: quoniã si penes commoditatẽ illam, distributio oneris agenda est, cùm commoditas illa omnibus mutuum sumentibus æqualiter respondeat, inæqualiter distribui solutionis onus nequaquam deberet: licet vt ex dictis patet, iniquum sit, malum distribui, sicut & bonum.

¶ Secunda verò ratio, quæ metitur onus soluendi iuxta datam soluendi occasionẽ, facilè soluitur, dicendo q aut occasionis vocabulo propriè vtitur, aut cõiter, vt etiã causam occasionem vulgariter dicimus. Si propriè loquatur, falsum est, q huiusmodi occasionibus commensurandæ sint distributiones boni aut mali communis, quod debetur partibus, vt patet in omni politia: secus autẽ de gratuitis dicendum esset remunerationibus. Si autẽ occasionem pro causa ponit, tunc falsum subsumitur: causa eñ harum expensarum est vniuersitas ipsa, quæ pignoribus tutè vult pecuniæ montem saluari. Et ex hoc clarius patet veritas primi membri: quia pauper ipse occasio valde remota est, & non nisi ipsa mediante & causante vniuersitate, quæ soluere tenetur, vtpote non concurrens ad hoc nisi propter mutui petitionem, ex qua occasionem sumit mutuãs, quòd pignus vult, ex quo deinde prouenit, quòd vniuersitas teneatur soluere. Patet igitur quòd occasionibus huiusmodi nulla iustitia distributiones æquari debent. Ex his autem formari alia potest ratio ad principale intentum talis. In hac pauperum vniuersitate quatuor sunt, commoditas perpetui mutui habẽdi, releuatio ex mutuo suscepto, remota occasio non data, sed sumpta, alicuius expensæ & indigentia: nulli horum distributio oneris huius iustè commensuratur in hoc Monte: vt patet ex dictis: ergo in capitulis Montis iustitia distributiua non saluatur.

CAPVT XIII.

Opinio dicens, in Monte hoc nullum esse propriè mutuum, sed societatem potius quandam pessimis capitulis ad commune bonum vitiatam.

SVRREXIT Propter has fortè rationũ angustias opinio alia, nedum hæc capitula: sed alia quæ ab omnibus repulsa videtur cõmunitatibus pietate plena defendere volẽs. Hæc quãtum ad propositum spectat, tria dicit. Primò, quòd hic est contractus societatis positiuæ & perpetuò cõseruatiuæ. Secũdò, q nõ est hic contractus mutui propriè, sed temporalis vsus cõmunis depositi. Tertiò, quòd hic est contractus locationis operarum ad custodiam pignorum, &c. cui à pauperibus merces reddenda iustè exigitur, &c. Primum declaratur explanãdo naturam huius Montis sic: Pauperes ciues cõuenientes media intercessione prædicatorum, &c. à diuitibus & à se ipsis quandam pecuniæ summam dono obtinent, non distribuẽdam, sed perpetuo vsui eorum per modum mutui conseruandam, ciusq; custodiæ ac prædicti vsus dispensationi, & pignorum custodiæ & curæ & cæteris vt supra, pro securitate communis pecuniæ ministri quidã à pauperũ patribus preponuntur, reddẽdaq; statuitur eorũ operibus merces à singulis pauperibus, vt supra: scilicet vnus denarius pro libra singulis mensibus, &c. Hæc est pauperum ciuium societas, deponens summam illam sub communibus custodibus per modum mutui eius pauperibus dispensandam, & reddens mercedem custodibus debitam, &c. Et quia in societate ista nunq; intenditur diuisio capitalis communis, scilicet depositi, nec secundũ totum nec secundũ partem, sed potius procurare augmentũ, & pro cõseruatione illius tuta quilibet aliquid soluit: puta duos denarios pro libra, &c. & ideo hic est contractus societatis non diuisiuè, sed positiuè, & perpetuò conseruatiuè. Secundum verè, scilicet q non sit hic cõtractus mutui: probatur ex parte rei, quæ mutuari dicitur, & ex parte extremorum, inter quæ mutuũ dicitur. Vbicunque nanq; est propriè mutuũ, ibi & res mutuata aliena est à iure petentis mutuũ: & mutuans omnino à petente mutuũ distinguitur. Sed hic neutrũ istorum inuenitur: quia pecunia, quę mutuatur communis est eis quibus mutuatur, & mutuans est ipsum commune depositum, seu ipsa societas, quæ à pauperibus societatis membris nõ omnino distinguitur: ergo non est hic propriè mutuũ. Maior propositio assumpta, quo ad vtranq; sui partem ex ratione iustitiæ commutatiuæ in mutuis patet: quia iustitia commutatiua non est inter totũ & partes: & mutuũ nõ est nisi de eo quod alterius partis id est singularis personæ est, & cõsequenter omnino alienũ ab hoc petente mutuũ. vnde quando pauper à Monte mutuum propter penuriam vocabulorũ petit, temporalem vsum communis depositi secundũ veritatem petit non mutuũ. Ex ex hoc vlterius manifestè sequitur, q vsura hic non est, quæ mutuum explicitè vel implicitè comitatur. Tertium autẽ, q scilicet hic sit contractus mercenarius inter ministros & pauperes, & consequenter quòd pauperes iustè teneantur reddere eis mercedem, &c. vt per se notũ relinquitur.

CAPVT XIIII.

Examen prædictæ opinionis, determinans iniustitiam nihil minus inueniri in capitulis Montis secundum hanc viam, quàm secundum alias supradictas.

QVONIAM Autem opinio hæc tanquã singularis communiter derelicta videtur, Duo in eius examine facienda occurrunt: vt scilicet primò ostendamus malè formatum esse ab ea casum Montis pietatis, & propterea communiter minus eius dicta recipi. Deinde admisso casu, quòd iniustitiam non euitet, manifestandum est, quòd contractus iste non sit socialis: vt ex Pauli secundi Pontificis Maximi literis ad Perusinum legatum habetur, vbi monet ne vltra stipendia ministris debita aliquid accrescens habeatur, ne fortè vsuræ labes aliqua incurratur. In contractu enim societatis hoc, quòd socij ad communis boni augmentum tendunt, ridiculum est, in dubiũ apud sedem maximè apostolicam verti, an sit vsura. Quòd etiam hic sit contractus mutui, ex literis pluribus plurium Romanorum Pont. patet. Semper enim mutuari dicunt pecuniam pauperibus à ministris Montis: & distributionem mutuò sic annectunt, vt verè mutuum

restet: quoniam mutuari secũdum quandam distributionem dicunt, vt scilicet plus egentibus, si constat, plus mutuetur, infra tamen statuti latitudinẽ. Nec sufficit fugiẽdo dicere, quòd penuria vocabulorum huius causa est. Tum quia in promptu vocabulum temporalis vsus, cõmunis depositi vel boni erat. Tum quia expressè in literis huiusmodi pecuniam collectam Montem pietatis vocari dicitur: et deposita pecunia apud eos, qui mutuaturi pauperibus sunt, appellatur. Si enim mutuũ verè non interueniret, mutui nomen quandoq; mutatũ quodq; esset, & saltem circumlocutione aliqua non esse mutuum insinuatũ esset: præsertim quia omnes fortè huiusmodi literæ emanarunt ad instantiam eorum, qui vsuram in hoc Monte non esse contendunt. Qua enim faciliore & magis apparente via excludi vsura potuisset, quàm mutuũ non interuenire declarando? Sed quid in probabilibus moror? probatur ratione non esse huiusmodi contractum facilem absq; mutuo, vt dicitur: Vbicunq; iustum est secundum æqualitatem simpliciter rei acceptæ ad datam, ibi verè est iustitia commutatiua: sed contractus ille, qui mutui vocatur, inter Montem & Ioannem pauperem est iustus secundũ æqualitatẽ simpliciter pecuniæ redditæ ad acceptam: ergo est contractus iustitiæ commutatiuæ. Sed iustitia commutatiua non vertitur inter totũ seu totius bonum vt sic, & partem, sed inter partem & partẽ, ita q etiam totum, vt extremum commutatiuæ iustitiæ partis rationem habet: vt ex dictis patet, quæ ex Sanct. Tho. expressè habentur: ergo contractus iste non est inter Montem in quantum est totum siue commune bonum, & Ioannem pauperem inquantum totius partem: sed est inter totum, inquantum partis rationem habet, & Ioannem pauperem vnum de populo, &c. & cõsequenter est verè cõtractus mutui. Admisso aũt talis societatis cõtractu, quæ si non est, posset tamen fieri: iniustitiam omnino ibi committi. sic declaratur. In contractibus istis, de quibus est sermo, aut standum est infra limites commutatiuæ iustitiæ, aut infra limites iustitiæ distributiuæ, aut vtriusq; aut neutrius. Si secundum iustitiæ commutatiuę puræ formam agimus, cùm constet q totũ apud eam, vt pars reputatur, id ad quod totũ tenetur, à parte exigi nõ potest: & consequenter quamuis societas pauperũ teneatur soluere mercedem ministris, iniustè tamẽ ab hoc paupere exigitur: quia non in eius fauorem fit. Et breuiter eodem modo hic conuincitur iniustitia & vsura, quo superius infra iustitiæ cõmutatiuæ terminos probauimus inueniri. Si secundũ iustitiam distributiuam purã procedendum esse creditur: quoniam cõtractus locationis operarũ non est inter ministros & singulos pauperes, sed inter ministros & societatem pauperum, vt superius dicebatur: manifestus error statim patet: quoniã locatio operarum & eius merces, & similiter acceptio pecuniæ, quæ mutuata dicitur, & eius restitutio, fingi non potest quin æqualitatẽ cõmutatiuæ iustitiæ requirant. Si aũt vtriusq; iustitiæ forma miscetur, secundũ veritatem idẽ est casus iste cũ eo, quẽ superius secũdũ distributiuę iustitię modũ disputauimus, & conclusimus iniustũ esse. In hac siquidẽ societate distributio non aliter, quàm ibi miscetur: nisi q ista opinio ponit ipsam pecuniam per modũ mutui etiã distribui in vsum, &c. Sed hoc nihil penitus variat casum quo ad rationẽ iusti vel iniusti: quia in societate ista aut omnes habentur æquales, aut non. Si omnes æquales, ergo iniustè vnus plus alio grauatur onere solutionis, ad quam societas tenetur: quoniam secundum dignitatem iustum in distributionibus attẽditur. Si inæqualiter inter eos ponitur, cùm non nisi ratione indigentiæ ponatur, quia plus egenti plus mutuandum statuitur, infra latitudinem tamen aliquam, puta 10. ducatorum: tunc manifestè redit iniquitas illa in distributionibus, qua plus accipiens communis boni, plus cogitur sentire cõmunis mali: & distributio communis oneris commensuratur singulorum indigentiæ. Et manifestius accidit hic iniustitia, quæ in gabellis pro rebus, quæ deferuntur ad vsum, inuenitur. Vtrobique enim iniustum ex natura rei inuenitur ex eadem causa: quia scilicet supportatio cõmunis oneris commensuratur necessario vsui, vsus autẽ necessarius cõmensuratur indigentiæ, & sic de primo ad vltimũ perseitate seruata, oneris cõis distributio indigentiæ ciuiũ & pauperũ cõmensuratur, qđ est iniquũ. Refugit eñ omnis auris, q tãtò quisq; cõmunibus grauetur, quãtò magis proprijs indiget. In hac eñ societate quantò quis magis eget, vt proprijs possit prouidere necessitatibus, tãtò maius mutuũ sumit, et diutius retinere cogitur, & tãtò plus exigit ab eo pecuniæ debitæ a societate pro seruitijs sibi impẽsis: vt patet. Et ne iterũ dicta repetam, eodẽ est mõ hic in iustitia distributiua, sicut superius eisdẽ rõnibus. Si aũt neutrius iustitiæ formã introduci oportere quis putet, sed iustitiam legalem tantum, quæ cõmune bonum per se respicit, & ad illud omnia dirigit cum fraterna quadam societatæ errat in primis, ad fraternã societatẽ confugiens: quoniam operationes hic interuenientes secundum genus suum ad iustitiam non ad amicitiam, &c. spectant, quoniam sunt operationes ad alterum cũ ciuili debito æqualitatis, in quibus ratio iusti cõsistit. Nec fraterna voluntas omnia communia volens, hic apparet, nisi apud mẽtis propriæ parum cõpotes: qui omne voluntariũ iudicant simpliciter volũtarium. Errat deinde, quia sub iustitia legali seu generali non cadunt nisi indifferentia, & quæ aliarum sunt virtutum & vitiorum. Expressè nanq; in 5. Ethi. habetur, quòd omnis particularis bonitas aut malitia sub iustitia legali cadens, sua aliqua alia virtute aut vitio necesse est contineatur. cũ ergo constet, q actus hi indifferẽtes nõ sint, & nõ sint oẽ bonũ aut omne malũ, oportet quòd sub alia virtute aut vitio comprehendantur. Et si huic iunxerimus supradicta, quòd scilicet spectant ad iustitiam, oportet ad commutatiuam vel distributiuam descendere, vt fecimus: secundum quas iã patet, iniustitiam euitari in capitulis huius Montis non posse.

AD RATIONES Ergo, quibus probatur quòd hic non interuenit mutuum, dicendum est, quòd inter assumpta & casum est implicatio contradictionis, repugnat enim, quòd sit cõtractus, rei inter totum vt sic, & eius partem, & quòd sint secundum æqualitatem rei ad rẽ. Si nãque est secũdũ æqualitatẽ rei ad rẽ, ergo est iustitia commutatiua. ergo inter partem & partẽ: ergo nõ inter totum vt sic, & partem. Et similiter si est inter totum vt sic, & partem, ergo est secundum dignitatem partium in toto: ergo non secũdum æqualitatẽ rei acceptę aut datæ, constat autẽ, quòd hic seruatur æqualitas rei ad rem, dum à paupere mutuum restituitur, & tamen secundum istam opinionem inter totum vt sic, & partem contractus est. implicatio igitur accidit. Est autem causa defectus in huiusmodi ratione, quia nõ discernitur inter per se & per accidens. Accidit enim Monti, inquantum pecuniam reddendam tribuit pauperi, vt suis prouideat necessitatibus, quòd totũ sit: hoc enim sub partis ratione facit. & ideo mutuãs hic est omnino alius à mutuum sumente, si formaliter considerentur: quoniam singulariũ personarũ quo ad hoc locũ tenent. Et similiter accidit pecuniæ in quantum sic Ioãni pauperi mutuatur, quòd cõmunitatis, aut cõmunis societatis, aut cuiusque alterius aut nullius sit, sufficit enim, quòd Ioannis pauperis sic nõ sit, quòd ad eius restitutionem integrè teneatur. Accidit quoque defectus: quia inter totum & partes necessaria discretio omittitur: huiusmodi enim totũ specie à parte differt, & quod toti debet, parti nõ debetur. Et similiter ad quod totũ tenetur, pars non tenetur, loquendo semper secundum æqualitatem rei ad rem, quæ hic est: quoniam pro seruitijs societati impensis, non in fauorẽ huius, qui accipit mutuum vt sic: sed totius perpetuæ societatis tenetur ipsa ad mercedem reddendam ministris (vt supra patuit) & restitui sic ac conseruari pecuniam vult.

¶ Accidit & tertiò defectus in hac via: quia non distinguit inter aliquid fieri in fauorem pauperis mutuum sumẽtis, proximè & remotè. Quod enim in fauorem communis, perpetuæque societatis fit, non nisi remotè fit in huius pauperis fauorem: vt ex dictis patet. Nullo igitur modo capitula huius Montis pietatis iniustitiam subterfugere possunt.

CAPVT XV.

Exclusio quorundam extraneorum dictorum, concludens vltimò intentam sententiam.

PERAGRATIS Omnibus his opinionibus, quæ aliquid ad propositum ex moralibus rationibus adduxerunt, restat primò nominanda tantum opinio dicens Montem hunc pietatis cum suis capitulis non mutuũ facere, sed rem quandam diuinam esse, & hominibus in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

effabilem, & propterea rationibus huiusmodi, quę humanos scrutantur actus, nō omnino committendum esse iudicium huius Montis, &c. Nos enim cū sua diuinitate veluti loquentes, in aëre relinquere oportet. Remanet deinde eis satisfaciendū, qui contractus huius Montis ab apostolica sede approbatos dicūt, aut audiunt: ac per hoc rationes sophisticas putant, etiam si soluere nesciant. Sciant igitur hi Montem quidem pietatis ab Apostolica sede approbatum, sed non illius capitula: vt exemplo literarum approbationis conijcere potui. Appellatur autem Mons pietatis (vt in eisdem dicitur) summa illa pecuniæ piæ collecta, & sub custodibus deposita, ad perpetuam releuationem pauperum mutuò mediante. Vbi nota q; Mons ipse est simpliciter approbatus & erectus ab ipso summo Pontifice. Eius autem capitula supradicta sunt approbata cum hoc adiectiuo, scilicet sacris canonibus non contraria. Vnde si qua capitula sunt sacris canonibus cōtraria, approbata non sunt. Hæc autem esse ea, quæ iniustitiā continent, nullus dubitat. Non sunt igitur approbata capitula illa, quæ iniusta esse superius monstratum est: propter quod si, ita est, non paruum peccatū fuit, facere imprimi summi Pontifi. bullas truncatas absq; illa particula, scilicet sacris canonibus non contraria. Laqueus siquidem est animarum: in quem ego incidissem, vel saltem absq; suspensione non fuissem, nisi viua voce audissem sic haberi in originalibus, & calamo scriptam particulā illam in bullæ Mantuanæ copia vidissem. Ex hac quoq; eadem radice satisfit illis, qui ex priuilegijs & indulgentijs concessis à Romano Pontifice illis, qui ad Montis cōseruationem, aut augmentum manus porrigunt adiutrices, arguunt. Iam enim patet, quòd Mons ipse sanctus est, & in ordine ad illum hæc omnia conceduntur. Annexa tamen mala ex hoc non approbantur: sed potius tolerantur ad euitationem maioris mali, quo per publicos vsurarios res pauperum vorantur.

Mōs pietatis quis verè & propriè appellatur.

EX RATIONIBVS Ergo proprijs iustitiæ commutatiuæ, & iustitiæ distributiuæ, clarum iam esse cuilibet patet, non solum, quòd nullo prædictorum morum iniustitiæ macula abesta capitulis Montis huius, sed etiam quod quocunq; alio modo casus formetur, iustitiæ æqualitas nō seruatur. Nec oportet omnem sigillatim obiectionem excludere: quoniam ex supradictis (quæ ex Ethicis Aristotelis & doctrina Sanct. Thom. adeò sumpta sunt, vt si sigillatim allegatio fieret, omnia plena allegationibus essent) cuilibet in moralibus exercitato facilè est omnibus satisfacere, vt omnes veritatem agnoscant, quæ à prima est veritate. Cui honor & gloria sit ex hoc opusculo. Papiæ in sancto Apollinare completo hodie, id est die 13. Iunij 1498. per infinita secula seculorum. Amen.

Tractatus Thomæ de vio Caietani sancti Xisti, de Monte pietatis finit.

TRACTATVS SEPTIMVS
de Cambijs, in octo capita diuisus: ad Dominum Andream Brixiensem Brixiæ priorem.

1 De tribus generibus cambiorum.
2 De opinionibus dicentium, in cambijs realibus esse mutuum.
3 De opinionibus dicentiū, in cambijs realibus esse cōtractū permutationis.
4 De opinione singulari circa cambia.
5 De natura artis campsoriæ.
6 Quomodo oporteat nummismatum commutationes fieri ad hoc, vt restitudo seruetur.
7 An talia cambia proposita sint verè cambia, & iustificata.
8 De alijs cambijs propositis ex parte accipientium cambia.

CAPVT I.

De tribus generibus cambiorum.

CONCESSVM Mihi his diebus otium, venerande, amantissimq; pater, ad edendū promissum paternitati tuæ tractatum de cambijs inuitans post auditos campsores, perlectasq; diuersorū de his opiniones, ac diutinam meditationem, ad scribendum tandem impulit. Tanta siquidem est rei huius obscuritas & inuolutio, vt hinc consuetudine nō absq; fautoribus, & inde doctoribus plurimis, modernis tamen, sistentibus (antiquis siquidem proposita difficultas hæc non fuit) tacendū potius videretur. Verum vbi plures dies lectioni meditationiq; iam dedissem, & infidelis promissionis reatus occurreret, diuina fretus ope, tria de cambijs tractanda censui.

Discernenda sunt primò dubia à certis. Adducendæ sunt deinde opiniones aliorum de dubijs. Firmandum est demum quid mihi videtur de his sententiam.

CAPVT I.

De tribus generibus cambiorum.

CAMBIORVM Modi quamuis multi sint, quo ad differentiam tamen certi vel dubij, trifariam ea diuidere sufficit. Quædā siquidē sunt, quorū iustitia clara est. Quædam verò, quorum iniustitia similiter aperta est. Et quædā: quæ an sint iusta vel iniusta, in dubium inter doctores vertitur.

¶ Iustificata siquidem sunt, quæ fiunt his tribus modis. Primò, quū in cambio minuto campsor moderatè lucratur secundū patriæ consuetudinem. Vocatur autem cambium minutum, quum campsor pro aureo ducato monetam dat consuetam in patria illa expendi, vel è conuerso, aliquid minus dando, quàm recipiat. Hoc enim continet naturalem æquitatem, ex eo quòd industriæ & operæ cāpsoris ratio habendā est. Quum enim cæterarum artium ministros liceat in cōmutationibus proprijs laboris, industriēq; mercedem componere, campsoribus, qui commutationibus nummismatū deseruiunt, id quoq; licere nō est dubium. Propter quod non irrationabiliter dicūt opinātes tale lucrum campsoribus tantùm licitum: ita quòd priuatus homo si cambire debet ducatum aureum, nihil debet lucrari. Commutatio nanq; numismatū patriæ nō vagatur quo ad valorem (quemadmodū cæteræ commutationes) sed determinata est: puta, quòd ducatus aureus valet duodecim macellos. Et licut in cæteris cōmutationibus æqualitatem violare iniustum est, ita in commutatione nummismatum. Vnde nisi vel propter mercedem seruitij, non in numerando pecuniā, vt quidam putant (quoniam contingit sæpe minus numerare campsorem, quàm accipientem, & actus numerandi non est proprè mercenarius, sed solitus gratis concedi, vt vsus libri, & numeratio campsoris respondet numeratio dantis aliam monetam, sed in arte campsoria Reipublicæ ministrādo, vel propter incommodum, quod quis incurreret ex ablatione talis generis pecuniæ à se, vel qualitatem nummismatū (vt infra declarabitur) non licet plus in cambio minuto accipere, quàm dato. Quorum nullum locum habet vniuersaliter in singularibus hominibus non campsoribus.

Secundò quū campsor moderatè lucratur, ex eo quòd Petrus habens certam summam pecuniæ Mediolani, dat eam campsori, qui faciat æqualem summam Romæ dari sibi vel alteri. Si enim ex hoc campsor mercedem exigit, iusta est exactio, campsor enim translatoris in hac parte locumtenet, nec est æquū, vt merces suo seruitio subtrahatur. Tertiò, quādo campsor lucratur, ex eo quòd monetam alicubi minus valentem congregatam transfert in locum, vbi plus valet. Hæc enim est negotiatio nummismatum: ex qua primò ortum habuisse videtur ars campsoria, vt videtur in primo politicorum. Et est licita sicut cæteræ negotiationes ad augendas opes licent.

INIVSTA Verò absq; dubio cābia illa sunt, quæ his duobus modis fiunt. Primò, quum campsor lucratur, aut lucrari intendit, ex eo quòd Petro egenti Mediolani dat certam summam pecuniæ sub nomine cambij de Lugduno vel Londris: & tamen secundum veritatem ibidē restitutio facienda vtrinq; scitur, siue fiant literæ cambij, & non præsententur, siue non fiant literæ. Interuenit sic quidem hic manifestè solo nomine cambium, & secundū rem mutuum cum lucro, aut spe lucri, secundum quòd diuersimodè fit.

¶ Secūdò (& in idem redit) quū campsor, vt lucretur, dat Mediolani Petro egēti certū ducatos, recepturus ab ipso Petro ibidem hinc ad mensem tantū, quantum valebūt, tunc Venetijs, secundum cursum cambiorū decem libræ grossorum, quæ æquiualent centum ducatis regulariter, sed in cursu cambiorum Venetijs quandoq; excedunt, & quandoque excedunturi. Hic enim secundum veritatem est contractus mutui. Cambij nomine palliatus: & fit cum spe lucri contra illud Luc. 6. Mutuū date, nihil inde sperantes. Et celebratur communiter cū probabili conjectura, quòd erit ibi lucrum: quia communiter solent tūc valere plus decem libræ grossorum, quamuis quandoq; sed rarò minus valeant. & propterea est hic vsura. Nec potest excusari, nisi in casu in quo petrus egeret illis centum ducatis, & campsor haberet in promptu verū cambium agendum cū illis centum pro Venetijs illo modo, & ad instanti Petri illos sibi eo pacto daret. Et hoc si cōtractus talis veri cābij est licitus, de quo infra erit sermo.

DVBIA Autem cambia, quædam sunt ex parte cāpsorum, quædam ex parte accipientium cambia. Ex parte quidē cāpsorum sunt, quæ dupliciter fiunt: scilicet appretiando numisma extraneū, de quo restitutio fienda est, minus quàm valeat cōmuniter in loco vbi debet fieri restitutio: aut appretiando numisma proprium quod datur, magis q̄; valeat cōmuniter in loco, vbi restitutio debet fieri. ad hos enim duos modos, qui valde propinqui sunt, & in idem redeunt: omnia cambia sicca reducuntur pro quibuscunq; locis fiant. Ad primū enim modū spectat cambium Lugduni, in quo Petro indigēti marca auri, quæ cōmuniter valet ibi 60 scutos, campsor Mediolani dat 60. scutos, non secundum valorem scuti Lugduni, sed quum ibi cōmuniter valeat scutus 50. grossos, appretiatur hic 28. & sic dat sibi tantam summam pecuniæ, quę ascēdat ad 60. scutos ad rōnē 28. grossorū pro scuto.

¶ Ad secundū verò modum spectat cambium tam Londrense, quàm Brugeñ. in quo Petro egenti Ianuę dat campsor Ianuæ 1000. ducatos, non secundū valorem ducati currentē Brugis aut Londres, sed quū ibi valeat ducatus 50. grossos, appretiatur Ianuæ 52. ita quòd pro quolibet ducato tenetur accipiens cambium restituere Brugis vel Londres 52. grossos. Cætera aūt cambia ex parte campsorum similia sunt. Nec fiat vis si in istis exemplis vera quantitas monetarū non recitatur: quoniam exempla ponimus, vt addiscentes intelligant. Auget autem cābiorum prædictorū ambiguitatem incerta temporis ratio: sa tentur enim campsores, quod quantò tempus restitutionis est distantius, tantò minus appretiatur moneta in primo modo, & tantò magis in secundo modo.

¶ Ex parte autem accipientiū cambia, sex modis variantur cambia secundū differentiam eiusdem vel diuersę monetæ, & differentiam certi vel dubij aut accidentis lucri: hæc enim videntur aliquam per se differentiam in cābijs facere. Contingit primo modò, q; Petrus dat Mediolani campsori centum ducatos florentinos aureos, & vult totidem florentinos Florentiæ. Contingit secundò, quòd Petrus pro dictis ducatis vult Florentiæ monetam argēteam: puta grossos florentinos, sed tot quot æquiualeant florentiæ ducatis 100. florentinis aureis. Cōtingit tertiò, quòd Petrus pro dictis ducatis vult bonam monetā auream vel argenteam Florētiæ, secundū quòd tempore solutionis (puta in nundinis) cambia valebunt Florentiæ.

Et quodlibet horū contingit dupliciter fieri, scilicet simpliciter, vt propositum est: & cum adiuncto aliquo certo lucro ita, scilicet quòd Petrus vult non solùm prædictos 100. ducatos Florentiæ modo dicto, sed vltra hoc vult sibi dari quatuor alios ducatos. Et quoniam de his non principalis est quæstio, sed de illis quæ se tenēt ex parte campsoris cōmuniter: ideo de illis erit sermo diffusus, de istis autem in fine tracta. dicetur. Et ne nugatio aut æquiuocatio accidat legētibus, vocentur in sequentibus cambia nunc discutienda, cambia realia: quamuis à multis cambia ficca, aut per literas nuncupentur.

CAPVT II.

De opinionibus dicentium in cambijs realibus esse mutuum.

QVONIAM Aūt secundum diuersa præsupposita diuersimodè inuenīūtur doctores locuti de huiusmodi cābijs, & ex alijs principijs procedūt supponentes hmōi cambia mutui contractū sapere, & ex alijs procedunt negantes hic mutuum interuenire: ideo sigillatim discutiendæ sunt singulorum rationes.

¶ Vnde eorū occurrunt primò opiniones, qui asserūt aut suscipiunt cōtractus cambiorū realium secundū veritatē esse contractus mutui, licet cambia vocentur. Sunt autē contrariæ horū opiniones: dum quidam dicūt talia cambia esse iniusta & vsuraria, quidam verò q; sunt licita. Et illi quidem, qui asserunt vsuraria, licet multis rationibus moueantur, hoc tamen habent pro fundamēto: quia vsurarium est mutuare sub spe & pacto verisimilis lucri, vt patet: constat autem omnes campsores spe lucrandi hæc cambia exercere: & ideo pacta supradicta adijcere, vt verisimiliter lucrum euenire possit, quamuis nō semper euenīat, vt ipsimet fatentur. Vsurarium est igitur hæc cambia facere. Quòd autem verè supponatur hic esse mutuū, probant ex eo, q; contractus iste dat pecuniam, quæ est inuendibilis cum translatione dominij, & recipit pecuniam: has aūt esse constat conditiones ad mutui contractū sufficientes. munitūrq; opinio hæc autoritate Gos. & Host. in summa de vsuris: & Archiepiscopi Floren. in 2. & 3. parte Summæ, vbi etiam dicit multos viros doctos & timoratos fuisse huius opinionis.

¶ Acceptantes autem mutuum hic esse, & tamen absq; vsura cambia fieri, fundantur super ratione interesse, & operarum locatarū. Et quo ad interesse quidem: quia etiā in contractu mutui licet seruare se indenne: constat autem, q; mutuans Ianuæ 100. ducatos aureos, damnū incurreret si Brugis restituuntur sibi totidem aurei, vel eis æquiualēs ibi præcisè. Tum quia plus daret, q̄; reciperet: ex eo q; ducatus aureus plus valet Ianuæ quàm Brugis. Tum quia oportet ipsum subire expensas delatorum pecuniæ, vt Ianuæ rehabeat, vbi contractus mutui celebratus est: ergo licitum est æstimare ducatum aliquid plus, vt mutuans nullum damnū incurrat: & hoc in istis cambijs accidit. Quo ad locatas verò operas: quia quū nullus debeat proprijs stipendijs militare, & campsor & ministri publicę vtilitati deseruiant in opere licito in mutuis faciendis prædictis, consequens est q; propriam mercedem reportare debent: quemadmodum ministri Montis pietatis. Et quia industriæ accedentis operi licito, ratio est habēda, aliquid etiam mercedis ei dari debet: quo fit, vt omnibus pensatis talis excrescentia sit licita.

SED REVERA Neutra harum opinionū veritatem assequitur. Primæ eū fundamentū ruit: quoniā (vt infrà patebit) hic non est contractus mutui. Secūda autem & falsum assumit, & consequenter non loquitur. Falsum quidem assumit, dum dicit in his cambijs illud plus sumi, vt vitetur interesse: hoc enim cāpsores testātur esse falsum, & dicunt q; non vt damnum euitent, sed vt lucrentur huiusmodi cambijs insistunt: & quòd si accipientes cambia obligaret se ad restituendū præcisè quantum accipiunt in loco vbi accipiūt, ipsi non mutuarent, quia lucri causa artē hanc exercent. Et ex hoc patet, q; nec pro interesse stipēdij ministrorū plus sumitur. Siem campsores ex cambijs nihil aliud quærerent, q̄; se seruare indēnes, cambia non aggrederentur: sed pecunias suas secū tenerent, aut aliter exponerent, vt ipsimet testantur. Cōsequenter autem non loquitur: quoniam non est licitum artem mutuatiuā in ciuitatibus erigere, & ministros statuere, et laborū industriæq; ratione habita, inde etiā sustētatorū lucrū quærere: q̄m hoc esset vsurariā artē facere moderatā, vt patet. Ministris aūt Mōtis pietatis quomodo & qualiter liceat mercedē reddi, & à quibus oportet reddi, in tractatu speciali de hoc diffusè diximus. Hic autem satis sit nosse, & quòd non est simile: quia in cambijs intenditur lucrum, & quòd experientia teste non licet artem facere mutuatiuam, vt operarum, periculorū & industriæ rationē habendo, plus sorte recipiatur, vnde ipse cum familia sustentetur: sicut in artibus & negotiationibus licet. Est igitur vsura in his cambijs, si contractum mutui implicant. Propter quod Gos. & Host. sub Mutui nomine casum tractantes (quum scilicet mutuatur, vt restituatur alterius generis moneta cum spe lucri) vsuram esse dixerunt.

CAPVT III.

De opinionibus dicentium in cambijs realibus esse contractum permutationis.

EMERSIT Ergo propter prædicta fortę aliorum opinio, dicentiū in his cambijs nō esse contractū mutui, sed innominatum, scilicet do vt des: vel si nominari debet, esse cōtractū permutationis. Et horum contrariæ quoq; sunt opiniones alijs asserentibus hæc cambia licita, & alijs illicita. Et illi quidem, qui dicunt esse licita, studium suum adhibent non tam ad probandam eorum iustificationem, quàm eorum naturam extra mutui rationem esse. Et quamuis multiplicent rationes, ex tribus tamen conditionibus separant cambia hæc à mutuis. Primò ex periculo. Mutui enim natura periculum mutuatę sortis in accipientem mutuum transfert, cambium verò reale, damni periculum campsori relinquit, si minus sors

Universidad de Deusto
Biblioteca

te contingat accipere: vt quandoq; (licet raro) contingit.

Secundò, ex diuersitate rei restituendæ & loci: nam mutui ratio exigit, vt eiusdem generis & bonitatis res restituatur, & ibidem. Nec sufficit reddere æquiualens: aurũ enim pro auro & triticum pro tritico restituendum est, & adducitur ad hoc textus iuris ciuilis. ff. de solu. l. Paulus. In cambijs autem realibus fit permutatio monetarũ diuersorum generum & in diuersis locis. Tertiò ex modo contractus: quia in cambijs realibus est venditio vel contractus similis venditioni, dum ducatus vẽditur 52. grossis Flandrensibus: & æstimatur vna moneta cũ alia quod licere patet extrà de censi. cap. olim causam. & cap. cum canonicis. in mutuo autem nihil horum fit. Quum igitur contractus mutui non sit, sed permutationis & negotiatiuus, pro licito relinquitur, spes enim lucri in his non damnatur, & industriæ laborum, periculorum, expẽsarũq; ratio habenda est.

¶ Dicentes verò cambia hæc nullo modo licere, & tamen mutuum non implicare, quamuis non inuenerim: ex dictis tamen ab his, qui absolutè cambia hæc damnant: aut dubitant illicita esse, triplex ratio colligitur. Prima ex eo, quòd cambia hæc in fraudem vsurarum introducta videntur, quum permutationem monetarum campsor non intendat, sed necessitatibus indigentis nolẽs gratis mutuare, nomine permutationis monetæ mutuũ palliat, vt lucretur: præsertim quum plerunq; contingat in eadem fieri moneta restitutiones, & hoc in cambijs infra Italiam: & periculum, quod raro accidit, ponderandum non sit in commutationibus, quæ regulandæ sunt secundũ communiter euenientia. Secundò, ex eo, quòd ratio temporis in contractu emptionis & venditionis haberi non põt, in huiusmodi aũt cambijs, vt patet in casu posito, quãtò distantius est solutionis tempus, tantò plus sibi solui pacisci tur campsor. Tertiò, quia etiam in contractu venditionis, vendere plus quàm nunc aut hic valet, non est licitum: nisi vendens intendebat vsq; ad tempus illud seruare, vt in ca. nauiganti, extrà de vsuris: aut intendebat ad illum locum deferre, vt dicit Rayn. Inno. & Io. Andre. & Ioan. Calderi. campsores autem non intendunt seruare, aut trãsferre pecuniam: sed paratam ad huiusmodi cambia tenent. Quid autem de his sentiendum sit, in decisione manifestum erit. Nunc autem ad aliam properandum est opinionem.

CAPVT IIII.

De opinione singulari circa cambia.

POST PRAEDICTAS Opiniones egregij cuiusdã doctoris in Theologia opinio singularis occurrit: tenens huiusmodi cambia esse licita, & tria singulariter dicẽs.

Primum est, quòd contractus iste, quem innominatum vocant, nomen habet: quoniam vt Sanct. Tho. dicit in Secunda Secundæ, q. 77. negotiatio triplicitur fit, aut commutando res pro rebus, vt vinũ pro tritico, aut res pro pecunia, aut pecuniam pro pecunia. Et quum primus contractus vocetur vulgo baratto, secundus vocetur venditio, &c. & tertius cambium, ita q; cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia.

¶ Secũdũ est, q; in cãbijs nõ cõsideratur pecunia, vt pecunia, seu vt mẽsura est, sed vt res quædã est. Constat em secundũ omnes vtroq; modo posse accipi pecuniam, vt patet de locantibus pecuniam ad ostẽtationem. Et quòd campsores pecuniãm vt rem considerent, ex Sanct. Tho. autoritate probat in secundo de regi. prin. dicentis, quòd numisma potest accipi, & vt mensura, & vt quædam res est: & hoc modo vtuntur eo campsores. Fabricãtque super hoc fundamento doctor ille vendibilem esse pecuniã à cãpsoribus, vtpote rem quandã, & eius pretia variari sicut aliarũ rerũ, iuxta tẽporũ locorũq; diuersitates, &c.

¶ Tertium est singularissimum, quòd licitum est campsoribus plus accipere, quando tempus solutionis distantius est. Distinguit siquidem accipere plus ratione temporis dilati dupliciter, vno modo, quòd sola temporis dilatio excessum pretij operetur, & hoc dicit esse vsurarium. Alio modo, quòd res in dilato tempore considerata pretium augeat in commutationibus: & hoc dicit esse licitum. Et dat exemplum in emptionibus rerũ in futuro assignandarũ. Si quis em hyeme emit lanas assignandas sibi in vere, minus q; valeant in hyeme, eo q; lanæ tẽpore veris credũtur minus valituræ, iustè emit; eo quòd res in tempore illo sumpta pretium minuit. Si autem minus emeret, quia nũc anticipat solutionẽ, vsurã cõmitteret: qa propter solã tpis morã pretiũ variat. Subdiscq; cãpsores nõ plus accipere rõne dilati tpis, sed rõne rei in dilato tempore cõsideratæ. Quoniam, verbi gratia, marcha auri soluenda in nundinis Ianuarij, non ideo minus emitur à campsoribus Mediolani mense Octobri, quàm Nouembri, quia longius distat secundum tempus: sed quia marcha illa considerata in tali tempore, minus æstimatur communiter à negotiatoribus, & magis in tẽpore proximiori. Et meritò, vt dicit: quia quum negotiatoris finis sit cõmutãdo lucrari, nec ideo emat, vt empta habeat, sed vt iterum commutet cũ lucro: licitum est sibi considerare quanto tempore pecuniam occupatam in re empta tenere oportet, carius enim emitur quod citò destrahitur, quàm quod longo oportet tempore retinere, ne pecuniæ mortuæ teneantur. Signum autẽ, quòd campsores nõ rationem temporis dilati, sed rei in tempore habeant, est quòd non semper secundum temporis approximationem pretium crescit: sed quandoque instantibus nundinis cõtingit pretium minui, adeo vt minus vendatur tunc marcha auri in proximo assignãda, quàm fuerit vendita tribus mensibus antè.

SED HAEC Opinio (cũ bona venia) multipliciter à veritate deficit, quamuis bono zelo ad veritatem accedere conetur. Primum in primis dictum secundo non consonat: quoniam nomina formaliter sumpta intelligi oportet, vt 4. Meta. tradit. Aristo. alioquin pertinet certitudo à locutione: quoniam extra formale significatũ infinita sunt, vt ibidem dicitur. Vnde si in cãbijs pecunia consideratur vt res, non vt pecunia, vt dicit, cõtractus iste non debet permutatiuus pecuniarum vocari: nec debet in tertio loco contractuum à san. Tho. dictorum reponi, sed primo.

¶ Secundum deinde dictum verum nõ sonat, & sancti Tho. verba malè interpretari videtur. Verba siquidem eius in secundo de Regi. prin. ca. 14. sunt ista: Numisma quamuis sit mensura & instrumentum in permutationibus, tamen per se aliquid esse potest: puta si consteret aliquid. videlicet aurum vel argentum: ergò semper non ordinatur ad permutationes. Et hoc etiam habet veritatem in alio speciebus pecuniarum: imò amplius, vt in campsoria, quæ non propriè ordinatur, vt sit mensura rerum venalũ: sed magis ad permutationem numismatis.

Ex quibus verbis non habetur: quòd pecunia considerẽtur à campsoribus, non vt mensura, sed vt res: sed habetur quòd pecunia non vtuntur campsores vsu primario: propter quem est inuenta, scilicet vt mensura seu pretium sit rerum venalium: sed vsu secundario, ad quem est trãslata, inquantum tamen pecunia, scilicet vt permutetur cum alia pecunia: vterque siquidem vsus conuenit pecuniæ per se: & secundus campsoribus conuenit: vt infra patebit ex primo Politicorum.

¶ Quid autẽ de tertio dicto sentiẽdũ sit, in decisione dicetur. Hæc igitur sunt quæ hactenus de cambijs dicta sunt.

CAPVT V.

De natura artis campsoriæ.

VT AVTEM Natura cãbiorum vniuersaliter & faciliter percipi possit, tali ordine procedẽdum credimus, vt scilicet primò de ipsa arte cãpsoria dicatur, & quid sit, & quàm licita sit: deinde de conditionibus requisitis ad eius actus rectitudinem tractetur: & demum ad cambia prædicta descendendo videatur, an artis sine campsoriæ, & quid in eis licitum, aut illicitum est, obiectiones factas soluendo. Sic enim de huiusmodi cãbijs sermone cõpleto, ad alia propsita procedi libere poterit. Principium autem ad declarandam campsoriam, oportet sumere ex primo Politicorum, eius vestigia sequendo.

¶ Sciendum igitur inde est, quòd rei vsus per se est duplex: scilicet proprius & communis: seu primarius & secundarius. Est autem proprius cuiusque, siue naturalis siue artificialis rei vsus ille, ad quem ex ipsa rei natura primò ordinatur, vt vestis ad vestitum, panis ad esum, & vinum ad potũ, &c. Communis autem siue secundarius est, quo res inquantum talis, alteri tamen à primo fine applicatur, vt cõmutatio respectu calcei aut tritici, & aliorum huiusmodi. Calceus enim quum venditur, inquantũ calceus consideratur: non enim pro simplici pelle venditur: non tamen propter vẽditionẽ est calceus, sed propter calceationem: & sic de alijs. Quemadmodum ergo cæterorum, sic & numismatis duplex est vsus: vt ibidem dicitur. Primus est commutatio pro rebus venalibus necessarijs, scilicet ad vitam humanam, scilicet tritico, panno, aromatibus, &c. propter huiusmodi enim commutationes numisma inuentum esse constat, dum ea quæ vni patriæ desunt, aliunde haberi nõ possent, nisi datis pro eis æquiualentibus: & multum incommodi esset, res semper transferre æquales (ob hoc enim aurum, argentum, æs, & quicquid eiusmodi est facile portatile & vtile) statuerunt commutãdis rebus adæquatum iri: & propterea numisma dicitur mensura rerum venalium. Refertur enim ad naturalia, ad vsum necessaria, vt mensura ad mensurata: propter quod charactere insignitum est, in testimonium qualitatis & ponderis: sicut & cæteris mensuris publicis consueuit signum imprimi, testans earum iustificationẽ. Secũdus autem numismatis vsus est cõmutatio pro alio numismate, vt ducati aurei pro carlinis. Nõ enim propter hoc factum est: & tamen hanc commutationem subit, nõ inquantum aurum aut es absolutè, sed inquantũ numisma, vt continua experientia docet. Orta autẽ videtur hæc commutatio ex inæqualitate numismatum, dum vel ad supplendam rei naturalis æqualitatem, ad numisma magis paruula numismata addebãtur: vel habenti maius minora erant commodiora, aut econuerso. Lucrum autẽ ex numismatum commutatione primò quidem, vt Philosophus ibidem dicit: casu euenisse videtur, dum accidit aliquid puta aureum numisma, plus alicubi æstimari, sicq; pro illo plura ærea dari ibi, quàm dentur ibi, vnde ductũ fuit. Humana deinde industria artificiosè circa huiusmodi numismatum commutationes lucri vias composuit: sicq; ars campsoria contexta est. Vnde nihil aliud campsoria est, quàm negotiatio per commutatione numismatum: materia siquidem & actus & finis eius sufficienter in hoc explicantur, vt patet.

¶ Quamuis autem à Philosopho cãpsoria vituperetur, & ratione materiæ: quia tantũ numismata tractat, à proprio numismatis vsu diuertens, & ratione finis: quia lucri gratia, quod fine caret: & vtriusq; similiter qa pecuniæ, vt instrumenta œconomicæ & politicæ, habẽdæ quærendæq; sunt non propter se, sicut nẽc quodcunque aliud organum per se appetitur. Si tamen ex hominis campsoris fine honestetur (vtpote ad familiæ & status sui decẽtem sustentationem ordinata) licita est, quemadmodũ & aliæ negotiationes. Potest enim id, quod solitariè consideratũ consonum non videtur, ex adiũcto fine honestum reddi: vt patet de hominis occisione, quæ absolutè repellenda est: si tamen addatur propter iustitiam, &c. præcipienda est: sicut econuerso ars ex se honestissimum finem habẽs, vt medicina sanitatem vitupabilis ex fine medicantium reddi potest, dum lucri causa medentur. Quum ergo experientia teste pateat, q; multa necessaria ciuitatibus plurimis deessent, nisi mercatores essent: & ipsi non commodè possint absq; cambijs negotia sua exercere, necessarium & honestum est campsoriam in ciuitatibus esse. nõ quatenus purè campsoria est, sed quatenus œconomicæq; politicæq; ministra est, vt ex dictis patet. Et sic campsores nedum possunt seruare se indẽnes, sed etiam lucrari & industriæ rationem habere, quũ negotiationi licitæ & vtili Reipublicæ illam apponant.

CAPVT VI.

Quomodo oporteat numismatum commutationes fieri, vt rectitudo seruetur.

NON SOLVM Autem oportet declarare quid rectitudo cambiorum in cõmuni exigit, sed in speciali quomodo in hoc, vel illo modo rectitudo seruanda sit, dicendum est: omissis tamen singularibus, quæ scientificæ determinationi nõ subsunt. Quum ergo campsoria circa commutationẽ numismatum versetur, necesse est iustitiæ commutatiuæ canones in ea seruari, sicut & in cæteris commutationibus.

¶ Ex quinto verò Ethi. patet quòd vniuersalis regula cõmutationum est, vt seruetur æqualitas rei ad rem: vt scilicet æquale sit datum accepto & econuerso. vnde si cõmutatio numismatum iusta esse debet, æqualis valoris oportet esse commutanda numismata. Et quoniam hoc pluribus modis contingit seruari, secundum differentiam numismatum & locorum & temporum, ideo potest æqualitate salua lucrum prouenire campsoribus. Quod quomodo cõtingat, videri potest, si prædictas differẽtias seruati fuerimus. Numisma igitur quum vbicq; duplex esse consueuerit, scilicet expendibile ibidem, & non expendibile ibidem, contingit dupliciter cambium fieri. Aut dando numisma expendibile pro non expendibili, aut pro expendibili. Et vtrunq; horum contingit dupliciter, aut dando numisma melius commodius, & magis amatum communiter, pro minus bono, cõmodo & amato, vt aureum pro argenteo vili, vel æreo, &c. aut econuerso. Et quodlibet rursus horum potest fieri pro eodem vel alio loco, & similiter pro eodem vel alio tempore.

¶ Et quia simplicia priora & certiora compositis sunt, à primis inchoandum est, nulla locorum aut temporum diuersitate admixta: sed in sola talium numismatum commutatione sistendo. Si igitur commutandum est vnũ numisma expendibile cum alio expẽdibili, quantum est ex parte commutationis oportet numismata commutanda æqualis valoris esse: quoniam vtrunque lege aut cõsuetudine certum habet pretium. Nec saluaretur in commutatione æqualitas, si ex aliqua parte excessus esset. Cõtingit tamẽ ex parte æqualitatis numismatũ in se vel in ordine ad campsorem, quòd sit hæc commutatio iusta, numisma minoris pretij absolutè dando. Ex hoc est quando cãpsor dat bonam monetam pro mala non falsa aut defectiua: vt ducatos aureos pro argenteis, quæ vix argenti nomen merentur. Tunc enim licet campsor det minus in aurea pecunia, quàm accipiens det in illa moneta: æqualitas tamen seruatur ex eo, quòd centum ducati in moneta sic bona & pretiali æquiualent centum & duobus. Verbi gratia, in moneta tam vili, vt patet, si cõflanda essent numismata, & ex vtilitate, quæ potest ex illis percipi in faciendo ex eis vasa, & ex vtilitate expensionis secundum locum & tempus, bona enim numismata quamuis antiqua aut extranea, libẽter acceptãtur: & ex periculo, quoniam malæ monetæ, vtpote exosæ facilè possunt à principibus inexpendibiles reddi, & de facto in prouincijs bene ordinatis & non orbatis redduntur. Nec obstat determinatio valoris monetarum per legem: quoniam illa respicit nummisma, quo ad per se primum vsum eius, qui est commutatio pro venalibus. Lege siquidem vel cõsuetudine statuitur, quòd aureus ducatus & nonaginta solidi in commutationibus œconomicis & politicis æquiualeant: in quibus pecuniæ pro rebus commutantur. Commutatio autem numismatum, arbitrio sapientum iuxta eorum qualitatem, aut abundantiam, &c. dimittitur: vt experientia testatur. Similiter quoque seruatur æqualitas, si quis commutans numismata minus dat pro eo q; danda à se numismata commodiora sibi erãt: sicut etiam licet vẽdere rem carius, quàm absolutè valeat, ex eo quòd vendenti commodior est. Vnde habens ducatum aureũ, si à volente commutare paruam monetam pro illo, solidũ vnum exigat, quia ille sibi commodior, non peccat. Qui tamen non vult absque lucro cõmutare ducatos Ianuenses pro alijs ducatis æquè pretiosis, & sibi cõmodis, quia petenti commutationem commodiores sunt Ianuenses ad deauranda sua vasa, peccare videtur, eo quòd vendit alterius commodum. Et quia in istis non ex campsorum expensis aliquid plus accipitur, sed aliunde (vt patet) ideo cuilibet ex istis causis licet in huiusmodi cambijs minus pecuniæ dare, quàm accipere. Cãpsori autem vltra hæc, licitum est in cambio minuto, (etiam si meliorem & cõmodiorem, quàm det accipiat) aliquid plus accipere propter expensas, &c. vt superius dictum est.

¶ Si autem fiat cõmutatio numismatis expendibilis pro non expendibili, notabile potest inde lucrum prouenire: ex eo quòd non solùm haberi potest ratio materiæ & cõmodi, sed etiam extraneitatis: qua fit, vt tales pecuniæ in tali commutatione multum à numismatis ratione declinantes, quasi vt res quædam commutentur. Duplici enim existente pretio numismatis (scilicet inquantum est talis res, puta aurum, & inquantum numisma) & secundo excedente primum, ex hoc quòd aliqua pecunia alicubi inexpendibilis est numismatis pretiũ ibi perdit, magisq; vt res quædam commutanda venit: quam tamen campsor in locis, vbi numismatis pretium obtinet, procurans habere, ipsam commutando, multum lucrari potest. Et quoniam pretia rerum prudentis arbitrio relinquuntur, erit in hac commutatione æqualitas seruanda, pensata quantitate extraneitatis, & alijs conditionibus, vt sapiens determinabit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LOCI Autem differẽtia tripliciter potest omnibus prædictis cõmutationibus admisceri. Cãpsore enim existente & dante suas pecunias Mediolani, & recipiente alias alibi, aut contractus commutationis fit pro Mediolano, aut pro alio loco, vbi accipiens cambium habet pecunias (puta Lugduno) aut pro vtroque simul.

¶ Si cõtractus fit primo modo, scilicet Mediolani & pro Mediolano, tunc quũ accipiẽs cambiũ ex vi talis cõtractus teneatur Mediolani dare pecunias, quas commutat, nulla diuersitatis locorũ ratio habẽda est, sed tanẽ cambium manuale agendũ est, eorũ, quæ supradicta sunt, rationem habendo. Ex eo tñ q̃ accipiens cambiũ vult se liberare ab obligatione & onere & periculo deuehendæ pecuniæ ex loco vbi habet, Mediolanum, & cãpsor vult hæc subire, licitum est mercedem exigere. Sed hoc potius ad cõtractus locationis & cõductionis spectat, q̃ cãbij, & ideo iuxta eorum canones reguletur, si accidat. Quod tamen raro credo euenire. Si verò cõtractus fit secũdo modo, scilicet Mediolani quidẽ, sed pro Lugduno, tunc nulla Mediolani ratio habenda est: sicut nec in contractu emptiõis, quo absentes merces pro loco, in quo sunt, emũtur. Oportet eũ loci sicut & tpis pro quo contractus fit, rõnẽ habere, nõ in quo fit, si pro alio loco aut tẽpore tãtũ cõtractus fit, vt nunc proponitur. Et hoc siue certificetur Mediolani cõmutatio, coniectando verisimile pretũ loci, pro quo fit. Et q̃uis talis modus cãbij nunq̃ fortè fiat: fieri tñ posset hoc modo, q̃ Petro habẽti Venetijs Venetam monetã, & egenti Mediolani centũ ducatis, campsor Mediolani det centum ducatos aureos recepturus de illa moneta Venetijs tantũ, quantũ Venetijs pro illis cõmutatur in cãbio manuali, & nõ in cursu cambiorũ quæ fiũt pro locis distãtibus. Sicut etiã triticũ existẽs in villa emitur ab his, q̃ sunt in ciuitate tanti, quãti vẽdit in villa, vbi assignatur, & non quãti venditur assignãdũ Mediolani.

¶ Si autẽ contractus fiat tertio modo (vt cõiter accidit, scilicet Mediolani, p̃ Mediolano & Lugduno simul) tũc vtriusq; loci simul, ac per hoc distãtiæ eorũ, periculorum expẽsarũmq; intercedentiũ adhibẽda est ratio: sicut & in contractu emptionis. Constat enim q̃ aromata Alexandriæ, assignanda Ianuæ, empta atq; soluta vt Ianuam deuehantur, longè minus valent, q̃ si manualiter Ianuæ assignarentur, quia res cõducenda à tanta distantia, cùm tot periculis & expẽsis, &c. lõgè minor est Ianuẽsibus, seipsa conducta, & tot periculis expensisq; libera. Et hoc modo in contractu cõmutationis numismatũ pro locis diuersis celebrato, numismata ipsa sic expedit & oportet adæquare: vt loci cõditiones in ordine ad altũ locũ ex vna parte cõputentur. Sicq; fiet, vt si centũ ducatis aureis Mediolani, trecẽti argentei Lugdunenses adæquarentur, Lugduni assignati ducenti & nonaginta fortè adæquãtur, cõcurrentibus etiã alijs supradictis rõnibus: & fortè pauciores. Viliora siquidẽ sunt cõducẽda cũ periculis & expẽsis, q̃ manualiter habita. Nec obstat q̃ cãpsor Mediolanẽsis habet fratrẽ aut factorẽ Lugduni, aut omnino erat Lugduni tãtã summã pecuniæ expẽsurus pro alijs suis negotijs, hæc enim oĩa per accidẽs se habẽt ad contractus naturã, in cuius æqualitate iustitia cõsistit. Quid eũ ad contractus cõmutatiuos, in qbus æqualitatẽ rei ad rẽ fieri oportet, si ex industria mea, aut casu ego affines habeo in diuersis locis, aut ministros ferè gratis inuenio, & exinde viarum ministrorũmq; expensas lucrans diues fio, dũmodo rerum conditionibus pensatis æqua fiat commutatio?

DE TEMPORIS Autẽ differẽtia, bimẽbris tantũ distinctio cõsideranda est, scilicet præsentis tũ, aut futuri tũ: vtriusq; enim simũl ratio habita nullã iustã diuersitatẽ pretij in cõmutationibus facit, vt infrà patebit. Potest ergo in cõmutatione numismatũ iuxta tẽpus contractus æqualitas sumi. Et hoc siue fiat manuale cambiũ, siue non, & siue in eodẽ loco sit æquiualẽs reddẽdum siue alibi, locorũ tamen ratione habita. Vnde potest campsor dans aureos & recepturus aliã monetam vel econuerso, certificare quantitatẽ reddẽdæ pecuniæ, ac si tũc manualis cõmutatio fieret. Potest & futuri tẽporis: quo scilicet assignatio reddendæ pecuniæ erit, rationẽ habere. Et hoc dupliciter: aut incertẽ cõmutationem relinquendo: vt scilicet pro centũ aureis nunc datis teneatur accipiens post duos menses dare tot argenteos, quot post illos duos menses æquiualebunt centũ aureis, aut certificando cõmutationem: vt scilicet habito respectu ad futuras commutationes post duos mẽses stabilitatur nunc cõmutatio commensurata illis, ita q̃ parum plus aut parũ minus verisimiliter credantur commutanda esse talia numismata. Vt si creditur q̃ hinc ad duos menses, quũ assignanda erit pecunia ab accipiẽte cãbiũ 100, aureis æqualebũt 1000. argẽtei, vel 1000. & 20. põt ex nunc certificari cõmutatio q̃ pro centũ aureis datis teneat accipiẽs assignare tũc 1000. & 10. argẽteos, siue plus siue minus tunc cõtingat cõmuniter assignari. Patẽt autem hæc ex alijs cõmutationibus: vt in contractu emptionis rei assignandæ futuro tempore manifestum est; & habetur expresse extra de vsuris. ca. nauiganti. in secundo casu: in ista enim commutatione numismatum tempus assignandi numismatis attenditur. Nec aliquid plus aut minus sumi diximus, ex eo q̃ prius campsor sua numismata dat.

¶ Vtriusque autem temporis simul differentia nullã diuersitatem videtur in quibuscunque cõmutationibus facere, sicut vtriusque loci, quoniam res in tempore futuro danda non est deterioris conditionis, ex hoc, quòd absens à præsenti, & reducenda ad præsens, sicut res in loco distanti ex hoc quòd reducenda ad locum præsentem. Nec subiacet periculis, & expensis, industriæ aut ministris, vt ad præsens secundum tempus fiat, sicut secundum locum. Nisi quis dicat, quòd subiacet periculo perditionis: quia potest mori debitor, aut interim pauper effici, &c. Sed hæc pericula pro nihilo in commutabilibus reputari patet, tum ex eo q̃ aut tam rara sunt, q̃ consilio non subsunt (vt de status deiectione dicitur intra tã breue tpis) aut talia sunt, q̃ etiã si acciderẽt adhuc tuti essent creditores: vt de morte, & hmõi patet. Tum quia ex mutuis & alijs cõmutationibus experiẽtia teste patet, hmõi pericula nõ cõsideranda esse: nõ enim qui mutuat, aut vẽdit licitè aliquid, plus exigit, ppter hmõi pericula, quæ in tẽporis dilatione possunt accidere vẽdendo ad tempus, aut mutuando. Et quia breuitas & prolixitas temporis, differẽtiæ sunt temporalis distantiæ, cõsequẽs est q̃ nec in cãbijs nec in alijs cõmutationibus ex quãtitate tẽporis alij qua cõditio rei commutãdæ accedat per se ex qua possit vilior aut pretiosior iustè æstimari. Notanter autẽ dico per se: quoniã per accidens cõtingit res æqualis bonitatis eodẽ tempore assignanda, diuersa notabiliter habere pretia & iustè, vt si triticũ assignãdũ mense Iulij, Ianuario præcedẽte maturi iuxta æstimationẽ cõmunem pretij assignationis temporis futuri. & deinde mense Martij sobitis exortis bellis credatur multò plus vendendũ, fiet aliud pretiũ pro eodẽ tpe ab alijs emẽtibus: & si in mense Maij cõtingat bella augeri, aut spicas grãdinibus pcuti, &c. augebitur pretiũ pro illo met tempore. Sed hoc non operatur temporis prolixitas aut breuitas: sed euentus incidentes, ex quibus res æstimatur vilior aut pretiosior, vt de se patet. Vnde singularis illa opinio, dicens, in cõmutationibus prolixitatis temporis rationẽ haberi posse nõ rõne temporis: sed quia res in tempore prolixiore cõsiderata minus valet, &c. à veritate deuiat in hoc: quoniam res nec ex eo quòd in tempore, nec ex eo quòd in tanto tempore sumpta commutatur, æstimatur vilior aut pretiosior, sed ex tali euẽtu in tẽpore: puta bello, penuria, aut abundantia, &c. Ex hoc verò q̃ pecuniæ diutius occupatæ sunt tenẽdæ ip hac cõmutatione, res cõmutãda nec pretiosior nec vilior cõi pretio redditur: vt san. Tho. expresse dicit in Secunda secundæ. q. 78. ar. 2. ad primũ, asserens q̃ mercator vẽdens rem aliquã ad tẽpus, nõ põt vẽdere plus cõi pretio ex hoc, q̃ pecunias suas mortuas tanto tẽpore tenebit. Et si hoc licitũ diceretur: tam vsura nõ esset dãnata in venditione ad tẽpus, &c. Quod aũt merces carius emãtur quæ citius cõmutãdæ sunt, proposito nõ obstat: quoniã celerior venalitas æstimata, à maiori vsu aut necessitate illius rei procedit. Res aũt q̃to magis necessaria aut vsitata alicubi, tantò ibi est pretiosior. & ideo merito ibi carius à primo vẽditur, & à mercatore emitur retendẽda. in rem igitur cõmutandã redundantẽ cõditionẽ aliquã sub tempore, ex qua res cõmuniter pretiosior aut vilior æstimetur, & nõ quãto tẽpore pecunia occupetur, cõmutationũ natura pensat: quæ æqualitatẽ rei ad rem exigit sic longissimo adhũcto tẽpore, ac si manualiter cõmutatio perficeretur. Propter q̃ cãpsoribus nõ licet mẽsurare tpis mediũ inter dationẽ & acceptionẽ, aut rẽ seu pecuniã plixiori tẽpore dandã vilius æstimare q̃uis liceat in dando æqualitatem commutationi statuere, iuxta præsentem æstimationem de futuris tẽporis commutationibus, quæ secũdum diuersos euentus tẽporibus diuersis varia est sicut & in cæteris commutationibus.

CAPVT VII.

An cambia proposita sint verè cambia & iustificata.

ACILE Autem est ex prædictis videre, an prædicti contractus à campsoribus nuper inuenti, de quibus quæstio præsens est, sint verè cambia, & iustè fiãt. Quum enim cambij contractus cõstitat in commutatione numismatum, & in propositis casibus nulla alia commutatio nisi numismatum fiat, cõsequens est q̃ prædicti contractus ex sua forma verè cambia sunt, diuersorum tamen graduum. Quadrifariam nanq; numismatum commutatio in huiusmodi cambijs fit. Aut totaliter, vt fit in cambio Brugensi, & Londrensi, in quo totaliter alia est moneta data ab accipienda. Aut partialiter, vt fieri contingit, quãuis non semper in cambio Lugdunensi, in quo marcha auri accipitur in tribus monetis, scilicet scutis, aureis & argenteis, &c. & contingit q̃ dans dat etiam scuta. Aut quasi nihil: vt fieri contingit in cambijs infra Italiam, in quibus numisma datum ab accipiendo parũ, aut nihil quãdoq; differt, propter proximitatem locorum & communicationem in nummis. Aut omnino nihil: vt fieri contingit & in Italia, & fortè extra, quando nulla ratione habita qualitatis numismatum, sed sola quantitate datæ & accipiendæ pecuniæ in alio loco pensata cambium dicitur fieri, vt quum Petro habenti Romæ pecunias suas, & egenti Mediolani 1000. ducatis, cãpsor dat Mediolani 1000. ducatos pro 1000. & 10. verbi gratia, assignandis sibi Romæ.

¶ Et in primis quidem tribus modis, quum cõmutatio numismatum semper interueniat, licet plus & minus cõtractus cambij saluetur. In quarto autem modo cambij nomen non nisi æquiuocè saluari videtur: nulla siquidem ibi numismatum commutatio in pactum ducitur, & manifestè patet, q̃ contractus commutationis numismatũ non est, qui si manualiter fieret, nullam numismatũ commutationem requireret, sicut nec contractus venditionis est rerũ in distantium ille, qui si manualis cõmutatio fieret, venditio non esset: vt patet. Constat autem q̃ si campsori Mediolani pro datis 1000. ducatis darẽtur 1000. & 10. ducati, nulla esset commutatio numismatum, nisi quia alij numero essent dati ab acceptis: quod est extra propositum. Propter quod videtur q̃ contractus iste mutui sit, sed cãbij nomine palliatus: ac per hoc non licet lucrari campsori ex eo: sed se tantũ seruare indemnẽ, vt superius de mutuantibus pro locis remotis declaratum est.

¶ Si quis tamen diligenter contractum considerẽt, videbit nec mutui nec cambij propriè contractũ esse: sed contractum quasi emptionis & venditionis, per quandam analogiam ad cambia pertinentem. Quãuis enim in contractu hoc numisma pro numismate nõ cõmutetur: commutatur tamen numisma præsens cũ numismate distante localiter. Et numisma in hac commutatione materialiter, & vt res quædam accipitur: commutatur enim vt res tanti pretij præsens cũ re æquali distante, habita vtriusq; ratione loci. Constat autem q̃ res distans à Mediolano vilior est Mediolanẽsibus seipsa Mediolani sita, propter expensas & pericula, & cætera ad vendendum ipsam requisita. Vnde quẽadmodũ emitur pecunia in naui fluctuante constituta minus, q̃ absolutè valeat, quia non emitur inquantum pecunia, sed inquãtũ res tanti pretij sub tali periculo cõstituta: & sicut pecunia debita Ioãni à malo debitore emit à Petro minus quã valeat, q̃ ipse res sub tali labore possidendi constituta: sic pecunia absens, tãquãtũ res subiacens periculo & expensis delationis emitur, minus, q̃ absolutè in se valeat. Et propterea nec mutui nec cambij contractus iste est propriè: sed ad cambium quodammodo reducitur, pro quanto res præsens, & res absens, quæ commutantur, numismata sunt. Et quia hic contractus per modum cõditionis omnibus supradictis adest, ideo pensandus est in cæteris.

¶ Iustitia verò in his cambijs tunc erit, quando nec excessus fiet in æstimando, sed pensatis cõditionibus numismatum ex qualitate & distantia & alijs ad rem facientibus & industriæ ratione habita, æqua fiet cõmutatio. Seruabitur autem hoc, quando secũdũ commune æstimationem cõmutatio regulabitur, aut sapiẽtũ in hoc arbitrũ imitatũ fuerit: nec tẽporis prolixitas aut breuitas pẽsabitur: sed semper in veri estimatione pretij stabitur, siue citò siue tardè pecunia assignanda sit. Si enim hoc defuerit, vsura est ratione impliciti mutui: sicut in vẽditione plus iusto pretio ad tempus. Si autem primum deesse cõtigerit vsura quidem non est, sed iniustum lucrũ, & restitutioni obnoxium: sicut quando res plus iusto pretio venditur.

Vnde proposita cambia, si seruatis his duabus conditionibus necessarijs ad iustificationem etiam cæterarum commutationum celebrantur, iustè fieri possunt.

¶ Ex his autẽ patet non licere cãpsoribus, aduenientibus nundinis Brugensibus vel Londrensibus, debitori tunc ex accepto prius cambio dilationem solutionis concedere vsq; ad sequẽtes nũdinas, & ex hoc plus recipere, q̃ prius deberet, aut pacisci sibi deberi sicut in sequentibus nũdinis cambia current: hũc enim est contractus mutui cũ spe lucri solo cambij nomine fultus: & prolixitatis temporis ratio manifestè habetur. Campsoribus quoq; pro Lugduno vel alio loco: iuxta prolixitatem aut breuitatẽ temporis medij inter dationem & acceptionẽ marchã auri aut rẽddendam quãcunq; monetam plus & minus æstimantibus, æterna ex hoc paratur damnatio: vtpote vsurarijs.

¶ Nota tamen diligẽter hoc in loco, q̃ sufficiens signum iniusti contractus, non est minus dare pro cambio multo interiacente tẽpore vsq; ad nundinas, & plus dare quãdo proximæ sunt nundinæ: quoniã consuetudo hæc q̃uis prima facie introducta videatur pro habẽda ratione temporis medij, quo accipiens pecunias Mediolani redditurus in nundinis Lugduni vtitur illis pecunijs acceptis: perspicacius tñ sapientibus occurrit, q̃ consuetudo hæc introduci potuit propter inuentionem aut nõ inuentionẽ campsorum tenentium loca quasi venditorũ: vel propter multitudinem aut paucitatẽ eorum. Propter quod sciendum est, q̃ in huiusmodi cambijs accipientes Mediolani pecunias pro assignãda marcha auri Lugduni in nũdinis, qui sunt quasi venditores marchiæ auri absentis loco & tẽpore communiter cũ suo damno cambium hoc faciunt: sciẽtes semper quantũ damni ex tali venditione incurrẽt. Ex hoc aũt prouenit consequẽtes, q̃ nullus: simpliciter loquẽdo, inuenit quasi vẽditor in hmõi cãbijs: sicut nec in quacunq; alia cõmutatione, in qua certum est venditorẽ damnificari. Nec propterea censenda est illicita commutatio: quia scilicet venditor nocumentũ incurrit: quãdũmodo res absens vel præsens vendatur iusto pretio, contractus est licitus, quæcunq; pars inde nocumentũ incurrat. Ex hac quoq; eadẽ radice prouenit, q̃ tunc tantum inuenitũr quasi venditores in istis cambijs, quando mercatores egent pecunijs, & volũt potius tales initie venditionis cõtractus cũ aliquali dãno, q̃ à maiori lucro vel commodo abstinere, quod ex accepta pecunia paratũ vel acquirendum sperant. Vnde nisi esset huiusmodi indigentia pecuniarũ cùm inter medio tẽpore, quo negotiationibus suis prouidere ex acceptis pecunijs possent illi qui sunt quasi venditores, nullus vnquam inueniretur quasi vẽditor in istis cambijs. Quemadmodũ ergo tẽpus intermedium est occasio, q̃ inueniantur quasi venditores, ita multũ tẽpus intermedium est occasio multorũ venditorũ cõmuniter, & paucum tẽpus multorũ emptorum. Ac per hoc multo interiacente tẽpore, propter abundantiã venditorũ ratio habitur minus datur à soluentibus, qui sunt quasi emẽtes marchas absentes: & modico interiacente tẽpore, propter abundantiam emptorũ plus ab eisdẽ quasi emẽtibus soluitur. Adeóq; dicuntur abundare quandoq; emptores prope nundinas, vt nihil lucrentur, imò cũ dãno suo cambium faciãt, quia non inueniũtur vẽditores: & hoc contingit quando friget negotiatoria ars. Vnde quũ contractus cambiorum huiusmodi abstracta ista temporũ differentia liciti sint (vt ex dictis & dicẽdis patere potest) & hæc temporis differentia dãnari nõ possit: quia prædicto modo saluari potest, restat q̃ si pensata loci absentia, &c. alias iustè fiat talis numismatum commutatio iniusti iudicari non debẽt contractus tales. Quòd si plenius vis conspicere, finge lanas vel quamlibet aliam rẽ absentem loco vẽdi, & emi in huiusmodi cõtractibus: videbis enim clarius veritatẽ: quoniã quũ numismatũ cõmutatio tractatur inter nũmos hinc & inde mẽs posita, semper ad mutui contractus declinare consueuit. Vtrũ autẽ de facto moderatum sit lucrum, quod ex huiusmodi cambijs reportatur, scientificè non subest decisioni, quæ ad singularia non descendit. Illud tamen rationi consentaneum videtur, q̃ moderatum censendum sit lucrum, quod communis consuetudo approbat: vt scilicet cambia fiant, secũdum quia tunc currunt pro locis illis cõmuniter. Pen

Universidad de Deusto Biblioteca

sanda autem diligenter & applicanda subtiliter hæc sunt pro cambijs Bruges & Londres, &c.

NEC OBSTANT Prædictis rationes ad propositum in tertio capitulo adductæ. Falsum siquidẽ supponit prima, quod cambia hæc fiant in fraudem vsurarum: imò pro communi bono mercatorũ sunt introducta. Nec ex eo quòd Petrus non mutuaret pecuniam, qui commutare propter spem lucri est paratus, peccat: quoniam nec opus, nec intentio deformitatem continet: quia non tenetur ad mutuum, & iustis commutabilibus vacat.

¶ Secunda verò ratio concludit non illicitos cõtractus, sed illam temporis conditionẽ non posse apponi sine vsuræ vitio sicut etiam in venditione ad tempus.

¶ Tertia autẽ cambia hæc non subtiliter scrutatur: quia campsor ementis rem in futuro assignandam magis, quã vendentis rem conseruandam, aut transferendam locum tenet in vtroq; modo cambij. quoniam etsi in secundo modo videatur vendere ducatum ex hoc, quod æstimat ipsum 52. grossis, secundum tamen veritatem emit tot grossos Flandrenses Brugis assignandos vno ducato. Illa siquidẽ æstimatio ducati concurrit ibi, vt modus computandi facilius quantitatem ducatorum & grossorum commutãdo, & non vt ducati venalis pretium. Est autem interpretatio hæc meritò admittenda, ex eo quod ipsi contractum realis seu veri cambij dicunt se facere, qui tali modo interpretandus est, vt iustitiam contineat: cambij siquidẽ nomen sensum hunc admittit. Quid ergo de cambijs his & de recitatis opinionibus sentiendum sit, ex dictis manifestum est. Nunc ad reliqua cambia ex parte accipientium proposita transeamus.

CAPVT VIII.

De alijs cambijs propositis ex parte accipientium cambia.

RELIQVA igitur in fine primi capituli proposita cambia examinando, distinguendum videtur: & dicendũ quid de facto sit, & quid possit fieri. Aliter siquidem hæc cambia fieri ex eorum verbis percipitur, aliter fieri possent.

¶ Considerando ergo quod fit, omnia illa cãbia ex parte non campsorum, sed Petri dantis pecuniam cãpsori alibi sibi assignandam, iniusta esse videntur, per se loquendo: quum enim campsor non accipiat pecuniam à Petro in fauorem sui, sed Petri cui assignanda est alibi, nulla æquitas censet campsorem ex hoc damnum aliquod pati. Pateretur autem in his cambijs damnum ad minus duplex. Primum est, quod seruitium suum, quo pecunias Mediolani acceptas Florentie perinde ac tutò delatas assignat, irremuneratum remanet, & tamen seruitium mercenariũ est. Secundum est, quod plus dat aut dabit cãpsor, vt sperat Petrus, quàm acceperit: quoniã ducati Florentini minus valent Mediolani, vbi dantur cãpsori, quàm Florentiæ, vbi assignãtur. Vnde campsor si se indemnem quo ad hoc seruare debet, deberet mittere eos Florentiam, & sic expensarũ damnum maius incurrere: alioquin expendendo eos extra Florentiam, constat quod plus dat, quàm acceperit. Et hæc duo in tribus primis modis locum habent: in alijs autem tribus, in quibus vltra prædicta Petrus vult quatuor ducatos vltra illos centum. Tertium damnum campsori adiũgitur.

Dixi autem hæc esse illicita secundum quod fiũt: quia huiusmodi homines exigunt hæc à campsoribus, vt dicitur, propter vsum pecuniæ, quam dant, in tẽpore medio à datione vsq; ad assignationem. Dicunt enim campsori, tu lucraberis cum his pecunijs interim, & negotijs tuis eas accommodabis, & propterea volo & ego aliquid cõmodi. Sicq; lucrum ex industria campsoris non ex pecunijs prouenient iniustè pensando lucrari volunt nõ absq; vsura. Dixi autem, per se loquendo: quoniam per accidens contingit, absq; culpa hæc fieri: vt in tertio casu quibusdã videtur, si Petrus ex abusione mercatorum & campsorũ nescire potest quantum ducati sui Florentiæ valẽt, & sic egens pecunijs suis ibi, conlectat iustum prout cãbia valebunt tunc, non ex spe lucri: & sic quum cõsueuerint ad primam petentium vocem campsores seruitium suũ gratis impendere, ne fortè volentes tres transferre pecunias cambij contractũ secũ velle inire deposcant, & sic æqualem promittunt Florẽtiæ summã pecuniæ, videtur posse transire. Quamuis enim hoc faciant campsores propter vsum pecuniæ: quia tamen eorum seruitium in his onerosum non est, quia omnino mittunt pro alijs negotijs & cambijs & ministris soluunt, parum & consuetum pro nihilo haberi videtur, sicut de vsu libri in pignus dati, Sanct. Thom. dicit.

SI AVTEM De cambijs his loquamur, vt fieri possunt, quia scilicet Petrus posset emere Mediolani à campsore 100. ducatos Florentinos assignandos Florentiæ, vel commutare numismata, attenta qualitate numismatum & distantia locorum (vt de contractibus campsorum diximus) tunc omnia cambia prædicta iustificari possent: quoniam contingit interdum 100. & duos emi alibi 100. vt ex dictis patet. Nec obstat, quòd Petrus non intendat pecuniam absentem præsentem facere, sed potius præsentẽ absentare, quoniã ex industria Petri hoc prouenit, quod absentaturus pecuniã suã, exponit eã tali cõmutationi numismatũ, aut cõtractui emptiõis rei assignandæ in illo loco, vt sic vbi cum dãno suo transtulisset eam simpliciter, per talẽ negotiationem transferat cum lucro. Nec est hæc industria dãnabilis tanquã in fraudem inuenta, sed laudabilis, tanquam adinuentiua viarum iustarum & vtilium simul, vnde Prouer. ca. 11. dicitur, Simulator decipit amicũ suũ, iusti aũt liberabuntur scientia. Et quoniã multos contingit esse volentes trãsferre pecunias suas de loco ad locum, & audientes alios ex huiusmodi translatione lucrari saltem propter varietatẽ monetarum, & nescientes distinguere contractum simplicis translationis ab huiusmodi contractibus commutationum: & confusè intendentes licitè lucrari non ex vsu pecuniæ quam dant campsori, sed ex cãbio, ex quo credũt alios lucrari: non videtur, quod isti sint dãnãdi, sed in meliorem partem eorum potius contractus sint interpretandi. Ex hoc enim quod ex cambio dicunt velle lucrum, iam contractum, quem nesciunt se velle inire, insinuare videtur: præsertim si arguant, ideo se hoc lucrum velle: quia si ipsi cãpsores econuerso contractum talem cum eis facerent, maius lucrũ exigerent. Ex hoc enim iam manifestè patet, quod contractus campsorios supradictos inire intendunt: & tantò iustius, quãtò mitius quàm campsores. Accedit ad hæc, quod non videtur verum, quod de facto communiter volentes suas pecunias transferre cum lucro, dicant se hoc pro vsu pecuniæ velle: sed fortè aliqui mali sunt hoc dicentes vel (quod verius puto) verba illa ignorãter à quibusdã dicuntur, credentibus se rationabilem causam assignare. Et siquidẽ ignoranter assignantes huiusmodi rationem, intendant contractum cambij inire & propter hoc lucrum referre, quãuis in ratione assignanda errent: iniustum tamen non faciunt. Sicut si quis credat se in contractu venditionis & emptionis licitè lucrari propter tẽpus, quo pecunias suas occupatas tenet: & tñ non vendit, aut emit, nisi iusto pretiõ. Signum aũt ad cognoscendũ, qui sunt qui hoc intẽdãt potest accipi duplex. Primũ est, si in animo habent, nullo pacto vsurarijs contractibus se immiscere: secundũ verò est, si assignant aliam rationem tangentem contractum licitum, puta quod ita eis licere credunt, sicut campsoribus. Et hæc de cãbijs dicta sint. Mediolani in conuentu sanctæ Mariæ Gratiarũ, Anno Salutis. 1499. die. 9. Decembris.

¶ Hæc sunt pater venerande quæ mihi de cambijs sentienda videntur, saluo semper omniũ melius sentientium iudicio. Tu ergo perspicaci ingenio quo polles, dicta seruando perlege, & si votis rẽ parẽ feci, omnipotenti Deo, diuóq; Thomæ gratiæ referantur: Sin autem, da veniam: ego enim secundum ingenioli mihi præstiti vires, quod potui, feci. Bene vale. Finis.

TRACTATVS OCTAVVS

De Vsura, in sex Quæstiones diuisus.

1. *Num in vsura transferatur dominium.*
2. *Num mutuans sub spe aliquid vltra sortem habendi, non aliter mutuaturus, absque omni tamen conuentione sit vsurarius mẽtalis.*
3. *Num vsurarius mentalis teneatur ad restitutionem.*
4. *Nũ oĩa bona vsurarij sint obligata eis, à quibus vsuræ extortæ sunt.*
5. *Nũ altero hærede vsurarij nõ potẽte restituere, alter teneat' in solidũ.*
6. *Nũ qñ licet petere dãm lucri cessantis possit peti totũ lucrũ cessans.*

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum in vsura transferatur dominium.

QVAERITVR Vtrũ in vsura trãsferatur dominium. Et videtur quòd sic. Primò, quia cũ homo sit dominus rerũ exteriorum per volũtatem, ex voluntaria translatione rei suæ in alterum, trãsfertur dominium: sed accipiẽs mutuum sub vsuris voluntariè transfert plus sorte in alterum, ergo. Si dicatur quòd vsuræ

solutio non est simpliciter volũtaria, & ideo non trãsfert dominium: contra, Voluntariũ mixtum, quale est in vsuris, est voluntarium simpliciter, quamuis non sit omnino voluntarium: quia habet aliquid inuoluntarij admixtũ: vt patet ex tertio Ethi. & ex eo quod si quis taliter voluntariè consentiret actui peccati (puta stupro) non excusaretur à peccato mortali, quod non potest nisi voluntariè cõmittere: quãuis enim malè libenter, omnibus tamen consideratis voluntariè hoc eligit.

¶ Præterea, In his quæ tradũtur metu mortis, trãsfertur dominium, ergo & in vsura. Cõsequentia probatur: quia ibi tantò minus est de voluntario, quantò metus mortis maior amissione, vel defectu rerum exteriorum inducente ad accipiendum mutuũ sub vsuris. Titulus quoq; habendi & possidẽdi iniustior est in extorquẽte aliquid metu mortis, quàm in extorquente per vsurariũ mutuũ. Si ergo ibi transfertur dominiũ, necesse est hîc quoque transferri.

IN OPPOSITVM EST Sanctus Tho. in Secunda Secundæ, q. 77.

CONCLVSIO.

Nullum à soluentibus vsuras rei dominium transfertur.

RESPONDEO, In hac dubitatiõe sunt tres opiniones. Prima est tenentium in vsura transferri dominiũ: & hi mouentur rationibus adductis. Habétq; opinio hæc antiquos sectatores: vt san. Tho. in 4. di. 15. dicit. Sequíq; eam videntur Sco. in 4. dist. 15. q. 2. arti. 3. & Pe. de Palu. ibidem. & gl. 14. q. 4. si quis vsuram. Secunda est tenentium in vsura transferri dominium aliquorum, scilicet eorum, quorum vsus non est eorum consumptio. Sed quia hæc distinctio nulla ratione fulcitur, ideo dimittenda est nouitas hæc. Non enim ex qualitate rei per vsuram extortæ, oriri potest ratio transferendi vel non transferendi dominium, cùm res data, materialiter concurrat in huiusmodi contractibus, & translatio dominij ex voluntate & iustitia dependeat. Tertia autem opinio est dicentium, in vsura non transferri dominiũ: & hæc habet omnis generis sectatores. Tenent autem eam S. Tho. & Bonauentura, hic quidem in 4. dist. 15. ille verò in Secunda Secũdæ, q. 77. arti. 3. vbi in calce corporis articuli dicit hæc verba: Si quis domum vel agrum alterius per vsuram extorsisset, non solùm tenetur restituere domum vel agrũ, sed etiam fructus inde perceptos: quia sunt fructus rerũ, quarum alius est dominus: & ideo ei debentur.

ET QVIA Hæc opinio iudicio meo rationabilior est, ideo intẽdo probare eius veritatẽ tripliciter. Prænotando primò, quod traditio rei & trãslatio dominij illius rei non sunt inseparabiliter connexæ. Cõtingit enim rem puta vestem alteri tradere absq; translatione dominij: qa potest multis rationibus tradi in depositũ, scilicet vel in pignus, &c. Contingit & dominiũ rei, puta vestis alteri tradere absq; ipsius vestis traditione: vt patet cũ donatur alteri res à tertio occupata. Ex hac aũt separabilitate manifestè habetur, quod ad volũtariam traditionem rei non sequitur necessariò volũtaria translatio dominij illius rei. Ad quod enim non sequitur translatio dominij, fieri non potest, vt sequatur translatio dominij volũtaria. Constat autem quod volũtariam traditionem rei, dominij translatio non sequitur: vt patet cùm traditur in depositũ. Non comitatur igitur necessariò voluntaria translatio dominij voluntariam traditionem rei. Hoc ergo stante arguitur sic: In vsura aut transfertur dominiũ ex ipsa volũtaria vsuræ exhibitione, aut ex adiuncta voluntaria translatione dominij, aut ex vtroq; simul: sed nihil horũ hoc efficit: ergo. Diuisio est sufficiens, quoniam homo est dominus rerum exteriorum per voluntatem: & in proposito necesse est si dominiũ transfertur, voluntate soluentis vsuras hoc fieri, quoniam constat lege, aut quacunq; aliena volũtate hoc non causari. Voluntate aũt soluentis hoc fieri, duplici tãtũ via potest: aut per exhibitionẽ rei, aut per ipsam trãslationẽ dominij. Aut enim transfertur dominiũ eo quod soluens vsuras volũtariè dat vsurario plus sorte, aut qa intendit transferre dominiũ illius excrescentiæ à se in vsurariũ, vel propter vtrũq;. Sed quod dominiũ non transferatur ex vi volũtariæ traditionis illius excrescẽtiæ, ex dictis patere potest: iam enim patet, quod ad hoc non sequitur necessariò translatio dominij. Ex hoc enim quod vsurario do vnũ ducatũ pro vsura, nihil aliud necessariò cõuinci põt, nisi quod volũtariè illũ ei assigno: nec potest ex hoc conuinci, quod trado illũ ad hoc, vt sit suus. Et si quæratur, Ad qd ergo das ducatũ illi? in promptu responsio est: ego quidem do, quia mutuare aliter non vult. Et cõfirmatur: quia sicut soluens vsuras, consentit in solutionem ducati: & tñ non consentit in eam, inquantũ iniusta est (qa nullus patiẽ iniustũ volens: vt dicitur in 5. Ethi.) ita consentit in nudam traditionem ducati absq; hoc, quod consentiat in translationem dominij illius. Quòd verò in soluente vsuras nõ sit intentio transferendi dominiũ, patet ex eo quod in huiusmodi partim inuolũtarijs traditionibus quãtò minor abdicatio iuris proprij saluari potest, tanta censenda est & non maior: vt patet de proijciẽte merces proprias in mare, orta tempestate. Quamuis enim proiectio talis sit voluntaria, non tamen habentur res proiectæ pro derelictis: sed intendit proijciens, si res casu saluanẽ, vt suas habere. Vnde & delatas à maris impetu in terram si quis acciperet, teneretur domino petenti & ostẽdendi suas esse, liberè tradere. Constat aũt quod minus abdicat à se ius quod habet in re: dans eam retinendo sibi dominiũ, quàm transferendo dominiũ, & reseruando sibi tantũ ius repetendi: quoniã primum claudit secũdũ, & non econuerso. Constat quoq; ex dictis, quod vsuræ solutio volũtaria saluari potest absq; intenta abdicatione dominij: quia aliud est volũtariè dare, & aliud est volũtariè dare ad hoc, vt sit suũ. Nõ igitur est intentio, aut volũtas transferendi dominiũ in soluente vsuram. Et confirmatur: qa quũ contra vsurarios omnia iura clament, interpretanda sunt omnia, quantũ veritas permittit in odium eorũ: & si res hæc penderet sub dubio, contra vsurarios declinandũ esset. Liquet aũt quod trãslatio dominij multũ fauet vsurarijs: ergo non est censenda, nisi ratio ad hoc cogat: ex supradictis autem apparet rationẽ ad oppositum esse: ergo. Et per hæc sufficienter patet tertium membrum, quod scilicet in vsura non transfertur dominium propter vtrunque simul, scilicet voluntariã assignationem rei, & intentionem transferendi dominium.

¶ Secundo principaliter probatur idem sic: Si in vsura trãsferretur dominiũ, extorquens agrum vsurariè non teneretur ad restitutionẽ omniũ fructuũ, sed satisfaceret restituendo agrũ vel eius pretiũ: sed hoc est falsum, & cõtra omnes: ergo in vsura non transfertur dominium. Consequentia (in qua sola cõsistit tota difficultas) declaratur ex differentia, quæ est inter æqualitatẽ seruandam in recompensatione rei fructificantis, quando translatũ est dominium, & æqualitatem seruandã in recompensatione eiusdem, quando non est translatũ dominiũ. Cùm enim ager trãsit de dño, in dñm, quocũq; titulo id fiat, sufficiẽter satisfit primo dño, si datur sibi tantũ, quantũ valet substãtia agri, pensata virtute fructificatiua, & alijs cõditionibus, quæ in contractu venditionis eius pẽsandæ fuissent: nec plus exigit iustitia commutatiua, qm seruata æqualitate rei ad rem completa est ratio iustitiæ. Quando verò ager mutat quidem possessorem, sed non dominũ secũdũ veritatem, non sufficienter satisfit domino eius, dãdo pretiũ agri: sed oportet omnes fructus perceptos, & qui potuissent à diligenti cultore percipi, restituere, qa sunt fructus agri, cuius alter est dominus. Si ergo in vsura trãslatum est dominiũ agri per vsurã extorti, sufficienter fieret restitutio dando agrum tantùm, vel pretiũ æquale, pẽsata substãtia agri & eius virtute fructificatiua, non autẽ fructibus perceptis: quoniam vsurarius percepit fructus de re sua. Et confirmatur hoc ex ratione, qua constat, quod fructus perceptos ex agro empto ex pecunia vsuraria nõ tenetur quis restituere: quia sunt fructus agri sui. Hæc enim eadem ratio cùm efficax sit, in vi istius vniuersalis tenet, nullus restituere alteri fructus agri sui proprij, nisi enim vniuersalis hæc verificaretur, ratio ex particularibus conficeretur, & cõsequenter rueret. Si ergo agri per vsuram extorti transfertur dominium in vsurarium, sequitur quod non tenebitur ad restitutionem fructuum, quos per viginti fortè annos percepit, quod erat deducendum. Si dicatur, quòd in translatione dominij omnino voluntaria (qualis est venditio, &c.) verum est, quòd sufficit reddere æquiualens agro: sed in translatione inuolũtaria aliqualiter (qualis est vsuræ solutio) non sufficit reddere pretium agri, sed oportet fructus quoque perceptos restituere. Hoc non euadit: quoniam tota differentia ex hac ratione assignatur propter omnino voluntarium & voluntarium mixtum. Ex hac autem differentia nihil aliud oritur, nisi quòd vbi translatio non fuit omnino voluntaria, oportet non solùm reddere pretium agri, sed aliquid correspõdens illi cõditioni inuolũtarij: sicut semper in restitutionibus faciendum est. Nec habetur ex ea, quod

Universidad de Deusto Biblioteca

teneatur restituere fructus: qua enim ratione potest vnquã conuinci, ꝙ teneatur aliquis restituere alteri fructus agri proprij? Si dicatur, ꝙ restitutio fructuum facienda est non ratione dominij, sed ratione damni, quod patitur ille, à quo ager extortus est per vsuram, damnificatus siquidem est non solùm in agro, sed in fructibus percipiendis: & ideo quamuis vtrorũq; translatum sit dominium à se, competit tamen repetitio. Hæc responsio falso innititur fundamento, scilicet ꝙ damnificatus in agro sit damnificatus in omnibus fructibus percipiendis: sic ꝙ restitutio debet adæquare & agrum, & fructus. Tum quia hoc non habet locum, quando transfertur rei fructificãtis dominiũ: quia statim translato dñio rei, oẽs dãnũ aut emolumentum futurum domino rei cedit. Tum quia etiam quãdo nõ transfertur dominiũ, vniuersaliter verũ nõ est.

¶ Ad cuius euidentiam, subtiliter & breuiter, tangendũ est, quare & quando aliquis teneatur ad restitutionẽ fructuum, & quando & quare non. Hoc autem ex duobus principijs regulantibus restitutiones haberi potest. Primum est, ꝙ sufficit restituere simpliciter: secundum est, ꝙ aliter restituendum est damnificato in his, quæ erant eius in actu, & aliter in his, quæ erant eius in potentia. Ex his enim habetur, quòd si ponatur quòd Petrus rapuerit agrum Martini, quem subitò combusserit ac inutilem totaliter reddiderit, & idem Petrus rapuerit similem & æqualem agrum Ioannis, quem conseruauerit fertilem: & elapsis 10. annis Petrus vtriq; satisfacere velit, non tenetur tantum dare Martino, quantum Ioanni: sed Martino sufficit reddere tantum, quantum valebat ager tempore rapinæ & combustionis, (subintellecta semper satisfactione iniuriæ & interesse. Ioanni verò oportet reddere & agrum & fructus per decẽnium perceptos. Quia quum sufficiat reddere simplum quod simplum ablatũ est, & à martino sit ablatus tãtum ager cum fructibus in potentia, qui in potentia fructificatiua agri pensarentur, quando venderetur ager, sat est reddere tantum, quãtum valebat ager fructificatiuus. Quia verò à Ioanne non tantùm ablatus est ager, sed fructus acto producti per decennium occupati sunt, quoniam fructus agri nascuntur domino agri, non satisfieret Ioanni, si æquale agro & potentiæ fructificatiuæ restitueretur: sed oportet æquale fructibus actu perceptis reddere. Statim enim vt producuntur fructus, sunt actualiter sub dominio eius, qui est agri dominus, quis non possideat: & ideo oportet tanquam res, quæ fuerunt actu alterius restituendo recompensare.

¶ Ex his autem omnibus id quod intendimus euidẽter habetur: ꝙ scilicet fructus restitutioni obnoxij non sunt, nisi quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus: ita ꝙ dominium fructuũ non quodcunq;, sed actuale exigitur ad hoc, ꝙ fructus agri sint sibi restituendi. Sed si in vsura transfertur dominiũ, nec actuale nec potẽtiale proximè dominium fructuum remanet apud eum, à quo extortus est ager; quia non remanet actu dominus agri, qui est dominus in potentia proxima fructuũ producẽdorũ. Nulla igitur ratione vsurarius tenebitur ei de omnibus fructibus perceptis: sed sat erit, si vel pretium agri tantũ reddet, vel secundũ hęc vltimò tractata si satisfaciet quo ad fructus perceptos ad arbitrium boni viri: sicut dãnificans aliquem in his, quæ habet in potentia. Vtrunq; autẽ horum est contra omnes doctores & veritatem. Fatendũ est ergo absolutè, ꝙ in vsura non transfertur dominium.

ET PER Hæc patet responsio ad obiecta. Ex dictis siquidem in prima ratione patet solutio vtriusque primi quidẽ, quia plus requiritur ad translationem dominij, quãm voluntaria traditio illius rei: exigitur enim quòd volũtariè tradat eam alteri ad hoc vt sit sua: quod soluẽs vsuras nõ facit. Et per hoc idẽ negatur assumptũ secundi: meticulosus em̃ quis volũtariè det pecuniã ꝓpriã inuasori: nõ tñ ad hoc, vt sit sua, sed ĩpe viderit. Et ideo nõ transfert dominiũ illius a se. Medio. die ij. Aprilis. 1500.

QVAESTIO II.

Vtrum mutuans sub spe aliquid vltra sortem habendi, non aliter mutuaturus absque omni tamen conuentione, sit vsurarius mentalis.

QVAERITVR Vtrũ mutuans sub spe aliquid vltra sortem habendi, non aliter mutuaturus absque omni tamen conuentione, sit vsurarius mentalis.

¶ Et videtur quòd sic. Primò, quia spes principalis alicuius muneris habendi ex mutuo vsuram parit: iuxta illud Luc. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes: & communem sententiam doctorum: sed in casu proposito inuenitur talis spes: ergo.

¶ Præterea, Taliter mutuãs, malè agit: vt patet extra de vsuris, ca. consuluit: & vt ibi dicitur, tenetur ad restitutionem. Constat autem, quòd nulla alia prauitas hîc interuenit nisi propter aliquid vltra sortem speratum ex mutuo, quod pertinet ad vsurariam prauitatẽ: ergo talis mutuans est vsurarius mentalis.

IN OPPOSITVM Est commune hominũ iudicium, excusans eum, qui non vult amplius mutuare amico, qui noluit sibi remutuare, sed vult mutuare alteri amico, à quo sperat, quòd accidẽte casu remutuabit sibi. Talis enim manifestè sperat obsequium à manu mutuando: & nisi crederet illud futurum, non mutuaret: vt patet ex eo, quòd nõ vult priori amico amplius mutuare: quia noluit sibi remutuare, & tamen secundum communem sententiam non peccat. Non est ergo vsurarium mutuare sub spe aliquid vltra sortem consequendi.

CONCLVSIO.

Mutuans sub spe aliquid vltra sortẽ accipiendi ex amicabili quodam affectu eius, cui mutuauit, non autem ex mutuo vsuram non incurrit.

RESPONDEO, Ista quæstio mota fuit coram Vrbano 3. (vt in decretali allegata patet) nec fuit apertè decisa: sed glossa ibidem distinguit de duplici spe (principali scilicet, & secundaria) & dicit quòd spes principalis constituit vsuram, non autem secundaria.

¶ Subtilius aũt decidẽdo, occurrit ex dictis S. Th. in q. de malo, q. 13. art. vlt. ad decimum tertiũ, notandũ ꝙ dupliciter aliquid potest à mutuãte sperari. Vno modo, quasi debitum ex aliqua obligatione tacita vel expressa, & sic quodcunque munus speretur, illicitè speratur. Alio modo, vt gratuitum & absque aliqua obligatione præstandum: & sic quodcunque munus speretur, licitè speratur. Licitè autem sperari à mutuãte dico, quodlibet munus, gratuitè & amicabiliter tribuendum sibi ab eo, cui mutuat, etiam si aliàs nollet mutuare. Et hoc probatur dupliciter: ratione scilicet, & autoritate. Ratio siquidem huius est: quia licitum est ex mutuo affectum beneuolentiæ spe etiam principali intendere. Ex vero autem amore & solo ipso sufficiẽter emanat gratuita & amicabilis recõpensatio: & propterea eiusdẽ rationis est sperare amicitiam, & sperare gratuitam remunerationem. Vnde si mutuans spe principali affectus beneuolentiæ, nihil illicitè sperat, consequens est, quòd mutuans spe gratuitæ remunerationis nihil illicitè speret. Et confirmatur: quia quũ gratuita remuneratio sit mutuãti debita secundum naturale ius, & ipsa sola speretur in proposito, nec in ciuile deducatur, cõsequens est ꝙ nihil vltra sortẽ & debitũ speretur: & quòd sicut rationabiliter à mutuando desistit desperans de restitutione mutuandæ sortis, ita rationabiliter quoque desistit desperans de amicabili affectu. Vtrunque horum mutuãti naturali iure debetur, quamuis difformiter: quia primum ciuili etiam obligatione reddendum est, secundum naturali gratitudine tantum.

Autoritas autem ad hoc habetur, differentia assignata ibidem à san. Th. inter spem in vsura & simonia. scilicet quòd quia in simonia id quod datur, est Christi, & non dantis: ideo nullum minus debet sperari. In vsura verò mutuans dat id quod suum est, ideo potest sperare aliquam amicabilem recompensationem. Ex hac siquidem differentia patet, ꝙ de spe principali loquitur, sine qua scilicet res non fieret: aliter differentia nulla esset: nam cõstat quòd etiam in traditione spiritualiũ, oculus sinister seu spes secundaria potest dirigi circa aliquam remunerationem temporalem.

¶ Quũ ergo quæritur, an mutuans sub spe aliquid vltra sortem habendi, aliter non mutuaturus, omni tamen conuentione & petitione cessante, sit coram Deo vsurarius. Absolutè quidẽ respõderi põt, ꝙ vsurarius est: quia quæstio talis sic proposita, sonat spẽ mutuãti inesse, vt ex mutuo aliqd habeat vltra sortẽ: quod est illicitũ. Sed si addat titulo quæstionis ly amicabiliter, aut gratuitè (vt scilicet quærat, an mutuãs sub spe alicuius muneris amicabiliter cõsequẽdi, aliàs nõ mutuaturus, &c. sit vsurarius) dicẽdũ est ꝙ nõ: qa nihil sperat ex mutuo vltra sortẽ, sed ex affectu amicabili. Vnde breuiter posset cum distinctione ad quæstionem motam dici, quòd aut talis mutuans sperat aliquid vltra sortem ex mutuo: & sic vsurã cõmittit, aut

ex

ex affectu amicabili eius cui mutuat: & sic non peccat.

ET PER HAEC Patet responsio ad obiecta: quoniam mutuũ dantes iubentur nihil inde, id est ex mutuo sperare. Et in decretali illa dicũtur malè agere: qa nisi ex mutuo aliquid sperarent emolumenti, non mutuarent. Ex dictis autem patet hoc esse verũ, nec obstare determinationi, qua dictum est licitum esse sperare aliquid gratuitè consequendum. Mediolani, die 6. Aprilis. 1500.

QVAESTIO III.

Vtrum vsurarius mentalis teneatur ad restitutionem.

QVAERITVR Vtrum vsurarius mentalis teneatur ad restitutionem.

¶ Et videtur quòd sic. Omne alienum restitutioni est obnoxium, sed omne lucrum vsurarium est alienum: vel quia non est translatum dominium, vel saltẽ quia cõpetit repetitio: ergo.

¶ Præterea, Extra de vsuris. cap. consuluit: dicitur quòd vsurarij mentales ad ea, quæ taliter sunt accepta restituendum in animarum iudicio efficaciter sunt inducẽdi: ergo ad restitutionem tenentur.

IN OPPOSITVM Autem est, quia nullus tenetur ad restitutionem eius, quod nullo modo occultè aut manifestè extorsit per se vel alium, quamuis intendat extorquere: sed vsurarius purè mentalis nihil directè, vel indirectè extorquet, quamuis hoc intendat: ergo non tenetur ad restitutionem eius, quod sibi vltra sortem datum est secundum spem suam.

CONCLVSIO.

Oblatum & donatum lucrum ex recipientis mutuum amore, quanquam praua & vsuraria intentione mutuãti, nec illi qui donauit, nec pauperibus, neque alicui restituendum est.

RESPONDEO In hac dubitatione præmittendum est, quis & quotuplex sit vsurarius mentalis: deinde respondẽdum est quæsito. Ad vsurarium mentalẽ tria requiruntur. primò quòd intendat præter mutuatam sortem aliquid lucri: aliter vsuræ ratio non saluaretur. Secundò, quòd talis intentio sit talis quòd sine ipsa non mutuaret: spes enim secundaria vsurarium non facit.

Tertiò, quòd illud lucrum non intendatur quasi gratuitè & amicabiliter habendum, sed vt ex obligatione propter mutuo præstitum dandum: vt enim in alia quæstione ex doctrina sancti Thom. diffinitum est, spes habendi aliquid vltra sortem gratuitè & amicabiliter vsuram non facit, sed licita est. Et sic vsurarius mentalis est, qui intendit ex mutuo aliquid vltra sortem non gratuitè dandum, aliter non mutuaturus.

¶ Quamuis autem propriè loquendo duplex tantùm sit vsurarius mentalis (de quo est quæstio) extenso tamen vocabulo triplex inuenitur. Primus est, cui lucrum speratum succedit modo sperato: id est non gratuitè, sicut & ipse sperabat non gratuitè sibi dandum. Secundus est, cui lucrum speratum succedit non modo sperato, sed meliori: quia scilicet lucrum quod sperabat ex obligatione dandum, gratuitè sibi datum est. Tertius est, cui lucrum speratum datur propter aliquam tacitam eius petitionẽ.

Et quia vsurarius tertio modo, est non purè mentalis propter exteriora signa, quibus tacitè petit aliquid vltra sortem ex mutuo, & hoc parum differt à perfecta vsuræ ratione, quo pacto aliquid plus exigitur: & ideo de hoc non est præsens quæstio, constat enim talem teneri ad restitutionem. Quia etiam vsurario mentali primo modo lucrum, quod datur, nõ datur omnino volũtariè, & praua intentione ab eo speratur, communiter & bene dicitur etiam talem teneri ad restitutionem. Sed de vsurario secundo modo (cui scilicet gratuitè donatur, quod praua intentione speratur) diuersa doctorum videtur esse opinio. Ioan. And. in Mercurialibus, regula, pactum, Inno. Host. & Panor. in ca. consuluit de vsuris, & gl. in ca. mandato. de simonia: dicentibus talem obnoxiũ restitutioni. Richardo verò & Scoto in 4. di. 15. cum sequacibus hoc negãtibus. Et illorum quidem ratio duplex est. Prima, quia omne lucrum vsurarium est lege vtriusq; testamẽti prohibitum, & restituendum indistinctè à Theologis dicitur. Constat autem tale lucrum, quamuis dono datũ esse vsurarium ex eo quòd mutuũ fuit vsurarium ex prauitate intentionis. Secunda: quia contractus à principio vitiosus effectum sortitur vitiosum, contractus autem talis mutui est vitio vsuræ deprauatus ex intentione lucri consequendi, ergo effectum inde secutum, scilicet lucrum dono datũ, vitiosum necesse est esse, & cõsequẽter restitutioni obnoxiũ. Istorum autẽ ratio super donatione libera illius lucri fundatur, adstruũtque hoc exemplo furti mentalis, dicentes. Si alicui intẽdenti furari aliquid, illud a domino, donetur, licitè accipitur absque obligatione ad restituendum. Simile enim quid patet accidere in vsurario mentali: intendit namque iniustè habere lucrum, melius tamen sibi succedit, quia donatur. Dicentium quoque vsurarium mentalem teneri ad restitutionem, alij asserũt restituendum esse ei, qui donauit: quia regula est, quòd lucrum vsurarium reddẽdũ est ei a quo habitum est. Alij autem affirmãt dãdum esse tale lucrum pauperibus, non illi qui dedit: quoniam ex quo sponte dedit, repetitionis ius a se abdicauit: ex quo verò vsurarius iniustè accepit, retinere illud nõ põt, ac ꝓ hoc pauperes Christi succedũt.

¶ Et qm̃ (vt ex inferius dicendis patet) opinio dicens talem vsurarium non teneri ad restitutionem, veritatem assequitur: ideo declaranda sunt tria. Primò, quòd non tenetur restituere illi, qui dedit, secundò, quòd non tenetur restituere pauperibus: tertiò quòd absolutè non tenetur restituere. Primum declaratur sic: Restitutio secundum communem Theologorum doctrinam non ideo est necessaria, vt ab illo qui lucratus est, lucrum auferatur: sed in commutationibus inuolũtarijs, vt dãnũ passo satisfiat, & in cõmutationibus voluntarijs, vt illi qui minus habet, quàm debet habere, reddatur quod est sibi debitum. Sed in casu proposito ille qui dedit nec est damnũ passus: quia nullus patitur iniustum volens, nec minus habet, quàm sibi debeatur: quia liberè donauit: donum autem est datio irredibilis: ergo sibi non est restitutio facienda. Secundum declaratur dupliciter. Primò, quia (vt patet ex Theologis in 4. sen. di. 15.) duo sunt genera lucri illiciti, pauperibus erogandi, Alterum prohibitum secundum se, vt simoniacum, &c. Alterum prohibitum secundum suam cãm tantùm, vt meretricium. Constat autem lucrum propositum nec esse prohibitum secundum se (quia datio non est iniusta, quum sit libera donatio) nec secundum suam causam: quia supponitur liberè & spõte hoc donari, & non ex obligatione mutui accepti, ergo nulla rõne pauperibus est erogandũ.

Lucrum meretricium, ac simoniacum pauperibus distribuenda sunt.

Secũdò, si pauperibus erogandũ esset, hoc nõ esset ob aliud, nisi propter iniustã accipientis intentionem: sed ex hoc non sequitur obligatio ad restituendum: ergo. Declaratur minor: quia suscipiendo illud lucrum secundum veritatem dono datum, aut credit illud donari: & tunc patet etiam receptionem esse iustam, quãuis prima mutuantis intentio fuerit praua, & adhuc perseueret, sicut quòd etiam si nõ donaretur vellet aliquid lucri. Aut credit illud non donari, sed malè libenter sibi dari: & tunc quum secundum veritatẽ illud donetur, & donum licitè accipi possit, iste iniustè accipit non ideo, quia agat cõtra aliquod ius, sed quia agit cõtra cõscientiam dictãtem sibi quòd receptio hæc sit iniusta: quum (vt dictum est) secundum veritatem sit iusta secundum se, & in promptu sit, vnde possit discerni, quòd iusta sit: ex eo nanque quòd nec directè, nec indirectè ipse aliquid petijt, & ille sponte offert, conijcere poterat quòd libera donatio erat. Ex hoc autẽ solo, ꝙ acceptio est contra conscientiã nulla ratio suadet nasci obligationẽ ad nõ retinendum illud acceptum, nisi durante tali conscientia: potest nanque postmodum conscientia erronea deponi, & incipere iustè possideri, quod cũ peccato retinebatur. Si autem talis conscientia deponi non posset ab aliquo, reddẽdũ esset non pauperibus, sed illi qui dedit: quia non est acceptata donatio, quam nõ credit esse. Aut neutrum credit, vel quia non cogitat, vel dubius est: & tunc quicquid sit de peccato, eisdem rationibus habetur, quòd ad restitutionẽ nõ tenetur: quũ non sit deterioris conditionis in hoc tertio casu, quàm in secundo. Tertiò autem declaratur soluendo simul rationes alterius opinionis. Vbi scito, quòd aliquod esse lucrum vsurario dupliciter contingit, scilicet per se, & per accidens. Vsurarium per se, integratur ex duobus: quorum secundũ sequitur ex primo, scilicet ex eo quòd est pretium rei iam solutæ vel non extantis, & ꝙ est aliquo modo inuoluntariũ. hæc em̃ est natura vsuræ, vt patet exercitatis. Vsurariũ aũt per accidẽs est, qd secũdũ se has nõ habet cõditiões, sed secũdũ ꝙ stat sub intẽtione vel opinione alicuius, & ꝓpterea contingit esse volũtariũ, ac ꝓ hoc nõ esset vsurariũ, secũdũ ꝙ vsurariũ lucrũ species est lucri inuolũtarij. Quum autẽ restitutio ex natura lucri nascat, quod secũdũ se alteri debitum

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, vt reddatur: quia est actus iustitiæ commutatiuæ: cuius terminus & obiectum est id quod secundum se est iustum, quod opponitur iniusto secundum se, nō secundū accidens (consequens est, quòd lucrum vsurarium per accidens non est restitutioni obnoxium, sed tantū lucrū secundum se vsurariū. Et quia in casu proposito lucrū perceptū nō est vsurariū per se (quia nec datur pro mutuo nec inuoluntariè, sed ex affectu gratuito sponte donatur) sed es vsurarium per accidēs propter intentionem, scilicet corruptam suscipientis: consequens est quòd tale lucrum non sit restitutioni obnoxium. Et quoniā scientia est de his, quæ sunt per se: ideo sermo Theologorum dicens indistinctè vsuram esse restituendam, intelligitur de vsura per se, nō per accidēs, qualis est in proposito. Lucrū siqdē vsurarium per se est effectus ipsius praue intentionis adiunctæ mutuo, & datur non omnino voluntariæ. Quod autem sponte dono datur, quamuis ex praua intentione suscipientis vsurarium per accidens fit, non illius prauæ intentionis effectus est, sed ex gratuito affectu donantis procedit: & ideo restitui non oportet.

ET PER HOC Idem fundamentū patet responsio ad obiecta in principio: quia licet vsurariū per se sit alienum, non tamen vsurarium per accidens, quale est istud. Decretalis quoque illa de lucro vsurario per se intelligenda est, non de eo quod est per accidēs. Mediolani, die 8. Aprilis. 1500.

QVAESTIO IIII.

Vtrùm omnia bona vsurarij sint obligata eis, à quibus vsuræ extortæ sunt.

QVAERITVR Vtrū omnia bona vsurarij sint obligata eis, à quibus vsuræ extortæ sunt.

¶ Et videtur quòd nō. Quia obligatio realis transit cum re: si multæ res vsurariæ possunt alienari absque aliqua obligatione eas comitante: vt patet de bonis patrimonialibus: non ergo omnia bona vsurarij sunt obnoxia vsuris reddendis.

¶ Præterea, Si oia vsurarij bona essent obligata, nec gener vsurarij posset accipere rem ab eo qui habet alias, vnde posset restituere, nec aliquis posset aliquid ab eo emere simpliciter: & creditoribus competeret actio super illis rebus: & sic multi illaquearētur etiam bona fide incedentes. Hæc autem omnia absurda sunt: ergo, &c.

IN OPPOSITVM Est glossa, extra de vsuris in c. tua nos, & in 6. in cap. quanquam.

CONCLVSIO.

Quamuis bona vsurarij per vsuram extorta, sint obligata eis à quibus extorta sunt reali obligatione: cæterum verò eius bona alio quocunque modo habito, sunt eidem obligata personali obligatione.

RESPONDEO In hac quæstione sunt duæ opiniones: vt refert Panormita, extra de vsuris in cap. quum tu. & in c. tua nos. Cōmunis siquidem antiquorū canonistarum opinio fuit, q̄ omnia bona vsurarij sunt tacitè obligata eis, à quibus vsuræ exortæ sunt. Ioānes autem And. & Host. & ipse Panormi. & moderni tenēt oppositum: quia nullo iure probatur talis obligatio, quia aliter multi illaquearentur.

¶ Sed, si diligenter considerauerimus, inueniemus vtrāque opinionem aliquo modo verum dicere. Sciendum est ergo triplicia bona posse habere vsurariū, scilicet extorta per vsuram, & empta ex pecunia vsuraria, & alia quæ omnino munda sunt ab vsuris, puta patrimonialia. Obligatio quoque alicuius rei est duplex, realis & personalis. Obligatio realis est, quæ conuenit rei ex iure, quod habetur super re illa particulari. Obligatio verò personalis in proposito est, quæ conuenit rei non ratione sui, sed ratione personæ, cuius est. Differunt autem hæ obligationes tripliciter. Primò in radice iam tacta: quia, scilicet realis oritur ex ipsa re, quæ alteri obnoxia est: vt patet de re furto ablata. Personalis verò redundat in rem ex persona domini obligati ad satisfaciendum, puta ad reddendū creditoribus 1000. ducatos, quos accepit. Secundò: quia realis semper comitatur rem ad quemcunq; & quocunq; res transeat: vt patet de re rapta: personalis verò non semper comes est rei, sed quandoq; res liberatur ab illa obligatione, perseuerante tamen obligatione in domino eius. Quum enim domus, verbi gratia, non est obligata creditori, inquantum hæc res, sed inquantum est debitoris, statim vt desinit esse debitoris, desinit esse obligata: cessat enim obligationis ratio. Ex hoc autem differunt tertiò, quia res obligationem realem habens annexam, nec vendi, nec emi aut quocunque alio modo alienari liberè potest, obligata autem ratione personæ, alienari libere potest, quandiu apud personam illam remanet vnde creditori satisfacere possit. Patent autē hæc in bonis furis, non tamen furto ablatis, & in cæteris debitis.

¶ His igitur stantibus deduco duo. Primò, quòd bona per vsurā extorta sunt obligata eis, à quibus extorta sunt obligatione reali. Secundò, quòd bona cætera siue empta ex pecunia vsuraria, siue non, sunt obligata vsurario obligatione personali, non reali. Primum patet ex eo, quòd vnaquæque res occupata ab altero habet realem obligationem ad dominum suum: sed res per vsuram extortæ occupantur ab vsurario absque translatione dominij: vt aliàs diffinitum est: ergo sunt reali obligatione obnoxiæ eis, à quibus extortæ sunt. Confirmatur quoque hoc ex iure fructuum. Res enim ex sui natura non fructificans possessori, sed alteri, illius alterius actioni reali subiecta est in alioquin enim ex sui natura non fructificaret illi: sed res per vsuram extortæ si fructificant, non vsurarijs sed illis, à quibus extortæ sunt, fructificant, non ex aliquo pacto aut contractu superaddito, sed ex natura rerum: vt patet: ergo. Secundum verò quo ad omnes partes à Sanct. Thom. quoque in Secunda Secundæ, quæstione 97. articul. 3. ad secundum, habetur: & ratione probatur. Quòd enim non sit in eis obligatio realis, patet ex eisdem medijs negatiuè sumptis: quia scilicet talium bonorum vsurarij sunt verè domini, & eis fructificant. Quòd verò personalem habeant obligationem annexam, patet & ex eo q̄ passi vsuram habēt actionem super omnibus bonis vsurarij, si vsurarius soluere renuit, sicut quilibet alius creditor: non enim deterioris est conditionis is, cui vsura restituenda est, alijs creditoribus. Et ex eo quòd secundum theologorum sententiam filiam illius, cuius bona non excedunt vsuras reddendas, nullus potest tuta conscientia vxorem accipere cum dote: hoc autem nulla alia ratione dicitur, nisi q̄a supponitur omnia bona illius obligata esse eis à quibus vsuræ extortæ sunt. Et sic tam antiquorum: quam modernorū opinio saluari potest, vt illorum sermo de personali, horum verò de reali obligatione accipiatur.

AD OBIECTA Verò, quamuis ex dictis possit patere responsio: quidam tamen vnicā distinctionem addēdā cēsent, scilicet de titulo lucratiuo & oneroso dicentes quòd si bona vsurarij transeunt ad alterū titulo oneroso (puta emptione vel dote, &c.) quòd trāseunt absque obligatione aliqua: si verò transeūt titulo lucratiuo, quòd remanent obligata. Alij verò huic distinctioni aliā superaddunt de bonis emptis ex pecunia vsuraria, & bonis aliter habitis: & credunt distinctionem illam de duplici titulo locum habere in bonis emptis ex pecunia vsuraria: & hoc ex officio iudicis, & non in alijs bonis.

¶ Et quoniam nulla necessaria ratione hæc firmare videntur, dicendum est sequendo Theologos (quorum est de vsura determinare) quòd loquendo de bonis non per vsuram extortis, sola temporis distinctio consideranda est, scilicet quòd aut tempore, quo res vsurarij ad me deuenit, quocunque titulo, vsurarius remanebat potens, ad restituendum, aut non. Si remanebat potens, res transit absque aliqua obligatione: si remanebat impotēs, transit cum obligatione. Et sic ego teneor ad satisfactionem pro illa parte, quocunque titulo ad me res deuenerit: & mihi imputandum est, si ab illo emi, vel dotem accepi, cuius erant tot debita, quòd adæquabant vel excedebant bona propria. Nec distinguo inter empta ex pecunia vsuraria & alia bona, quoniam idem esse iudicium de eis & de alijs ratio suadet, ex quo verè habet eorum dominium & fructus: & S. Tho. vbi suprā, dicit hæc sicut alia bona obligata esse. Et ideo in decret. cum tu, extra de vsuris, Alex. 3. non mandat ipsa restitui, sed vendi vt pretium habeatur, ex quo possint vsuræ reddi. Mediolani die 14. Aprilis, 1500.

QVAESTIO V.

Vtrùm altero hærede vsurarij non potente restituere, alter teneatur in solidum.

Quæ

QVAERITVR Vtrùm altero hærede vsurarij non potente restituere, alter teneatur in solidum.

¶ Et videtur quòd sic. Primò: quia hoc sentit glo. in cap. tua nos: de vsu. & eam cōmuniter sequuntur doc. vt Panor. ibidem dicit.

¶ Secundò: quia filij tenentur ad restitutionem sicut parentes sui si viuerēt: vt in prædicta decre. dicitur: sed parentes tenerentur secundum totam faculatem suam: ergo filij tenentur secundum totam hæreditatem: sed absque consumptione mediæ hæreditatis quandoque restitutio integra fieri potest: vt patet in magna hæreditate & paucis paruisque vsuris, ergo altero hærede non soluendo alter tenetur in solidum.

IN OPPOSITVM Est generalis regula soluendorum debitorum, scilicet quòd hæredes tenentur secundum hæreditatis portiones tantùm.

CONCLVSIO.

Altero hærede vsurarij non potente restituere, alter minimè tenetur in solidum.

RESPONDEO Quòd canoniste (vt allegatum est) tenent partem affirmatiuam: aut quia credūt omnia bona vsurarij esse tacitè obligata eis, à quibus vsuræ extortæ sunt, ac per hoc quilibet hæres tenetur ratione hæreditatis obligatæ: aut quia putāt hoc esse practicādū in fauorem defuncti, vt eius anima citius liberetur, quamuis non credant de iuris rigore esse necessariū. Mihi autem secundum Theologalia principia videtur oppositum: & ratio est, quia sufficit restituere simplū quod simplum ablatum est. Constat autem, q̄ in diuisione hæreditatis admixtæ vsuris diuiditur simul & æs alienū: ac per hoc secundū portiones hæreditatis fiūt & vsurarum, vt, scilicet succedens in duabus partibus hæreditatis, suscipiat etiam duas partes lucri vsurarij, &c. Si igitur vnus restituere vult, tat est quod tantum reddat quantū hæreditauit: vel vt melius loquar, quantum hæreditasset secundum propriam portionem hæreditatis. Dico autē hoc, q̄a etiam si nihil vsurarum ad hæredem peruenit, nihilominus tenetur secundum portionem hæreditatis, quia personam patris induit secundum suam portionem, & consequenter eius obligationem participat. Et confirmatur, quia nullus tenetur ad restituendum plus quā obligetur: sed obligatio paterna diuiditur in hæredibus proportionaliter, sicut hæreditas: quemadmodum & ius exigendorum: non ergo tota obligatio ad alterū transit hæredem, & consequenter non tenetur in solidum.

Nec obstat si dicatur, quòd regulariter hæredes vsurarij tenētur secundum hæreditatis portiones: sed in casu, quo alter efficitur impotens ad soluendum, & vires hæreditatis in altero sufficiunt, alter tenetur in solidum. Hoc enim esse voluntarium ex eo patet, quòd quum ex iure successionis & hæreditatis perceptæ manifestum sit, non teneri nisi secundum portionem hæreditatis, ex hoc quòd alter in mora restituendi fuit, non debet alter grauari: alioquin sequeretur, quòd si alter hæres in principio successionis, secundum portionem suam restituisset, altero nolente satisfacere, & postmodum impotente redditto, quòd ille innocens tunc teneretur satisfacere etiā pro portione cohæredis: quod est manifestè absurdum & contra rationē: quia quum hæreditas secundum iustitiam adeunda sit, deducto ære alieno, cōsequens est quòd ille qui portionem hæreditatis sibi debitā percipit, pro portionaliter satisfacturus quo ad æs alienū, etiam secundum iuris rigorem nullo reatu adstrictus remaneat. Nō ergo tenetur alter in solidum cohærede in impotente effecto: & hoc per se loquendo: posset enim per accidens contingere, quòd teneretur in solidū, si in diuisione, aut successione hæreditatis induxisset cohæredē ad retentionē vsurarū.

¶ Rationes autem alterius opinionis facilè soluuntur: quum enim obligatio omnium bonorum vsurarij ad vsuras restituendas non sit realis, sed ratione personæ (vt superius dictum est) consequens est quòd diuisa persona vsurarij in hæredes, diuisa quoque proportionaliter transeat ad hæredes obligatio illa: ac per hoc nullus hæres tenetur ex hoc, nisi secundū suā portionē. Et nota q̄ obligatio illa bonorū quodāmodo augēt, & quodāmodo minuitur in diuisione hæreditatis. Minuitur quidē pro quāto diuiditur sicut hæreditas. Augetur verò pro quāto singulæ partes illius obligationis singulos hæredes sic afficiunt, vt transeant in oia eorū bona, etiam aliū de habitas ita quòd omnia bona cuiusque hæredis vndecūq; illa adueuerint, sunt obligata ratione personæ ad satisfaciendū pro illa parte obligationis, ex quo illam obligationem in se semel hic hæres suscepit, hæreditatem adeundo. Hæc enim est natura tacitæ obligationis bonorū ratione personæ, vt omnia bona illius inquantum illius sunt, non absolutè afficiat. Practica autem quæ in fauorem animæ creditur exercenda, nullum fundamentum iustitiæ habet, sed eleemosynariæ largitatis tantùm: nō enim debet cogi aliquis ad id, ad quod non tenetur.

AD PRIMVM Ergo horum, quæ in principio obiecta sunt, dicitur quòd quum glos. fundetur super obligatione totius hæreditatis ad restitutionem vsurarum, & ex hoc non sequatur conclusio sua, scilicet quòd alter teneatur in solidum, admittenda nō est glossæ autoritas, nulla sufficienti ratione fulta, sed sola turba sequacium.

De qua non est curandum: quia voluntariè sequuntur glossam, negando eius fundamentum (vt moderni) vel errant in fundamento, vt antiquiores: quemamodum in præcedenti quæstione dictum est.

¶ Ad secundum verò dicitur, quòd filij tenētur, sicut & pater, obligatione scilicet personali omnium bonorū suorum. Sed in hoc est differētia, quòd pater est tota persona, ac per hoc habet totam obligationem: quilibet autē hæres est pars illius personæ & consequenter partem tantùm obligationis subit: & ideo quemadmodum viuente patre omnia sua bona erant tacitè obnoxia ratione personæ eis, à quibus extortæ sunt vsuræ quo ad omnes vsuras extortas: sic diuisa hæreditate cuiusque hæredis bona omnia sunt tacitè obligata ratione personæ eisdem quo ad partem vsurarum iuxta portionem hæreditariam. Nec aliud potest concludi ex decretali illa. Mediolani die, 18. Aprilis, 1500.

DE PETITIONE LVCRI cessantis.

QVAESTIO VI.

Vtrùm quando licet petere damnum lucri cessantis, possit peti totum lucrum cessans.

QVAERITVR Vtrùm quando licet petere damnum lucri cessantis, possit peti totum lucrum cessans.

¶ Et videtur quòd sic. Primò, q̄a hoc videtur decisum in ca. nauigantes. de vsuris in fine, vbi excusatur vēdens rem seruandam tanti, quanti vendenda cteditur tempore statuto: hoc enim nihil aliud est, quam totū lucrum speratum in futuro ex nunc percipere.

¶ Præterea, Secundum doctores creditor post morā debitoris potest petere interesse lucri cessantis: sic q̄ potest petere tantum quantum verisimiliter ille lucratus fuisset cum illa pecunia, si est mercator industrius. Hoc autē est totum lucrum cessans petere, ergo.

IN OPPOSITVM Est differentia inter interesse damni emergentis, & lucri cessantis: quia illud est æqualiter compensandum, hoc autem non.

CONCLVSIO.

Quamuis nonnunquam liceat petere damnum lucri cessantis, non tamen licet totum petere, dum illud actu minimè adest.

RESPONDEO, Quòd quia contingit scire in vniuersali, & ignorare in particulari. 1. Poste. ideo quum communis animi conceptio & Theologorum & Canonistarum sit, quòd inter habere aliquid in actu & habere illud in potentia multum refert, sic magna debet esse differentia inter recompensationem eius, quod habetur in actu, & illius quod possidetur in potentia. Contingit tamen, quosdam non aduertentes, quòd lucrum cessans sit de numero eorum, quæ habentur in potentia, & veritati & sibijpsis contradicere, dum asserunt posse peti totum lucrum cessans, quando damnum lucri cessantis recompensandum venit. Manifestè siquidem patet, lucrum cessans nondum actu haberi, sed in potentia tantùm esse, vel fuisse: ac per hoc multipliciter possibile impediri, vnde absque dubio quamuis licitū sit quandoque petere damnum lucri cessantis, non tamen est licitum petere totum lucrum cessans, sed secundum propinquitatem & elon-

Universidad de Deusto Biblioteca

gationem potentiæ ab actu, & alias particulares circumstantias ad arbitrium boni viri recōpensatio faciēda est.

AD PRIMVM Ergo in oppositum dicendū, quòd decretalis illa non habet rationem lucri cessantis, sed temporis, pro quo res venditur. Quum enim regulare sit, quòd precium rei venalis statuitur secundum tempus, pro quo fit venditio non in quo ille, qui erat seruaturus suas merces: & tamen nunc vendit, supponitur ꝙ vēdat pro tempore, pro quo intendebat vendere tunc: nunc verò contractum celebrare cum rei exhibitione: & ideo potest vendere quanti creditur tunc vendenda. Quamuis etiam Decretalis hoc non dicat: sed solùm ꝙ potest vendere amplius, quàm tempore contractus valeat.

¶ Ad secundū dicitur, quòd doctores illi imitandi in hoc non sunt, quia sibijpsis etiā contradicunt. Vnde in multis particularibus casibus (quos hîc non oportet enumerari) quando doctores dicunt, quòd licet plus for[illegible] accipere ratione interesse, quia negationibus licitis aut agris emendis pecunia exposita esset, nō intelligas, quòd liceat petere tantum, sed aliquid ad arbitrium sapientum. Mediolani die, 24. Aprilis, 1500.

TRACTATVS NONVS

De Simonia in tres Quæstiones diuisus.

1 *Num emptio ecclesiasticorum beneficiorum sit simoniaca, quia prohibita, vel prohibita, quia simoniaca: hoc est, vtrùm sit in eorum emptione simonia de iure diuino, aut positiuo.*

2 *Num emens & acquirens episcopatum, non intendendo soluere promissam pecuniam, sit simoniacus.*

3 *Num vacante sede, & quærentibus omnibus pontificatum per fas & nefas propter ambitionem & auaritiā, & ecclesiæ ruinam, liceat viro probo & digno quærere pontificatum, adhibendo promissiones, & exhibendo temporalia & beneficia, &c. pro suffragijs propter hunc finem, vt in sede positus ecclesiæ prosit, & illam reformet.*

QVAESTIO PRIMA.

Vtrùm emptio beneficiorum ecclesiasticorum sit simoniaca, quia prohibita: vel prohibita, quia simoniaca: hoc est, vtrùm sit in eorum emptione simonia de iure diuino, aut positiuo.

QVAERITVR Vtrum emptio beneficiorum ecclesiasticorum sit simoniaca, quia prohibita: vel prohibita, quia simoniaca: hoc est, vtrùm sit in eorum emptione simonia de iure diuino, aut positiuo.

¶ Videtur enim quòd sit iuris positiui. Primò: quia titulus præbendæ annexus est ecclesiasticis ordinibus a iure positiuo, vt patet ex eo quòd in primitiua ecclesia erant pastores & ordines absque præbendis: imò vsque ad Vrbanum primum Ecclesia Romana dicitur absque reditibus vixisse.

¶ Secundò: quia quandocunque sunt duo coniuncta, alterum spirituale & alterum tēporale: emere illud totum ratione temporalis non est illicitum secūdum se, vt patet de vasis sacris, & decimis, &c. sed in beneficijs est vnum spirituale (puta ordo aut cura animarum) & alterū temporale, scilicet præbēda: ergo licet hæc emere ratione præbendæ: sed omnes, qui emunt, non nisi ratione præbendæ emunt: ergo nullus committit simoniam, nisi forte agat contra ius positiuum.

IN OPPOSITVM Videtur communis Theologorum sententia.

IN HAC QVAESTIONE Tria agēda sunt. Primò ponentur opiniones. Secundò, examinabuntur. Tertiò, respondebitur obiectis.

CONCLVSIO.

Emptio beneficiorum ecclesiasticorū, quæ clericatui sunt annexa, & non solùm illorum, quæ habent clauium administrationem, vel ordinis executionem, est prohibita, quia simoniaca, & non simoniaca, quia prohibita.

QVO AD PRIMVM Tres sunt hic opiniones, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema est, quòd simonia in beneficijs vniuersis est tantum prohibita iure positiuo. Et consequenter quum papa sit supra ius positiuum, ipse non solùm censuras, sed peccatum euadit simoniæ vendendo ecclesiastica beneficia: quamuis non euitet peccatum scandali & acceptionis personarū in huiusmodi. Et hanc opinionem sequuntur gloss. in capit. ex parte. de officio deleg. & ibidem Ant. de But. Imo. & Cardinalis in cap. primo de Simonia. Secunda opinio extrema est, quòd simonia in omnibus beneficijs ecclesiasticis est prohibita iure diuino, ac per hoc, quum Papa diuino subdatur iuri, peccatum simoniæ incurrit hæc vendendo, quamuis iuris positiui pœnas euadat. Et hanc videntur communiter Theologi sequi. Ratio huius opinionis ponitur à S. Tho. in Secunda Secundæ. quæst. c. articul. 4. quia scilicet beneficia ecclesiastica non possunt esse sine spiritualibus antecedentibus & causantibus ipsa. Ex hoc enim sequitur, quòd venditis præbendis etiam spiritualia venditioni subijciantur. Tertia autem opinio media est, quòd simonia in beneficijs quibusdam est prohibita iure diuino, & in quibusdam iure humano. In habētibus siquidem administrationem ordinis, vel executionē clauium, simonia prohibetur diuino iure: in non habētibus autem horum (vt sunt administrationes hospitaliū, &c.) simonia iure tantùm humano committitur. Et consequēter in illis Papa inuoluitur vitio simoniæ si vendit, in istis non. Et hæc est opinio Panormi. in c. primo de simonia. & in repetitione: qui verò in ca. extirpandæ. de præb.

Et fundatur hæc opinio super duobus. Vnū est, quòd ordo est de iure diuino: quod probat, quia erat in veteri testamento. Alterum est, quòd in connexis vendito vno, venditur reliquum. quod probatur infra, q. 3. si quis obiecerit. Ex his enim arguit, quòd in horum venditione venditur executio ordinis: ac per hoc quodāmodo ordo ipse, quod est in se simoniacum. Nec potest dici, quòd annexū temporale tantùm vendatur: quia neutrum inuenditum relinquitur. Hæc de primo.

QVO AD SECVNDVM, Quia omniū opinionū rationes ex duobus pendent, scilicet distinctione eius, quod est ex iure positiuo ab eo, quod est ex iure diuino, & connexione eorum: ideo tria sunt perscrutanda. Primò, quid in his ecclesiasticis beneficijs sit ex iure diuino, & quid ex iure positiuo. Secundò, an id quod est in eis ex iure positiuo, sit venale. Tertiò, an connexio talis efficiat, vt vno vendito, vtrunque necessariò vēdatur. Ijs enim elucidatis, opiniones omnes radicitus examinatæ erunt, & veritas simul totius quæstionis apparebit.

¶ In ecclesiastico beneficio duo sunt: clericatus ad munus, & præbendæ titulus. Clericatum esse ex iure diuino constat, tamen ex eo quòd clericatus nihil aliud est, quàm addictio ad ministrandum sacrificijs diuinis: vnde & à sorte nomen accepit: quia in sortem Domini, qui clerici sunt, electi sunt. Fuerunt enim omni tempore clerici. Ante legem quidem primogeniti clerici erant: vnde & primogenituræ ius sacrum erat. Sub lege autem tota tribus Leui sanctificata est ad diuina officia. Tum ex eo ꝙ spirituale quoddam est, omnis enim clerici officiū in spiritualibus actibus consistit: vt patet discurrenti. Vnde in prima tonsura ex vtraque parte præcisio corporalis in capite fit: scilicet secundum partem superiorem, in qua fit tonsura: & secundum partem inferiorem, per quatuor singulos, in qua inciduntur capilli, ad significandum, quòd à temporalibus vndique præcisi, ad superna, quæ spiritualia sunt, ministri deputantur. Tum autoritate Sanct. Tho. in Secunda Secundæ quæstio. c. arti. 4. qui officium clericale non spirituali annexum, sed spirituale esse à Deo dicit, vt ideo beneficium ecclesiasticum spirituali annexū censeatur, quia clericali officio coniunctum est. Spiritualium autem autor Deus est, quamuis ex institutione ecclesiæ sit modus faciendi clericos. Et ex hoc patet quòd opinio Panormitæ diminuta est, enumerando executionem ordinis & clauium, & prætermittendo officium clericale. Quāuis enim in spiritualibus sint gradus, & ordo sit sp̄ualior clericatu, & claues sint magis spirituales multis ordinibus, omnia tamen in spiritualiū genere sunt: & omnia inuendibilia sunt: quia totum genus spiritualium est materia repugnans venalitati, vt pulchrè in eadē quæstio, art. 1. ostendit san. Tho. Est ergo in omnibus ecclesiasticis beneficijs vnum spirituale & omnino inuendibile, scilicet officium clericale.

Clerici omni tempore fuerunt.

¶ Alterum verò, scilicet præbendæ titulus multa in se continet. Præbenda enim duo dicit: scilicet stipendiū clericale, & certam determinationem talis stipendij secundū quantitatem (puta 1000. ducatorum) secundum tempus (puta annuum) secundum locum: puta ex fructibus talis territorij, &c. Et consequenter in præbēdæ titulo possunt considerari quatuor: primò ius stipendij: secundò stipendium: tertiò ius talis & tanti stipendij in tali loco, &c. & quartò ipsum tale & tantum stipendium ibi, &c. De quibus sigillatim est dicēdum. Ius stipendij proculdubio ex diuino est iure & spirituale: quia eo ipso est, quo officium clericale. Ex hoc enim quòd aliquis diuinis est addictus ministerijs, ius habet vt sustētetur à populo, pro quo Deo ministrat. Vnde si sacerdotibus Aegypti ex publico prouidebatur, vt dicitur Gen. 47. & tribus Leui, quia ius hoc habebat, partem inter fratres suos non accepit, & vt dicitur. 1. Corin. 9. Qui altari deseruiunt, de altari participant: & rursus, Quis militat suis stipendijs vnquam? Stipendium verò ipsum tēporalis res est, sed diuino iure debitum, vt probatum est: iniquum quippe esset, vt assistentibus Deo pro nobis, & opportuna non daremus. Ius autem talis aut tanti stipendij, ex iure prouenit positiuo, si tale ius à primo iure aliud est: si enim idem est cum primo, quum primū sit ex diuino iure & spirituale, hoc quoque erit ex diuino iure & spirituale. Quòd autem non sint duo iura (vnum scilicet respectu stipendij, & alterum respectu quantitatis & qualitatis stipendij) sed vnū tantū, probatur dupliciter: ratione scilicet, & autoritate. Ratio est. Quia ita se habet ius clericale ad beneficium ecclesiasticum, quemadmodum ius sacerdotis ad curam habētem animarum: imò magis & arctius cōiungitur ius clericale cum præbenda, quam ius sacerdotis, cum animarū cura: quia ibi est ratio debiti: hîc non. clerico enim debetur stipendium, sacerdoti autem non debetur cura animarum. Sed sic est, quòd per hoc quòd sacerdoti ex iure positiuo datur cura talis ecclesiæ, aut autoritas audiendi confessiones, non confertur ei nouum ius, sed iuri, quod habet à Deo, determinatur ab ecclesia materia, circa quam operatur. Non enim sacerdos parochialis habet duas autoritates (alteram à Christo, & alteram ab ecclesia) sed vnam tantum à Christo, qua sacerdos potest absoluere & ligare indeterminatè. Et quum ab ecclesia determinatur, quòd personæ talis loci, aut voluntariè subijciantur, ei potestas illa determinatam iam habens materiam potest exerceri, quæ prius ex defectu propriæ materiæ exerceri non poterat: ergo à fortiori per hoc, quòd clerico confertur certa præbenda, non confertur ei nouum ius, sed determinatur, iuri quod à Deo habet certa possessio. Ita quòd ius clerici à Deo est indeterminatum, nec magis exigit hoc quàm illud stipendium: sed ecclesia dando certos reditus, determinat illud, assignando illi propriam materiam. Vnde non sunt duo iura in clerico respectu beneficij: sed vnum tantum, & à Deo indeterminatè datum quo ad materiā, & ab ecclesia postmodum determinatum. Et confirmatur hæc ratio ex multis similibus: scilicet præcepto de sanctificatione festorum & de confessione facienda, & decimis soluendis, &c. Hæc enim omnia ex iure diuino sunt indeterminata, & ab ecclesia sunt quo ad determinationem temporis, quantitatis, modi, &c. Et tamen non sunt duo præcepta de custodiendis festis (vnum ex iure diuino & alterum ex iure positiuo) sed vnum tantùm de iure diuino indeterminatè, & ab ecclesia determinatum, & similiter est de alijs. Quemadmodum ergo in præceptis indeterminatè datis à Deo & determinatis ab ecclesia, non multiplicamus præcepta. ita in iure indeterminatè à Deo, & determinato ab ecclesia, non multiplicatur ius, sed vnum restat in seipso. Autoritas est sanct. Tho. in quæst. præfata ad tertium: vbi dicit, quòd ius accipiēdi decimas est spirituale. Constat enim idem esse iudiciū quo ad propositum de iure decimarum & præbēdarum: quia vtrobique est aliquid ex iure diuino, scilicet quòd aliquid indeterminatè detur, & aliquid ex iure positiuo: scilicet ꝙ illud aliquid sit decima pars, aut quòd sit tale vel tantū, hîc vel ibi, &c. Si ergo ius decimarum est spirituale, & tamen decima est de iure positiuo, quo ad determinationem (vt patet, & sanct. Tho. expressè dicit in Secunda Secundæ, quæstio. 87. articul. 1.) consequens est, quòd ius præbendæ est spirituale, & de iure positiuo non sit, nisi quo ad determinationem temporis, quantitatis, &c. Eorum igitur, quæ in clerico beneficiato sunt, omnia de iure diuino sunt, nisi quartum, scilicet determinatio stipendij. Ex iure siquidem positiuo à prælatis ecclesiæ actum est, vt annua stipendia, & tantæ quantitatis, &c. in illa aut illa sint ecclesia, & tali ministro applicata sint, &c. Et sic patet primum quod discutiendum erat.

¶ Secundum autem (quid scilicet sit hîc venale, & quid non) ex his facilè haberi potest. Quum enim spirituale venditionis materia esse non possit, & ius omne clericale tam respectu stipendij indeterminatè, quā respectu talis & tāti stipēdij spirituale sit, sequitur necessariò quòd ius præbendæ venale non sit: & si venditur, simoniacum est, non quia prohibitum, sed quia in se est simoniacum: Ipsum autem stipendium seu ipsa præbenda, quum sit purè temporalis res, vendi potest. Vnde sanc. Tho. in præfata quæst. 100. dicit, quòd quum Papa cōcedit decimas militibus, non cōcedit eis ius spirituale accipiendi decimas: sed tantummodo res temporales, quę decimæ appellātur.

¶ Ex his autem patet tertium propositorum, an scilicet connexio ista excludat venalitatem. Est enim hîc duplex connexio: scilicet iuris præbendæ ad clericatum: & ipsius præbendæ ad hunc clericum. Et prima quidem connexio venalitatem omnino excludit: tamen ex natura connexorum, quia vtrunque est spirituale, vt patet ex dictis: tum ex natura connexionis: iā enim patet, quòd ius præbendæ non est connexum, quasi aliena res coniuncta, sed est connexum per identitatē aut quasi identitatem cum ipso clericali officio. Notanter autem dixi, aut quasi identitatem: quoniam fortè ius præbendæ se habet ad clericatum, vt passio ad subiectum, & non vt omnino idem. Vnde sanc. Tho. in quæst. præfata beneficium ecclesiasticum annexum clericatui, & pendere ab eo dixit. Sed in proposito nihil refert: eiusdem enim rationis est, obiectum & passionem vendere, vt Iaspidem & proprietatē eius. Secunda autem connexio venalitatē & cōpatitur, & excludit diuersimodè. Cōpatitur quidē respectu ipsius clerici actiuè: quia pōt ipse vēdere & locare fructus beneficij sui. Excludit autē respectu eiusdē passiuè: quia scilicet nō potest sibi vendi propter duo. Primò, quia vendi non potest res à non domino: nullus autem prælatus, nec summus Pont. est dominus fructuum percipiendorum: reditus enim omnium ecclesiarum quamuis sint Papæ, vt principalis dispensatoris. nō tamen sunt eius, vt domini & possessoris: inquit san. Tho. vbi suprà ar. 1. ad septimum. Secundò, quia cōferendo alicui clerico beneficium, & vendendo sibi fructus percipiendos, nihil aliud est quàm vendere illi executionem propriȩ & spiritualis iuris: paria autem sunt vendere ius & illius executionem. Vnde & duo peccata hîc concurrunt, iniustitiæ, quia venditur clerico quod est suum. prius enim intelligitur habere titulum, qui dicitur gratis dari: & deinde executionem, quæ habentis iam titulum ipso iure est. Et simoniæ: quia vēdi conuincitur exequutio tēporalis iuris.

¶ Ex prædictis autem patet solutio quæstionis. Liquet siquidem ex rationibus adductis, quòd emptio ecclesiasticorum beneficiorum quæ clericatui sunt annexa, & non solùm illorum, quæ habent administrationem clauiū aut executionem ordinis, est prohibita, quia simoniaca, & non simoniaca: qa prohibita: qa emptionis materia est res spiritualis, quæ venalitati omnino repugnat, quod quia non aduerterunt alij domini canonistæ, errauerunt.

Et confirmatur hæc conclusio, quia emens beneficiū, proculdubio intendit emere ius talis prebendæ. Vnde, si Papa vellet sibi vendere fructus absque iure præbendæ, aut non emeret, aut multò minus solueret. Sed ius talis præbendæ est spirituale, sicut & ius decimarum, ergo velint nolint res spiritualis est, quæ vēditur & emitur. Et consequenter simonia, non quia prohibita, sed in se committitur. Hæc de secundo.

QVO AD Tertium. satisfaciendum est obiectis Et ad primum (quod est fundamentum totius erroris) dicitur primò, quòd peccat secūdum nō cām vt causam. Dependentiā nanqꝫ ex iure positiuo non est cā venalitatis, sed negatio sp̄ualitatis, vnde spiritualia, quę ex iure positiuo pendent, venalia nō sunt: vt patet de cōsecratione sacrorum vasorū & vestiū, & de benedictione nuptiarū, &c. Oportet ergo pro fundamento assumere, ꝙ titulus præbendæ est res tēporalis, & nō quia est de iure positiuo vt possit secundum se materia vēditionis esse. Secundò dicitur, quòd aliquid esse de iure positiuo, contingit dupliciter. Vno modo quo ad substantiam rei: vt sunt officia tpalia, & alia huiusmodi. Alio mō quo ad determinationem tantùm. Prima, quia sunt totaliter ab homine, venalia sunt: alia verò, quia secundum spiritualem eorum substātiam sunt, & ab ecclesia tantùm modificationē & determinationē recipiunt, venalitati repugnāt. Rursus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

prima ecclesia potest annullare, vtpote totaliter tota opera secunda verò potest mutare, & aliter determinare. Vnde quamuis in potestate ecclesiæ sit separare à iure clericali determinationē præbendę, quam acceptauit & stauit: si tamen sustinet, ex quo spiritualis iuris determinatio est, vendi non potest. Quemadmodum in potestate ecclesiæ est, subtrahere consecrationem virginum quam determinauit: si tā sustinet, vendi non pōt nisi simoniacè.

¶ Ad secundum etiam dico duo. Primò, quòd loquēdo de iure præbendæ, falsum supponitur quòd sit res temporalis. Secundò, quòd loquendo de ipsa præbenda temporali, distinguendum est de connexione: quia connexio rei temporalis cum spirituali (vt sanctus Thomas ibidem dicit) contingit dupliciter. Vno modo, quòd tēporale se habeat ad spirituale vt ad consequens, ita quòd temporale ordinatur ad spirituale aliquod exercitium, & in his connexum potest vendi ratione temporalis: vt patet de calice. Alio modo vt temporale se habeat ad spirituale, vt ad præcedens, ita quòd temporale oritur & conseruatur ex spirituali, & in his connexum non potest vendi ratione temporalis. Tale autem est beneficium ecclesiasticum: quoniam ex clericatus gradu, quo addictus quis est ministerijs diuinis, ius innascitur præbendæ: & stante illo, præbendæ stipendium debetur diuino naturalisque iure.

Ratio autem diuersitatis huius inter hæc duo connexorum genera assignatur ibidem: quia in istis in quibus temporale dependet ex spirituali intelligitur vendi spirituale, in illis non. Et ratio est: quia paria sunt vendere effectum, & vendere causam eius in fieri & cōseruari (quum ex tali causa omnino pendeat effectus) sed non est par vendere rem & ordinem ad vsum illius, modo præbenda (vt dictum est) pendet ex spirituali in fieri & esse: calix autē, & similia non pendent ex spirituali vsu, ad quem sunt sacrata. Romæ die 28. Decembris, 1504. inchoante.

QVAESTIO II.

Vtrùm emens & acquirens episcopatum non intendendo soluere promissam pecuniam, sit simoniacus.



QVAERITVR Vtrùm emens & acquirens episcopatum, non intendendo soluere promissam pecuniam, sit simoniacus.

¶ Et videtur quòd non. Tum quia peccatum principaliter consistit in voluntate: voluntas autem istius non fertur ad simoniam. Tum quia non sequitur actus completus, traditio, scilicet temporalis pro spirituali.

IN OPPOSITVM Autem est: quia hîc interuenit acceptio spiritualis, scilicet episcopatus ex pactione procedens. & consequenter simonia: vt patet ex diffinitione simoniæ assignata per Host. in titulo de simonia.

AD EVIDENTIAM Huius dubitationis duo sunt videnda. Primò, an secundum rem sit hîc simonia. Secundo, an secundum ecclesiæ iudicium sit hic simonia, sacris canonibus punita & excommunicata.

CONCLVSIO.

Simoniacus is procul dubio est, & puniendus ecclesiastici censuris.

QVO AD PRIMVM, Quum actus exterior ad genus moris non nisi propter actum interiorem spectet, quum simonia vitium morale sit, oportet primò ipsam intus inuentre. Et quum non circa passiones, sed actiones liberas versetur, in voluntate oportet eam primò inquirere. Vnde & in eius diffinitione dicitur, quòd est studiosa voluntas, &c. vbi igitur deest omnino emēdi voluntas, ibi emptio secundum veritatem non est. Sed in proposito casu, hîc non intēdit emere: nulla ergo est secundum rem emptio, sed emptionis tantummodo simulatio.

Et quia emptio & venditio correlatiua sunt, nec claudicare possunt, consequens est quòd nulla sit hic venditio secundum rei veritatem, quamuis sit vēditionis affectus, cum opere subsequuto, ijs quantum est ex parte vendentis. Neque enim intelligi potest, vt vendat quis nulli emēti, quamuis fieri possit, vt velit & credat quis se vendere emere simulanti. Vbi autem nec emptio nec venditio secundum veritatem est, sed secundum apparētiam, ibi nec simonia secundum veritatem est, sed secundum apparentiam tantùm, si de spiritualibus agitur, vt in proposito. Et quoniam pœnæ iuris institutæ sunt contra ipsa vitia secundum veritatem, non secundum apparentiam tantū (non enim apparentes simoniaci, sed simoniaci suspēdunt & excommunicantur: apparentia enim est conditio diminuens, sicut pictura: non autem homo pictus est homo, & ita nec apparens simoniacus) idcirco in hoc casu nulla incurritur censura. Nisi quis dicat propter affectum intentionis cum opere subsequuto, venditorem tanquam simoniacum punitum censuris iuris: ipxta dicta extra de biga. nuper, & cap. a nobis. Sed illud videtur singulare ius: non enim qui facit aliquid quod credit prohibitum censuris excommunicationis & irregularitatis, &c. contemnens illas, incurrit easdem: & tamen in eo est affectus intentionis cum opere subsequuto. Quamuis autem simulator hic à propria simonia & pœnis illius excusetur: non excusatur tamē à peccato mortali multiplici. Primò participationis cum simonia mentali vendentis, dando ad hoc operam efficacem. Secundò infamiæ propriæ: sufficienter siquidem mentitur se simoniacū: quòd si contra proximū ageret, detractionis vitio non careret: quanto magis contra seipsum, quem plus proximo diligere tenetur? Tertiò scandali, manifestè siquidem dat occasionē scādali alijs: vt pater. Quartò mendacij, dum fingit quod non habet in corde: quod est secundum se prauum (vt dicitur tertio Ethi.) nec vlla potest intētione rectè fieri. Quod quamuis veritati pernitiosè opponatur, ac per hoc officiosum videatur secundum tamen veritatem propter prædicta pernicioſum est. Hæc de primo.

QVO AD SECVNDVM, Sciēdum est, quòd non vertitur hîc in dubiū, an in iudicio ecclesiæ staretur testibus, & non excusationi istius simulatoris, quia diceret se finxisse: quoniam liquidum est quòd secundum ea quæ exterius acta sunt, ecclesia iudicaret. Sed quod multis ingerit dubitationem est, quia non est consummatè perfectus actus exterior. Interuenit siquidem hic vltra pactionem datio & acceptio spiritualis: sed deficit datio & acceptio temporalis, scilicet pecuniæ promissæ pro spirituali. Videntur enim canonistæ omnes dicere, quòd ad hoc vt incurratur simonia punita ab ecclesia, requiritur actus exterior, non tantum intentio aut pactio, sed cū intentione & pactione executio: an autem completa vel incompleta, non dicunt quantum vidisse me memini. Sciendum est igitur, quòd tria numerata (scilicet intentio, pactio & executio) ita se habent ad simoniam punitam ab ecclesia, quòd quodcunque horum defecerit, non incurritur verè simonia punita. Si enim intentio deficit, vera simonia non est. Et si intentio est absque alijs, mentalis tantùm est. Et si intentio cum pactione absque executione est secundum Tancre. (vt refert gloss. in capit. tua nos. de simonia) dicetur ista simonia punita: quia sola pactio apud ipsum facit simoniam. Et satis rationabiliter videtur hoc dici: quia vbi est intentio cum pactione, ibi est vera venditio & vera acceptio spiritualium, &c. & cōsequenter vera simonia: & est exterius subiacens iudicio ecclesiæ. Vnde nulla apparet ratio, quare pœnas iuris statim pactione facta simoniaci incurrere non debeant. Et confirmatur: quia simonia in cōtractu emptionis & venditionis consistit in rei veritate: executio enim nihil aliud est, quam ponere in possessionem rei iam emptæ & promissi pretij. Vnde nulla ratione cogente: sed sola autoritate veterum, creditur requiri tertium, scilicet executionem. Quod ex Host. diffinitione apparet: inquit enim quòd simonia est acceptio vel datio spiritualis ex pacto temporalis, &c. prouenienS. Vbi manifestè paret. quòd in simonia punita ab ecclesia pactum locatur, vt causa: ipsa verò executio locatur, vt substantia simoniæ. Patendo ergo quòd hæc tria requirantur, restat videre, an executio incompleta & claudicans ex altera parte, scilicet temporalis sufficiat. Et breuiter ex tribus colligo quòd sic. Primò ex prædicta diffinitione Host. quæ communiter acceptatur: in ea enim dicitur, quòd acceptio siue datio spiritualis ex pactione rei temporalis, est simonia punita ab ecclesia: ergo. Secundò ex communi dictorū, scilicet quòd quando concurrit ex pacto collatio spiritualis, est simonia punita: nec vllus vnquam addit, quòd requiratur acceptio etiam tēporalis. Tertiò ex cap. si quis de simonia, vbi expressè iudicatur simoniacus conferens ordinem ex pacto rei futuræ.

¶ Sed tunc insurgit dubitatio, an sit etiam simonia punita, si claudicat executio ex parte spiritualis: puta ille dedit ex pacto temporale, puta pecuniam, & hic accepit: sed nō ded

dedit adhuc spirituale, puta episcopatum. In hoc siquidē casu nulla interuenit datio aut acceptio spiritualis: sed intentio & pactio vtriusq; executio autem solius temporalis. Audirē libenter decisionē. Crediderim tamen ego, quòd non incurrantur cēsuræ ex defectu executionis. Nec est eadem ratio de claudicatione ex hac parte & ex illa: quia spirituale tenet principalem locū, & est ratio & radix totius repugnantiæ ad vænalitatem: & ideo penes illius executionē videtur attendi executio simoniaca. Quia ergo in casu nostro ecclesia præsupponit simoniacam intentionem, & constat de pactione & de acquisitione spirituali, & deficit tantùm executio tēporalis pro spirituali, iudicabit ecclesia simoniam esse sacris canonibus vetitam & punitam: & vtranq; partem excommunicatam. Hæc de secundo.

¶ Nec oportet aliter respondere ad in principio obiecta: quia satis patent ex dictis. Romæ die, 4. Januarij, 1504.

QVAESTIO III.

Vtrùm vacante sede, & quærentibus omnibus pontificatum per fas & nefas propter ambitionē & auaritiam ac ecclesiæ ruinam, liceat viro probo & digno quærere pontificatum, adhibendo promissiones, & exhibendo temporalia & beneficia, &c. pro suffragijs propter hunc finem, vt in sede positus ecclesiæ prosit, & illam reformet.



QVAERITVR Vtrùm vacante sede, & quærētibus omnibus pontificatum per fas & nefas propter ambitionem & auaritiam ac ecclesiæ ruinam: liceat viro probo & digno quærere pontificatum, adhibēdo promissiones, & exhibendo temporalia & beneficia, &c. pro suffragijs, propter hunc finem, vt in sede positus ecclesiæ prosit, & illam reformet. Est autem ratio dubitandi: quia vtrinque rationes sunt.

¶ Quòd enim hoc sit licitum, quadruplici ratione videtur. Primò: quia cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est: constat autem finē huius operis sanctū esse: ergo.

¶ Secundò: quia non magis obligant iura prohibentia huiusmodi promissiones & emptiones, quam votum & iuramentum: sed constat, quòd quando votū & iuramentum seruata in publicæ vtilitatis damnum redundant, seruanda non sunt quamuis alias iusta & sancta essent: ergo nec huiusmodi leges seruari debent in tali casu: in quo ecclesiasticæ reip. ruina imminet manifestè.

¶ Tertiò, Quia si hic interueniret aliquod peccatum, hoc non esset nisi simonia. Sed simonia hîc non est, probatur: quia in beneficijs ecclesiasticis simonia est de iure positiuo: vt multi canonistæ asserunt. Constat autē quòd nullum ius positiuum contra communem ecclesiæ vtilitatem ad eiusque ruinam seruandum est: quoniam omnia (vt Bernardus inquit) statuta tandiu seruanda sunt, quādiu contra charitatem non militant ergo, &c.

¶ Quartò. Quia vnicuique licet redimere vexationem suam, & proximi & præcipuè publicam: sed in hoc casu nihil aliud fit, nisi quòd redimitur vexatio propria & publica totius ecclesiæ: ergo licet.

PRO OPPOSITA Autem parte est, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona: sed emere spirituale est malum: ergo non est faciendum propter quodcunque bonum.

AD EVIDENTIAM Huius quæstionis quatuor agam. Primò ostendam distinctē in quo stat difficultas. Secundò, quia difficultas stat in duobus respōdebitur quo ad vnum illorum. Tertiò quo ad alterū. Et quartò satisfiet rationibus in contrarium.

CONCLVSIO.

Illicita omnino & simoniaca esset procuratio ista, pro seipso.

QVO AD PRIMVM, Sciendum est, quòd operationum humanarum quinque sunt genera. Nā prima diuisione distinguuntur in bonas malas & differentes. Et rursus bonæ distinguuntur in omnino bonas & in bonas non omnino: & malē quoq; distinguūtur, in secūdum se prauas, & in solitariē malas. Vnde fiunt quinq; genera: duo bonarum, & duo malarum, & vnum indifferentium. Omnino bona opera sunt, quæ non solùm bona sunt, sed non possunt malē fieri, vt interior charitatis actus proprius: non enim potest quis Deum amare ex charitate, & tamen malē: vt patet. Bona autem non totaliter sunt, quæ licet in seipsis bona sint, possunt tamē mala intentione fieri: vt dare eleemosynam, colere Deū exterioribus sacrificijs, &c. possunt enim hæc propter inanē gloriā fieri. Mala verò secundū se prauа sunt, quæ nulla possunt intentione bene fieri: vt mentiri, adulterari: & alia huiusmodi. Mala aūt solitariē vocantur illa opera, quæ si sola nudāque considerantur, nocumentum aliquod important: quæ tamen possunt tot circunstantijs vestiri, vt bona & sancta sint: vt occidere, mutilare aut priuare hominē rebus suis. Hæc enim si sola considerantur, cùm vnde bona sint non habeāt, mali rationē prætendunt, pro quā to mala proximorum afferunt: & tamen si hæc fiant propter bonum publicum ab habente autoritatem, seruato iuris ordine, &c. iusta & sancta redduntur. Indifferentia demum opera sunt, quæ secundum suam speciē nec boni nec mali rationem habent: vt leuare festucam de terra.

Hi autem stantibus liquet, quòd actus iste, de quo disputamus, scilicet dare aliquid temporale pro episcopali sede habenda, secūdum se non est in genere bonorum nec indifferencium, quum sit prohibitus. Sed dubium est, an contineatur in genere malorum, quæ sunt secundum se prauа, an inter ea, quæ sunt mala solitariē. Si enim est secundum se prauus: nulla intentione, nullāque circunstātia poterit fieri licitus, de talibus enim malis intelligitur illud Apostoli, Non sunt faciēda mala, vt veniāt bona. Si autem nudē sumptus speciem habet mali honestabilem per adiūctas circunstātias, poterit aliqua intentione & actione rectus reddi: quamuis sit prohibitus, quia vt plurimum malē fit. Vt autem manifestetur in quo genere cōtineatur, prius distinguere oportet in quot speciebus locari potest operatio proposita. Potest siquidē reponi in specie duplici, scilicet emptionis, vel quasi emptionis, & in specie redemptionis. In specie quidem emptionis, aut quasi, inquantum datur vel promittitur pecunia pro suffragijs habendis. In specie verò redemptionis, inquantum promittitur vel datur pecunia pro redimenda vexatione ecclesiæ aut propria. Vnde ad hæc duo vniuersa quęstio ducit: an scilicet emptio talium suffragiorum aliquo casu sit licita vel an hîc habeat locum redemptio vexationum: altero enim horum oportet saluare actum istum, si licitus est. Vnde si emptio est illicita, redemptio non haberet locum, non video tertium modum quo quis fingeret actum istum bonificari posse. Hæc de primo.

QVO AD Secundum dico, quòd actus iste est simoniacus. Quod probo sic: In episcopatu sunt multa appetibilia: vt habes à sanc. Tho. in Secūdæ, q. 185. puta cura animarum, excellentia gradus, sufficientia temporalium, &c. quæ quantum ad propositū spectat, ad duo reducūtur, scilicet ad titulum pastoralē, & titulū prebēdæ cōputādo cū prebēda oia tpalia, honorē, gloriā, &c. Aut iste vir probus & dignus pontificatu, intendit directē ad acquisitionē autoritatis pastoralis, aut ad titulū præbēdæ. Si intēdit directē emere suffragia pro titulo prebēdæ, tūc insurgunt diuersæ canonistarū opiniones: credentibus quibusdā hoc esse simoniacū, quia prohibitum: alijs verò prohibitum quia simoniacū. De qua difficultate erit quæstio specialis post: quia in proposito constat, quòd non refert, quæ harum opinionum sit vera. Ex casu nanque proposito pater, quòd iste non directē intendit ad acquisitionem temporalium: sed directa & principalis intentio eius est acquirere episcopalem potestatem, qua posit reformare ecclesiam. Si ergo intendit directē ad pastoralem autoritatem, manifestè & statim liquet, quòd intendit directē emere suffragia pro spirituali autoritate habenda: & consequenter secundum omnes committit simoniam, non iuris positiui, sed diuini. Autoritas nanq; qua cura habetur animarum, qua præsul populo prodest, quāve conseruari ac reformari ecclesiasticum corpus potest, est spūalis, & à Christo data Petro. quū dixit, Pasce oues meas. Et confirmatur: quia ista duo obiecta: scilicet pastorale officium, & titulus præbendæ opposito modo se habēt respectu intentionis & respectu emptionis. Respectu nāque intentionis vituperatur titulus præbendæ qa auaritiæ aut ambitionis esse videtur affectus episcopatus propter annexa temporalia. Commendatur autem pastorale officium: quia charitatis est velle aliorum incūbere saluti. Sed respectu emptionis magis vituperatur pastorale officium, quàm præbenda: quoniam illud est materia nullo modo vendibilis, hæc autem aut est aliquo

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo vendibilis, aut magis appropinquat ad naturam rerum venalium. Vnde emptio in casu proposito, quamuis videatur habere in se quandam pietatis speciē ex intentione bene vtendi pastorali autoritate, est tamen secūdum genus suum grauius simoniæ peccatū, quàm intendentis emere suffragia propter annexa temporalia: quia actus emptionis cadit super materia magis repugnante. Et quia omnis actus moralis transiens super materia sibi repugnante est secundum se prauus, consequens est, vt actus iste sit secundum se prauus: ac per hoc nulla posit rectitudine intentionis bene fieri. Hæc de secundo.

QVO AD Tertium, an scilicet redemptio vexationis hîc habeat locum, distinguo: quia aut est sermo de redemptione vexationis propriè. Et de hac dico, q̃ non habet locum: quoniam secundum sanctum Tho. & communiter doctores, in consequutione beneficiorum redemptio vexationis propriè non habet locum ante iu acquisitum: constat autem quòd huic non est acquisitum pontificatus ius. Aut est sermo de redemptione vexationis ecclesiæ. Et de hac dico quòd posset habere locum in proposito, si vna circunstantia amoueretur: quia ecclesiæ debetur bonus & dignus pastor: nec est dubiū, quòd sit illi ius quæsitum de hoc, & quòd electores tenentur sibi prouidere de tali capite, & excellētis esset charitatis, si volentibus electoribus caput perniciosum eligere, pecuniā quis eis daret, ne tam immane sacrilegium committerēt, sicut volentibus materiale templum spoliare, pecunia laudabiliter datur, ne hoc faciant, & incidentes latrones, licitè offerunt pro vita aut libertate redimenda pecuniā: & si iuramento se obligent ad aliquid eis dandum, tenetur seruare promissum. Tātò autem magis in casu nostro licitum & laudabile est, pecuniam dare & promittere, quantò vita ouiū Christi omnibus rebus temporalibus præponenda est: quum pro his Dominus animam posuerit, cæteristq; ponendam mandauerit non solùm exteriorē substantiam, sed vitam quum oportuerit. Circūstantia autem auferenda est vellendem episcopalem pro seipso, siue pro quocunque alio in particulari, cui ius quæsitum non est. Hæc nanque circunstantia reliqua polluit. Et ratio est, quia redemptio vexationis (vt eius nomen sonat) non importat acquisitionem boni nisi iure debiti, & exclusionem mali iniustè illati aut inferendi. Ecclesiæ autem vexatio satis redimitur, si malum non eligunt, si bonus & dignus, non autem hic vel ille eligitur. Quocirca quamuis liceat, & sanctum sit, auaris electoribus aliquid dare, vt bonum & dignum in cōmuni eligant (quia eiusdem rationis est dare, ne malus eligatur, & vt bonus eligatur, propterea quòd minus bonū, quàm opus sit, mali rationem habet) non tamē dare licet, vt iste vel ille bonus & dignus eligatur. Et propterea quum in casu proposito quæratur pontificatus à viro digno pro seipso, consequēs est quòd hîc non quærit redimere vexationem ecclesiæ, sed suam: & quia hoc non licet, igitur casus iste nunquam est licitus.

¶ Sed insurgit tūc dubium: quia dicere quispiam potest, quòd in tali casu sunt duo actus disparati: scilicet datio pecuniæ, & petitio pontificatus pro se: & quòd pecunia datur pro redimenda vexatione ecclesiæ non propria, & seorsum petitur pontificatus pro se digno propter vtilitatem ecclesiæ & pastum ouium Christi. Fateor ingenuè, quòd si sic fieret, quòd liceret, & ab excellentissima hoc charitate procederet.

¶ Aduertenda tamen sunt hic tria. Primò, quòd in casu posito non est sic: quia acquisitio pontificatus pro se proponitur cadere sub conuentione pecuniæ datæ aut dandæ: quando autem actus isti sunt diuisi, oportet quòd seorsum fiat redemptio vexationis ecclesiæ, & seorsum petitio pontificatus fiat rogando absque omni conuentione. Vinculum tamen iuramenti addere liceret, si tamen in æquè bonum & dignum, aut meliorem non mutaretur sententia: non enim licet ponere obicem Spiritui sancto & ecclesiæ libertati ad æquè bonum, aut saltē ad meliorem. Secundò, quòd quia sæpè mens sibijpsi mentitur (vt Gregorius dicit in pastorali) & fingit sibijpsi de bono opere amare quod non amat, solertissimè, solicitissimè & cautissimè scrutandum est, quo quis animo mouetur: & (vt idem Greg. in homi. Pentecostes dicit) de dilectione Conditoris & proximorum propter eum, non mens tantùm, sed manus requiratur. Si enim quis in minoribus constitutus coaceruauit diuitias, nec proximis egentibus distribuit, quomodo nunc tam repente tanta affluit charitate, vt pro sola ecclesiæ vexatione redimēda omnia dare velit? Signum aūt infallibile ad sciendū quid ipsum moueat, est, si in veritate daret omnia illa quæ dat pro redimenda ecclesiæ vexatione, etiam si alius fieret Pontif. æquè bonus aut melior. Nam si non daret, conuincitur q̃ pro seipso aut illo sublimando soluit, & non tantùm pro ecclesiæ redemptione. Tertiò, quòd in casu proposito sit mentio non solùm de pecunia, sed de beneficijs ecclesiasticis. Non enim etiam pro sola redemptione vexationis ecclesiæ licet dare beneficia ecclesiastica indignis: quales supponuntur esse auari electores. Dare enim ecclesiasticū beneficium indigno, est actus secundum se prauus: & nulla potest excusatione aut intentione rectè fieri. Vnde sicut non licet dicere mendacium pro saluanda ecclesia, ita nō licet dare ecclesiasticum beneficium indigno. Quare concludendo, casus iste, vt proponitur, omnino est illicitus: potest tamen, diuidendo actum redemptionis ab actu petitionis, licitè fieri, pecuniam, non ecclesiastica beneficia dando. Hæc de tertio.

CONCLVSIO.

Exercens actus sacros aliqua consecratione sanctificatos in peccato existens mortali peccat mortaliter, non autem si exerceat actus sanctos, vel iustos, non consecratos tamen.

QVO AD Quartum respondendum est obiectis. Et ad primum dicitur, quòd illa maxima tenet in non malis: ita quòd cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est, si non sit de genere secundum se prauorū. Non enim furari est bonum, si fiat propter eleemosynam largiendam: quia est secundum se prauum. Si autem est in proposito: quia talis emptio est secundum se praua: vt patet ex dictis.

¶ Ad secundum dicitur, quòd ratio illa deficit in duobus. Primò, quia hîc loquimur de actu secundum se malo: iuramentum autem & votum tunc non sunt implenda, quando sunt respectu minus boni: aliud est enim prætermittere minus bonum, & aliud est committere se malum. Secundò, quia simonia ista (vt patet ex dictis) est directè respectu spiritualium, ac per hoc totaliter sub iure diuino tantùm. Vota autem & iuramenta partim ex iure diuino, partim humano pendent: & ideo maius est vinculum huius prohibitionis, quàm voti & iuramenti.

¶ Ad tertium dicitur, quòd hîc non est sermo de simonia respectu tituli præbendæ, de qua est dubium inter canonistas: sed respectu spiritualis potestatis directæ, quæ non vertitur in dubium.

¶ Ad quartum ijm ex dictis patet, quomodo liceat ecclesiæ vexationem redimere: quomodo potest hic interuenire, & quomodo non. Romæ die 26. Decembris, 1504. inchoante.

TRACTATVS DECIMVS de Vsu spiritualium, cuius est vnica Quæstio.

QVAESTIO.

Num quilibet vtens spiritualibus in peccato mortali, peccet mortaliter.

QVAERITVR Vtrùm quilibet vtēs spiritualibus in peccato mortali peccet mortaliter.

¶ Videtur quòd sic. Primò, quia indignè exequens officium prælationis, peccat. ergo par est de alijs spiritualibus officijs ratio.

¶ Secundò, quia minister debet conformis esse principali agenti, Deus autem & ecclesia, cuius sunt ministri Officiales spirituales, sancti sunt. ergo, &c.

¶ Tertiò, quia docere sacram Scripturam ex officio, siue prædicando, siue legendo, siue corrigendo, siue, &c. peccatum mortale dicitur, ergo, &c.

IN OPPOSITVM Est, quia sequeretur q̃ qui tenentur ad horas canonicas, & cantores in choro, & prælati dando licentiā vni fratri eūti ad emendū panem, si essent in peccato mortali, peccarent mortaliter: quod nō solùm durum, sed dissonum satis est.

IN HAC QVAESTIONE Quæ propter verba diui Tho. mota est, primò rem tractabo: Secundo ad verba sancti Tho. descendam.

QVO AD Primum, sciendum est, quòd ex duplici capite pendere potest, quod peccator exercens spiritualem actum secundum se licitum, propter finē debitū, &c. peccet. Primò ex parte sanctitatis ipsius actus. Secūdò ex parte sanctitatis officij, seu potestatis qua vtitur. Et si quidem actus sanctitatem attendamus, cū cōstet q̃ nō q̃libet sanctus actus malè agitur à peccatore (vt patet de oratione, voto, iuramento, eleemosyna, &c.) distinguere oportet. Similiter cùm constet, quòd non quodlibet sacrum officium malè exercetur à peccatore (vt patet de officio clericali officiando ecclesiam, & in exactione decimarum: ius enim decimarum spirituale esse constat à sancto Tho. in Secunda Secundæ. q. 87. ar. 3.) distinguere quoq; hîc oportet. Et qm̃ potentia est propter actū, distinguatur cū S. Tho. ex 3. parte. q. 64. art. 3. actus sanctus in duo genera. Quidā enim sancti sunt, quia consecrationē aliqua sanctificant: & hi propriè sunt actus sacramētorum. Quidam verò sunt sancti, quia sunt secundum se mundi, & ad Deum ordinati: & hi sunt omnes actus virtutum. Et proportionabiliter officia seu potestates duplicis generis sunt: nam quædam in cōsecratione consistunt, vt patet de potestate ordinis: & quædam non, vt patet de potestate iurisdictionis ecclesiæ.

¶ His præmissis pono duas conclusiones. Prima est, Quilibet existens in peccato mortali vtens sacro officio secundū actū sanctum id est cōsecratione aliqua sanctificatū, peccat mortaliter pctō sacrilegij. Et ratio est: qa q̃ actū est in se, polluit sancta, q̃ quis incōtaminabilia secūdū se sint sacramenta. Et hæc conclusio communiter concedit, habetúrque in 4. senten. dist. 5. & in Tertia parte, quæstio. 64. arti. 6. Secunda est: Exercens in peccato mortali actus sanctos, id est, iustos quoscūque, non cōsecratos tamen, non peccat mortaliter, per se loquendo. Et probatur hæc conclusio: primò, quia si hoc esset peccatū esset sacrilegiū: sed hîc sacrilegium esse nō pōt, cū sacrū propriè nullum sit. Et si dicatur, quòd licet non sit sacrum aliquod ex parte actus, est tamen hîc sacrū aliquod ex parte officij: puta prælationis, vel ministerij Christi & ecclesiæ. Nihil obstat: quia cum potentia sit propter actum, nullus potentia, vt sacra, vtitur: qui sacrum actū non exercet, sacrilegium autem tunc tantùm committitur, q̃n contra sacrū, vt sacrū est, agitur. Secūdò, quia si in huiusmodi exequutionibus peccatoris esset per se peccatum mortale, non esset in quibusdam sic & in quibusdam non: sed aliquod vniuersale oportet inuenire, cui hoc per se conueniat.

¶ Et si diligenter attendamus distinctionibus factis, ad hæc oportet ventre: oportet nāque aut ex sanctitate actus tantū (puta tāgere corpus Christi) aut ex sanctitate officij tantū (vt exigere suas decimas) aut ex sanctitate vtriusque peccatum mortale oriri. Sed ex sanctitate actus tantùm hoc nō est etiā si cōsistat in sanctitate cōsecrata: quia licet pctōri tāgere corpus Christi, leuādo ipsum de luto: & baptizare in casu necessitatis sine solēnitate. Nec ex sanctitate officij tm̃, qa oportet actū ipsum esse sanctū, alioquin Episcopus aut Curatus exigēdo debita subsidia, si esset in peccato mortali, de nouo peccaret: quia officij sui actum exequitur: hoc autem est ridiculum. Ergo ex sanctitate vtriusque. Et cum non ex sanctitate largè sumpta (quoniam sic nō liceret peccatorem clericum orare: quoniam officij sancti opus est sanctum) relinquitur, quòd ex sanctitate strictè in consecratione consistēte ratio peccati suumatur. Dixit autem, per se loquendo, quoniam etiam orare in peccato mortali. est peccatū mortale per accidēs: vt patet ī celebrādo missam ī peccato mortali. Hæc de prio.

QVO AD Secundum verba diui Tho. in 4. di. & 5. di. 19. ar. 1. q. 2. & in Secunda Secundæ. q. 33. art. 5. & q. 60. ar. 2. ad tertium: & in Tertia par. q. 64. articu. 6. & speciaiter ad primum, consona non videtur. Nā in sententiis durè nimis loqui videtur: & prælatum expressè dicit peccare corripiēdo, & omne aliud proprij officij exequendo, si est in peccato mortali. In summa expressè dicit peccatorem corrigere absque nouo peccato, si humiliter hoc facit: & similiter iudicem non peccare arguendo & iudicando: & vtrunque super eadē. Aug. autoritate sunt dat. Si em̃ peccatorē prælatū ista facere esset secūdū se peccatū mortale, nulla humilitas stans cū peccato mortali, faceret, vt esset licitum: vt hîc docemur. Et in Tertia par. vbi supra docuit nos illam distinctionem de duplici sanctitate tam actus: quàm ministri. Et per illam ostendit, quòd peccatores ministrantes Deo in operibus charitatis non peccant: & tanti eam facit, vt vtatur ipsa iuxta illam regulam: Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, & econuerso: dum ex negatione sanctitatis consecratæ, infert negationem peccati in ministro peccatore: & ex affirmatione consecratæ sanctitatis, infert affirmationem peccati in ministro peccatore. Et quia super hoc tota hæc decisio fundatur, optima censenda est: procedit enim ex per se causa.

¶ Ex quibus credo ego, quòd dicta in sententijs, ad doctrinā in summa traditam tanquam resolutiorem sint reducenda, & non econuerso. Vnde cum omnes actus in arguendo allati sint sancti, quia sunt actus virtutum, & non consecrati (vt patet discurrendo in singulis (eos in peccato mortali exercens: per se loquendo, non mortaliter peccat, nisi prædicatio excipiatur: quia est actus sacerdotis, aut diaconi: quamuis hæc exceptio non necessaria videatur: quia prædicatio non est actus ordinis, per se loquendo: & consequenter cum non sit nisi secundo modo actus sanctus: idē videtur de ipso & alijs iudicium: non tamen ex æquo: quia præcipuus est pastoris actus: dicēte Christo in institutione pontificatus Petro. Pasce oues meas. Et confirmatur hoc de prædicationis ministro, quia in synagogis Iudæorum & templo etiam non Sacerdotes, aut Leuitæ prædicabāt: alioquin non fuisset Christo permissum prædicare. & Act. 13. nō fuisset à principibus Synagogæ requisitū, & concessum, quòd Paulus prædicasset in synagoga. Cùm hoc tamen stat, quòd fortè prædicare ex officio (sicut episcopus prædicat) cum solennitate, sit mortale: sicut baptizare ex officio, vt sanctus Tho. dixit.

¶ Ad rationem ergo primam (quæ in 4. sen. mouit autorē) dicitur, q̃ indignè pro nunc sumitur dupliciter: scilicet priuatiuè, & contrariè & quòd indignè priuatiuè exequēs non semper peccat sed non meretur id quod priuata dignitas adimit. Indignè aūt contrariè faciens aliquid, peccat: sed tunc hoc restat prouidendum, quòd prælatus exequens officium suum quo ad actus charitatis & iustitiæ scilicet corrigere, docere, &c. indignè agat cōtrariè. Quid enim contra sanctitatem horum actuū facit personæ macula, non dico manifesta aut scandalosa, sed absolutè ipsa macula peccati? Certè nihil video, nisi quòd priuat illos actus bonitate meritoria: quod non est de nouo peccare mortaliter. Nec autor ibidem ex hac ratione cōcludit peccatum mortale, sed peccatum tantùm, vt patet intuēti. Hanc autem rationem ipse modificauit in Tertia par. quasi addens, quòd tunc est indignus contrariè, quando est respectu actus sancti: id est consecratione mystica sanctificati. Et in Secunda Secundæ ad propositum idem scilicet de correctione fraterna, explanauit quòd reddit ipsum correctore indignum, sic q̃ quoddā impedimentū correctioni proximi confert non tamen tale, quòd per hu militatem peccatoris non posit suppleri seu honestari. Vnde actus iurisdictionis quorumcunque prælatorum & superiorum, & actus per acidēs ministrorum ordinis & vniuersaliter non consistentes in consecratione aliqua à peccatoribus exercitati, non pariunt per se nouum peccatum mortale. Ministratio autem sacramentorum, & eorum susceptio puritatem à mortali crimine exigit. Verum scito quòd nec vere contritus nec credens se contritum quia diligenter & si non sufficiēter discussit seipsum censetur in peccato mortali quo ad hæc existere: alioquin quilibet qui peccauit mortaliter, exponeret se periculo peccandi mortaliter, cum ad ministrandum aut ad suscipiendū sacramenta accedit: cum nemo sciat, vtrum odio vel amore dignus sit: & hoc expressè sentit sanct. Tho. in 4. distinct. 9. &c.

¶ Et per hæc patet responsio ad obiecta. Romæ die 24. Augu. 1506.

TRACTATVS VNDECIMVS De Voto non nubendi & de Nouitijs, in tres Quæstiones diuisus.

1 *Num votum non nubendi æquiualeat voto castitatis.*
2 *Num emissurus professionis votum possit absolutè renunciare propinquis hereditatem, quam probabiliter dubitat male adepto esse infectam.*
3 *Num per votum, quo quis promittit offerre aliquid alicui particulari imaginī beatæ virginis sit acquisitum ius illi ecclesiæ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAESTIO PRIMA.

Num votum non nubendi æquiualeat voto castitatis.

QVAERITVR Vtrum votum non nubẽdi æquiualeat voto castitatis.

¶ Et videtur quòd non. Primò, Quia minus non æquiualet maiori. Sed votũ castitatis maius est, quàm nõ nubendi: sicut seruare castitatem plus est quàm non nubere. ergo.

¶ Præterea, Duorum conuertibilium quicũque destruit vnum, destruit & reliquum: sed committens fornicationem agit contra votum castitatis, & non contra votum nubendi: ergo hæc duo non conuertuntur.

CONCLVSIO.

Votum castitatis, & votum non nubendi propriè sumendo votum, æquiualet atque idem sunt, & eadem ratione dispensabilia vel indispensabilia, quam quam communiter capiendo votum aliquo pacto diuersa esse videantur.

RESPONDEO, Quòd hæc quæstio duplicem sensum habere potest. Primò, vtrum hæc duo vota simpliciter æquiualeant. Secundò, vtrùm æquiualeant quo ad indispensabilitatem aut incommutabilitatem: ita quòd nulla autoritas possit in alterum, quæ non potest in reliquum.

¶ Et in primo quidem sensu licet prima fronte propter argumenta adducta videatur, quòd non æquiualeant: attentius tamen considerantibus apparet, quòd distinguendum est de voto. Potest enim dupliciter sumi: vt placet Theologis in 38. distin. primi. Vno modo propriè: alio modo communiter. Voti siquidem propriè sumpti materia tantummodo est bonum supererogationis: eo quòd de ratione voti est, quòd sit de meliori bono. Voti verò cõmuniter materia: est etiam bonum, ad quod quis aliàs tenetur: non in quantum huiusmodi, sed in quantum voluntarium, vt patet de voto in Baptismo emisso. Si ergo loquamur de voto castitatis propriè, cùm sub tali voto non cadat, nisi castitas supererogationis, quæ nihil aliud excludit nisi coitum matrimonialem (quia ad seruãdam extra matrimonium castitatem quilibet ex præcepto tenetur) consequens est quòd tale votum, & votum nõ nubendi æquiualent. Si verò loquamur de voto castitatis cõmuniter, cùm sub tali voto claudatur omnis castitas, consequens est quòd tale votum, & votum non nubendi non æquiualent: sed longè maius est votum castitatis.

¶ In secundo verò sensu quid tenendum sit, ex modò dictis concludendum est. Quidam enim, quia sedi apostolicæ vltra illa tria vota peregrinationis, duo tantùm inueniuntur reseruata, scilicet religionis & castitatis, & reseruationes non sunt ampliandæ, sed potius restringendæ (quasi odiosa prælatis, quorum autoritas restringitur) & votum castitatis omnem coitum secundum communem loquentium vsum excludere intelligitur, credunt hæc vota non esse æquè incommutabilia: sed in voto non nubendi episcopum, in voto verò castitatis solum Papam dispensare posse.

¶ Sed opinio hęc à veritate lõgè est: quod tripliciter probatur. Primò: quia hæc duo vota æquiualent quo ad id quod per se & simpliciter in voto castitatis, absolutè loquendo, inuenitur, sub voto enim castitatis, absolutè loquendo, cadit castitas supererogationis per se & simpliciter: vtpote tanquam ad quod institutum est: castitas autem ad quam omnes necessariò tenentur, non cadit, nisi forte secundum quid: constat autem quòd in voto nõ nubendi clauditur tota castitas supererogationis. Relinquitur igitur, quòd eiusdem rationis est dispensare vtrumque.

Secundo: quia votum castitatis in tantum est reseruatum Papæ, inquantum est ab eo dispensabile. Non est autem dispẽsabile, nisi quo ad castitatem supererogationis: in qua eiusdem rationis est cum voto non nubendi. Ergo hæc duo vota inquantum dispensabilia non solùm æquiualent, sed sunt idem: nihil enim aliud dispensando in voto castitatis concedit Papa, nisi nubere, & pro nullo alio obtinendo vult se aditi sedes apostolica ab habẽtibus votum castitatis, nisi pro coniugio. Vnde dicere, votum non nubendi nõ esse reseruatum, vt votum castitatis, est proprìam ignorare vocem. Tertiò: quia nisi aliũde ad oppositum quandoque cogamur, verba iuris propriè interpretanda sunt. Alioquin nulla posset expositio certa haberi: sed omnia ambigua essent, dum propriè vel impropriè intelligi dubitaretur. Voti autem nomen (vt ex dictis, & ex suo proprio fine, ad quem inuentum est, patet) obligationem ad ea, quæ supererogationis sunt, propriè importat: nulla enim est necessitas vtiuę obligationis ad ea, ad quæ ex præcepto tenemur. Vnde applicatum ad materiã veneream, dicendo votum castitatis, obligationẽ ad abstinendum à venereis, quæ licuissent, propria significatione infinuat. Quum ergo reseruatum apostolicæ sedi dicitur, propriè sumitur. Sic autem æquiualere, imò idem esse quòd votum non nubendi, ostẽsum est. Relinquitur ergo quòd vtrunque apostolicæ sedi eadem ratione & reseruatione reseruatum est. Nec fit hîc aliqua reseruationis ampliatio: nec vocabula extra communem vsum doctorum trahuntur, quamuis vulgares largius loquantur.

AD VTRANQVE Autem rationem in oppositum simul dicitur, quòd nihil aliud concludunt, nisi quòd votum castitatis largè sumptum, & votum nõ nubendi, non æquiualent simpliciter: quod (vt ex dictis patet) non cõtrariatur determinationi nostræ: qua diximus, quòd votum castitatis propriæ, & votum non nubendi, simpliciter æquiualent: & quòd votum castitatis: absolutè loquendo, & votum non nubendi, quo ad dispensabilitatem vel indispensabilitatẽ æquiualent. Mediolani, die 18. Decembris, 1500. In sancta Maria gratiarum.

DE NOVITIIS

QVAESTIO II.

Num emissurus professionis votum, possit absolutè renuntiare propinquis hæreditatem, quam probabiliter dubitat malè adepto ære infectam.

QVAERITVR Vtrùm emissurus professionis votum, possit absolutè renuntiare propinquis hæreditatem, quam probabiliter dubitat malè adepto ere infectam.

¶ Et videtur quòd sic. Primò, quia vnusquisque potest liberè vti iure suo, etiam si inde alterius damnum sequatur. Ius autem renuntiandi competere constat tali nouitio, qui nondum adijt hæreditatem: potest igitur iure huiusmodi vti.

¶ Præterea, Nullus tenetur constituere se debitorem alteri, nisi propter aliquam acceptionem, aut rem acceptam. Constat autem quòd in hoc casu nouitius adhuc nullo modo concurrit ad aliquem acceptionis modum, nec res peruenit ad eum, quamuis fit in potentia proxima ad perueniendum ad ipsum. Et adeundo hæreditatem infectam, constitueret se debitorem his, à quibus res iniustè extortæ sunt: ergo non tenetur ipsam acceptare.

¶ Et confirmatur, quia hæreditati grauatæ debitis nouitius indubiè posset renuntiare, & non se constituere debitorem: ergo hæreditate obnoxia, multis restitutionibus idem poterit: neque enim magis ad hæc, quàm ad illa tenetur: imò secundum quosdam solutio debitorum ex mutuo vel emptione, &c. præcedit restitutionem malè ablatorum.

¶ Præterea, In professione religionis homo moritur mundo, ac per hoc debet abdicatis omnibus solicitudinibus seculi huius in nouitatem se vitæ transferre. Constat autem quòd si restituendi in se onus suscipit, continget multa opus esse solicitudine, rebus præsertim dubijs extantibus: tum videndo, & examinãdo ratiocinia multa antiqua & difformia: tum in rerum venditione, vt possit ex pretio singulis satisfieri: tum in creditorum infinitorum inuestigatione, & alijs quamplurimis, quæ cum religiosi animi quietè non stant.

¶ Oportet ergo, si renuntiare non potest aut professum solicitari circa ea, quæ mundi huius sunt, multo tempore, aut paternam obligationem obicem sibi esse ad professionis holocaustum offerendum. Quorum vtrunque videtur inconueniens: quum beatus Matthæus, qui rapere solebat aliena, teste Beda, relictis omnibus secutus legitur Dominum, Luc. 5. sic quòd vt glo. dicit, etiam rationes incommoditas dereliquit: ergo.

In

IN OPPOSITVM Est, quòd ius naturæ expressum à Domino, Matthæi 7. Quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, hæc eadem illis facitis, inuiolabiliter seruandum est. Constat autem, quòd ipse nouitius si esset in statu creditorum, à quibus res iniustè extortæ sunt, vellet regulata voluntate sibi satisfieri à bene dispositis ad restituendũ, & non remirti ad mundanos, qui naturaliter abhorrent restituere: ergo & ipse debet hoc facere alijs.

CONCLVSIO.

Potest nouitius hæreditatem, quam probabiliter dubitat malè adepto ere infectam, propinquis, quos indubiè credit restituturos, absolutè renuntiare, quos etiam si secus nouit, debet ita renuntiare, vt omnino quæ restituenda sunt restituantur, apponendo tot & tales conditiones suæ renuntiationi, vt vel per propinquos vel alios, restituantur aliena.

RESPONDEO Cũ distinctione: & dico quatuor. Primò, quòd si propinqui, ad quos post renuntiationem peruenit et hæreditas, sunt tales quòd indubiè credantur restituturi, quando, quantum, quibus, &c. debetur, potest nouitius absolutè renuntiare insinuando illis propinquis dubitationem, quam habet, & vnde eam cõcepit, &c. Secundò, quòd si propinqui prædicti sunt tales, quòd indubiè credantur, nunquam, aut quasi nunquam restituturi, non potest nouitius absolutè renuntiare. Tertiò, quòd si propinqui medio modo se habent, scilicet quòd dubitetur, an restituent vel ne, nõ potest nouitius absolutè renuntiare. Quartò, quòd in his duobus vltimis casibus, & vniuersaliter in omnibus casibus extra primum tenetur nouitius sic prouidere, vt absque dubio credatur restitutio futura tẽpore debito, &c.

¶ Ad quorum euidentiam aduertendum est, quòd renuntiare hereditati duo importat: vnum explicitè, scilicet nolitionem hæreditatis: & alterum implicitè, scilicet diuersionem hæreditatis ad alium, vel alios. Renuntiante enim aliquo, hæc duo semper se inseparabiliter comitantur: sic quòd renuntians, directè hæreditatem nolle se fatetur: & ex hoc naturali necessitate sequitur, quòd ad alterum hæreditas declinet. Et si in renuntiationis quidem actu sola nolitio consideretur, hæreditatis, difficile & fortè impossibile est, impedimentum aliquod afferre vetans talem nouitium à libera & absoluta renũtiatione: quoniam nec præcepta restitutionis ad hoc ipsum cogunt, quum ad ipsum adhuc se non extendant: quia non comprehẽditur sub aliquo nomine personarum ad restitutionẽ obligatarum secũdum doctores in illis versibus, Iusto, consilium, &c. vt patet discurrenti per singula. Nisi quis crederet, quòd nolendo hæreditatem, fieret non obstans detentioni rei alienæ, quum posset non renũtiando obstare: ac per hoc obnoxius fieret restitutioni. Sed hoc non videtur necessarium: quia, vt Sanctus Thomas in Secunda Secundæ quæstio. 62. articul. 7. ad tertium dicit, tunc solùm non obstare obligat aliquem ad restitutionẽ, quando præsupponit obligationem ad obstandum in eo, qui non obstat: in hoc autẽ nouitio nulla præsupponitur obligatio, sed quæritur an in eo fit. Nec apparet aliquòd præceptum charitatis ad hoc obligans. Sed (vt obiciendo tactum est) apparet oppositum, ex eo quòd cuilibet licitũ est vti iure suo: & nullus omnino expertam facti, quam rei tenetur se inuoluere nouis quæstionibus & obligationibus, vt alteri satisfiat. Si verò in renuntiationis actu consideretur declinatio hæreditatis ad alium vel alios, quamuis prima facie videatur, quòd quæquid hinc sequatur, ponderandum non sit: eo quòd renuntiantis non est autor talis diuersionis, nec intendit eam, sed ordinario cursu concomitatur intentum à renuntiante, scilicet nolitionem hæreditatis: diligenter tamen considerandi videri facilè potest, declinationem istam esse, etsi non principaliter, secundariò tamen intentam à renuntiante: quoniam scit principaliter uo intento annecti declinationem hæreditatis ad tales, & potest impedire connexionem talis declinationis, renuntiando alijs, vel modificando, &c. Attenta ergo in renuntiationis actu diuersismodè hæreditatis ad tales propinquos, verificandi habetur via per quatuor supradictas conclusiones. Quũ enim huiusmodi hæreditatis declinatio ex voluntate libera renuntiantis procedat, non vt casualis, sed vt per se secundò intentus effectus (vt patet ex se & ex dictis) & ex hac dependeat detentio aut restitutio alieni æris hæreditati immixti (quoniã ex ista declinatione ius hæreditatis acquiritur, & dominium facti respectu æris alieni: etsi ad auaros diuerso fit, perseuerabit detentio alieni: si verò ad bonos viros fiet restitutio) consequens est, quòd talis diuersio debeat sic à renuntiante ius autore modificari, quatenus nullius ius ex illa violetur: alioquin ipse reatum iniustitiæ euadere non potest. Et confirmatur: quia renuntians, inquantum est autor talis deuotionis, quamuis implicitè, positiuè tamen disponit de hæreditate infecta. Constat autem, quòd ordinans & disponens de hæreditate infecta, immunem ab iniustitia non se seruat nisi prudenter & fideliter disponat de ære alieno restituendo: nec protestatione aut renuntiatione aliqua excusari potest. Tenetur igitur huiusmodi nouitius ad sic prouidendum, vt restitutio fiat: alioquin vt mutus subtractione præcepti, ad quod tenetur in dispositione hæreditatis infectæ ad restituendum ipse tenebitur. Nec refert in proposito, an certum aut dubium verisimile sit de infectione hæreditatis: quoniam quemadmodum disponens de hæreditate, tenetur, quæ constat aliena esse ordinare, vt omnino restituantur: sic tenetur de dubijs bonis ordinare, vt certitudo habeatur, etsi aliena comperiantur reddantur: quia ad hoc teneretur ipse sibi hæreditatem in se susciperet. Quia igitur huiusmodi liberæ renuntiationis nihil obstat, nisi restitutio alieni quam ante professionem fieri non posse supponitur obiui intricationem: cõsequens est quòd renuntiatio licita sit, si annexam habet debita prouisionem restitutionis agendæ: siue hoc sit propter cognitam fidelitatem bonorum propinquorum succedentium post liberam renuntiationem, vt prima conclusio dixit: siue hoc sit propter multas cautelas & fideli executores, lectos, & alias huiusmodi circunstantias in modificata renũtiatione, vt quarta conclusio proposuit. Et quia oppositorum eadem est disciplina, ex eisdem principijs patet illicitum esse absolutè renuntiare, quando ex hoc scitur, aut dubitatur ad tales restitutio æris alieni deuoluendũ, quibus exosa est restitutio: vt secunda, & tertia conclusione dictum est. Nec est in dubium vertendum, an fideliter restituet cohæredes, qui proportione sua infecta non curant satisfacere, voce etenim Domini dicitur Matthæi 7. A fructibus eorum cognoscetis eos.

AD ARGVMENTA Ergo in oppositum pro quanto inferre intendunt licitum esse absque distinctione aliqua absolutè renuntiare, respondendum est.

¶ Ad primum ergo dicitur, quòd nouitio non competit ius absolutè & libere renuntiandi hæreditati infectæ in omni casu: sed tunc tũ quũ ex tali renũtiatione hæreditas deuoluitur ad non detentores alieni: vt ex dictis patet.

¶ Ad secundum dicitur, quòd quum in renuntiatione interueniat dispositio quædam rei alienæ hæreditati immixtæ, nisi talis dispositio debitis circunstantijs fulta sit, damnificarentur ex hoc illi, quibus res debet restitui: ac per hoc acceptio quædam alienæ rei suboriretur in ipso renuntiante, obligans ipsum ad restitutionem: acceptionis siquidem nomine omnis damnificatio intelligitur in hac materia. Vnde tenetur nouitius non debitorem se constituere, sed sic ordinare, vt satisfiat: non propter alia quam præcedentem acceptionem, sed ne in ipsa dispositione alienæ rei, acceptio interueniat. Ad confirmationem verò dicitur, quòd ideo grauamen debitorum pauipenditur, quia creditoribus consuetum etiam à detentoribus alieni satisfieri, & propter contractuum cautiones, & propter suorum quinternorum fidem seruandam, & alia huiusmodi. Vnde si contingeret ex renuntiatione ad tales hæredes deuoluendam esse hæreditatem grauatam debitis, quos crederetur non soluturos, & propter potentiam, vel aliquid aliud non posse cogi (vt pluries contingit circa grauamen legatorum ad pias causas) eadem esset regula seruanda, quæ circa restitutionem malè ablatorum dicta est.

¶ Ad tertium dicendũ, quòd nouitius perplexus non remanet in hoc casu: sed absoluere se absq; multa difficultate põt ab huiusmodi solicitudinibus, etiã quando habet propinquos auaros, adhibendo necessarias cautelas in renuntiatione. Quod põt multipliciter fieri vel renuntiãdo alijs, quos nouit non detenturos alienum, vel renũtiando quidẽ auaris propinquis, sed substituendo alios hæredes, nisi intra certum terminum sub certis iudicibus discus

Universidad de Deusto Biblioteca

sum sit quid restituendum sit, & restitutum: vel renunciando quidem auaris propinquis, sed ordinãdo, quòd hæreditas ad eorũ manus peruenire nullatenus possit quousq; tales electi ab ipso renuntient, non inquisierint, examinauerint, iudicauerint, et restituerint quicquid restituẽdum est. Et quoniam nemo militat proprijs stipendijs, legare debet hmõi iudicibus & executoribus condignã & honorabilem mercedẽ, vt accendantur ad fideliter cũcta peragenda. Et sic horum aliquo, vel quouis alio modo rectè disposita renuntiatione Christum nudũ nudus sequi profitendo poterit. Matthæus enim non ante restitutionẽ pauperem Christum pauper sequutus est, quũ Zachæus Luce 19. legatur restitutionem pollicitus. Nec Euangelista de vsu rerum simpliciter, sed de affectu quidem simpliciter, de vsu verò pro tunc dixit, Relictis omnibus sequutus est eum: nam postmodum conuiuium magnum fecit in domo sua sumptibus proprijs. glossa quoque illa eodem est intelligenda modo. Mediolani, die v[illegible]sima nona Septembris, 1500.

QVAESTIO III.

Vtrum per votum, quo quis promittit offerre aliquid alicui particulari imagini beatæ Virginis, sit acquisitũ ius illi ecclesiæ.

QVAERITVR Vtrum per votum, quo quis promittit offerre aliquid alicui particulari imagini beatę Virginis, sit acquisitum ius illi ecclesiæ.

¶ Et videtur q; sic. Primò: quia per promissionem acquiritur ius illi, cui sit promissio: vnde põt agere contra eum, qui promisit, si non seruauit promissum, sed in talibus votis fit promissio non soli Deo, sed etiam tali ecclesiæ implicitè vel explicitè; ergo per tale votum acquiritur ius illi ecclesiæ. Minor patet ex eo, quòd sic vouens intendit se obligare non solùm ad offerendum Deo tale quid, sed ad offerendum tali ecclesiæ vel imagini. Si dicatur, quòd illa promissio non est acceptata à prælatis illius ecclesiæ, & ideo nõ acquiritur illis ius. Contra hoc est: Tum quia est acceptata implicitè: quoniam quemadmodum constat Deum acceptare promissionem sibi factam, ita ecclesiam. Tum quia acceptatio non exigitur ad hoc quòd acquiratur ius in huiusmodi: vt patet in legatis factis ecclesijs. Præterea, Si per tale votum nõ esset acquisitum ius ecclesiæ, non posset ecclesia ipsa agere cõtra vouentem: sed ecclesia agit contra non seruantes talia vota: vt patet extrà de censibus, cap. ex parte: & ab Innocen. & ab Abba. ibi. & ex gloss. 12. quæstione prima, cap. scimus. & Archi. ibi. Ergo.

IN OPPOSITVM Est Gulielmi, & Summæ Pisanæ sequaciumq; opinio.

CONCLVSIO.

Nullũ alicui ecclesiæ, seu imagini ius acquiritur ex eo, quòd quippiam ibi offerendam vouetur quacunque id quispiam ratione vouerit, studere: tamen vnusquisque debet implere quod vouit, nec sine dispensatione, vel commutatione, votum præterire, aliter peccat mortaliter.

RESPONDEO, Quidam tenent vel absque ratione aliqua, vel propter rationes adductas, quòd tali voto acquiritur ius illi ecclesiæ, cui res offerenda vouendo decreta est: & propterea talia vota esse incommutabilia, ac per hoc mortaliter peccare commutantes huiusmodi vota. Alij verò oppositum sentiunt, dicentes hæc vota esse commutabilia, sicut cætera: quando scilicet necessitas vel vtilitas id exposcit.

¶ Et horum, iudicio meo, opinio vera est, & conformis Theologorum antiquorum sententiæ. Vera quidem: quia cùm ex voto nulli ius aliquod acquiratur nisi ex obligatione vouentis: obligatio autem vouentis ex sola eius promissione oriatur, secundum quòd in voto inuenitur promissio, iudicanda est obligatio & iuris acquisitio. Cũ autem in voto sint duo, scilicet promissio, & res promissa, & contingat quandoque rem promissam vnam aliam promissionem esse (vt patet in voto professionis) necessè est duo esse genera votorũ: quædam vna promissione cõtenta, quædam duplici promissione munita. Et vota quidem illa quæ vnicam tantùm continent promissionem soli Deo, cui promissio illa necessariò fit, ius acquirunt: talia autem sunt omnia vota, quibus Deo tantùm aliquid promittimus. Vota autem quæ duplicem implicant promissionem (alteram vt materiam voti, alteram vt essentiam voti) duobus ius acquirunt, & creaturis illis quibus aliqua boni promissio fit, & creatori, cui vouetur implenda promissio creaturis illis facta. Talia autem sunt vota, quibus sanctis aut prælatis, aliquid pollicemur vt san. Thom. in Secunda Secundæ, q. 78. art. 5. docuit. In huiusmodi siquidẽ votis, promissio obedientiæ prælato, tanquam quoddam supererogationis bonum est res promissa Deo, & materia voti: promissio autem, qua Deo, ad id nos seruãdum obligamur, essentia voti est, & actus latriæ. Et quoniam promissio rationis actus est, expectationem pariens in eo, cui fit promissio, non potest fieri nisi rationem habentibus: & consequenter nulla promissio sub voto cadere potest, nisi quæ Creatori aut rationali creaturæ fiat. Ac per hoc ex voto nulli potest ius acquiri, nisi Creatori aut creaturæ rationali: sola enim promissio in voto ius parit. Cum ergo in huiusmodi votis, quæ fiunt alicui imagini Crucifixi aut beatæ Virginis, &c. nulli fiat promissio, nisi Deo, & Sancto alicui, nulli consequenter acquiritur ius nisi Deo & Sanctis. Eiusdem autẽ autoritatis est dispensare vel commutare promissiones factas Deo & suę curiæ cælesti: cum non sit minor autoritas ecclesiæ in concernentibus cæleste curiam, quã in spectantibus ad eius principem, nec aliquod damnum ciuibus cælestibus prouenire possit, quibus Deus ipse est omnia: vnde omnia huiusmodi vota cõmutabilia sunt, habita ratione gloriæ illorum Sanctorum quibus promissum aliquid erat. Nec contendat aliquis implicari in his votis promissionem prælatis illius ecclesiæ, ex eo quòd res quam vouens promittit offerre illi ecclesię, intelligitur prelatis ecclesiæ promissa. Hoc enim falsum esse ex eo constat, quòd in huiusmodi votis locus, in quo implendum est votum, nõ cadit sub voto, vt persona, cui fit promissio, sed vt circunstantia rei promissæ sicut tempus & quantitas, & alia huiusmodi. Nihil enim aliud huiusmodi votis agitur: nisi quòd promittitur Deo talis res, tali tempore, & in tali loco offerenda: vbi patet nullam promissionem prælatis ecclesię esse materiam voti, sed tantummodo rem talibus circunstantijs vestitam. Nec refert an tales circunstantiæ sint locus, tẽpus, quãtitas, &c. an sint personæ humanæ (si qs enim vouerit nutriturũ se tales pauperes Christi vno die, quamuis teneatur hoc facere, potest tamen eius commutationem procurare & obtinere, sicut & aliorum supradictorum: quia personæ illæ non concurrunt in illo voto, vt quibus fit promissio aliqua, sed vt circunstantia eleemosynæ offerendæ Deo, vt dicit san. Tho. in. 4. dist. 38. q. 1. art. 1. q. 1. ad quintum.

¶ Nec oportet in huiusmodi votis obliquos nominum casus ponderare: an scilicet vouens dixerit secum, promitto Deo & beatæ Mariæ offerre cereũ in tali ecclesia an dixerit, promitto Deo & tibi beatæ Mariæ talis ecclesiæ offerre cereum: vt credatur per hanc diuersitatem in secundo casu acquiri ius illi ecclesiæ, quia imago illius ecclesiæ significatur ibi concurrere, vt persona, cui fit promissio. Hoc enim friuolum esse ex duobus patet. Primò quia imaginem vouens non alloquitur, nisi secundum id quòd repræsentat, scilicet beatam Virginem in cælo regnantem, & cùm non promittat nisi ei, cui loquitur, ipsi soli promittitur: & sic cætera concurrunt, vt circunstantiæ rei promissæ. Secundò: quia omnia, quæ implicitè in voto inueniuntur infra voti limites, secundum voti rationem interpretanda sunt, nisi ex intentione vouentium aliud habeatur: voti autem ratio Deo promissionem fieri exigit. Aliam autem promissionem vt materiam habere tunc tantùm promittitur, quando alicui creaturæ rationali promissio seruanda, voto vel promissioni adiungitur vt ex dictis patet. Constat autem ex intẽtione vouentium, qui non nisi vouere intendunt (quod promissionem supernæ curiæ creditur importare) quòd talis promissio non adiungitur voto. Relinquitur igitur quòd omnia vt circunstantiæ rei promissæ intelligantur, & sola superna curia concurrit vt persona cui fit promissio.

¶ Conformis autem Theologis opinio ista est: quia indistinctè communiter Theologi scripserũt, omne votum esse commutabile in votum religionis. Constat autem id de quo est ius acquisitum alicui ecclesiæ: non posse commutari in votum religionis. Non enim satisfit pensioni debitæ ecclesiæ cathedrali, si debitor ingreditur religionẽ, nec ab obligatione soluendi legati, aut contractus, ingressus religionis absoluit. Nec acceptanda est cuiusdam glossa, dicentis hoc intelligi de votis personalibus, non autem de votis realibus: voluntaria enim est. Admirandum quippe est valde, si restringendum dictum commune foret, cur eorum aliquis explicitè vel implicitè non restrinxerit. Imò Richardus omnia ad realia vota extendi vult: vnum tantùm excipiens: scilicet de notabili subsidio Terræ sanctæ: in quo Papam consulendum dicit.

Sanctus Thomas quoq; in Secunda Secundæ, quæst. vlt. expressè sentit quòd obligatus voto simplici religioni imperfectiori, reus fracti voti non est, si perfectiorem religionem ingreditur: quia in maiori clauditur minus. Ex hoc apertè insinuans, per votum non esse acquisitum ius religioni illi imperfectiori: si enim acquisitum ius alteri religioni esset, non posset absq; violatione voti proprio motu aliam religionem perfectiorẽ ingredi: quoniã in his, quæ alterius ius concernunt, locum non habet propositio dicens, q; in maiori clauditur minus. Non enĩ qui debet centum alicui ecclesiæ, si soluat centum quinquaginta alteri ecclesiæ, vbi sanctius viuitur, &c. absolutus est à debito. Si igitur ex voto simplici non acquiritur religioni ius personæ voto promissæ, consequens est, q; nec aliarum rerum. Non acquiritur igitur ius aliquod ecclesiæ ex eo q; aliquid ibi offerendum vouetur (siue ad ornatum, siue ad subsidium, siue ad quodcunq; aliud commodũ ecclesiæ spectet) tenetur tamen vouens implere quod vouit, & ibi offerre, vbi se oblaturum vouit: alioquin si absq; dispensatione vel commutatione votum integrè non seruaret, mortaliter peccaret.

ET PER HAEC Patet responsio ad primum. Falsum est enim, quòd in his votis fiat aliqua promissio prælati ecclesiæ: iam enim patet, quòd cũ dupliciter promissio possit in voto inueniri, scilicet formaliter & materialiter, de illa, quæ est essentia voti, constat q; creatori tãtùm fit: materia autem voti si promissio esse debet, oportet quòd creaturæ rationali fiat. Et si indispensabilis aut incommutabilis, oportet quòd fiat creaturæ rationali militantis ecclesiæ, cui ex commutatione damnum & præiudicium fieret: quod hîc non accidere ex dictis liquet.

¶ Ad secundum dicitur, secundũm Theologiam loquendo (ad quam spectat de votis tractare) quod ecclesiã posse agere contra vota huiusmodi non seruantes, potest dupliciter intelligi. Vno modo, vt ecclesia agat pro iure suo contra eum qui vouit: & sic nec iure probatur, nec rationi consonat, quòd agere possit: quia nulla sibi pollicitatione facta, nullum sibi exigendi ius congruit. Ex Decretali siquidẽ illa hoc non habetur: quoniã ibi agitur cõtra eos, qui iam antiqua obseruatione se debitores ecclesię cõstituerunt ex votis emissis: cõcurritq; ibi obligatio votiua quasi per accidens: ex quacunq; siquidem causa lõgis temporibus continuè persoluissent certam frumenti mẽsuram, eadem quæstio emersisset. Autoritas autem Innocentij, Abbatis, Archidiaconi & gloss. non est maior rationibus super quibus fundantur, quas constat nõ concludere acquisitum esse ius ecclesiæ alicui. Innocentius enim opinans monasterium posse agere contra eum, qui vouit ingredi illud: fundat se super hoc, quòd votum est obligatorium. Ex hoc autem non sequitur, quòd illud possit agere: sed ille cui promissio facta est, Deus scilicet.

Abbas verò super verbis illius Decretalis: scilicet, Cogendi, Exigenda. Sed ex his nihil habetur ad propositũ: quia, vt patet, textus loquitur quando ecclesiæ erat ius acquisitum ex ipsa vouentium antiqua obseruatione. Glossa verò illa, quia vniuersaliter, absolutè & imperialiter loquitur, dicens, quòd ex nulla pollicitatione potest quis conueniri, nihil obstat. Quamuis super nulla ratione fundetur, si ad hoc adducatur propositum. Archidiaconus verò prædicta sequitur. Posset quoque & fortè melius dici, quòd doctores isti, licet dicant, quòd ecclesia possit agere: non tamen ideo, quia habeat ius acquisitum, sed potius propter obligationem vouentium: vt patet ex rationibus suis. Alio modo contingit ecclesiam agere, vt vices Dei gerit, cui est facta promissio. Et hoc modo Episcopus quidem ex officio agere potest contra nos seruantes talia vota: aliæ verò ecclesiasticæ personæ possunt indirectè agere, suggerendo in fauorem diuini cultus. Et quia hoc medium est inter posse conueniri ab ecclesia, vt illi dicebant, & non posse conueniri, vt alij sentiebant: ideo nõ est mirum, si diuersa senserunt: ad medium enim ex extremis venitur. Mantuæ, die 13. Martij, 1500.

TRACTATVS DVODECIMVS de Maleficijs, cuius est vnica quæstio.

QVAESTIO.

Num liceat maleficium soluere, opera malefici ad hoc parati vtendo.

QVAERITVR Vtrum liceat maleficiũ soluere opera malefici ad hoc parati vtendo.

¶ Et videtur q; sic. Quia necessitate exigente, licet vti iniquitate alterius ad commodum proprium: vt patet in petente mutuũ ab vsurario. Sed hîc nihil aliud interuenit, nisi vti iniquitate alterius parati, &c. ergo hoc est licitum. Et confirmatur: quia non minus malũ est iurare per idola, q; simplex maleficium: sed secũdum Aug. ad Publicolam, licitum est vti iuramento alterius per idola in pacis fœdere componendo: ergo licitum quoq; erit necessitate vrgente vti maleficio alterius.

IN OPPOSITVM EST Communis sententia Theologorum.

CONCLVSIO.

Non licet maleficiũ soluere, vtẽdo malefici ad hoc parati opera, nisi fortè simplici dissolutione, & absque aliquo maleficij opere.

RESPONDEO Quamuis præsumptuosa quædam ac temeraria opinio senserit licitum esse non inducere ad maleficium faciendum: sed necessitate extante vti iniquitate parati ad maleficium faciendum propter rationem supradictam: indubiè tamen ab omnibus fidelibus oppositum tenendum est. Tum propter diuinum præceptum promulgatum Leuit. 19. & 20. & Deuteronõ. 18. prohibetur siquidem in his locis recursus ad magos, ariolos, diuinos, &c. Constat autem q; tales sunt parati ad huiusmodi sacrilegia & homines, vt plurimùm necessitate aliqua consueuerunt declinare ad eos. Autoritate ergo diuina damnantur recurrentes ad eos, qui parati sunt maleficia agere: & mortis pœna puniendi dicuntur & abominabiles Domino. Illicitũ est igitur vti iniquitate sortilegorum maleficorum, & aliorum huiusmodi ad suum cõmodum, quacunq; id necessitate, voluntariè tamen fiat. Tum propter rationem.

AD CVIVS Euidentiam sciendum est, nõ semper licere vti iniquitate alterius parati ad peccãdum, sed tunc solùm quando potest hoc fieri absq; participatione in crimine: quando autem hoc contingat, hîc sumẽdũ est. Duo sunt genera operũ, quæ malè exerceri possunt à paratis ad peccandũ. Quædã sunt, quæ deformitatẽ peccati habẽt necessariò annexã, sic q; ab his nõ possunt, etiam si vellent, absque peccato fieri: vt patet de meretricio actu. Quædã verò sunt, quæ secũdũ se bona vel nõ mala sunt, q; tñ ex volũtate operantiũ semper habẽt annexũ peccatũ: vt patet de mutuo vsurarij: mutuare enĩ nõ exigit peccatũ, sed vsurarius paratus est annectere semper mutuo vsuræ vitiũ. Ex hoc aũt sequitur alia differentia, q; primos actus nullus põt petere aut cõsentire, vt ab alio fiat, quia sunt secũdũ se mali: et Ro. 1. dicitur, Digni sunt morte nõ solũ qui talia agũt, sed ẽt qui cõsentiũt facientibus. Secũdi verò generis actus licitè põt quis petere, & eis cõsentire: quoniam deformitatem peccati nõ ex se trahũt: sed voluntatẽ alterius adiunctã sustinẽt. Ex hoc aũt sequitur tertia differentia, q; scilicet in primis actibus nõ licet vti iniquitate alterius: qa hoc fieri nõ põt absq; ppria. In secũdis verò licitè põt quis vti iniquitate parati ad hoc: quia ipse petit actũ bonũ, puta mutuũ, sed ille adiũgit iniqtatẽ sibijpsi.

¶ Duobus quoq; modis contingit maleficiũ à maleficis solui. Primò p simplicẽ dissolutionẽ seu destructionẽ maleficij prius facti: puta dissoluendo ligaturã capillorũ cũ anulo ligneo, &c. Et hoc absq; dubio licitum est, nec est opus malefici vt maleficus est, sed hominis scietis impedimẽtũ boni proximi sui. Qm̃ hic nulla euenit dęmonũ inuocatio, sed sola dissolutio signi, quo durãte diabolus statuerat malũ cõseruare alterius. Secũdò per inuocationẽ dæmonũ, seu aliud maleficiũ. Et hoc est absq; dubio peccatũ mortale: et est opus malefici, inqtũ maleficus. Et qa tale opus nõ ex volũtate malefici, sed ex necessitate deformitatẽ peccati sibi cõiũgit, iõ nõ solũ agẽtes, sed petentes & cõsentiẽtes, peccato se subijciũt. Et iõ q̃uis liceat debita prudentia adhibita, ire ad maleficiũ, et rogare vt factũ maleficiũ destruat simplici dissolutiõe: nõ tñ licet ire ad

Universidad de Deusto Biblioteca

cū,petendo vt alio maleficio aut inuocatione dæmonum primū destruat.Nec etiam licet absolutè ire,ad maleficū, & absolutè petere,vt succurrat maleficiato. Tum quia malefici opus,vt sic petitur, quando absolutè petitur, sicut cùm quilibet alius artifex exposcitur.Tum quia particulare opus necessè est petere,& nō vagè relinquere arbitrio viri diabolici petitionem propriam.

Quomodo liceat vti iniquitate alterius.

ET PER HAEC Patere pōt respōsio ad obiecta.Tūc em̄ tm̄ licet vti iniquitate alterius ad propriū cōmodū,&c. qn̄ petens petit actū bonū, vel non malū, sic ꝙ pōt à rogato fieri absq; peccato:quemadmodū cōtingit & in acceptione mutui sub vsuris,& in postulatione pacti pacis cū infidelibus.Ille em̄ petit mutuū, quod pōt gratis cōcedi:et hic petit fœdus pacis,q̄d pōt ab illis principibus fieri,& stabiliri absq; peccato,veniendo ad fidē, & iurādo per verū Deū:q̄uis sciatur, neutrū id velle facere absq; peccato:quia parati sunt ex bonis petitis sumere occasionē peccādi.Sed à maleficis id q̄d petit[ur] fieri nō pōt absq; peccato:qm̄ subiecto dæmoniaca petitur necessariò ab his,qui nō possunt aliter subuenire, q̄̄ per dæmonum inuocationem. Mediolani die 26.Martij,1500.

TRACTATVS DVODECIMVS de Spasmo beatæ uirginis Mariæ, cuius est unica quæstio.

QVAESTIO.

Num quod de Spasmo gloriosissimæ virginis Mariæ matris Dei dicitur,sit canonicum.

SVPPLICANTIBVS Quibusdā, indulgētiāmq; petētibus in festo spasmi beatæ Mariæ, & eius octauis(q̄d celebratur à dn̄ica in passione vsq; ad dn̄icā palmarū inclusiuè) iussum est, vt ego consulerē,si id,quod dicitur de spasmo sit canonicū,cui præcepto pro[mpt]ac debui cōfestim obtēperās,q̄d mihi videt̄,&,qua rōne,scribere cur[au]i, quatuor dicturus.Primò,q̄d intelligatur rōne spasmi beatæ Mariæ.Secūdò,si illud fuit spasmus ꝓpriè dict⁹.Tertiò,si fuit spasmus vulgariter.Quartò respōdebitur directè q̄sito.

QVO AD Primū,cū Saluator noster tēpore passionis exiuit à domo Pilati in caluariæ locū, baiulās sibi crucē(vt dicitur Ioan.19.)& tres alij euangelistæ (vt patet Matthæi 27.& Marci 15.& Luc.23.) narrant Simonem quendā Cyrenēsem angariatū, vt portarēt crucem Dn̄i,euidēter elicitur ꝙ Saluator noster adeo debilitatus erat ꝙ crucē solus toto itinere portare nequijt. Sed ꝑter hæc,q̄ ex euāgelio habētur:scriptū inuenimus,non tn̄ autēticè,ꝙ Saluator noster ante angariatū Simonē, sub cruce cecidit:& ꝙ beata virgo mater eius cōpatiēs,etiā cecidit spasmata,& ꝙ ad perpetuā memoriā ædificata est ecclesia ibi,vocata sancta Maria de spasmo. Festum igitur spasmi beatæ Mariæ significat festū illius tristitiæ in illo casu habitæ,et tātæ assertæ,ꝙ fuerit spasm⁹. Hęc de prīo.

QVO AD Secundū,Spasmi nomē dupliciter sumitur.Vno mō propriè,vt sumitur à Physicis. Alio modo vulgariter,vt cōmuniter idiotæ cōsueuerūt dicere aliquem cecidisse in spasmo. Prius ergo de spasmo propriè dicto videamus,si in beata virgine fuit.Videtur em̄ ꝙ in ea fuit vel esse potuit:quia posita causa, ponitur effectus: sed excellens dolor qn̄q; est causa spasmi secundū Auicē. in tractatu de Spasmo.igitu[r] cū dolor Christi beatæ Virgini fuerit maximus:vt patet per Damascenū in lib.3. dicentē,ꝙ dolores,quos mater Dn̄i euitauit in partu,passa est in passione filij:tūc em̄ impletū est illud Simeonis, Luce 2.Et tuā ipsius animam pertransibit gladius:ergo potuit causare spasmum propriè dictū. Sed si diligentius cōsideretur,neq; literæ,neq; rationi hoc cōsonat.Dissonat quidē à ratione Beatā Virginē ægritudinem aliquam passam fuisse.Tū q̄a similis debet credi filio per omnia,quātum fas est:de filio aūt testatur Chrysostomus,ꝙ nō fuit cōueniens ipsum aliquo morbo lāguescere. Tū quia hoc præstitū videtur Ioanni Euāgelistæ, dicēte Hieronimo in prologo Euangelij Ioānis,ꝙ positus est ad patres nostros tā extraneus à dolore mortis,q̄̄ à corruptiōe carnis inuenitur alienus:spasmū autē propriè constat esse morbum contrahentē neruos:nō igitur conuenit ipsum asserere in beata Virgine. Dissonat quoq; à litera Euāgelij.nā Ioā. 19.dicitur,ꝙ beata Virgo stabat iuxta crucem:& si spasmū (id est neruorū tā dirā cōtractionē)in itinere passa est, quomodo tam citò liberata ad crucē venit,nec sedet,sed stat,præsertim nō subtracta,sed potius crescente cā doloris spasmatis?Nec currēdū est ad miracula,sed ꝙ virisimile ac rationi cōsonū dicēdū. Nec largè putes Euāgelistā dicere stātem, quasi dixisset manētem.Tū quia Euāgelista replicat,subdens:cū vidisset Iesus matrē & discipulū stantem.Tū quia consuetudo literæ euāgelicę est quando rē gestā narrat,proprietatē situs designare:vt patet Ioannis primo de Ioāne Baptista,Stabat Ioānes,&c.& Ioānis 4.Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontē: hora aūt erat quasi sexta,&c.& Lu.18.Duo hoīes ascēderunt in tēplū,vt orarēt,vnus Pharisæus & alter Publicanus.Phariseus stās hæc apud se orabat.&c.& infrà.Et publicanus à lōge stās: & infrà.Stās aūt Iesus iussit illū adduci ad se. Et nisi noīa propriè int[er]pretemur,oīa cōfusa erunt:vt Philosophus docet in.4.Meta. Tenēdū igitur indubiè mihi videtur, ꝙ nec neruorū cōtractio,nec morbus alius in beata Virgine fuerit. Et q̄uis dolor ingens spasmū causare possit, nō tamē necessariò causat.pōt em̄ & non causare spasmū:vt patet in Saluatore nostro:cuius dolor fuit maximus absque spasmo.Hæc de secundo.

QVO AD Tertiū:quia nominibus est vtēdū, vt plures vtuntur secundum Philosophum,2.Topi.non incōuenit etiam de spasmo,vt vulgus loquitur,tractare. Dicit̄ igit̄ vulgò spasmatus aliquis cecidisse:cū præ doloris magnitudine syncopē seu ectasim patiens cadit:occurritur enim tūc ad sustinēdum,& aqua in vultū aspergit̄. Et iuxta hūc sensum,crediderim ego dici beatę Marię spasmū.Huiusmodi autē doloris modū in beata Virgine fuisse,ex magnitudine suæ tristitiæ credi pōt.Sed reuera neq; isto modo spasmus in beata Virgine fuit:cū enim fuerit gratia plena.Lucæ primo,oportet corporales defectus de ea negare, qui plenitudinē pfectionēq; gratiæ impediūt. Cōstat aūt ꝙ dolor extra se personā faciens : exercitium rationis impedit pro tunc:& tūc erat tp̄s maximè actualiter secūdū rationem considerandi passionē Christi.Igitur huiusmodi dolor,gratiæ perfectionē secūdū actualē cōsiderationē rōnis turbasset, q̄d est valde incōueniens: nō fuit igit̄ huiusmodi casus in beata Virgine. Et cōfirmatur,quia gratius erat Deo,ꝙ beata Virgo cōpateret̄ ei secūdū rationem,quā secūdum partem sensitiuā:quia illa pars est nobilior,& propriè meritoria,& per se grata. Oportuit ergo,vt dolor beatę Virginis ita esset summus, quod tn̄ tota pars sensitiua regularetur,& subderetur rationi eius vigilāti:stāte aūt rationis exercitio ac dominio actuali super partē inferiorē,nō accidit dolor extra se faciēs personā & sensum. Quare spasmus vulgariter dictus longè à beata virgine Videtur fuisse.Hæc de tertio.

CONCLVSIO.

Nulla diuina,vel humana autoritate firmatum,canonicū est id,quod de Spasmo beatæ virginis dicitur.

QVO AD Quartū ex supradictis motus, dico ad quæ[s]itum id,ꝙ de spasmo dicitur, non esse canonicū multipliciter.Tum quo ad radicem: quia non est autentica.Tum quo ad veritatē significatā per nomē:quia Spasmi nomē nec propriè, propter dignitatē corporis, neq; vulgariter sumptū propter dignitatē animæ verificatur. Tum quo ad tēpus:quia vestigijs sanctorum Patrum inhærēdo Dominica in Passione,& Dominica in Ramis palmarū,etiam si festū Annuntiationis beatæ Virginis euenit,non cælebratur.sed transfertur:sunt enim priuilegiatæ Dominicæ illæ.Et tamen isti non quandoque, sed perpetuò,præfatis diebus volunt noua festa celebrare,& consequenter antiqua delere.Octauæ quoque si iuges illo tempore permittuntur,missæ Quadragesimales aliáque vetusta officia cessare possunt. Accedit ad hæc,ꝙ cū in cœna Domini sacramēta corporis & sanguinis Christi instituta noscantur, ecclesia tamen transtulit festum corporis Christi in aliud tempus: quoniā circa corporis Christi venerationem illo tempore occupata, distrahi in alia quamuis bona non debet.Vnde si festū doloris beatæ Virginis celebrandum est,in aliud.iudicio meo,tēpus & nomē mutādum est.Hæc sunt reuerēdissime dn̄e,quæ mihi visa sunt in re hac dicenda. Apostolicæ tamen sedis censuræ omnia submitto.Romæ die,17.Iulij.1506.

¶ Secundi Tomi opusculorum Thomæ de vio Caietani,Cardinalis sancti Xisti. Finis.

TOMVS TERTIVS OPVSCVLORVM D. THOMAE DE VIO CAIETANO S. R. E. CARDINALIS DIGNISSIMI, TITVLI S. XISTI: CVIVS SVNT QVINDECIM VTILISSIMI TRACTATVS.

***

1 De vi cultus diuini & orationis efficacia.
2 De vnione verbi cum natura humana.
3 De causa & origine mali: & cur homines plura & maiora mala inuaserint magis quàm cætera animalia.
4 De immortalitate animorum.
5 De modo, quo animæ patiuntur ab igne corporeo, & de corporum cruciatu.
6 De Ecclesia & Synodorum differentia.

TRACTATVS PRIMVS, in sex Orationes diuisus.

ORATIO PRIMA

De vi cultus diuini, & orationis efficacia,corā Alexandro sexto Pō. Max. Dn̄ica prima Aduentus,anno Salutis, 1501.habita.

RESPICITE Et leuate capita vestra,Luc.21.ca. Ingenij mei vires mē sus.S ac B. pater mihi ipsi satis esse ad dicendū corā maiestate tua, pollicitus nō sum .Noui siquidem quanta mētis acie , quāta orandi arte & consuetudine,quanta disciplinarū omniū vbertate opus sit, vt in hoc celeberrimo orbis Senatu dignus quis ad orandū habeatur. Nec adduci potui, vt mea huc sponte conscenderem, sed malo parendo tanto me discrimini credere,quàm minus auscultādo in turpi silentij portu me cōmorari: præsertim ꝙ non aduētitiū,sed proprio annexum officio munus explendum est. Verùm quia etiā ignorantibus quid agere debeamus, hoc superest refugij, vt oculos nostros ad Patrem luminum dirigamus, eius opem quo vberius ipetremus,reginam cæli vna,præcor, adeamus.Aue Maria.&c.

EXCITATVRVS Torpētiū corda fideliū Dn̄s ac Redēptor noster prodigia illa tremēda cōmemorauit,qbus vniuersus cōquatiet̄ orbis:et vbi cūctorū animos ingenti pauore soluēdos respexit,tremefactis discipulis,orōnis ptimus patefecit auxiliū.Respicite,inq̄t, mētis ꝓculdubio lumine, ad quā maximè spectat oratio,& leuate capita vestra,intellectū & affectū ad superiora erigite:his nanq; partibus suis,duabus veluti librata alis,tribunal Altissimi mens petit humana: cuius nimirū ascensum propriè orationē appellamus. Ea de re à Dn̄icæ exhortationis instituto nequaquā diuertens,de vi orationis aliq̄d in mediū afferēdū cēsui q̄d et tāto cōsensu indignū non sit, & mētis vtranq; partē vel mediocriter oblectet.

¶ Apud maiores nostros,eosdē studiosissimos viros, nō negligenda illa ambiguitas excitata iampridē fuit : quis votorū mortaliū precūmve ad Deū proprius fructus sit. quorsum orationes,obsecrationes, cæremoniæ, sacrificia, omnisq; Dei optimi maximi cultus. Epicurei siquidē, Stoici,Peripateticorúmq; nōnulli(diuerso q̄uis calle)cōtra Deū hominúmq; cōmercia progressi sunt : in eam tn̄ sententiā conuenere,vt eorū,qui diuinis rebus operā dāt, spem omnē deludant.frustrari nanq; expectationē lachrymarum,oblationū,venerationū, & id genus humanorū officiorum omniū asseuerant. AEgyptij verò,supplicationibus,processionibus,reliquóve diuinarū rerum cultui eam tribuere potestatē,quo ipsum mundi rectorē mouere, atq; in alterutram partem flectere posse crediderint.

Christiana autē religione Spiritussancti virtute fundata,& splēdore pariter illustrata,orationum effectus tam pulchrè moderata est, vt neq; diuinæ prouidentiæ quippiam ademptum autumet,neq; mobilem eā quouis pacto fatetur.Quocirca pro huius tantæ difficultatis veritate disputanda,prouinciā suscipiens,primùm , ꝙ oratio in numero causarū,deinde ꝙ in effectiuarū ordine, demū ꝙ in suprema earum sede locanda sit,differre constitui.

¶ Omnipotens Deus etsi solus quæcūq; facta infectáve simul nō implicant,efficere pōt:quemadmodū tn̄ diffundendæ bonitatis suæ gratia,res omnes,quæcunq; sint,existentia donauit : ita res ferè cunctas omni relegata inuidia ad supremā deitatis participationē asciuit,dū agendi eis virtutes liberali largitione concessit : & tanto fœdere secundas sibi causas deuinxit,vt nec illius immensitas quantulamcunq; efficaciam absorbendo cōsumeret, aut præueniendo impediret,nec harum interuentus, illius ad vltima quæq; aditum obstrueret.Illapsus enim quidā diuini numinis adeò intimè fit, vt cælum ac terras campósq; liquentes,Lucentémq; globum Lunæ, Titaniaque astra, Spiritus intus alat;totámq; infusa per artus, Mēs agitet molem , & magno se corpore fundat. Distribuit quoq; ea lege totam agentiū seriem in tres ordines (corruptibilium,cælestiū,& immaterialium.) vt & inferior superiori obtemperet,atq; extrà, quin potius suprà omnes, ipse totius orbis princeps moderator præsideat : neq; em̄ fas est alijs primam cōnumerare causam,quasi partis cuiusdam naturam locum teneat : quando totius bonitatis fons ,origo, custodia , consummatióque sola ipsa existit. Quamobrem præclarè Aristoteles gloriosum Deū summū bonū vniuersi,non in ipso clausum, sed extra ipsum tradidit.Nec ipsius sola natura, cuiuscunq; naturalis ordinis legibus est absoluta:verū diuinas etiā quasdam participationes fatemur exemptas.Credimus modū quēdam rerum esse , quasesi impartiri plerisq; intellectu præditis non ambigimus, connaturales tamen alicui nulla autoritate fieri posse prædicamus,docemus,demōstramus: sunt autē gratia,charitas,lumen gloriæ, & id genus multa.Quæ idcirco super oēm eleuantur naturā & creatā, & q̄ creari posset,quia diuinū assequūtur ordinē,veluti deitatis(si fas est dicere)proprietates.Eodē q̄ppe naturæ vinculo,quo vltimæ ꝑparationes cōsequētésq; vires proprijs connexæ sunt formis,& parē esse oportet naturæ cuiusq; & comitū cōmunicationē,eodē inquā vinculo, quæ memorauimus,excellentissimæ illi naturæ cōiungūtur diuinæ:nec minus vis omnis seipsam excedens illius fieri consors p[o]test essentiæ,quàm rerum harum fiat participatio insignis:nec deitatis capax esse quisquā magis potest , q̄ earundē perfusione reddatur. Has itaq; creaturarum eminentissimas qualitates,naturaliū causarum ordines transcendere ea fatendū est ratione,vt inter causas secūdas annumeratæ, primatum obtineant. Vniuerso itaq; agentium principiorum ambitu, quo disseruimus modo disposito,quam promisimus orationum causandi vim , diuersos causarum gradus inuestigando,perscrutemur. Familiaribus quidem nobis rerum principijs producendū si quid est, calore resolui,frigore comprimi,humido fluere,ariditate sisti,raritate extendi,densitate constringi, affectionibus reliquis subijci, fluxa atq; oppressa pugnantium inter se virtus exigit. Mens autem , cuius orare proprium est,quantum hæc aspernetur, his præstet, horum infra se subiecerit potestatem,nec illos quidem latet,quibus philosophia,sensuum,quoq; opera ab his libera esse monstrauit , sed quibus in semetipsis vel hoc aduertere datum est , quòd immutari contemplemur. Paulò superius artium genus, organorum series secreto vehit nexu:hisq; ademptis ociosi redduntur opifices. At qui optimā elegerint Mariæ partem , exterioribus sese negantes, publicas priuatásq; actiones solicitudinésque recusant,

Universidad de Deusto Biblioteca

Bonorum deinde officiorũ virtutis,morũ,totiúsve animi ornatus,quæ indita à natura semina sunt,intra singulos quosq; cótinent: neq; fieri potest,vt altero voluptates à se abdicante, parsimoniam sectante, iram moderante, timorem depellente, ius vnicuique reddente, disciplinæ cuiusuis operam dante, mentémque quomodolibet excolente,continens,temperatus,mansuetus,fortis, iustus doctúsve efficiatur alius. Diuinarum verò obsecrationum vis,in angusto orantis angulo non arctatur,sed ad extrema quæque diffunditur,omnia perlustrat cunctorum fines attingit,penetrat,pertransit. Syderea quoq; potestas quintæ integratur essentiæ à terminis astrorum, cursu, luce occultóve influxu perficitur. Supplicationes verò sacras cælestis naturæ,motus,luminis influxúsque expertes vtroque patet esse modo: agere enim nostra isthæc cælestium n ore nemo,nisi desipiat,credit. Agi autem superiorum corporum afflatu opinãtes intellectiuã animæ portionẽ(vt princeps Physicorũ ait)à sensitiua separare nesciterũt. Intelligentiæ denique(quas Angelos appellamus) aut absq; orbis motu efficere possunt nihil, aut certè solis localibus(vt Theologis placuit) præsunt mutationibus. At precibus puro de pectore emanãtibus hominũ subdi oĩa,obsequi,subterfugeréque nihil carũ imperiũ,veritas testatur: Quicq d orãtes petitis,credite,inquit,quia accipietis,& eueniet vobis. Quapropter si naturales, factiuæ,actiuæ,cælestes,spiritualésq; causæ nostrarũ intra se non claudunt orationum potentiam, solúsque supernaturaliũ diuinarúmque ordo supersit, in hoc rerum fastigio humanarum precũ si causæ sunt,reponẽdam esse dignitatem mentémq; quis non videt? Verũ cũ altissima sit ista hæc rerum series,Creatoriq; soli cognata, fieri quo pacto potest,vt obseruãtiæ huiusmodi(humana quidẽ facta)nostro subditæ arbitrio, tã excelso rerũ cacumine locandæ credantur? Incredibile autẽ dissonũq; ne cuipiam hoc esse videatur,humana vota bifariã perspiciẽda sunt: vt hominis nuda opera,atq; iterũ vt cælestis gratiæ afflatu decorata. Nostra si cõspecta fuerint,congenitã boni cupidinẽ ad bene beatéq; viuendi facultatem præ se ferunt,& veluti semina terræ cõmẽdata, sole, imbre,rore,cultúq; reliquo pullulant,crescunt,florescunt atq; fructificãt: nõ secus latens in homine spiritus,frequẽti officio, disciplina,studio,diligentiáq; excultus quicquid virtutis exculpi potest: proferet,fouebit,alet atq; perficiet.

¶ Et quia natura superuacanea abhorret, nec ratio suadet alterius opẽ quærere vbi posis ipse perficere, nulla adhuc supplicãdi necessitas,nulla tot precũ vtilitas apparet. Quò fit,vt posthabendi penitus non sint magno excellẽtiq; ingenio præditi philosophi,si ad vulgares cõpescendas insolentias,ad effrænẽ moderandã audaciã,ad bonos inferendos mores,cultũ isthunc adhibendũ tradiderunt. Insitas scrutati vires,singularẽ de hominis salute clementissimi Dei solicitudinẽ,ex qua nostrarũ petitionũ oritur efficacia,promissámq; æternę vitę beatitudinẽ, quæ eisdẽ fructũ præbet,ignorarũt: abscondit enim hæc Deus pater arcana à sapiẽtibus & prudentibus huius seculi,quæ suis erat paruulis quãdoq; reuelaturus. Ornata autẽ humana mẽs gratia,fide,spe,charitate,cæterísq; perfusa cælestibus habitibus,primæ summæq; bonitatis amore rapitur, illius intuitũ concupiscit, inhiat, anhelat. Et quia oculus nõ vidit,nec auris audiuit,& in cor hominis nõ ascẽdit quod præparauit Deus diligẽtib9 se:& nõ mõ debilis,infirmus,deficiens oĩm hominũ & angelorũ conatus,verũ etiam nullus fore comprobatur: hinc potẽtissimi Dei inuocãda est manus,hinc implorandũ auxiliũ, hinc expetendus ducatus,hinc miris quidẽ veris tamẽ modis,& immoto consilio diuina exoratur clemẽtia & orationũ nostrarũ non perit efficacia. Qemadmodum enim generi animantiũ inanimatarúmq; rerũ omniũ est à natura tributus appetitus quidã inquirendi boni: id tamen assequi nequaquã potest, nisi secretis adhibitis adminiculis ab eo qui operatur omnia in omnibus, eoúsq; ducatur: ita sanè cõcitata in nobis per Spiritũ sanctũ summi boni desideria,expletũ iri humili intercedente postulatione congruit. Exposcit nanq; diuinitatis perspecta lex ab optimo omnia nedum prona ad bonum fieri,sed opem sortiri,qua sese ad id diuerso ferant gradu: si enim effusa diuinæ bonitatis quãtulacunq; similitudo res omnes constituẽs,atq; decorãs secundũ affert, nisi contingẽs quidpiam præpediat innati cuiusq; appetitus finẽ voluptatẽq; naturæ quãtò magis impressa sanctissimæ Trinitatis imago ineffabili gratiæ splendorem coruscans conferet,vt quem à facie Domini concepimus, & parturiuimus Spiritum salutis,proprijs nexibus quandoq; pariamus. Commonentis præterea officium est, si quos ad optandum,aggrediendũ,agendũmq; impulerit,eorundẽ electione,aggressu,actione vti, cœptáq; quo ad eius fieri potest,perficere: propterea quidem qua ratione mouẽtur singula,eadem & quiescunt. Natura etenim lata, naturã assequuntur,natura manent, vi autem expulsa,vitra huntur vsq; consistunt. Fecit aũt sapientissimus Deus nos ad se,et inquietum est cor nostrum,donec requiescat in se. Scimus nanque, quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit, & intra nosmetipsos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. Suum igitur erit, pios, quos inseruit affectus, quibus ad eum suspiramus, quos petendo accendimus, non excludere, sed admittere, fouere, beare. Cur rationalis creaturæ sublimitas scribitur,prædicatur,extollitur, vt diuinæ naturæ consortes, vt filij Dei nominemur & simus,si Dei cooperatores non sumus? Si ad capessendum paratum nobis ab origine mundi æternitatis regnũ opera nostra efficiunt nihil, miserabiliores profectò nõ modo nationibus,sed vilissimis etiam quibusque rebus filij Dei sunt,si reliquorum formæ actiones & fines paritate congaudent, eis verò acceptæ naturæ ad quietem obtinendam omnis actio subtracta sit. Quorsum diuinæ amicitiæ munus humano collatum est generi, si amicorum iura seruare non possunt? si cuiusque hominis apud Deum nulla est autoritas? si quod optat quis optimum, potentissimi Dei amicus efficere nequit? si æqua est petentis atque non petentis conditio, & par vtriusque facultas? Præstare nempe obsecrantem non id infert,vt aliquid velit aut malit immutabilis Deus: sed vt opera nostra fiat, quod aliàs factum non fuisset, sed vt accommodè causæ efficiendis adhibeantur rebus. Secundarum quippe causarum leges nõ norunt, non ideo negant vanas esse, quòd summi opificis potẽtiam augeant aut voluntatem mutent: sed quia status ordo seruatur, quia effectus cognatas etiam habent causas, quæ à summo bono descendunt consono gradu rerum perfectiones. Ita nanque sapientia attingit à fine vsq; ad finem fortiter,& disponit omnia suauiter. Proinde quæ seruorum Dei paupertatem, cælibatum, seruitutem, ieiunia, vigilias,solicitudinem,orationes,cæterósq; supernæ vitæ gratia susceptos labores despiciunt,& causare nihil contendunt, defendant vana esse singula hominum studia: accusent auidos agricolas,arguant solicitos negotiatores, milites,omnium artium opifices,& varijs literarum disciplinis operam dãtes,damnent ipsam deniq; naturam: quæ sicut ad vitæ status gloriæq; commoda possidenda, laborandum esse suggerit, sic ad felicitatem habendam orandum esse docuit fidelissimo naturæ testimonio, omnium nationum,omnium prorsus seculorum ritu comprobante: neq; enim vel noua vel singularis obsecratio num est religio: sed ætates,tempora,æuitatésq; si recẽseas, vetustissimam hanc obseruationem totóq; orbe terrarũ diffusam, tametsi diuerso cultu, semper inuenies. Quod autem indeficiens apud omnes perseuerat,à natura inditum, aut immobiliori aliqua causa institutum esse,omnium philosophantium schola confirmat. Non vana itaq; nec parua potestate donati sumus,quando interpellandæ nobis diuinæ maiestatis facultas cõcessa est, quando nostræ orationes,nostri exempli efficiuntur causæ desiderij: hoc de primo quidẽ diuisionis membro diximus.

¶ DEINCEPS Vt erat propositum, ad quod genus causarum referenda sit oratio, paucioribus absoluamus. Quamuis P.B. arguta dicta, quæ disseruimus, scio illi plerique putent: retundere tamen quàm assentire malunt. Causarum, inquiunt, genus quadrifariam diuisum cùm sit, vestra isthæc religio, si earum, continetur ambitu, quam denique subit causandi rationem, finis, forma & materia eorum,quæ in sacrificijs obtenta creduntur,ab humana longè sunt opera: efficiens verò cùm oporteat rem aliquam dare factus,& hominum vota nil oratione tribuant impetratis, procul esse ab agentium finibus fatendum est. Deficiunt præterea nunquam aut certè rarò,rerum per se actiua,oratur autem plerũq; expectatione vana: fortuita igitur,aut nulla huiusmodi cultus vis est. Animaduertissent profectò hi argumentationũ suarũ,quàm friuola sit ratio, si mentis oculos ad geminã coniecissent sectionem. Alteram agentis in disponens, adiuuans,consulens,& perficiens: alteram modi agendi in imperium,suffragiũ,atq; ministerium. Relucet in his agẽtis nomine etiam suffragantẽ admitti, nec enim dũtaxat dicitur dare qui tribuit, sed & qui interpellat, vt detur. Nec ab re: vt enim præcipiens effectiuũ esse constat(quia obtemperantem executorem ad agendum promouet) sic & petens qui actorem ad faciẽdum flectit: quia & apud grammaticos idem imperatiuus & deprecatiuus est modus. Nec indignũ rationali censeas creatura,q reliquis quietum esse ex proprijs viribus sit à natura collatũ, ipsi autem tam humili actione alienã opem implorare necesse sit. Meminisse eñ oportet, quàm in ardua difficultate de cælestibus motibus disserens autor Peripateticorum protulit sententiã: meliorem inquit fore ægrotantis fortunam compluribus auxilijs perfectã assequi sperantis valetudinem,q paucioribus exiguã. Librandas rerum naturas ex hoc voluit, non quia potiundi boni potentia est maior,sed quia bonũ potiundum est maius. Non minor itaq; rationalis est creatura, q externo destituta auxilio optimum in tota natura consequi non valet: sed eo altiorem conscendit gradum,quo excellentior & omni cogitatu superior illi fœlicitas proposita atq; parata est. Non officit etiam,q nostris optatis plerunq; oratio non respõdet: causarum enim non quouismodo: sed ritè dispositarũ lex est nunquam aut rarò deficere. Vegetabilium quippe semina non aliter, quàm vdis mandata sulcis suo tempore opportunáq; diligẽtia exculta obtinẽt: vt sæpè fructus afferant. Sol cũ homine hominẽ,cũ leone Leonem,cũ singulis animantibus singulorũ genera semper ferè generat, modò quædam non desint præparationes. Quocirca si Dominũ precantes,nulla affectio causarũ more,efficaces saltem frequenter redderet, meritò causalis eos ordo à se abdicaret: sed cùm eorũ tãtus sit vigor,vt totus assit orationis effectus,non sine quo incassum ligant, sed cũ quo fructum referant expectatum: iure inter effectiuas causas locum sibi vendicant. Accepimus verò petẽtes piè, perseuranter,pro se necessaria ad salutem obtinere non sępè: sed semper efficere quod cupiunt. Piè quidem petendum est: alioquin licet multiplicauerimus orationes, petimus, & non accipimus: eo quòd malè petamus: qui enim declinat aurem suam,ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis: & cùm is qui displicet ad impetrãdum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Dedit equidẽ postulantibus regem in furore suo: & respexit in orationem humilium, qui voluntatem timentium se facit,& deprecationem eorum exaudit. Perseueranter autem: quoniam pater misericordiarum & Deus totius consolationis rogari instantissimè vult, ne oblata aut illico impetrata vilescant: & nosipsos ad percipienda promissa deuotionis igne accensos præparemus. Clausis ostijs intempesta noctẽ se puerisq; suis somnum capientibus,euãgelicus amicus post negatum mutuum,post increpatam molestiam improbitate pulsantis victus, quotquot opportunitati fuerant panes elargitus est. Pro se verò quandoquidẽ obstare eius,cui petimus aut oramus scelera, ne etiam Sanctorũ preces admittantur,Hieremiæ contestatus est Dominus: Tu,inquit, noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem,& orationem,& non obsistas mihi: quia non exaudiam te. Et rursus: Si steterint Moyses, Iob & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Necessaria demum ad salutem æternam petẽda sunt: quid enim reliquorum oremus, sicut oportet nescimus. nouit autẽ cælestis Medicus,quid ægris salubre sit: & idcirco sæpè non tribuit quod volumus, vt tribuat quod mallemus. Si eñ nos cũ simus mali,nouimus bona data dare filijs nostris,nec credẽtibus se petere panẽ,ouẽ, aut piscẽ,lapidẽ,scorpionẽ,aut serpẽtẽ porrigimus,quãtò magis pater noster cælestis quæ obfutura videt? clementius negat,quàm indulgeat: Iacobus & Ioãnes indiuidui Christi comites,dextram læuámq; regni sedem petitum mittunt,& audiunt, Nescitis quid petatis. Paulus vas electionis stimulum carnis suæ angelũ Sathanæ ægrè ferens,ter Domino rogato pro illius ablatione exauditus non est: quia si illo caruisset,saluus esse non potuisset. Efficit ergo semper optatũ, modò suis partibus constet oratio: reliquum est, vt in suprema sicut præmisimus reponatur. Tanti nos fecit munificẽtissimus Deus,vt ex infimo genere vota huiusmodi in altissimo post se causarũ solio, omni ei creatura subacta statueret, declararet, factísque

cõprobaret. Oratione nãq; terra aperta est,& deglutiuit Dathan,& operta congregatione Abiron rursus clausa est. Iordanis vnda perpetem suũ meatum retorsit: aër mẽsibus sex & annis tribus serenitatem seruauit: ignis à castrorũ combustione cessauit. Oratione grando, tonitrua, pluuia,muscæ,ranæ,locustæ fugatæ sunt. Rebecca à sterilitate soluta,Maria à lepra mundata,exæcati & rursus illuminati Syri,Ezechiæ terquini adiuncti sunt anni, vita functi pueri reuixerunt. Oratione Moyses Amalecitarum profligationem,Sanson extremum robur, Salomon sapientiam,Daniel visorum reuelationem,Hester assueri gratiam,Mardochæus populi liberationem,Susanna intẽtatæ mortis vltionem obtinuit. Oratione sol cõmoratus in cælo,longiorem triumphanti populo diem præstitit: solis recessus in decimum pertransitæ viæ gradum, Esaiæ vaticinio testis affuit. Oratione immanissimus draco, cui permissum est animas seducere,in angustum deserti carcerem detentus est,dæmonum genus apostolicæ autoritati resistens eijcitur, Angelus Domini centum octoginta quinq; virorum millia interemit, Michael Iudæis præsidium tulit, Gabriel Danielem solatur, Raphael Tobiæ lachrymis affuit: sed quid per creaturas vagor? Creator nempe ipse humillimi famuli sui oratione detentum se fatetur: Dimitte,inquit,me,vt irascatur furor meus. O' humilis lachryma,quanta est potentia tua, vincis inuincibilem,& superas Omnipotentem. Tua sunt hæc Deus optimè opera, qui seruos tuos tam ineffabiliter magnificas: quippe cũ eorum interpellationibus desiderijsq; vniuersam subieceris creaturam,tu amicos tuos tam admirabili gloria decorasti,vt quicquid à natura,virtute,fortuna,spiritu,atq; à temetipso expectandũ est, hoc totum illorum votis commiseris. Verũ misereris omniũ Domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: quandoquidẽ cæci illius in Christũ tuum adhuc caligantis sententiã(qua dixit, Nos scimus quòd peccatores Deus non exaudit) dum Nabuchodonosor,Achab,Publicani, Petriq; preces admittis, confutasti, & ad flagitiosos quosq; exorãdi munus ostendisti. Habet itaq; ecclesia tua B.P. sacrum cultum non vanum,aut fortuitũ,sed inter causas effectiuas supremi ordinis omnia sua dictione concludentem. Nec in vacuũ obsecro tantã Dei gratiam, largitatémq; recipiamus,regnũ tuum Domini Iesu est oratione comparatum: dicẽte ad illum Patre, Postula à me,& dabo tibi Gentes hæreditatem tuam,& possessionem tuam terminos terræ. idem est eiusdem oratione confirmatum, dicente ipso ad Petrum: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: propter quod Romana ecclesia immaculata fide perseuerat. Collapsum ergo idem præceps ac propè ruinam cùm videamus,experiamur, sentiamúsq;, sursum respiciamus, & leuemus capita nostra. Oremus mente,oremus & spiritu,ne vox illa repetatur,populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est à me: cui debetur omnis honor & gloria in secula seculorum. Amen.

ORATIO II.

De vnione verbi cum natura humana, coram eodem Alex. 6. dominica prima Aduentus, anno Salutis 1502. habita.

VIDEBVNT Filium hominis cum potestate magna & maiestate. Lucæ 21. capi. Admirabile sacramentum, quo filius Dei se nostra cum humanitate coniunxit, Diony. Areopagita B.P. profundius sensit, quàm à nobis explicari possit. Silentium tamen ab hoc nobis non indixit,sed mysterij altitudinem commendauit. Quamobrem studiosas mentes, quæ ad difficilima quæque perscrutanda sese rapiunt, prouocauit ad huius tantæ rei contemplationem non minus salutarem, quàm difficilem. Tali concitatus desiderio statui apud me ipsa vnione verbi cum natura hominis aliquid tam subtiliter, támque modestè disserere, vt tanto loco dignum quippiam afferrem,& professioni meæ videretur aptissimum. Attamen primũ Mariæ numen,vt præsens nobis assit,humiliter imploremus,dicentes,Aue Maria,&c.

CVM AD Aedificationem perpetui templi solius atq; omnipotẽtis Dei,in quo vos B.P. et reuerẽdissimi Dñi tãq; colũnę positi statis,illud immutabile fundamẽtũ iaceretur, Verbũ q in principio erat Deus, caro factũ est, admiratione pariter & stupore commoti sunt

Universidad de Deusto Biblioteca

plurimi, subtiliúsque inuestigare molientes, quomodo vnus atque idem verus Deus & verus homo esse posit, ad philosophiam sese contulere. Cunque in illa prospexissent, quòd omnis vnio aut secundum substantiam, aut secundum accidens sit, vtranque perscrutati, diuersa vtrinque obstacula offenderunt. Etenim si substantialis est ipsa Dei hominísque coniunctio, aut diuinitas erit humanitatis forma, et perinde, vt Apollinaris somniauit, tertia quædam natura ex vtriusque commixtione cōflata est. Si verò accidētalis affirmatur, siue diuinum dicamus Verbum habitare in illo homine, veluti in templo, siue vt indumento connexum (quemadmodum duas hypostases in eandem personam cōponentes cōcedere oportet) Nestorianam impietatem à finibus ecclesiæ iam pridem à Patribus explosam vltro reuocaremus. Quò fit, vt nodosa nimis quæstio Christianæ religiōis professoribus obiecta videatur. An fortè satis erit nobis pertransire crassa (vt aiunt) Minerua: & ruditer arbitrari talem fuisse illam vnionem, qualem Deus voluit, aut qualē ecclesia credit. Sed si hæc fides sufficit, vana est admonitio principis Apostolorū, qua nos paratos esse iubet de ea, quæ apud nos est inconuulsa fide, omni poscenti nos rationem reddere. Quo itaque fœdere Verbum caro factum sit, quantum à sanctis Patribus accepimus, & nobis tribuere dignatus est qui omnem hominē ad se humiliter properātem adiuuat & illuminat, paucis mihi prosequēdum restat. Et quoniam omnis de aliqua re institutio à diffinitione debet proficisci, vt intelligatur quid sit id de quo disputatur, imprimis prælibandum reor, quid sit vniri in natura quidve in persona. Vniri in natura dicuntur, quæcunque è diuerso venientia ad vnius naturæ integritatem perficiendam concurrunt siue informatione quadam, vt anima & corpus hominem integrant: siue continuatione qualibet à natura instituta, qualem animalis membra præ se ferunt, siue quauis alia enascentium conuersatione rerum id euenire contingat. Cùm autem ex philosophia, nedum à sacris literis, didicerimus diuinitatem & in seipsa omnis compositionis expertem: & in cuiusuis alterius concretionem venire non posse (vtpote, cuiuslibet imperfectionis rōne illi repugnāte) assumptio hominis à Dei verbo vnionem in natura repellit. Vnisi verò in persona illa dicuntur, quorum vna eadémque existit à Græcis hypostasis appellata à nobis autē substantia indiuidua. Addidi autem, indiuidua: quoniam consuetudo Latinorum, & quæ communis est substantiam vsurpat. At vnio hæc secundum personam nō vno tantùm modo intelligi potest: nam quodlibet accidens ab eo, in quo est, constat secūdū personā indistinctū esse: partes vel integritatis vel essentiæ cuiuscūq; hominis, quātū ad personam attinet, eædem sunt cū eo, cuius partes esse dicuntur. Verùm cum diuino verbo fas non sit quippiā accidere, & ordo rerum nequaquam patiatur humanitatem, quæ ad substantiam spectat accidentis essentiā subire, intelligi nullo modo potest, vt humana natura deuincta Deo personaliter sit: quemadmodum accidens subiecto suo inhæresit. Quòd si ad alterum modum recurras, quo partes atque membra personæ copulentur, incidis in Scyllam cupiēs vitare Charybdim. Deū enim aut hominem partis diffinitionem subintrare fatendum esset: quorum vtrunque riderent philosophi, alterum orthodoxa detestaretur ecclesia. Quid ergo: succūbendúmne nobis erit? minimè gentium. Perspicacius quidem intuentibus videri potest, quòd membra cuiusque hominis & partes sunt & organa: partes quidem, quoniam totum integrant: organa verò, quia ad officia muneráque propria accommodantur. Organa autem dixerim non quæcunque, sed connexa. Habent siquidem artifices & alia instrumenta à seipsis abiuncta, quæ à prioribus tantùm distant, vt nequaquam valeat alter alteri manus aut oculos, quemadmodum ensem aut calamum commodare, propterea quòd nostra isthæc membra nobiscum subsistunt, illa verò remota à nobis sunt, & existunt per sese ipsa. Nec partes, & quæ diximus coniuncta organa, tam mutuo inter se connectuntur vinculo, vt neutra posint ab alterutris separari; quando quidem & si nullum intelligatur genus partium, possunt nihilominus huiusmodi instrumenta remanere. Nam & sensoriæ quæque partes non eo q partes cōpares habent, organa sunt, sed quoniā ad suas aptæ sunt functiones: vnde si senex oculum solū iuuenis assumeret, videret vtique sicut iuuenis, & si quis præterea corpus totum animæ organum dixerit, nullus erit error. Quocirca modus quidam relinquitur, quo personalis aliqua coniunctio definiri potest, nulla se vel partium, vel accidentium natura commiscente, quando organum implicitum asseuerauimus cuipiam tributū esse personæ, atq; hoc nimirum pacto nostram naturam Dei verbo vnitam citra omnem dubitationem confitemur.

Et quoniam in tota earum, quæ apud nos sunt, vniuersitate rerum, nihil tam simile verbo Dei, quàm intellectiua anima reperitur, ab ipsa exemplo qualicunq; sumpto, ea quæ diximus, fortasse subobscura pendantur. Cernere libet nostram animam, præter quod corporis est forma, vtroq; potiri instrumenti genere: dū & sui corporis eiúsq; partium perinde ac cōgenitorum organorum vtitur ministerio, & externa adminicula perficiendis adhibet operibus: hominis enim corpus coniunctū intellectiuæ animæ organū putandum est non ob id esse, quia ipsa illud informat & perficit: sed ob eam potius causam, quòd idē cum ipsa sortitum est subsistere. Enimuero si sola vi intelligentiæ adimeretur animæ, hoc ipsum q corporis perfectio est, retineret nihilominus secum illud idem corpus, quatenus instrumentū coniūctū: vt Platonici omnes, Peripateticorum verò illi, qui vnum hominibus dedere intellectum, affirmant. At si incredibile aut ambiguū adhuc cuiquam videtur, vt spiritualis aliqua substantia corporeum habeat quippiam eiusdem secum esse participans, quo proprias absoluat actiones, & tamen eius forma non sit, ad seipsum redeat, seipsum intueatur, de seipso dubitet. Nónne intellectus hominis ad explicandos corū quæ intelligit, conceptus lingua vtitur, quæ corporalis est, & eadem omnino persona cum illo cōstans, & tamē intellectus nullius corporis est actus? Quemadmodum itaq; intellectiua anima minùs quidem, veris tamen, modis geminū habet instrumentum, iunctum & abiunctū: non secus profectò gloriosus Deus vniuerso creaturarum genere veluti organo vtitur separato, dum per secretum, intimúmq; illapsum se rebus immiscens, ad suæ voluntatis arbitriū deducit omnia, et cūcta in singulis, et singula in cūctis operatur. Illam aūt humanitatē, quæ in Christo permanet, tāquam organum coniunctum assumpsit: atq; ad illa magnifica & excellentissima solius Dei opera, redemptionem generis humani, sanctificationem peccatorum, æterni regni aditum, & id genus multa accommodat, agit, exercet. Quare præclarè Athana. vnionem animæ ad corpus, non vt materiam, sed vt instrumentum proprium intuitus dixit, sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Cū igitur vnio omnis (vt primo loco dicebamus) vel secūdū personam sit, vel secūdum essentiam, & essentialem procul à proposito repulerimus: superest vt personalem vnionem hanc asseramus. Rursus cum personalis vnio interdum penes substantiam cōstare posit, interdum autem penes accidens, & quæ accidentis est similiter prætermissa sit, vtriq; substantialis remanebit. Postremò, quia & hæc in eam, quæ asciscit partes: & in eam quæ organis contēta est distincta reperitur, constet verò partium proprietates vtriq; repugnare naturæ: consentaneum est, vt diuinitas atque humanitas Christi in vnam coēant nō naturam, sed personam: non accidentaliter (vt ita loqui liceat) sed substantialiter: nō vt partes, sed vt altera humanitas, quod veluti instrumentum quoddam (vt sæpè dictū est) adiunctum diuinæ personæ sit: atq; ita sanè adiunctū, vt corpus illud verum Dei corpus, & anima illa vera Dei anima verè atq; constanter posit appellari. Nec officit quicquam nobis, q coniuncta organa ad integritatē naturæ eius, cuius sunt spectare videantur, non enī oportet id continuè verum esse, vt sexti digiti quacūq; ex causa cōgeniti exemplo probari potest, is enim de speciei humanæ integritate non est, & tamen organum connexum est hominis habentis illum. Cæterum, quo nullus hæsitandi locus excellenti cuiquam ingenio relinquatur, nihil obesse scito, q ipsum Dei verbum sola vi intelligētiæ ad assumptam naturam refertur: hoc enim minoris referre curandum sit. Relatio nanq; sola non tātum habet momenti, vt hominem Deum faciat, verùm suum inspiciendum est, ex quo oritur fundamentum. Quod hoc in loco si attenderis, in eo cōsistit, quòd filius Dei ad idem omnino esse personæ substantiæq; suæ naturam hominis complexus est: hæc enim eiusdem esse indiuisio, est qua Deus homo est. Quæ & tanta tanq; singularis habetur, vt in tam

tam numerosa rerum conditarum multitudine nullā diuus Bernardus repererit, quam non fateretur ab ea excedi: cū docente Aug. didicerimus potiorem vnionem obtinuisse hominem in filio Dei, quam (mirabile dictu) ipsemet filius in Patre, cū quo tam singulariter vnus Deus. Hæc est quæ prodigijs omnibus adeò præstat, vt ne dicam cætera mirabilia Dei operà (quæ vel tenuiter inspecta laudamus, miramur & obstupescimus) sed miracula vniuersa quæ fieri posse credimus longo supereminet interuallo: qn quidē homo, qui natus est in ciuitate carnis nostræ idem ipse est Altissimus, qui fundauit eā. Hoc est magnum illud, atque apostolicū sacramentū: quo secūdus Adam tanq; sponsus procedens patrem reliquit & matrem, quando forma suscepta seruili splendorē maiestatis obtexit, & synagoga dimissa nouæ spōsæ inhæsit, factiq; sunt duo, Deus inquam & homo in carne vna. Hæc est ardentis símulque incombusti rubi flagrantia: qua Deus noster (qui ignis consumens appellari voluit) quā asciuit humanitatem, absque consumptione continet atque illustrat. Nec secus quàm ros in vellere abditur: & tanquam lapis sine manibus humani operis de monte virgineæ altitudinis abscissus creuit in montē maximum, omnia implentem, quando vniuersa & quæ in terris, & quæ in cœlis sunt, instaurat, magnificat, beat. Hæc demum est quæ mortalitatem nostram abiectam atq; prostratam supra ne dicam sydera, sed angelorum quoque altitudinem efferens diuinitatis consortium adeò nobis impartiuit, vt nunc quidem essemus & appellaremur genus electum, regale sacerdotium, gēs sancta, populus acquisitionis eius qui de tenebris nos in admirabile lumen suum vocauit, & demum quādo apparuit, similes ei simus, immortales, impassibiles, nullius egentes, sancti, gloriosi, beati. Agnosce ergo quisquis Christianæ professionis cēteris, dignitatem tuam, & diuinæ iam consors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Memento cuius capitis, corporísque membrum sis. Etenim si præ oculis nostram hanc tantàm præstantiam in prōptu haberemus, & ad illam mores nostros metiremur, & cogitatus, quàm parata & expedita esset nobis via ad bene beatéque viuendum. Quicunque nempe salutis suæ curam non negligit, in hac vnionis gratia, qua Christo insectus est, standum, aut ad eam redeundū sibi fore facilè prospicit. Nam quia nos insani per impietatū nostrarum iniquitates ab vno vero summóque bono resilientes euanueramus, in multa discissi, per multa inhærentes multis: nutu denique Dei nostræ perditionis miserentis, venit Emmanuel vnus. & se nobiscum effecit vnum, vt à multis exonerati, applicaremur ad vnum, amaremus vnum, frueremur vno, persisteremus vnum: qui cum patre & sancto spiritu viuit & regnat deus. Amen.

ORATIO TERTIA.

De causa & origine Mali: & cur homines plura & maiora mala inuaserint magis quàm cætera animalia coram Alex. 6. Dominica 1. xl. anno salutis, 1502 habita.

DVCTVS EST Iesus in desertum à spiritu vt tentaretur à diabolo. Propositum hodie singulare duellum. S. ac. B. P. admirandum vniuersæ creaturæ spectaculum exhibet. Vnigenitus nanque omnipotentis Dei, idemque Deus omnipotens trabea nostræ mortalitatis indutus non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati progrediens, alter pugillum mediam veluti in arenā, & totius orbis theatrum prosilijt, contra principē tenebrarum pugnaturus. Quis non miretur? quis non stupeat? quis nō omnibus propè sensibus deficiat? Magnitudo rei & scaturientium multitudo mysteriorum, rationis virtute omnem circunfundit. Cùm autem cuncta mens nō valeat humana comprehendere, & quæ percipere datum est, enumerare singula orationis modus non libenter sinat: ad vnum illud oculos inieci meos, non aliorum potissimū, sed quòd exilibus ingenijs (quale meum fateor) & tractatu facilius, & ad nostrā maximè respiciat naturā. Cū enī intueor Saluatori nostro, eidéq; Deo optimo, creaturam suam, quam bonam sanctámque condiderat, obuiam fieri, culpam suadere, & nequitiæ suę venenū ad fontem vsque bonitatis extēdere tentare: id modo versatur in animo Deus omnipotens maximus autorem omnium, eorundémq; & singula bona, & cuncta valde sunt bona: vnde igitur malum rebus adiunctum est? quis malum mūdo inseruit? Operepretium itaq; esse arbitror, quàm breuissimè discutere prius vnde malum in vniuerso sit: deinde quam ob causam hominum genus præ cæteris plus mali occupauit. Veruntū nostro vt aspiret instituto, Mariā summi boni parentē adeamus. Aue Maria.

MALI ORIGINEM Inuestigare tentantibus ille quàmprimum occurrit quæstionis nodus, Malum an ab alio productū an verò ex seipso subortū sit. Si ab alio, à bono igitur: aliud nempe à malo, non nisi bonum est. Quo autem pacto à bono malū manare potest, cùm pugnent inter se, nec solùm contraria, sed contrariorum quoque causę sint? Si ex semetipso malum est, Manichei redit error, nec vnus vniuersi est princeps (vt Stoici & Peripatetici rationibus affirmarunt) sed duo rerū prima principia, alterum quidem bonorum, alterū verò malorum (vt Pytagorici finxisse visi sunt) confiteri necessarium esset. Implicitè autem huius difficultatis nexum, qui sibi absolui explicariq; desiderat, eorum quæ sunt, geminam aduertat esse naturam. Altera quidem ad propriū bonum ita disponitur, vt tamen ab eius consecutione deficere posit: qualia sunt ea omnia, quæ in hoc vltimo orbe frequēti & alterna generatione atque corruptione variantur. Altera verò (ad quorum numerum cælestia pertinent corpora) infallibili ratione proprium bonum consequuntur. Nascitur autem hæc rerum disparitas ex ea, quæ præcedit diuersitate mutabilitatis atq; constantiæ. Illud quippe rerum genus, cui opportuna quæq; principia ad vltimum suæ naturæ adipiscendū mutabilia sunt, fraudari profectò suo bono potest. Cui autem vel obtenti vel obtinendi necessaria omnia præsto certáq; assunt, hoc à suo desiderio decidere (etiam si fingere liceat) impossibile esse videtur. Plantæ etenim & semina idcirco ab intento germine inueniuntur quidem defecisse, quòd per impedimenta obuiātia naturalis eorum profectus interceptus est, sol verò ab instituto nunquam diuertit ob eam causam, quòd inuariabili ordine natus est moueri. Oritur & hæc diuersitas ex priore differentia secundum potētiam, & eam, quam Græci endelechiam, nos verò actum atque perfectionē appellamus: variabilitas quippe cōnexionis cuiusq; ex potētia surgit, inflexibilitas verò ex illa rei cōsummatione firmatur, quæ potentiam omnē ad quoduis repugnans procul abegit. Nunquam enim obirent animalia, si tanta esset perfectio vitæ, quæ omnem moriendi potentiam excluderet. Sunt tamen non pari ratione tantæ inæqualitatis prima principia actus & potentia. Ille enim primam sedem tanta sibi autoritate vendicant, vt antecedens omne secundum quodcunq; genus abijciat. Hæc autem & prius se fundamentum consequi non recusat: posibilitatis nanq; cuiusq; radix censetur ex nihilo esse (vt nostri) vel non ex se esse (vt philosophi tradunt) cū potentia mater est defectus. Quem ex non ex se esse pullulare ab aëre proferamus exemplum, quemadmodum enī aër, quia non ex se lucet, quicquid luminis habet, alio vtique illustrāte habet: quotusquisq; verò fulgoris gradus illi defuerit, ex hoc ipso prouenit, quòd nullum ex seipso aspirat lumen. Haud aliter creatura quælibet: quia non ex se existit quicquid perfectionis posidet, alio largiente quocunq; sortitur: defectus autē omnis, qui affuerit, propterea aduenit, quòd nihil ex se est. Quamuis autem cuiuslibet posibilitatis ipsum nihilum radix sit: nō omnia tamen, quæ in nihilum reuertentur, nisi illa manus omnipotētis tueretur, huiusmodi habent potētias: sed sua cuiq; pro naturæ atq; proprij finis ratione accommodata est. Quocirca licet ea, q suaptè natura ad singulare aliquod bonum prona sunt, diuerso calle ex nihilo prodierint (dū alia id boni tanto sibi fœdere copularunt, vt nullus sit relictus contrario aditus, alia verò ab illo nihilo vnde veniunt, tam parum discesserunt, quòd non modò ad destinatum finem tendere: sed in contrarium possunt inter ea remeare) quæcunq; tamen ad vniuersale bonum capescēdum facta sunt (qualia sunt cuncta intellectu prædita) vno eodémq; interuallo ex nihilo proficiscuntur: quando quidem eorum nullum ad finem propriū necessariò pertingit, sed omnia ingenito possunt arbitrio & ad propriū se agere bonum, & in aduersam partem reniti, pergere, peruenire. Diuinitatis nanque cùm proprium sit, vniuersum bonum esse, ipsámque met sibi legem existere. & ha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bere denicq; rationem eandem, quam & voluntatē, reliqua natura quæ intellectus rationis est particeps, libertate donari haud alia valuit, quàm quæ ex nihilo potuit exire: hæc autem cum particulare quoddam bonū assequitur, & alterius legi, cui vniuersum bonum est, naturale subijcitur, & voluntatem ex se defectricem afficit. Eiusdem enim rationis est, esse creaturam liberam absq; potentia diuertendi ab eo, ad quòd destinata est, vniuersum bonū, & creaturam vniuersum bonum esse: quod profectò non solùm non fieri, sed ne cogitari potest. Qui em tāta quidē viget libertate, vt à bono discedere nequeat (cum bonum omne voluntas possit appetere) totam bonitatis naturā, eandemq; immobilem in semetipso habeat necesse est: nā aliter pro ea parte, qua minus habet, aut mutabilis est, posset planè decidere. Quamobrem Areopagita Dionysius, malum particulari bono comitem alligauit indiuiduum. Quum igitur malum ex naturali boni defectu, defectus ex mutabilitate, mutabilitas ex possibilitate, possibilitas ex finitate, finitas demum suboriatur ex nihilo: consequens est, vt quæcunq; mala sunt, idcirco sint, quoniam illa, quæ malis subijciuntur, ex nihilo veniunt. Et cùm potestati non subiaceat diuinæ, vt creaturæ sint, & non ex nihilo, ineuitabile est, quin malum sit, si tamen subsistere mundus debet. Verùm inter malum naturæ atque moris tantum interest, vt illud quidem & posse & esse necessarium sit: hoc autem posse similiter necessariū, facere autem libertatis fuerit. Percunctantibus itaq; vnde malum, ex se an ab alio, iam liquet malum quidē posse quatenus in malū tendit, nec ex se (quia ex nihilo exuritur) nec ab agente autoréq; aliquo, siue volente, siue nolente, aut per se, aut per accidens prouenire. Quemadmodū non frigescere, ignem inseparabiliter comitatur: nulla tamen causa petenda est, quæ ignem efficiat non frigidum. Malum verò ipsum à bono nascitur, sed per accidens: dū quædam bona appetuntur, quibus mala implicita sunt aliorum. Nullus enim operatur aspiciens ad malum, sed ad bonum ipsum, aut saltem apparens bonum agentis omnis studium contendit. Nec profectò lacessitus tanto vnquam furore vltionem expetijt, vt alterius malum primaria optione eligeret: sed dum bonis quibúsque nostris (vtilia, delectabilia, honestáve sunt) acquirendis tuēdíscq; operam damus, aduersa quæque declinanda, refellenda, destruendáq; occurrunt. Hæc est origo atq; via, qua malum mūdo obrepere cœpit, extremáq; eius partes ambas iā penetrat, Iustrat, occupat. Sed de mali origine hactenus.

Origo mali.

Cur homine, magis quā cætera, mala plura inuaserint.

DEINCEPS Vt promisimus, quare tanta mali inundatio homines præ cæteris inuaserit, pauciorbus absoluamus. Singularis humanæ naturæ miseria atque calamitas Sanctæ pater, flenda potius quàm disputāda esset. Cælum enim & terras & mixta quæq; conspiciens, in tueor rerum omnium species ad proprios certatim fines contendere, intentis bonis potiri, vel in nullis, aut certè in paucis singularibus desiderium falli, & impedimentū perpetī. Humanam aūt genus omne, terra vorago vitiorum (quæ verè mala sunt) sic complexa est atque absorbuit, vt Rara auis in terris, & nigro simillima cygno, Vir bonus & sapiens, qualem vix reperit vllum Mithus è cunctis hominum consultus Apollo. Cur solum humanum genus Deus optimè tot ac tantis malis respersisti, aut certè inuolui passus es? Nūquid omnia certo fine gubernas, hominúmq; solos despicis actus? Nunquid totius huius operis abiectissima pars homines sumus? Hécine est imago tua Domine? Vbinā illud Prophetæ tui, de tua ergo nos misericordia admirantis: & tāti homines feceris, quòd eorum pedibus cuncta subieceris, oues & boues vniuersas, quin & pecora campi? Si cæteris animantibus præstamus, quanta obsecro, & qualis excellentia hæc: si communem nobis, & illis optimi appetitionē congeneraſti, & illa ferè omnia finem assequuntur, nostrum autem paucissimi voti compotes euadunt?

¶ Bifariam aliquid accidere rebus factis ex philosophia didicimus, ex electione ipsius artificis, vt accommodum quipptam sit ad boni aliquid: & rursus ex materiæ necessitate, quæ constat veluti ex purpura tinea, & ex ferramētis quibuscq; corrodens emergit rubigo. Quapropter sicut faber seram facturus, duram ferri eligit materiam, & ad secandum idoneam: quòd autem rubiginem contrahat, tantum abest, vt optet, vt quo ad possit, studeat propulsare. haud aliter plasmaturus Deus hominem, quoniam animæ actiones instrumento indigebāt pro tangendi sensu nobilissimo (ob idque molles carnes, bene aptos mente, docilésq; videmus) oportuit tale effingere corpus, qd earum qualitatum, quæ tactu percipiuntur, mediū temperamentū haberet. Compositū proinde oportuit fieri hominē ex intellectuali & sensitiua natura, et spiritu & carne, ex rationali appetitu atq; sensibili. Electa nimirū sunt ambo, vt sensibilibus bonis pariter et intelligibilibus certa quadā rōne frueremur. Nunc aūt cū simulátq; editi in lucē & suscepti sumus, sensibilibus affuescimus bonis, cū vtilibus, tum delectabilibus, atque itaque hæc sensuum blandimenta naturali nobis necessitudine iuncta frequēti vsu adeo familiaria fiunt, & tam vehementer nos impellunt, vt & insignem mentis nobilitatem obnubilent, & putemus nos sensitiua natura primò constare. consecramur propterea blandientem libidinem, nullum habentē modum nullámq; finem, & toto impetu paulatim ferimur, imò rapimur in istas sensuum oblectationes. Delecta hæc non sunt, vt in homine essent, sed ex connexione partium pullularunt: hinc siquidem caro cōcupiscit adeuersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hinc Apostolus quæritur, Video etiam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. & rursus, Non quod volo bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Hinc manifesta carnis opera fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, auaritia, veneficia, inimicitiæ, æmulationes, contentiones, iræ, rixæ, dissensiones sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & id genus multa, quibus non sat est animum inficere, nisi etiam corporis mala tot tantáq; secum ferant, vt in nobis ipsis experiamur nullā ferè hominibus ægritudinē accidere, quæ ex animi huiusmodi perturbationibus originem non traxerit: ob eámq; causam cæteris animalibus, crebrioribus & grauioribus morbis, infirmitatibus, morbis & ærumnis infestatur, & quatitur genus hominum. In sola igitur nostra natura, mirum non est si tanta vtriusque mali rubigo residet, quando sola ex sensu & intellectu constat: & eo vinculo, vt sensus, & quæ illius sunt manifesta, facilè domesticáque nobiscum coalescant: intellectus autem et eius bona obscura, ardua, alienaq; apparent. Accedit ad hæc, quòd sicut à sanctis Patribus accepimus, aduersarius noster diabolus circum quærītās quē deuoret, & menti falsa suggerere, & suas delicias sensibus suadere, & si qua sunt spiritualium bonorum desideria vel extinguere, vel inficere non desistit. An sunt nobis fortasse longius aut ignota exempla petenda: audacissimam enim bestiam illam & infensam dominū Iesum paulò antè audiuimus, quàm importunissimè aggressam. Et primò quidem esurientem ad ea, quæ carnis erant, sola tamen externa ratione inuitauit: non enim decebat immaculatum agnum, qui venerat tollere peccata mundi, interna carnis pugna tentari: cùm (vt diuus ait August.) nonnullum peccatum sit, cum caro concupiscit aduersus spiritum. Deinde religionis sanctimonia ad egregiam popularis famæ extensionem prouocans, si illasus per aēra deferenderet, quæ mundi sunt subministrauit. Demū ratus, quòd si peccare licet, regnandi gratia maxime licet, omnia regna terrarum pollicitus est. Et sic dum res gesta geminatos hostes (intimos scilicet & externos) habere nos admonet, causam simul affert quare rempublicam humanam malis crebrescentibus labefactatam singulariter videmus.

¶ Nec propterea virtutis nomen tanquam impossibile pauendum nobis est, & via desperanda salutis: bonorum enim officiorum omnium semina à natura nobis indita sunt, & aduersantia quæq; valemus pro nostro integro arbitrio superare. Adnce quòd intus & extra ad vtriusq; generis inimicos supplantandos, magna & munitissima præsidia posuit Conditor omnipotens & gloriosus victor noster. Exteriora quidem arma illamet, quibus ipse vsus est, ad vtendum contulit, sacrorum nempe librorum doctrinam: nulla siquidem ratione alia quàm sola Scripturæ autoritate certamē totum ad victoriam vsq; perduxit: compertū suo experimento id esse monens, vt quicquid credendum, agendū, omittendúmque occurrit, hoc sacri eloquij lance librandum esse censeamus. Interius verò auxilium tribuit: quandoquidem antequam duceretur à Spiritu sancto, vt tentaretur à diabolo, aquarum fluenta benedictione proprij Baptismatis consecrauit, & deinceps cumprimùm in nouā creaturā sacro fonte regeneramur, suæ gratię & charitatis aliarómq; omnium virtutum muneribus sic protegit, vt omnia nequissimi tela igneo veneno armata, facilè possimus obrumpere, retorquere & extinguere. Minimam nanq; charitatem diuus Thom. edocet ad omnium generum exquisita tentata sufficere. Quis nos, inquit Apostolus, separabit à charitate Christi: tribulatio, an angustia, an gladius, an fames: certus sum, quòd neque mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate, quæ est in Christo Iesu, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula. Amen.

ORATIO IIII.

De immortalitate animorum coram Iulio 2. pontifice maximo. Dominica prima aduentus anno Salu. 1503. habita.



ROPE EST REGNVM Dei, Luce 21. Postquam rerum humanarum atque earum, quæ intra nos sunt, diuinarum culmen potita est beatitudo tua, sanctissime Pater, agnosco hoc orandi munus eadem spectāte fœlicitate mihi sorte obtigisse. Eapropter omnes aut expectare catalogum quēdam laudum tuarum à me recensitum iri, aut inuidere arbitror mihi fortunā meā. Magnorum enim oratorum animi excelsa virtutum tuarum fastigia commendare gestientes optassent vehementius hunc sibi locum dari, quò tam in larum campum ritos totius effundere liceret eloquentiæ. Hos ego tantum abest vt reprehendam, vt ingentes quoq; gratias pijs eorum affectibus sanctitatis tuæ nomine, agendas putauerim. Attamen ab ista procul valde sententia meum consilium distraxit: spectans enim ad magnanimitatem tuā, quam præclara facinora luculentius ostendunt, quámve mortales omnes pleno ore congratulantes prædicant, auram istam popularem ventosāmq; orationem, quàm animi magnitudo vti cætera qdæq; caduca atq; fluxa spernit, omittendam cenſui. Verùm maximam de immortalitate animorum difficultatem, & eam penitus explicatam (si tamen ita dici sine arrogantia licet) maiestati tuæ offerendam attuli. Ad primum siquidem mortalium principem, pastorémq; animarum, prima oratio à prima religione, prima de hominum re iure habetur. Verùm quò tā arduum negotium dignius tractemus, diuæ Mariæ numen imploremus. Aue Maria. &c.

RINCIPIO Veluti basim quandam atque totius orationis fundamentum id firmiter ab omnibus teneri velim, ad cognitionem latentium substantiarum, occultarūmq; rerum, proprijs earum effectibus deducentibus, nos rite fanēq; peruenire. Effecta nanq; si tollas, nullus noticiæ de arcanis relinquitur locus, cùm (vt in uisibilia mittamus) de corporibus cælestibus, de sole, de luna, decq; reliquis astris, sublatis officiorū suorū actionibus quis vel tenuē coniectura caperet? Quis ignem leuē, terram grauem, illum calidum, hanc frigidam dignosceret, si ascensus atque descensus, si calefactio frigefactione nunquam fuissent sensibus explorata? Hinc igitur maximus ille philosophiæ parens, Aristo. exorsus: Si (inquit, aliquam habet operationem propriam, fieri potest eundem à corpore quoque separatim nihilominus manere atque viuere, si nullam sibi vendicat, sed omnem (vt ita dixerim) suppellectilem habet cum corpore communem, cum ipso quoque corpore intereat opus est. Hoc itaque iacto fundamento, subtilius est inquirendum, an animus per se solum agat quicquam. Et quoniam si quipiam solus perficit, id præcipuè est cōtemplationis opus, ad hoc vniuersa deducit quæstio, nunquid intelligere solius animi sit, an verò animi simul atque corporis? Vt autem quod quærimus, clarius, facilius, tutiúsque inuestigemus, rebus omnibus distributa pariter & accommodata officia legere atque accuratius distinguere operæ pretium duxi. Quatuor esse actionum genera philosophi tradidere: quarū duæ extremę sunt, teliquę aūt mediæ. Et illarum quidem vnum genus est, quod in solo corpore materiísque versatur: quales sunt affectiones, quæ à calido frigidóque, humido, sicco, duro, leni, atque his similibus proficiscuntur. Alterum verò est, quod à rerum sensibilium mole eleuatum, ad spiritualium naturam sollummodo refertur. Nostram autem intellectionem ad neutrum horum generum pertinere facilè constat, nec enim cùm intelligimus, affectus (quos modò dicebam) patimur corporales: quin potius si intenta mentis acies nimis fuerit, quanquam extrinsecus illa nobis admoueantur non sentimus. Neque tam rursus tam alta petimus, vt corporeis imaginibus non immisceamur: oportet enim intelligentem phantasmata speculari. Inter mediorum verò generum alterum, quod mali est propinquius (in quo & actiones sensuū cōtinentur) ab eiusmodi affectionibus liberum est, sed corporeo organo expletur, audientes nēpe vel videntes, & si non frigemus aut æstuamus, quibusdā tamen corporeis intercedentibus portionibus, sonos, colores, odores, cæteráque sensata percipimus. Reliquum autem spiritualibus actionibus affine, non solùm ab elementaribus qualitatibus, sed à corporeo quoque instrumento sese eleuat: obiectis tamē nō corporibus, sed corporum imaginibus (quæ phantasmata philosophi appellāt) naturali quadam necessitudine deuinctum est. In hoc profectò actionum genere nostram intellectionem locari quisquis veri iudicis naturam nouit, nequaquam ambigit: experimur nanque nosmetipsos intelligere discernérequē non genus hoc aut illud, sed vniuersam corporum naturam. Decernere autem rectè non contingit aliter, quàm si is qui arbitratur, omni vacet affectu.

Probant hoc quotidianæ controuersiæ: quibus sedandis iudicē ad neutrā partem propensum exquirimus atq; laudamus. Probāt interni mores, affectus passionisq; quibus manifestū fit, neminē oi hora sapere, sed qualis, vnusquisq; inuenitur, talis et finis videt. Probāt naturæ experimēta: vt enim verè discernamus quid amarū, quidve dulce sit, nullo affectū sapore gustū ieruare oportet: ægro nāque ideo cuncta videntur amariora, quoniam cholerica amaritudo sensorium infecit. Nec dissimile reliquis sensibus accidit. vna siquidem omnis iudicij communis est ratio, vt sit qui iudicat, à rebus iudicandis alienus: nam si illarum aliqua inhæserit, aut totum sibi iudicium infecit, aut falsam facit illarum afferre censuram. Quocirca quoniam vniuersa ac singula quæ materiæ concreta sunt intellectu nos discernere, atque hæc ipsa spiritualibus distinguere experimento cōprobamus, necesse est vt noster hic animus vniuersæ naturæ corporeæ nat? arbiter, ab oī fit corpore alienus. Vnde preclarè Anaxagoras atque Ari, intellectum oportere esse immixtum dixere, tametsi diuersis rationibus ducerentur, ille enim vt libero expeditóque imperio cuncta disponat: hic autem vt recto sanóque iudicio omnia decernat. Nec audiendi sunt nobis, qui acriori se ingenio preditos existimātes, organū quidē (hoc est quādā corporis portionē) mēti non assignant: ab vniuerso tamen hominis corpore eadem abiungi ratione, quā attulimus, aiunt non satis probatum iri. Tam irrationalis est istorum cauillatio, vt nisi velim eos nosse eam me scire, atque à sententia ea dimotum, referendam putassem minimè. Dicant obsecro isti, si intellectum ab omni parte corporis oportet esse liberum, vt omne possit corpus dijudicare, quo pacto vni toti corpori mersus, vniuersę rei corporeę æquus erit iudex: siue enim pars siue totum, modo corpus aut corporeum aliquid sit, cui intellectiuam vim quipiam affixerit ad certam trahit, flectit definitque cognescēdorum corporum speciem: quæ non solùm amplissimam illam de omni mole corporea cognitionem prohibet, impedit atque obstruit, verùm intellectum quoque ipsum consensu miscet, soláque vocabuli differentia alterum secernit ab altero. Quod si absonum valde est (quandoquidem nihil distaremus ab animantibus) oportet, vt intellectus exercitium solius animi esse fateamur, & non animi corporisque commune commodum sentire. Quæcunque autem species operationum quippiam, sola efficit, retinet ac suffert, sustinentis alicuius adminiculo non eget. Alteri nanque si inniteretur, eóque submoto labesceret, nequaquam sola eam actionem contineret: sed communem magis recipiret cum eo, fine quo subsistere non posset. Quòd si alteno fulcimento diuinæ huic formæ opus non sit, sua tantùm virtute subsistere quis dubitabit? Alterum enim ex duobus fateri oportet: aut illam per seipsam stare, aut hærere, & si quidem per se constat, in portu (vt aiunt) nauigamus. Si autem subuenitur, quomodo contemplationem suam in suo tantùm sinu complecti, fouere, gereréq; valet? Si species itaque omnis, quæ propriam sibi vel vnam vendicat operationem, communi philosophorum sententia cōstans atque perennis, est inficiari profectò nemo poterit, quin nostra mens (quam dum contemplamur, per se solā agere comprobauimus) per se quoq; solam esse manereq;

Universidad de Deusto Biblioteca

posſit ac viuere. Immortalem ergo animum eſſe hactenus à propria actione probauimus.

Argumẽtũ à naturali deſiderio.

DEINCEPS Eiuſdem ſempiternitatem à naturali eius deſiderio monſtrandam curabo. Si cuiquã P.B. à natura inditum eſt, vt ſemper eſſe deſideret, rem hanc Philoſophi pariter & Theologi perpetuam fore, ea potiſſimùm ratione ſunt arbitrati, quòd naturę appetitus inanis eſſe non poteſt. quare ſi noſter animus ſuapte natura ſempiternam cupit vitam, eum immortalitate vigere nemo dubitabit. Quòd autem ita ſit à natura inſtitutus vt optet ſe ſemper fore, manifeſtum ſic fiet: Appetitionũ duo ſunt genera, alterum rebus omnibus commune, quo vnumquodque ad accommodum iuuans profuturúmq; fertur. Alterum eorum, quæ cognitione pollent propriũ quo metuunt cupiúntque, dolẽt gaudéntq;, & mille alijs variantur affectibus. Vtrunque tamen pro tuendo eſſe contendit: quandoquidem nulla prorſus res eſt, quæ ſe eſſe non amet.

¶ Quemadmodum autem communis ille appetitus, nõ vno tantùm inuenitur modo in his, quæ certis finiuntur ætatibus, & in his quæ nunquã deſinunt (quãdoquidem quæ ſeneſcunt, effundere deſiderium in omne tempus nõ audent: quorum aut vigor temporis diuturnitate non lenteſcit, perſeuerare ſemper eadem magnopere concupiſcunt) haud ſecus appetitus alter, quem cognoſcentium diximus eſſe proprium, diuerſa ratione reperitur in his, quæ ſenſu tantùm mouentur, atque his, quæ intellectu præſtant. Illa enim quoniam ſolùm quod adeſt, aut imminet, apprehendunt, in longum appetitiones non ſuſpendunt: hæc autem, quia vniuerſa varietatum, mutationũ, temporúmq; volumina contemplatione pariter & prouidentia excellunt: reliquum eſt, vt parem vim appetendi ſortita non hoc tantùm aut illo tempore, ſed in æuum deducere vitam cupiant. At ſi ambiguum, ſubobſcurum, aut leue teſtimonium hoc habetur, & obijcitur, noſmetipſos intellectu quidem præditos non dubitamus, ſemper tamen viuere, aut natura appetimus minimè, aut morientes fallimus. Eleuate obſecro pauliſper mẽtis oculos, conſtantiſſimas vniuerſalis naturæ leges intendite, ſanctiones ſpectate duas. Alteram, qua æqualia pariter congenerantur omnibus, durandi deſiderium & permanendi robur: ita vt quandiu quodque duraturum eſt, tandiu eſſe deſideret, & quanto tempore expetit exiſtere, tantiſper permanſurũ ſit. Altera, qua appetitus omnis, quo vnumquodque eſſe perſeuraréq; ſubinde concupiſcit, aut ad quandam temporis menſuram clauditur, aut vltra quancunq; temporis longitudinem ſe extendit, comparata ſunt hæc in his, quæ de cælo naturæ ſcripſit interpres. His autẽ iunctum ſi fuerit, quòd intellectualis ſpiritus deſiderium tendat ad eſſe: non hac aut illa ætate concluſum, ſed ab omni tempore eleuatum (quoniam intellectu apprehenſum ſolummodo cupit bonum, quod ab omnium temporum differentijs: quia vniuerſale eſt, conſtat eſſe abſolutum) conſequẽs eſt vt is, quo intelligimus & ſapimus, animus, in vniuerſum tẽpus effuſum habeat viuendi deſideriũ cum pari robore: euadere quippe quia non poteſt, quin aut certo tempore, aut ſemper eſſe deſideret: cùm definito non ſubſit tempori, reliquum eſt, vt ad ſempiternam ſe extendat. Immortalem perinde eſſe non hominem, ſed ſeipſum noſter animus propria appetitione (quæ praua falſáq; eſſe nequit) teſtatur, clamat, demonſtrat: ipſius quippe animi propria eſt cupido hæc, veluti ipſius cupidinis parens intellectiua cognitio, nos autem ſemper viuere nequaquam optamus, niſi quemadmodum volare interdum cupimus. Sed quid diutius quæ domi ſunt verſamus? nonne & quæ extera à nobis ſunt, cæleſtem hunc vigorem, & diuinum noſtrum profitentur animum? Ex illo quippe naturæ vultu, quem dixere chaos, rudem, indigeſtámq; molem, res omnes eo ordine propagatas, eo fœdere diſpoſitas atque connexas eſſe perſpicimus, vt ab imis ad ſuperiora conſcendentibus perfectionum incrementa ſenſim appareant ſuccreſcere, & quæ coniuncta ſunt, alterum alteri paulum admodum præſtare. Conſurgunt ſiquidem veluti depreſſi quidam gradus aut numeri rerum ſpecies, & ab his, quæ ſingulis proximè ſunt, nullo diſtant interuallo: atq; idcirco adeò ſimiles cognatáſq; habent habitudines, naturas, actiones, atque figuras, quæ ſibi mutuò contiguæ ſunt, vt non facilè plerumque ſit illas diſtinguere.

Peragratis autem vniuerſis corporum, plantarum, animarúmque naturis, ad hominem cùm venitur, idem grauis aſcenſus, quo ſenſim pedetentímque procedebatur, nequaquam ſeruatur: ſed ſurſum repentè natura trahitur, & ad alteram, eámque remotiſſimam contiguationem eleuatur. Maiori nanque interuallo homo à ſuprema animantium ſpecie, quàm ſummum animal ab infimo non modò viuentium, ſed abiectiſſimorum quoq; corporum genere diſtat. Ne autem hoc abſque ratione dicere videamur, citentur noſtra, alienáq; genera, conditiones actionéſque. Genera in primis, quandoquidem cætera omnia, ex materiæ tranſmutatione proficiſcuntur, noſtra autem mens deforis venit. Conditiones deinde: illa enim tenui ſupellectile contenta, pauca quibus indigent, ab ipſa natura ſimulúque eduntur in lucem, accipiunt. Indumentorum vice cortices, teſtas, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquamas, vellera: pro armis autem cornua, vngues, dentes, rictus, roſtra, aculeos, morſus, calces, venena. Homo autẽ pro vniuerſis his, & alijs quàmplurimis & varijs & magnificis ſtudioſas facileſq; ſolas manus accepit. Actiones demum, quia ſingulis ſpeciebus alijs, definitus eſt agendi modus: homo autem tot támque diſſimilibus vtitur vijs, vt hic ſolus ſit hominibus operandi modus, ſine vllo certo agere modo. Alia, ſola ſalus iuuat: hominem verò tam ſenſu quàm ratione apprehenſa, etiam ſi nil aliud vtilitatis acceſſurum ſit, delectant. Alia, de prole cibóque ſolicita pugnant: homo autem famam extendere factis auidus, nomen & gloriam ſoboli, ſaluti, vitæque anteponit. Alia poſtremò à conſono illis bono raro deficiunt: homo autem (prohdolor) ſuum verè bonum ſæpiſſimè amittit. Vnde igitur tanta diſtantia inter hominem cæteráſque naturas? vnde ſolitæ pedetentim ſcandere, tantus repentè naturæ ſaltus? vnde quæ conſueuerat per ſimilia in ſimillima duci, in tam diſparia ſtatim eleuata conſpicitur? Nullam profectò cauſſam aliam reddidiſſe fateris, niſi animum è ſummo rerum faſtigio veniſſe dixerimus: qui in alterum rerum ordinem naturam transfert, ſupremis infima iungit, caduca immortalibus inſerit, orizonta æternitatis & temporis conſtituit: ſic nempe omnis admiratio diſparitatis cedit, ſi ex duabus naturis, ſpiritu & corpore, intellectu & ſenſu, immortali & corruptibili hominem conſtare non dubitamus. Quas ob res ſi animi noſtri (de quo agimus,) facultas certi aliquid comperire poteſt, & veritatis quippiam de ſeipſo perſpicere, ſi fortiſſimis argumentis fides vlla adhibenda eſt, ſi ratione inueſtigata & ad ſeniuum vſque explorationem deducta humanæ ſententiæ quietem tribuunt, ineruditi, indocilis, tardi, hebetis, ſtupidíq; eſt immortalitatem animorum in problema reuocare neutrum. O quàm ſibi melius conſulerent iſti, qui ſe rerum occultarum ſcrutatores profitentes, quæ natura in ſole expoſuit, offundunt atque obtegunt, ſi ſuam cæcitatem ſilentio opprimerent: meliores nanque haberentur philoſophi, dum tacerent, quàm imperitiores, dum tam ineptè garriunt.

¶ Sed quid nobis cum re temeraria animum, P.B. fortiti ſumus mundum, purum, ſplendidum, diuinum theſaurum profectò pretioſiſſimum in vaſis iſtis fictilibus reconditum? Mundum inquam accepimus: quandoquidem non ob merita (vt Origenes fabulatur) corporeis vinculis eſt addictus, neque vt luteum viuificando corpus eiuſdem ſordes contrahat: ſed vt naturæ fœdere vitam influat, cupiditates, libidines, reliquóſque aut tollat, aut moderetur affectus, humana quãtum par eſt, diſponat, æterna intendat, ad ea cuncta dirigat, & ſe totum dedat. Accepimus præterea purum pariter & ſplendidum: vt quia illuſtrium ſpirituum vltimus, fulgorem micantiſſimæ lucis cum alijs non ſuffert, obumbratum materiæ tenebris lumen vel oculo noctuæ ſimilis inſpiceret, intelligibilia colligeret, atque vniuerſa natura aſcita ſeipſum omnia faceret. Accepimus deniq; diuinum, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur. Seruemus igitur obſecro, ſeruemus depoſitum quale accepimus: curemus ne temporalium contagione polluatur. Timeamus propheticum illud, Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Excolamus virtutum ſemina nobis indita, tenebrarúmque operibus procul reiectis, induamur dominum Ieſum Chriſtum, quo fe-
lic

lici immortalitate, atque immortali felicitate tandem perfruamur. Dixi.

ORATIO V.

De modo, quo animæ patiuntur ab igne corporeo, & de corporum cruciatu coram Iulio II. Dominica prima Aduentus, anno 1504. habita.

ARESCENTIBVS Hominibus præ timore & expectatione eorum, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Luce 21. Si humanæ mentis imbecillitatem & abyſſum caliginis, quas in ſe rerum varietas recondit, animo reuoluerimus, B.P. nihil ferè eſt, de cuius explorata cognitione placere nobis, & gloriari valeamus. Non enim ea ſolùm, quæ procul à nobis natura repoſuit, ſed illa quoque quæ in promptu habemus, quæ ipſi ſentimus, ambiguitatis nebula offuſa ſunt. Hoc qui aduertit & ſapit, ſic difficillima quæque cunctabundo ingenio ſtilóque attingit, vt præclarè ſecum actum putet, vbi de occultis rebus probabile potuit quippiam attuliſſe. De ſubterraneis igitur pœnis reproborum, dæmonum hominúmque ſiue animas, ſiue corpora poſtremò cruciaturis, dicturum hodie me eo animo quæſo, audite, vt cùm rationi maximè conſentanea patefecero, malitis vtcunq; concipere, quàm vel ſenſu vel certa demonſtratione callere. Quòd ſi vires ſiue corporis ſiue animæ huic pronuntiationi ſuccumbent, aut impares erunt, date præcor veniam valetudinario. Diuæ itaq; Mariæ tribunal ſolita pce veneremur. Aue Maria.

EXCELLENTISSIMVM illud genus rerum quæ ſolo ſpiritu conſtant, & intellectu vigent, an pœnas aliquas ſubire dignum ſit, quóve pœnarum genere affligi poſſit, diuerſos autores varias legimus attuliſſe ſententias. Quorum opiniones recenſere & à fide aut veritate diſcrepantes ſine interuallo refellere ea ratione conſtitui, vt purgatis erroribus, credibilis magis veritas fiat apparéatque. Plurimi philoſophorum intellectualis naturæ præſtantiam metientes, ab vniuerſo pœnarum genere tam humanas animas, quàm angelicas omnes ſubſtantias liberarũt: ea potiſſimùm ratione perſuaſi, quòd malum omne citra orbem lunæ (infra quem duntaxat poteſt aliquid præter intentionem obuiare) concluſum eſt, neutrámque proinde illarum naturarum poteſt inuoluere, quæ à corporibus vniuerſis ſunt ſegregatæ. Horum error facilè deprehenditur ſi recti operis ratio, ſi creatæ voluntatis natura in mediũ deducta fuerit. Rectum quippe opus, & opus eſt & rectum, quare à duobus neceſſe eſt proficiſcatur principijs: quorum altero opus, altero rectum ſit, illud voluntas, hoc lex eſt. Quocirca illa quidem voluntas, quæ ſimul voluntas & lex eſt, errare poteſt minimè: quæ verò voluntas tantùm eſt, non lex, nec legi immobiliter hærens, à rectitudine declinare ſuaptè natura valet. Cùm autem liberi arb. vniuerſa lex, perfectam omnis boni rationem in ſe claudat (quandoquidem ad omnia liberi arbit. appetitic extenditur) & nec fieri nec cogitari valet, vt creata voluntas omne bonum ſit, aut congenita natura poſſideat, conſequens eſt, vt ipſo ſummo bono excepto, reliqua libertatem ſint flexibilem ad bonum & malum ſortita. Poteſt igitur in ſeparatis ab vniuerſa corporea mole ſpiritibus malum culpæ ineſſe: & quoniam iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt omnis inordinatus animus ſibiipſi ſit pœna, oportet malum quoque pœnæ eis ineſſe. Ex propria igitur officina confutatis philoſophis, alijs pœnis affici poſſe autumant angelos, verum omnem eorum ærumnam in merore amiſſæ felicitatis conſiſtere arbitrati ſunt. Hos gemina peccati malitia ſtatim arguit. Vt enim peccantes duo mala faciunt (dum Deum reſpuunt, fontem aquæ viuæ, & ciſternas propriarum affectionum ſibi fodiunt diſſipatas) par eſt, vt duplici etiam in pœna dolore conterantur: & damno contemptæ felicitatis & ſupplicio inuoluentis calamitatis. Alij animarum ſupplicia aſſeuerantes, finxerunt naſci ea ex terribilibus corporum quorundam imaginibus: quas aſpicientes, perinde aiunt pauore concuti ac dormientes, aut phreneticos, quos inania vel inſomnia terrent, vel phãtaſmata alligant: tribuunt ſiquidem ſeparatis animis organum quoddam cæleſtis naturæ, quo terrificas formas concipiant ad ſe cruciandas. Fabula quippe hæc eſt quaſi reditũ animis ad compares ſtellas pollicita. Et quãquam tam ineptè compoſita ſit, vt digna non habeatur, quam vel philoſophia nedum diuina ſapientia coarguat: dedit tamen quibuſdam ex noſtratibus occaſionem, etſi nõ ſtultius cogitandi, à veritate tamen nihilo errandi minus. Quantum enim puduit peritos viros has ineptias ſectari, tantum de nouo ſuo commento gloriati ſunt: aſſerentes non ſenſibilibus, ſed intelligibilibus corporum figuris mentes torqueri. Verùm hoc Philoſophorum Teologorúmque ſchola confutat: eo quòd intelligere omne per ſeipſum delectabile eſt. Arguros autem eorum intellectus decipi, vt triſtia putent quæ verè nõ ſunt triſtia, aperta fictio eſt. Nonnulli deniq; eorum eo igne cremari mentes aſtruere conantur: verùm ne puerilis ſententia videretur, neſcio quem habitum illas induerunt: quo fieret, vt ignis vſtionem perſentirent. Voluntariè profectò ſunt hæc conficta & vana: nulla ratione, nulláque autoritate conſtantia.

Duo pœnarũ genera ſpiritibus infligẽda.

¶ Atqui in philoſophiæ gymnaſio, ſacrarúmq; literarũ ornatiſſimo domicilio verſati ſunt, duo pœnarum genera ſpiritibus infligenda docuerunt, alterum iacturæ ſummæ beatitudinis: alterũ detruſionis teterrimo ignis carceri. Et quoniã dãnum in aperto eſt, de igneo ergaſtulo libet parũper diſſerere. Detruſum iri dicimus abiectiſſimo loco non modò illuſtres dæmonum animarúmque ſubſtantias, ſed inſignes quaſque earum vires, intellectum, liberum arbitrium, actiuámque poteſtatem. Coërcentur autem vinculis, cateniſq; igneis, non eo quidem modo, quo corpus corporeis nexibus præpeditur: ſed quẽadmodum humanus animus terraceo huic corpori tanto fœdere implicitus eſt, vt ſuo arbitrio inde emigrare non poſſit, & tamen illum ſpiritum eſſe, hoc autem corpus nemo dubitat. non ſecus ſpiritus illi tartareo deuinciuntur igni. Sed tantum refert, quòd noſter animus hoc, in quo tenetur, corpus, viuificat: illi verò ſpiritus, quibus alligantur corporibus, vitã minime præbent. Perſpicua autem detruſio hæc nobis fiet, ſi modum ordinémque, quo corpori ſpiritus iungitur ac deuincitur, in medium deduxerimus. Spiritus omnis præter Deum certo loco ſuapte natura communi phyſicorum conſenſu poteſt definiri. Definitum autem etiam nolentem detineri naturæ vigore noſter animus teſtatur. Quòd ſi tanta eſt naturæ vis, vt iunctum corpori ſpiritum manere cogat, quantò magis omnipotens conditoris naturæ autoritas addictũ loco ſpiritum detinere etiam inuitum poteſt? Definitus igitur nõ natura, ſed vi detentus in loco ſpiritus, naturalem libertatem ac dignitatem, qua nulli ſubijcitur corpori, qua omne corpus euincit, qua omni corpori præminet præſidétque infeliciſſimus perdidit, & ſe perdidiſſe miſerrimè meret, atque merendo ineffabiliter cruciatur. Afflictatur intellectus, quando ſuæ captiuationis ærumnam non recogitare ſubinde non poteſt. Cúmque ſimul multa meditari nequeat, ab aliorum omnium, quæ leuamen afferre poſſent, conſideratione prohibetur. Et quanquam meditatio pœnæ pœna nõ ſit, cùm liber quis meditatur ſolum nihil aduerſi ſentiens aut metuens: attamen vbi præſens eſt doloris obiectum, vbi ſuam vim exercet in meditantem, vbi denique meditatio ipſa coacta eſt, nihil acerbius animum quàm eiuſmodi conſideratio afficere poteſt. Afflictatur voluntas: quippe ab omni delectabili depulſa id ferre cõpellitur, quòd dedignatur, reſpuit, abhorret: quã maximè odit Dei iuſtitiam, cui præcipuè inuidet diuinam celſitudinem magnificari in propria & ea abiectiſſima pœna, dolet, gemit, corroditur. Afflictantur denique actiuæ potentiæ: ſiquidem diro igni addictæ nulla aut certè modica poſſunt exercitatione ſeſe ſubiectis admouere rebus. Quòd eo intolerabilius eſt, quò tanta eis vis ineſt, vt cõmouere nutu ſingula poſſent. Accidit ad hæc quòd iugis perenniſque eſt eis definitus carcer & dolor: ita vt nulla valeat minuere, aut mollire aduentans cõditio: ſed ſemper vti ab initio acerbiſſimè mœrere opus eſt: neque enim detruſi ſpiritus obliuione mederi, meditationi vacare, affectum deponere, ſeſe adhortari, facere (vt aiunt) de neceſſitate virtutem vſquequaque valent. Nulla eis clementiæ aut varietatis ſpes, nulla in prætereuntis temporis euentu expectatio, ſed quas luunt pœnas, nunquam terminandas aut minuendas certiſſimè ſciunt, imò inuiti ad mœroris culmen clara luce vident. Hæc pauciſſima de ſpirituum pœnis attigerimus.

DEINCEPS De corporum cruciatu aliquid

Universidad de Deusto Biblioteca

afferamus. Corporeum ignem esse, P. S. apud inferos corporibus infestum ex nostris quidam imprudenter negarunt: scripturas autem sacras, quæ illius meminerunt, metaphoricè asserunt interpretandas, non minus quàm cùm tineam, vermem, fletúmque ad terrendos flagitiosos minantur: quemadmodum ecõtra cibum, potũmq;, & humanas mille delitias iustis & sanctis in beatitudine pollicentur.

¶ Quidam verò opinionem hanc tanquam absonam respuentes, in aliam vulgarem magis quàm sapientem inciderunt. Verum enim affirmantes ibi ignem fore, falsò tamen æstimauerunt eius incendio corpora ipsa affici, calore æstuare, citra consumptionem ardere, & nihil tandem à nostro, quo vtimur, igne, in actione differre.

¶ At hi, qui & vi rationis, & lumine cælesti perfusi secreta rerum diuináque mysteria indagarunt, mediam viam sectati sunt. Aiunt nanque corporeum verúmq; illic ignem flagrare, citra corporis tamen calefactionem eius vim atque incendium irrepere in neruos, in medulásque sæuire, fibrásque illas arripere ac torquere, è quibus dolor nascitur. Corporeum quippe ignem credimus, tum quia corporalis pœna nullo aptius modo, quàm per corpus infligitur. Tum quia in exponendis sacris eloquijs ea est lex, vt quòd propriè intelligi potest, ad metaphoricum sensum à literali expositione minimè transferatur: nam secus nulla definiri posset Scripturæ certa interpretatio. Cùm autem in pœnam reproborum paratum ignem Saluator noster fuerit comminatus, possimúsque eum aptissimè sic accipere, tanquam perspicuè locutum, vt quid parabolicè dictum putamus, & nodum in scirpo quærimus? Ignem Saluator noster comminatus est, verum ignem intelligere prohibet nihil. corporeum ergo ignem fateri oportet. Non calefactum autem iri illic corpora, sed ignem illum spirituali pariter, & sensibili afflictione corpora vexaturum ratione dicimus. Primi orbis motu iuxta euangelicam lectionem transeunte, reliqua omnis corporalis affectio atque alteratio ab illo vtique dependens, definet: & quemadmodum cælestis corporis, cui primus ille inerat motus sensibilis, quædam supererit actio, qua lucet, illuminat, atque videtur (quam nostro vocabulo intentionalem appellamus) haud secus in cæteris quoque corporibus eas aptitudines atque affectiones æstimandum est remansuras, quibus videri, tangi, audirique possint. Duo enim hæc genera actionum corporibus inesse, neutrúmque ab altero pendere, in his quæ de anima præclarè scripsit Aristote. didicimus. Quocirca ignis omnis geminam in corpora nunc exercet actionem. Alteram, qua calefaciendo vrit: & id à cæli motu pendet. Alteram, qua speciem non calidam tactui imprimendo sentitur: quemadmodum anulus aureus figuram non auream ceræ imprimit: & hæc ab altero actionis genere, quod paulò antè cælo inesse dicebamus, pendet. Proinde nunc vtraque actione & agit & offendit, quiescente autem cælo illa duntaxat vacabit, quæ à motu proficiscitur. Reliqua verò perpetua remanebit, hæc nimirum posterior in reproborum corpora exercebitur, sæuiet, affliget. Nec est doloris huiusmodi ratio quærenda alia, quàm excellentia sensibilis sensus organo admoti. habet enim quilibet sensus ex his, quæ in rerum natura sensibilia consistunt, vnum aliquod sibi proprium ac peculiare, quod philosophi obiectum appellant vt visus colorem, auditus sonum, olfactus odorem, quo cum tanta conciliatione atque necessariæ coniunctionis vinculo deuincitur: vt sine eo agere possit nihil: vt quandiu suæ facultati & potentiæ aptè congruit, éstque maximè accommodatum, iocundissimos fructus carpat naturalis amicitiæ. Vbi verò sensibile in immensum excedit, quasi dissoluta amicitia, quæ mutua quadam proportione, certæque rationis temperamento posita erat, sensum ipsum protinus irritat, lacessit, vexat, torquet. Stridens enim sonus turbat auditum, visus aciem lux immensa retundit ac dissipat: & si rigentem manum præ algoris magnitudine, ad ignem vehementem propius admoueris, protinus intimum irrepit atq; cruciat incendium, vt hominem propè conficere videatur. Vnde quæso tunc ille dolor? num ex calore? nequaquam: tam enim nihil aut parum admodum caloris inhæsit, vt si altera manu attentes, plus frigere sentias, quàm calescere. immoderata itaque vis sensibilis, huiusce doloris relinquitur causa. Patimur igitur atq; summo dolore sensibili cruciamur, cùm vehementer calida absque eo, quòd caleamus, tangendo sentimus, cum sensus suscipit excellentis sensibilis speciem sine materia.

Talem fatemur esse apud inferos corporum cruciatum. Hoc tantum pacto credimus reproborum corpora ab igne pati, & tamen non calefieri, nec consumi. Nec quicquam obest id, quod rectè dici solet, sensuum passiones eos perficere, non offendere, sed eò educere, quò maximè euadere postremò valeant. Volebat sanè autoritas illa ostendere quantum hæ spirituales sensuum passiones ab his, quæ circa corpus fiunt, alterationibus differant. Tanta siquidem est inter eas distantia, quòd hæ semper imperfectionis aliquid secum vehunt: illas autem puras atque sinceras contingit aduenire, quamuis non semper ab omni sese eximat admixtione mali. Obiectorum enim incompactiones ac incongruæ disparitates, sensibus ipsis (vt dicebamus) maximè aduersantur atque officiunt. Quocirca in promptu causa est, cur glorificato corpori dolorem excellens sensibili non infert. Dote nanque impassibilitatis protectum vehementiam obiecti nequaquam admittit. Corporalis itaque cruciatus nulla deest causa apud inferos, subtracta vulgari hac visione, quam calentes experimur.

Et vt summam rei vno verbo complectar, corporeum supplicium in hoc completur, quòd malum & id corpori admotum passibili sensu percipitur. hæc vbi sunt, dolere opus est secundum sensitiuæ animæ partem, quam affectiuam dicimus. Eapropter tam ingens tangibilis excessus, quantus in igne est, malus cùm sit corporei organi temperamento: dum passibilem reproborum sensum inuadit, acerbissimo dolore afficit, vexat, cruciat. Neque audiendi sunt, qui nescio quam turbationem sensoriæ harmoniæ addere, atque interponere voluerunt. Temporalis enim est commotio omnis: sentire autem omne siue accommodatum, siue excedens, absque mora contingit. Quare intemperatum immensúmq; sensibile suaptè natura sensui non aduersaretur, nisi simul atque coniunctis alterum alteri officeret: neque vnigenia contrariorum foret, si in momento non consummaretur. Attestatur planè his, quæ diximus dissimilium pœnarum alteratio: etenim quonam alio pacto ab aquis niuium ad calorem nimium, rursúsque ex hoc in illas sine dolore interstitio aut mitigatione transibunt? Si enim æstum atque algorem corporaliter sentirent, non solas spirituales vexationes excipientes, sæpissimè dolore vacarent. Perennis autem atque continuus erit dolor: quoniam iuges ac viuaces aderunt causæ, & homo ipse sine morte passibilis erit, alterum reparata natura, alterum culpa exigente. Si igitur ignem illum tartareum verè corporeum esse non ambigimus, si vnũ atque eundem dæmonibus hominibúsque reprobis paratum credimus, consequens est, vt vtrique corporeo addicti sint igni. Sed tanti refert, quòd spiritus carceris afflictione: corpora autem sensibilis quoque intentionis effusione continuè, perpetuò, acerbissiméque torquebuntur. Arescentibus itaque hominibus præ timore tam diræ gehennæ manifestandæ vniuerso orbi, nobiscum bene actum erit, si timor Domini initium fuerit sapientiæ, si ceu seta filum amorem honesti bonarum artium, optimorúmque officiorum introduxerit. Non enim accepimus spiritum timoris in seruitute, sed Spiritum filiorum, in quo clamamus, Abba, pater. Sit Redemptoris nostri læua sub capite nostrarum actionum, vt dæmum dextera amoris illius amplexetur nos, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, qui viuit & regnat gloriosus in secula. Amen. Dixi.

ORATIO VI.

De Ecclesia & Synodorum differentia coram Iulio secundo in secunda sessione concilij Lateranen. 17. Calen. Iunij, 1512.

CVM ANIMADVERTAM, Iuli secunde pontifex maxime, reliquas omnes ecclesiasticæ reipublicæ consuetudines actionésque singulas, esse singulis ecclesiasticæ partibus accommodatas, general

obseruat ea, quæ cæli sunt, non imitatur quæ cælorum regni esse traduntur. At quare hoc rursus? quia prorsus altera est à reuelatis Apostolo conditionibus. Vt autem eas congruo ordine percurramus, quis vestrum putabit, Patres, illum conuentum, qui vnius tantummodo nationis est (si tamen vnius est, & non dimidiatæ, vel nullius potius gentis legitima coitio) quis putabit illum vniuersam coëgisse synodum eius ciuitatis, ad quam fortitudo gentium venit, ad quam multitudo maris cõuertitur, ad quam omnes per circuitum orbis terrarum congregantur, cuius minimus in mille est, & paruulus in gentẽ fortissimam? Tantum enim abest, vt ecclesia illa Pisana vera Dei ciuitas sit, quantum abest vt sancta & legitima sit: tantúmq; recedit à candore sanctitatis, quãtum ad errorum sordes accedit, accedit autẽ plus tantò, quantò magis & Petrum ecclesiæ, & Papam concilio, & suo concilabulo summum, verum certúmq; Christi vicariũ subijcere conatur. Quod tamen nil aliud est, mea sententia, quàm naturæ ipsius rationísque ordinem peruertere, & filios patri, & membra capiti, pastoríq; ipsi suarũ greges ouiũ præficere. Sed & illud perspicuum est, Hierusalem nomen illi ecclesiæ nequaquam conuenire: propterea quòd nec pacem habet, nec ordinis tranquillitatem, quodque tam excellentem ecclesiæ ordinem subuertere connititur vtpote quæ contra Romanam ecclesiã togata armatáq; bella commouerit: quæque ad quoscunque diuerterit, nõ modò pacem illis non attulerit, sed spem omnem pacis funditus euerterit, quæ singulatim omnia commemorarem, nisi intelligerẽ nimio etiam plus quàm vellem esse manifesta. Non igitur Pisarum synodus, synodus Hierusalem est, sed ciuitas ac turris Babel potius: quæ in terra Senaar confusionem fecit, & concordiam ædificantium disiecit. At dicent nonnulli: Saltem vna ex multis, & quarta ex quinque præscriptis conditionibus Pisano cœtui conueniet: nouitas scilicet. Quid enim tam nouum & insuetum ac mirabile est, quàm esse qui conentur efficere, vt miles duci, & filius patri, domino seruus imperet, oues pastori, denique pedes & cætera membra capiti? Fateor equidẽ & ego quoque noua hæc esse, sed tamen aliena prorsus ab illa sempiternæ sanctissimæq; ciuitatis nouitate. Multum enim inter hanc illámq; interest nouitatẽ, nomen vtrísque commune est, sed res & significatio diuersa. Hæc enim Hierusalem nouitas à Spiritu sancto est, & æterna est: at illam Pisanam vnica tantùm obedientia & ecclesiæ pars tunc effecit, cum schismaticis illius temporis, tres ita maximi pontifices habebantur, vt nullus eorum aut certus quidem, aut absque ambiguitate verus Petri successor existimaretur. Hæc itaque nunc Pisana nouitas Constantiæ tunc ortum habuit, & euanuit, Basilææ repullulauit, & explosa est: atque his etiam temporibus (si vos viri eritis) interibit: quemadmodũ sub Eugenio quarto summo maximóq; huiusce sedis Pontifice repressa est. Neque enim de cælo descendit, atque ob id diuturna non est, neque vnius principatum amplectitur, qui & in illa triumphante ecclesia est, & hanc militantem conseruat: quémque synodus Pisana amplecti deberet, si è cælo descendisset, & nunquam multitudinis regimini (vti facit) inniti. Longè igitur ab hac Christi Pisarum ecclesia discrepat, hæc enim fidelium est, illa cauillantium: hæc domesticorum Dei, illa aberrantium: hæc Christianorum hominum, illa verò eorum, qui Christi vestem conscindere, & à mystico Christi corpore mystica Christi membra seiungere non verentur. Habetis, Patres, quid de Pisana synodo communiter constituendum sit, nunc de nostra Laterana & de sensu animi mei pauca dicam.

CVM ECCLESIA Pisana de cælo non descenderit (vti iam vidimus) & alteram ex propositis descendisse necessarium sit (hoc enim posuimus paulò antè) patet ecclesiam nostram, quam Lateranen. synodus perfecta refert, diuinam illam esse ciuitatem, quæ habet sanctitatem propriam, pacísq; abundantiam, & æternæ nouitatis azymos & synceritatis panes, quéque cum vno summo vnius Christi vicarij principatu, de cælo descendit. Hæc tametsi magno nobis esse debeant argumento, concilium nostrum rectum, sanctum atque legitimum esse: huc accedit tamen primum, quòd concilium hoc à Rom. pontifice indictum, inchoatúmque est: deinde quòd præclara nostrorum maiorum concilia non imitatur modò, sed eorũ etiam multa apostolici splendoris præsentia exuperat, quódque eidẽ postremò propterea quia præsentia hac illustratur, Dominus promittit Spiritum veritatis omnem illi veritatem esse patefacturum. Quæ cum ita sint, nequaquã illis assentior, Patres, qui solo concilij nomine audito, rem sanctam & vtilem continuò arbitrantur effectam esse: propterea quòd qui aptius & callidius fallere consueuerunt, hi prauis rebus honesta vocabula prætendere sunt soliti. Et * tamen concilium illud probo, quod suis partibus omnibus absolutum perfectúmq; est, quódq; illa habet, quæ & necessaria concilijs sunt: & à sacrosanctis requiruntur atque expectantur. Expectãtur autem multa hoc tempore, & requiruntur: atque hæc potissimum ecclesiæ videlicet reformatio, morum prolabentiũ restitutio, exorti iam schismatis oppressio, conuersio infidelium, reuocatio hæreticorum, roboratio optimarum legum atque sanctionum, quæ ad salutem vniuersæ fidei Christianæ pertineant. Atque illa etiam, quæ passim deprauata & deformata cernimus, vt ecclesiasticæ dignitates, bene meritis tribuantur, virtutes præmijs honorẽtur, vitia aut seuerè puniantur, aut saltem ab honoribus & premijs arceantur. Hoc enim nostrum Lateranense concilium, quod pia origine & ab autore suo sanctè & legitimè inchoatum est, si ad proprium quoque & cognatũ finem corrigendi atque emendandi, quæ detorta sunt prætenderit, nulla erit ratio, quare qui contradicere, aut vllo pacto opponere se voluerint, temerarij, amentes, scelerati insuper & nepharij homines nõ meritò existimẽtur. Quare si concilium hoc nostrum eum finem exitúmque habere desideratis, quem sanctissima semper florentissimáque concilia habuerunt, de his Patres (quæ iam dixi) prouidendum est diligenter: atque de hoc celeriter omni cura diligentiáque constituendum, quòd neque hodierno die dissimulare possum, neque silẽtio vllo pacto præterire. Iactantur enim voces (quæ etiam ad aures meas peruenerũt) percussum pastorem, oues dispersas, Pisanam synodum summo Pontifice & in terris Deo potestate autoritatéq; interdixisse. Maximis ecclesiam, Patres, & dissensionibus inuolui & nouis quibusdam vexari & perturbari malis iampridem vidimus: sed hæc tanta, tam exitiosa, tam periculosa haberi concilia à Patribus illis, quis quæso vnquam putauisset? Nunc quicquid est, quãtum ad vos delatum dedecus, & facinus admissum sit, videtis, memoria tenetis, Patres: legistis enim quamplurima. Quid aliquãdo viri clarissimi & sapientissimi in Calcedonensi synodo contra Ephesinam secundam, & illius principem Dioscorum quid in Constantinopolitana (quæ octaua fuisse dicitur) contra Fotium omnium discordiarum satorem decreuerunt, propterea quòd Ephesinus cœtus grauiter errauerit, Dioscorus in Leonem vrbis episcopum sententiã scripserit: Fotius autem non solùm absque Romani pontificis autoritate concilium congregauerit (quod quidem alienum est ab homine Christiano) sed in Nicolaũ etiam summum Pontificem anathema protulerit. Quemadmodum igitur cõuentus Pisanus Fotium & Dioscorum secutus est delinquendo, ita vos consulendo atque animaduertendo, celeriter synodum Calcedonensem, illámque Constantinopolitanam imitemini, incumbite, Patres, ad ouium gregem, ad pastoris autoritatem, salutémque ecclesiarum omnium respicite, prouidete (quod ipsum & facilè factu est, & fieri debet) prouidete, Patres, ne quis talia posthac vnquam non modò perpetrare, sed ne cogitare quidem, aut desiderare possit.

VERVM Ne sanctissimo concilio nostro in tot aduersis rebus ad communem salutem & conseruandam & amplificandam legitima præsidia desint, quin potius (quod omnium votis expetitur, desideriísque postulatur) ad debitum finem perueniat, ad te conuerto, Iuli pontifex maxime, quòd ea abs te peto, quæ tuæ virtutis, tuæ dignitatis, tuæ potestatis propria sunt. Antea enim cùm in singulis rebus insistebamus, alios ordines ecclesiæ inferiores sumus allocuti: nunc de summa rerum dicturi breuiter, summum principem & caput omnium appellamus. Te itaque, Pater beatissime, obsecro atque obtestor (tua enim post Deum maxima est potestas, tuũ est imperiũ, tua reipu. gubernatio, Christianæ fidei defensio) obsecro, inquam, & obtestor, hoc omni studio cures atq; efficias, vt hæc synodus Lateranensis per te congregata, quemadmodum ecclesia, quam refert, de cælo descendit (vti Ioannes vidit) ita cum illa rursus ascendat in cælum; hoc enim vniuersi totis deuotísque animis depre-

* Alias tantum.

Universidad de Deusto Biblioteca

camur. Assequetur autem hoc, te volente, téq; imperãte, si tuipse Pater sancte, omnipotentis Dei (cuius vices in terris non solùm honore dignitatis, sed etiam studio voluntatis gerere debes) potentiam, perfectionem, sapientiámq; imitaberis. Atqui vt in primis potentiam imiteris, accingere, Pater sancte, gladio tuo, tuo inquam accingere: binos enim habes, alterum tibi reliquísque huius mundi principibus communem: alterum tibi proprium, atque ita tuum, vt illum alius nemo nisi à te habere possit. Hoc itaque gladio tuo (qui ecclesiasticæ potestatis est) accingere potentissimè: & accingere super femur tuum, id est, super vniuersas humani generis potestates. Cùmque accinctus fueris, tum intende contra errores, contra hæreses, cõtra dissensiones, deniq; cõtra inferni portas, errorũ, hæresum, & dissensionũ autores: nec intende solũ, sed etiam pcede & regna. Procede in primis, & prosperè procede, tes quæ bella volunt, dissipando: tum regna sacerdos & rex, quæ pacis sunt cogitando, inquirendo, persequendo. is nanque idem quem imitari debes, & Rex regum est, pacisque princeps & dominus dominantium, rexque pacificus. Hanc autem summam potentiam tuam, diuina perfectio comitetur: perfectio hæc misericordia est, qua Pater ille cælestis & perfectus, solem suum oriri facit super bonos & malos, pluítque super iustos & peccatores. Nam si tanta vbique misericordia præstabis, vt nõ mõ amicos, sed inimicos etiã ac hostes ad tui nominis reuerentiã, ad apostolicæ sedis cultũ, ad Christi ecclesiæ vnitatem, ad huius concilij manifestam professionem venire compellas, rectè, pater sancte, Dei perfectionem imitaberis humano more. Nulla enim de virtutibus omnibus, nec admirabilior nec excellentior misericordia est: nulla magis principi propria, nulla potentiæ summæ cognata magis atque amica est. Hæc te præ regibus terræ excellentissimum, hæc te vniuersis populis adorandum, Deóq; insuper te & gratum & amicum & simillimum reddet. Verùm cùm multos multarum nationum gentiúmq; viros clarissimos per Dei tuámq; misericordiã ad hanc synodum vẽturos accessurósq; existimemus, vna se tibi ad hanc rem offert diuina sapientia, quæ à fine ad finem fortiter attingit, & disponit omnia suauiter. Huius nuper exemplo, a fine ad finem tum attigisti fortiter Pater sancte, cùm indicto concilio hoc atque inchoato, vniuersos ad bene de Christiana repub. sperandum excitasti, Dispones autem suauiter, prouidendo sapienter, ne vocati à te iustè queri possint se, vt par erat, in re tanta expectatos non fuisse. Quare postquam hodierno die (quod bonum, faustum, felixque sit) de singulis, quæ ad huiusce sanctissimæ synodi conseruationem & statũ spectare videbuntur, constitutum fuerit, tum de his quoque constituatur nationibus, quæ quũ intellexerint Romæ & à Romano pontifice concilium synodúmque haberi, & desiderari se atque expectari: cunctæ proculdubio nobiscũ vnà ad Christianæ religionis disciplinam, ad apostolicę autoritatis maiestatem, ad communem fidelis populi salutẽ, ad labentium rerum restitutionem, ad totius præterea ecclesiæ defensionem & rem, conuertentur. Sic nanque hoc sacrosanctum concilium in cælum ascendet, cum catholica ecclesia, quam refert, & quam Ioannes ciuitatem esse, sanctam esse, Hierusalem nouámque esse, atque de Cælo descendisse contemplatus est. Dixi.

¶ Sex Orationum Thomæ de vio Caietani Cardinalis sancti Xisti, finis.

TRACTATVS SECVNDVS

De Dei Gloriosi infinitate intensiua, Vnica Quæstione contentus.

Thomæ de vio Caietani, Cardinalis sancti Xisti, subtilissima de Dei gloriosi infinitate intensiua.

Vtrùm Deus gloriosus sit infinitæ virtutis.

QVAERITVR Vtrum Deus gloriosus sit infinitæ virtutis.

¶ Et arguitur quòd non. Primò, Quia aut Deus mouet cælum effectiuè & immediatè: aut non effectiuè, sed vt finis tantùm: vel effectiuè & mediatè. Si primo modo, & est infinitæ virtutis: ergo motus cæli esset in non tempore. quod est contra sensum. Consequentia patet ex. 8. physi. tex. 79. & primo cæli, tex. 52. & secundo cæli, com. 58. & alibi, &c.

Si secundo modo aut tertio, & est infinitæ virtutis, ergo habetur in rerũ natura vna virtus, quæ si moueret effectiuè & immediatè, motus fieret in non tẽpore. Tunc vltra, sed possibile est virtutem illam infinitam mouere effectiuè & immediatè: ergo possibile est ex ea sequi motum in non tempore, quod est impossibile simpliciter.

Prima consequentia ex antedictis est euidens. Affirmatio verò vltimi antecedentis patet ex eo quòd virtus infinita nec est alligata causalitati finali motus, nec mediatè causalitati effectiuæ eiusdem, quin possibile sit ipsam ab his absolui, alioquin infinita virtus non esset.

¶ Si dicatur quòd hæc ratio supponit Deum agere naturaliter, id est non quantum vult, sed quantum potest, & quòd hoc non est necessarium: quia Deus est natura intellectualis cuius proprium est agere secundum intellectus sui diffinitionem, vt artifices facere videmus: & consequenter Deus tanta velocitate mouet: non quin plus possit: sed quia sic explicandæ suæ arti expedire videt.

Contra hoc primò. Quia saltem habetur intentum secundum Aristo. & Auer. cæterósque philosophos, tenentes Deum, licet intellectualem, naturali tamen necessitate agere. Demonstratio siquidem posita in primò cæli tex. 90. ad ostendendam vnitatem mundi, manifestè supponit hoc: vt patet ex dubio ibidem moto ab Alexã. & Auer. & san. Th. & cæteris. Venatio etiam numeri intelligentiarum iuxta numerum motuum cælestium in 12. Meta. tex. 43. hoc idem ponit. Numerus enim motorũ non adæquatorum, non potest ex motuum numero efficaciter concludi: cum posset facile quispiam dicere, plures motus ab eodẽ excedẽte motore fieri. Inconueniens quoq; reputatur ab Aristo. 8. Phy. tex. 79. q̃ virtus finita & infinita possint æquali tempore mouere: quod tamen ex hac responsione sequeretur. Auer. quoque 8. Phy. com. 15. & primo cæli, cõ. 21. & Auic. 6. Meta. hoc idem sentire videntur. Secundò. Quia vt dicitur, primo Priorum, & primo cæli, textu centesimo decimonono, id ad quod sequitur falsum impossibile, est simpliciter impossibile: sed ad virtutem infinitam positã in rerum natura, licet agentem liberè sequitur falsum impossibile scilicet posse fieri ab ea motum in non tempore. ergo ipsam esse in rerum natura, est simpliciter impossibile. Probatur minor. Tum quia non est impossibile, Deum velle vti tota virtute sua: vt inductiuè patet in omnibus agentibus. Et vt dicitur in primo cæli. tex. 102. ab vniuersali manifestata per inductionem in omnibus sensibilibus, nõ est resiliẽdũ. Tũ quia cõsiderata tantum virtute diuina infinita: non considerato modo agendi, qui est posterior, scilicet agere per libertatẽ, sequitur motum fieri in non tempore: quamuis non de facto: tamen quantum est ex ratione potentiæ motiuæ. Constat autem non solùm esse impossibile illud ad quod sequitur de facto poni aliquod impossibile in rerum natura. sed etiam illud ad quod sequitur aliquod impossibile simpliciter. Vnde hoc posset exemplificari sic: Quemadmodum positio tua duo dicit, scilicet quòd est virtus infinita, & quòd agit liberè: sic consequenter ego deduco duo. Ex primo quidem, quòd fieret motus in non tempore: ex secundo autem quòd de facto hoc falsum est.

¶ Ex quibus simul infertur quòd ad infinitam virtutem licet agentẽ liberè, sequitur aliquod falsum impossibile, & consequenter ipsam inueniri est impossibile.

Secundũ argumentum.

¶ Secundò arguitur sic: Omni potentiæ actiuæ in natura respondet aliquòd possibile ex potentia passiua, & econuerso: vt dicitur in primo cæli com. 124. vel saltem respondet aliquod possibile manifestatiuum totius illius virtutis actiuæ vt sic: aliter frustra esset: cùm potentia sit propter opus 2. cæli, textu decimoseptimo. Sed virtus diuina motiua est infinita per te, ergo sibi respondet saltem possibiliter aliquis motus manifestatiuus infinitatis illius: hoc autem est impossibile: quia aut ille motus esset corporis infiniti, quod impossibile est inueniri: aut corporis finiti in non tempore, quod est impossibile: aut esset corporis finiti in tẽpore ęterno, vt est motus cæli & hic non concludit infinitam virtutẽ motoris, sed immutabilem & immaterialem: alioquin omnes motores cælorum essent infinitæ virtutis. Et confirmatur: quia quantitas virtutis actiuæ ex effectus quantitate cognoscitur: vt dicitur in primo cæli, textu centesimo decimosexto. Vnde cùm Deus non possit producere effectum inf

tales verò synodos vniuersalem ecclesiam penitus respicere, eámque tanquam finem sibi proprium attendere: existimaui me facturum rem & vtilem & omnibus gratam, si hodierno die primum de ecclesia ipsa, deinde de synodis huius temporis, illarúmque differentia ac diuersitate dicerem. Sed cùm his diebus ex hoc loco viri doctissimi (qui hoc oratorio munere magna cum laude perfuncti sunt) de his ferè rebus verba grauiter sapienterque fecerint: ego qui ingenio illis & doctrina inferior sum, quò meis viribus minus confido, Pater sancte, eò humilius atque propensius tuam humanitatem & clementiam mihi propitiam esse, & summisse oro, & suppliciter peto. Sed quoniam nihil est, quod homo de semetipso sine auxilio opéque diuina possit polliceri, ad gloriosam ipsam virginem Dei matrem, primũ conuertam orationem meam. Aue maria, &c.

CVM DILECTVS Christi discipulus & Euangelista, multa nobis ex prophetica illa misticáque visione nuntiare instituisset, de Deo, de agno, de Dei agnique gloria, déque venturis prætéritisq; temporibus ac rebus diuinitus retulit: atque is etiam Christianam rempublicam & ecclesiam contemplatus, in hunc modum ipse aut per ipsum potius sanctus Spiritus locutus est, Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem, nouam descendentem de cælo. Magna profectò & diuina, maximáque insuper atque omnem humanæ rationis terminum exuperantia Ioannes vidit, Vidi, inquit, ciuitatem, vidi sanctam, vidi Hierusalem, vidi illam nouam, ac de cælo descendentem. Quæ est ista ciuitas, quam Ioannes vidit? quæ est ista, quam magister discipulo, Christus Apostolo, Spiritussanctus Euangelistæ ac vati, figuris & allegorijs reuelauit? Certè ciuitas hæc Christianæ reipublicæ vrbs est: quæ non vallo aliquo terreno, non caduco murorum mœniúmque ambitu cincta est, sed multitudine copiáq; innumerabili clausa est ac permunita. Quamuis enim huius mundanæ sapientiæ antistites, certo quodam & præscripto ciuium numero ciuitates constitui oportere arbitrati sint, nimiámq; & nimis latè diffusam multitudinem summouerint, neque inter centies centena milia (vt ipsi aiunt) commercium fieri posse vllum existimauerint, solum tamẽ Christianum genus tanta, támque mirabili à Deo optimo maximo cognitionis, necessitudinis, societatísque copula deuinctum aut coniunctum est, vt in vnitate maximam multitudinem, vnius vrbis ambitu spatium amplissimum, in vna denique ciuitate totum terrarum orbem complectatur. Nam cùm in condenda & constituenda qualibet ciuitate duo in primis requirantur (primum vt partibus suis omnibus ipsa constituatur respublica. Deinde vt hæ partes inter sese ciuili amicitia quadam & consensione conspirent) licet cognoscere, quomodo priuatis publicisque in rebus a duabus his partibus nostra hæc Christiana ciuitas excellat. Quòd enim ea partes omnes perfectissimæ reipublicę habeat atque contineat, ea in primis sacra, quæ sacramenta appellamus, ostendunt: quæ tantæ sunt efficaciæ & virtutis, partim vt hominum generationes matrimonio propagent, partim vt Deo filios Baptismate gignant, tũ vt genitos communicatione corporis Christi alãt & vegetent, deinde diuina Chrismatis virtute corroborẽt vbi corroborauerint, potestate atq; autoritate ecclesiasticis ordinibus augeant, mox aliquo errore lapsos cõfessione restituant, & postremò humanis culpis abluendis sancti olei vnctione perũgant. Præter hæc autem diuina & præclara munera multa habet alia hæc ciuitas cumulatissime, habet nanque Apostolos, habet Euangelistas, habet Prophetas, habet Pastores, Doctores, Martyres, habet sermones scientiæ, sermones sapientiæ, genera linguarum, interpretationes sermonum, discretionem spirituum, gratiam sanitatum, fidem, vaticinia, miracula, & eam cælum claudendi, rursum aperiendi potestatem: vt quicquid in terris ligauerit, quicquid soluerit, denique id continuo in cælo dissolutum vel ligatum sit. Et quanquam hæc magna maximáque sunt: satis tamẽ non fuit tot tantáque ecclesiam habuisse, nisi & angelorum reuelationes, illuminationes, defensionésque habuisset. Quibus omnibus actionis nostræ contemplationísque studia non tueri modo ac defendere, sed propensius etiam & augere, & ornare, & perficere conatur. Ciuitas igitur hæc diuina illis reip. partibus illustratur, quibus nulla vnquam alia vel melioribus vel ornatioribus illustrata est. Quòd autem ciues ipsi arctius in hac copulatiúsque quàm in ciuili alia communitate deuinciantur, vel hinc patet manifestè, quòd hi non tam ciues sunt aut aduenæ, sed ciues sanctorum, sed domestici Dei, sed membra Christi: & ita vnius eiusdémque mystici corporis membra, vt alij alijs & membra sint: & quemadmodũ sunt, mutua sese communicatione ac societate confoueant. Cùm igitur hæc ciuitas ex perfectissimæ reip. partibus perfectissimis constituatur, ipsiúsque ciues interiore & cognatiore, quàm omnes aliæ societates genere colligentur, patet certè, hanc vrbem alijs esse digniorem, perfectiorem, excellentiorem, ipsámque præstare omnibus honore, decore, & (quod maximum est) humana beatitudine ac felicitate. Quanquam enim cuiusuis ciuitatis proprium esse videtur, sufficienter ex se benéque ac beatè viuere: nulla tamen alia nisi hæc nostra hoc ipsum habere cumulatè ac largiter põt sed ne imitari quidem. In alijs nanque finis ciuilis amicitiæ, & societatis est optima inter se hominum coniunctio: in hac verò nostra, in qua hæredes Dei omnes, cohæredes autem Christi sunt, ad Deum ipsum, vt proprium Christiani generis finem cuncta referuntur. Hæc cùm ita sint, rectè Christi ecclesia, non tam ciuitas ab Apostolo Christi, quàm ciuitas sancta à viro sanctissimo commemoratur.

Ecclesia ciuitas: est sctã.

ID AVTEM Patres (vt nunc vos alloquar) mox extrema oratione ad hunc summum Pontif. caput omnium reuersurus, id inquam patres qua & ego quoque ratione demonstrauero, quæso intelligite. Sanctitas ipsa (vt à diffinitione incipiamus, vtque Dionysio Areopagitæ placet) immaculata, libera, perfectáque munditia est. Proinde tametsi hoc summis antiquorum nostrorúmque rationibus firmatum sit, in Deo vniuersorum autore & gubernatore, omnium rerum naturas excellentias, dignitatésque consistere Deus tamen ipse præ his oĩbus propriã ita sibi vẽdicat sanctitatẽ: vt etiã summi philosophi Dei substantiã mũditia & sanctitate definirent. Nam cùm inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, sempiternam quoque eius virtutem ac diuinitatem intellectu conspicerent vellentq;, Dei nam & voluntatem, ac quicquid in Deo est, vnica alijsque rebus incommunicabili proprietate exprimere: non virtutis quidem, non diuinitatis aut reliquis tãtæ maiestati cõsentaneis nominibus vsi sunt, sed mũditiæ & sanctitatis significationibus: solam enim deitatis substantiam, a totius potentiæ macula & labe liberam remotámque esse perpendentes illãq; ob id esse dicentes actũ purũ, eãdẽ certè ipsam diffinitione hac mundissimã esse sanctissimãq; dixerunt. Nec mirum si talis tantáque sanctitas, tantùm in mentibus hominum & numinis habuit & maiestatis: quandoquidem intelligentijs etiam beatis (quas Angelos dicimus) hymnum carménque Deo proprium constituit: angeli namque atque archangeli, cherubin quoque & seraphin repetitis ingeminatisq; vocibus, Sãctus, sanctus, sanctus proclamant: quo fit, vt Dei quoque ciuitatem (in qua magnus Dñs est) deceat sanctitudo. Atque hãc partẽ (quæ paucis demonstrari potest) breuissimè ostendam. Omnibus rebus, tum natura, tum arte constitutis, hoc principio attributum ingenerarumque est, vt cum aliæ alijs iungendæ sint, pari mutuáque dispositione ac similitudine conueniant: hoc ipse formæ secundum materiæ recipientis merita distributæ testãtur, hoc ad propria peculiariáq; munera obeũda aptè appositéq; nostrorũ mẽbrorum habitudines manifestant: denique hoc confirmant innatæ materijs ipsis (vt ita dicam) patientiæ, quibus ipse res hominum artificio subiectæ obtemperant.

Hæc nanque omnia & reliqua id genus, siue natura siue arte componenda sint, nisi primum amica inter se consensione conueniant, componi coniungíve non possunt.

Cùm igitur sanctitas & munditia propria Deo sit, illísque conueniat maximè, cùmque coniũgendas res ipsas habiles inter sese ad coniunctionem esse oporteat, nemini dubium esse puto ecclesiasticam ciuitatem, quæ Deo coniunctissima est, puram, mundam, sanctam, immaculatámque existẽre. Veritate etenim prima, qua confirmatur, ac in qua fundatur, & errorum omnium expers pura mente perseuerat, & dilectione perpetua, qua ipsa in Christo, & Christus in ipsa manet vsque ad seculi consummationem, ab omni vitiorum sorde & con

Universidad de Deusto Biblioteca

tagione remota est: atque ita virtute bonitatéque perficitur ac vallatur, vt neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia illam possit à Christi amore separare. Rectè igitur ciuitas hæc nostra (quandoquidem omnium cælestium virtutum præcipua) adeo pollet sanctitate omnibus ac cæteris mūdi dignitatibus, potestatibus, imperijs antecellit, satis esse arbitror huius ciuitatis demonstratam sanctitatem. Quæ ciuitas, quia sancta est, iure optimo à sancto Spiritu nomen illi impositum est præclarissimum: is enim hanc sanctam ciuitatem Hierusalem appellauit, quod profectò nomen ob hanc causam adepta est, quòd Hierusalem non modò pacem ipsam, sed ea etiam, quæ pacis sunt, innuere, sanctorum interpretatione tradatur. Tria igitur in hoc sunt, nam & hoc Hierusalem atque pacis optimum est, & id verum huius ciuitatis nomen: & postremò huic ciuitati ita proprium, vt nulli præterea alteri verè conuenire possit. Optimum certè est: nam optima res pax est: adeóque magna & diuina, vt vniuersa creatura hanc appetere, & per quam desiderare videatur. Cum enim pax ipsa Augusti. teste) tranquillitas ordinis sit, & tranquillitas ordinis tunc sit, cùm seclusis contrarijs quibusque ordo conquiescit, constat res omnes (siquidem naturaliter fines suos appetant, & impedientia cuncta summouere contendant) pacem appetere, pacisq; & quietis fructus, vt adipiscantur, summa ope laborare. Quod autem Hierusalem pacisque nomen verum nostræ ciuitatis nomen sit, is testis bonus est, qui dixit, & factus est in pace locus eius, Dei scilicet, qui & huiusce vrbis fines pacem posuit: & tantam in ea voluit propagari abundantiam pacis, vt ciues ipsi non modò cum Deo pacis autore & principe, non modò inter se, omnes pacem haberent, sed singuli etiam pacis tranquillitatisque abundantia, & intelligendo in veritate, & appetendo in ipsa bonitate conquiescerent. Ea verò pax, hæc vrbs Hierusalē, hoc sanctissimum Dei hominúmq; domicilium, non quidem impiorum hominum est (qui quomodo non vera bona sectantur, ita nec veram pacem inquirunt) sed illorum est, Patres, qui pacifici sunt, qui pacis domum vnanimes inhabitant, qui pacem his qui propè & his qui longe sunt, annunciant, qui his, ad quos diuertunt, pacem deferunt, & cum hospitio recepti non sunt, redeuntem ad se pacem ipsi recipiunt. Illorum est hæc sanctissima Hierusalem, quæ ex viuis lapidibus construitur, de qua Dauid loquitur: & cuius portarum seræ ac claustra à Domino confortantur. Hæc est illa Hierusalem, Patres, in qua sicut paulòantè inter diuinas res perlectum est, rex pacificus pacem relinquit nobis, pacem suam dat nobis. Sed non quomodo huius mundi homines dant, ipse dat nobis, hi enim pacem dant, vt molestia careant: sed pax ibi vera non est, vbi nec vera concordia est, nec corda hominum coniuncta, sed disiuncta sunt. Ea autem pax, quam Christus dat, & quæ in testamento pacis & in Hierusalem inuenitur, ea est, Patres, amoris vinculum, tranquillitas animi, simplicitas cordis, consortium diuinitatis. Quis vnquam vidit vel audiuit talia? quid fuit tam singulare, tam nouum, tam inusitatū? Pax Christi non modò corda nostra & nostras intelligentias custodit, sed omnem etiam & humanū & angelicum sensum exuperat: omnisq; homo sanctus vocatur, qui scriptus, & qui relictus, & qui residuus fuerit in Hierusalem. Hanc itaque præclaram in mutatione mundi rerum nouitatem videns Ioannes, ciuitatem hanc non solum sanctam, nec solùm Hierusalem: sed nouam etiam Hierusalem Spiritu sancto dictante appellauit. Noua est enim: nam qui in throno sedebat, & qui de thesauro suo noua & vetera profert: noua in ea fecit omnia. Fecit nanq;, vt neque languesceret aut veterasceret vnquā, neq; senio conficeretur. Ex quo fit, vt hæc longè sit, origine, dignitate atq; autoritate eminentior Hebræorū synagoga: quæ per antiquæ legis vetustatem consumpta cultum & notitiam veri olimq; promissi Dei filij solita pertinacia atque animi obstinatione repudiauit. Nā cùm in synagoga ipsa in hodiernum vsq; diem vetus homo sit. vetus lex, vetus fermentum, pristina conuersatio, in nostra certè hac Hierusalem omnia noua sunt, nouū cor, noua lex, nouus homo, noua conspersio. Quæ enim maior nouitas esse potest, quàm Deum hominem esse, & rursus hominem Deum, eundémq; verum Deum ac hominem, clauis confixum, spinis coronatum. & innumeris affectū contumelijs, non alijs ipsum armis, quàm cruce, & morte, quàm vulneribus infernum vicisse, cælos ascendisse, ad Patris dexteram consedisse, propterq; suum nomen ac legē trucidatos, & gloria & honore & fœlicitate perpetua affecisse? Quid? quòd illi discipuli rudes, pauperes, abiecti, obscuriq; homines, cùm vniuersus ferè terrarum orbis ignorantiæ tenebris inuolueretur. & erroribus ac superstitionibus sceleribúsq; obtemperaret (tot atq; tantis vt dæmones omnium gentiū dominarentur, ac summopere ab hominibus colerentur) hunc tamen ipsum mundum immundum Christi discipuli hi ex infima plebe viri contra synagogæ Pontifices, contra mundi Imperatores, contra humani generis hostes, contra leges, consuetudines, opiniones, non armis, non opibus, non vt aut ferro vicerunt: sed fide tantùm, spe, & charitate superarūt, purgauerunt, illuminarunt. Tam autem propria est nostræ ecclesiæ diuina atq; sempiterna nouitas hæc, vt nulla hominū ætas fuerit, nulla vnquam ciuitas aut respubli. quæ non ab hac christiana ecclesia cuncta acceperit, quæ filiorum Dei adoptionis perpetuæ existunt. Nam (vt à diuo Thoma præclarè scribitur) summum illud Dei beneficiū quod nostri gratiā appellant, & quo Dei filij efficimur: id à Deo noui Testamenti est, vt à mundi creatione sancti sanctæq; omnes quatenus naturæ diuinæ participes fuerunt, eatenus sub nouo Testamento comprehendātur: ad quod Veteris omnia sunt referēda. Verum cùm hoc fieri nequiuerit, vt excellens hæc diuini humaníque consortij nouitas ex terra terrenisq; rebus oriretur (quod enī natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est) par certè & consentaneum rationi fuit, vt de cælo ciuitas hæc sancta, & noua Hierusalem descenderet. Descendit nanque de cælo vrbs hæc noua: cuius fundamenta nec in poëtarum figmentis, nec in humanæ sapientiæ persuasibilibus verbis, neque in cuiusuis mortalis aut creatæ voluntatis appetitu seu opinione iacta sunt: sed quæ in montibus sanctis. hoc est in patriarcharum figuris, in prophetarum testimonijs, in præconijs Apostolorum, in supplicijs martyrum, in admirandis Christi operibus, in sanctorū proborúmq; hominum purgatissimis mentibus. in virtutis decoreq; & Spiritus ostensione incōcussa ac firma perseuerant. Descendit autem de cælo non gressibus corporis, sed imitatione ac similitudine. Illius nanque exemplo, quæ in cælis reipubli. beatissimæ, huius, quæ in terris est, regimen constituit Deus, vt illud nō penes omnes aut multos, sed penes vnum Christi vicarium & dominici gregis pastorem consistat. Nam sicut in Hierusalem illa quę in cælis est mater nostra, vnus tantùm Dominus est Iesus Christus: ita in hac Hierusalem illius filia, quæ Christi sanguine irrigata & matris est illustrata splendoribus, vnus tantùm princeps est vicarius Christi, & pontifex maximus, cui omnes descendentes Hierusalem ciues & incolæ, non solùm vt separatim singuli, sed etiam vt simul vniuersi obedire debeāt: quemadmodū qui in superna sunt Hierusalem sancti, cùm singulatim, tamen vniuersæ diuisimq; ac simul omnes, vni omnium Creatori subsunt, parent & obtemperant. Vt verò præclarissima hæc sunt? At dicet fortè quis, Cùm his temporibus duæ nobis ecclesiæ & duæ synodi proponantur (vna Romana, Pisana altera) vtrum ambæ de cælo descenderunt? Alteram enim earum tantummodo descendisse necesse est, siquidem Christi sponsa vna est. Sinite me hoc in loco Patres, respirare paulisper: nam quid à vobis in hac re constituendum sit, paucis dicam.

Ecclesia ciuitas è Hierusalem.

Ecclesia quomodo noua est ciuitas.

Ecclesia de cælo descendit.

QVINQVE CHRISTI Ecclesiæ conditiones, nobis (vti audistis) sanctus Euangelista proposuit. illam enim in primis esse ciuitatem, deinde sanctam Hierusalem post, tum nouam esse, & de cælo postremò descendisse affirmauit. Illam igitur synodum & in terris ecclesiam militantem, quam de cælo credimus descendisse consentaneam esse præscriptis conditionibus, & in cælo triumphantis ecclesiæ formulis, procuidubiò reperiemus. Eam verò, quæ à supernorum imitatione prolapsa in præceps, ab illis deflectit viam, non vtique de cælo descendisse, quin potius ab inferis ascendisse iudicabimus. Hoc quando ita se habet, non descendit de cælo, Patres, Pisana nuper Patrum illorum ecclesia, non descendit de cælo infaustus vbique & inuisus cœtus, non tantùm è cælo facinus. Non descendit inquam, sed ruit. Quamobrem: quia non obs

infinitum, vt communiter tenetur, & à philosophis & à Theologis: consequens est quòd virtus diuina infinita non sit. Et confirmatur secundo ex quarto Physicorum textu centesimo trigesimoprimo sic: Si impossibile est esse mobile, impossibile est esse motiuum, & econuerso. & similiter, si impossibile est esse mobile velocitate infinita, impossibile est esse motiuum velocitate infinita: sed impossibile est tale mobile inueniri: ergo & motiuum infinitæ virtutis.

Tertium argumentum.

¶ Tertiò arguitur à credentibus se arguere ex commentario trigesimooctauo secundi de cælo: vbi Auer. dicit, quòd si motor non haberet potentiam terminatam, ergo neque naturam terminatam: & sic intelligerentur ex sua natura motores infiniti: & non intelligerentur ex suo esse res propriæ ei, &c. Ex illo enim commento arguunt, quòd infinita virtus est ens impossibile inueniri in rerum ordine: quia si ponatur, sequeretur, inquiunt, quidam, quòd totum nō esset maius sua parte: accepta enim virtute illa infinita, & diuisa secundum intellectum in duas quasi partes: ex quo quanta est virtualiter, cùm quælibet pars infiniti sit infinita, & vnum infinitum non sit maius alio, consequens est quòd tota virtus infinita est æqualis cuilibet suarum partium: quod est impossibile. Et ad hoc deducit ibi Auer. cùm dicit, quòd si esset motor infinitus, intelligerentur ex sua natura motores infiniti. Alij verò eandem inde volentes deducere conclusionem, dicunt ideo esse impossibile ens habens virtutem infinitam: quia infiniti proprium est occupare totum. & ideo si daretur infinitum secundum virtutem, occuparet omnem virtutem: nec compateretur secum aliquam aliam virtutem: & sic periret ordo vniuersi. Et quia infinita natura contingeret & occuparet infinitas naturas, natura autem est primum principium motus, ideo dixit, quòd intelligerentur ex sua natura infiniti motores. Potest tamen difficilius, & ad mentem Auer. ibidem argui sic: Causa finitatis intensiuæ est distinctio formarum: & hæc est communis formis materialibus & immaterialibus: ergo finitas illa est communis omnibus formis. Antecedens probatur: tum quia distinctio formarum mouentium est causa finitarum proportionum ad mobilia: nisi enim esset diuersa natura mouentis solem, à natura mouentis saturnum, non posset reddi ratio suarum commensurationum ad mobilia propria. Tum quia constitutiua formarum, ex quibus oritur earum distinctio, sic se habere necesse est, quòd vnum aliquid claudit positiuum, quòd reliquum non claudit, & econuerso. Ab infinito autem nullum positiuum excluditur: ac per hoc periret multitudo & differentia motorum.

Quartum argumentum.

¶ Quartò arguitur sic. Si Deus esset infinitæ essentiæ, sequeretur, quòd nullum ens esset perfectius alio. hoc est falsum. ergo. Consequentia probatur supponendo, quòd perfectio attendatur penes accessum ad summum: quod etiam habetur in proposito ex decimo Metaphysicorum commentario septimo vbi dicitur, quòd primus motor est mensura omnium substantiarum. Hoc enim stante deducitur consequentia sic: Eorum, quorum nullum est alio propinquius summo, nullum est alio perfectius. sed si Deus est infinitus, nullum aliorum entium est sibi propinquius alio: quia à quolibet distat in infinitum. ergo inter entia alia à Deo non datur perfectius & minus perfectum.

Quintum argumentum.

¶ Quintò arguitur autoritatibus. Et primò Auer. octauo Physicorum commētario. septuagesimonono, vbi negat primum motorem esse infinitum. Secundò, in secundo cæli, commenta. allegato trigesimooctauo. & trigesimonono, vbi subdit, quòd infinitas intensionis impossibile est quòd inueniatur in formis, inquantum sunt formæ. Et confirmatur hoc idem in commentario septuagesimoprimo. & in de substātia orbis, ca. tertio, &c.

Aristo. quoque in secundo cæli, textu septuagesimoprimo. testimonium huic parti perhibet, dum dicit, quòd si adderetur stella orbi erratico, vltimus orbis esset in labore. Constat enim vt ibidem, & in commenta. quinquagesimooctauo: declarat Auer. quòd vltimum orbem reuoluere alios, est motorem eius hoc facere, quem omnia desiderant: quem constat esse Deum: & consequenter nihil aliud est dicere, vltimus orbis esset in labore, quàm Deus esset in labore. Hoc autem non sequeretur, si Deus esset infiniti vigoris, ergo.

IN OPPOSITVM Est autoritas Aristo. octauo Physi. text. commentarij vlti. vtentis infinitate pro medio termino ad concludendum Deum esse incorporeum.

CONCLVSIO.

Deus secundum mentem Aristotelis & Auerrois est virtutis infinitæ intensiuæ.

IN HAC QVAESTIONE Tria sunt agenda. Primò declarabitur titulus. Secundò probabitur pars affirmatiua. Tertiò respondebitur rationibus ad oppositum.

Quæstio è de quantitate diuina perfectionis.

QVO AD PRIMVM, Cùm finiti, & infiniti ratio quantitati congruat, vt dicitur primo Phy. tex. 15. & quantitas diuidatur in successiuā & permanentem, & hæc in quātitatem molis, & perfectionis, supponámusque Deum esse incorporeum & immortalem, &c. consequens est, quòd nec de quantitate durationis, nec molis quæstio præsens sit: sed de quantitate perfectionis, an infinita sit. Quia verò infinitum negationem claudit, non est putandum priuatiuè teneri, sed, vt communiter, & verè dicitur, negatiuè: quoniam nō quæritur, vtrū Deus non habeat perfectionis terminos, quos sua vel alicuius alterius natura nata est habere, sed simpliciter quæritur vtrùm nullos habeat perfectionis terminos. Et licet mutuò se consequantur infinitas virtutis & infinitas essentiæ: diuersa tamen quæsita formaliter sunt: & diuersa habent propria media. Propter quod diuus Tho. in 7. quæstio. primæ partis tractat infinitatem essentiæ Dei: & in quæstio. 25. infinitatem suæ potentiæ. Vnde quæstio nostra de infinitate virtutis inquirens, si infinitatem essentiæ quasi pertransibit, arguenda insufficientiæ non est. Vertitur ergo hoc in loco in dubium: an virtus seu potentia Dei gloriosi sit tantæ perfectionis, quòd nullis perfectionis limitibus angustetur, an non, Verbi gratia, applicando quæstionem ad virtutem motiuam, an virtus motiua Dei gloriosi sit tantæ perfectionis, quòd quantum est ex se, nullo limite claudatur: sed quacunque velocitate data possit facere maiorem: an concludatur aliquo termino: puta quòd vltra velocitatem vigintiquatuor horarum non possit facere maiorem. Et hæc de primo.

Primum supplementum. Deus est ipsum esse per essentiam, & omnium perfectiones eminenter continens etiam simul sumptarum.

QVO AD SECVNDVM, Quia non est intentionis præsentis discutere difficultatem hāc, nisi inter Peripateticos: & horum duos tantùm, principem scilicet eorum, & Auer. à quibus metaphysicalia media propria ad infinitatem substantiæ diuinæ, aut non habemus, aut sic, vt nefas videatur mordaci multorum imperitiæ exponere: ideo duabus tantùm vijs propositum ostendetur. Vnum tamen de ipsa diuina essentia præmittendo, scilicet quod est ipsum esse per essentiam, & totam essendi virtutem præhabens, superexcedénsque nobilitates omnium rerum, quæ fuerunt, & quæ sunt, & quæ possunt esse, etiam simul sumptarum. Quòd enim sit ipsum esse per essentiam, Aristo. ij. Meta. text. 4. & Auer. 12. Meta. commenta. 51. testantur. Quòd verò ipsum esse per essentiam, totam essendi virtutem præhabeat, apud sapientes penetrantes terminos, in dubium verti non potest: sed communis animi conceptio est, quemadmodum incorporalia non esse in loco. Exprimitur quoque ab Auer. in commenta. 21. v. Meta. vbi dicitur, in Deo contineri nobilitates omnium generum: cuiusque siquidem rei nobilitas, secundum aliquam essendi rationem est.

Confirmatúrque ab eodem in 12. Meta. commentar. 18. & 36. vbi dicit, in primo motore omnia contineri actu, & in commen. 51. Quòd autem omnium nobilitates simul sumptæ, deficiant à nobilitate prima: ex eo patet, quòd cùm ipse ita sit summum ens, quòd cæterorum nobilitates claudat in se nobilissimo modo, tantò omnibus præstat, quantò eorum in se naturas nobiliori habet modo. Habet enim omnia in se per modum sui, qui est purus actus omnino. Vnde ridiculum est, quòd quidam nō sunt veriti scribere, scilicet quòd cum dupliciter possit intelligi, Deum habere in se perfectiones omnium, vno modo sic, vt habeat in se vnam simplicem essentiam præhabentem omnia, vt pura actualitas, alio modo sic, vt habeat in se gradus perfectionales correspondentes singulis perfectionibus contentis. Si secundo modo verificaretur, tunc Deus esset perfectior, cæteris simul

Universidad de Deusto
Biblioteca

sumptis: si verò primo modo, non concluditur. Deum esse perfectiorem omnibus simul, sed singulis. Et quia primo modo verificatur, ideo ex his nõ habetur, Deũ esse perfectiorẽ omnibus simul sumptis. Ridiculũ inquã est: quia puerile est in philosophia, æquare perfectiones particulares perfectionibus vniuersalibus. Non enim est possibile secundum rem, neque secundum intellectum, etiam data fingendi licentia, vt aliquid sit melius ipsa bonitate per essentiam aut magis ens ipso esse per essentiã, aut magis viuens, aut intelligens, &c. quàm ipsa vita, & ipse intellectus per essentiam. Si ergo Deus secundum vnitatem est huiusmodi, quomodo potest aliquid eo perfectius fingi? Vnde Aristo. 12. Meta. text. 39. notanter concludit Deum esse viuum, & sapientem, &c. vt Platoni attributum dogma confutaret, quòd nobilitates entium diuisit, ponens aliud esse per se vnum, & aliud per se ens, & aliud per se vitam, &c. Vnde sicut Leones Platonicus esset perfectior non solàm singulis, sed omnibus leonibus simul, quatenus leones sunt, etsi infinities infiniti leones particulares essent, omnes à per se leonis nobilitate deficerent: sic omnia entia per participationem, à primo per essentiam ente necesse est deficere. Quod etiam ex causalitate æquiuoca primi super omnia, manifestè patet.

¶ Hac igitur primi entis nobilitate præhabita, ostendendum est, an virtus eius sit infinita intensiuè.

PRIMA Ergo via ex fine 8. Phys. sumitur sic: Aristo. vt Auer. com. vlti. inquit, concludit in secunda figura, Deum non esse virtutem in corpore, sic: Nullum corpus aut virtus in corpore est infinitum: primus motor est infinitus: ergo primus motor non est corpus, nec virtus in corpore. Probatur maior, quia virtus infinita aut esset in corpore infinito, & hoc non datur: aut in corpore finito, & hoc ostensum est esse impossibile. Minor verò quia mouens tempore infinito est virtutis infinitæ: primus motor est huiusmodi: ergo. Iste est processus Aristo in quo manifestè ostitur infinitate virtutis pro medio termino. Nec refert siue sic, siue aliter formetur processus Arist. quoniam quocũque modo formetur, in idem redit, vt patet in tex.

¶ Quidam autem peruertentes textũ, dicunt, quòd Aristo sumit quidem pro medio infinitam virtutem, sed virtus infinita potest esse dupliciter. Vno modo intensiuè: & sic non accepit Aristo. Alio modo secundum durationem: & sic intellexit. Ita quòd maior est, Nulla virtus in corpore est infinita secundum tempus, &c. Sed contra hos ex hoc processu arguitur sic. Præmissæ alicuius syllogismi probatæ anterioribus syllogismis, in eo sensu sunt sumendæ, in quo fuerunt conclusæ in præcedentibus rationibus, ista patet de se. Sed præmissæ syllogismi facti in text. vlti. fuerunt probatæ per alias rationes factas: vt ibidem fatetur etiam Aristo. ergo accipiendæ sunt in sensu, in quo probatæ sunt. Constat autẽ quòd præmissæ ille probatæ sunt loquendo de infinitate intensiua, ergo accipiendæ sunt, vt loquuntur de infinitate intensiua. Discursus bonus & vltima tantùm propositio restat declaranda. Quæ sic declaratur. Maior huius syllogismi fuit conclusio probata in text. 79. quo ad hoc, quòd virtus infinita non potest esse in magnitudine finita, & fuit conclusio probata in 3. Phys. longo processu, quo ad hoc, quòd magnitudo infinita non datur. Sed in text. 79. non potest inficiari, quin loquatur de virtute infinita intensiuè, ergo primæ præmissa loquitur de virtute infinita intensiuè. Minor verò est conclusio probata ab Aristo. in hoc textu ex conclusione text. 78. Probat enim hîc primum motorem esse virtutis infinitæ, quia mouens tempore infinito est virtutis infinitæ: vt ibi probatum fuit. Ad illum enim textum expresè in hoc loco se remittit Aristo. dicens, quòd impossibile est à finito moueri aliquid secundum tempus infinitum, monstratum est nunc. Constat enim quòd nullibi probatum est, nisi in text. 79. Apertissimè autem liquet etiam cæcis, quòd in text. 78. non est sermo nisi de finita & infinita virtute intensiuè, ergo altera etiam præmissa loquitur de infinitate intensiua. Superfluum autem esset duxi adducere demonstrationes Aristo. in tex. 78. & 79. vt ostendam ibi sermonem haberi definitate & infinitate intensiua. Rationes enim adeò apertæ sunt, vt ostensione hac non egeant, exigitur tamen ad hoc, vt videantur. Et ne suspensum quempiam reddamus, donec librũ Phy. viderit, fideliter ipsas demonstrationes adduximus.

Demonstratio ergo habita in text. 78. ad ostendendum quòd motus in tempore infinito non potest fieri à virtute finita, est ducẽs ad impossibile. Et accepit primò ab aduersario eius positionẽ, scilicet q̃ sit ita q̃ A virtus vt centũ, moueat B mobile centum cubitorũ in C tẽpore infinito. Deinde adiungit huic propositionẽ possibilẽ, scilicet q̃ D virtus vt decem, quæ est decima pars virtutis, vt cẽtum moueat E mobile decem cubitorum, quod est etiam decima pars primi mobilis, in tempore Z. Et tunc arguitur sic: Hoc tempus, in quo mobile decem cubitorum mouetur à virtute vt decem, non est æquale tempori illi, in quo mobile centum cubitorum mouetur à virtute vt centum, sed minus eo. Quia demonstratum est in 6. quòd cæteris paribus totum mobile, seu mobile maius, maiori tempore eget ad pertranseundum aliquod certum signum, quàm pars eius seu mobile minus & ad sensum patet. Vel secundum Auer. (& in idẽ redit) quia maior potentia mouet maiori tempore, scilicet maius mobile respectu alicuius signi pertranseundi, seu quod idem est, conditiuidendo tẽpus mobili, aliter non esset verum: quia vt dicitur in 7. Phy. tex. 36. media potẽtia mouet medium mobile in æqualitẽ per æquale spatium. Cùm ergo illud tempus sit infinitum, restat quòd hoc sit finitum. Sit ergo tempus Z decem horarum. Et tunc arguitur sic, Si augeatur virtus vt decem donec consumat, aut adæquet virtutem vt centum, & similiter augeatur mobile 10. cubitorum, donec consumat vel æquet mobile centum cubitorũ, necesse est proportionaliter augeri tẽs Z decẽ horarum, donec consumat aut adæquet tempus, in quo virtus vt centum mouet mobile centum cubitorum, quia necesse est æquales virtutes mouere æqualia mobilia tempore æquali. Sed infinitum non potest consumi, nec aliquid potest ei multiplicatum æquari, ergo tempus quo virtus vt centum mouet, impossibile est esse infinitum: quod erat probandum. Demonstratio autem posita in tex. 79. probans, quòd in magnitudine finita non potest esse virtus infinita, est etiam ad impossibile. Et primò supponit tria. Primũ est q̃ maior virtus motrix faciat quælem motum in minori tempore. Secundum (quod ex primo sequitur) est, quòd infinita virtus facit plus in æquali tempore, quàm finita. Tertium est, quòd omnis motus est in tempore. Quibus stantibus arguitur sic: Si in magnitudine finita esset virtus motiua infinita, sequeretur quòd in æquali tempore æqualiter mouerent virtus finita & virtus infinita: hoc autem est impossibile. ergo. Consequentia declaratur ibidem sic: Sit A tempus vnius horæ in quo virtus infinita mouet: & sit B tempus mille horarum, in quo virtus finita, puta vt centum, mouet. Tunc cùm quantò virtus motiua fit maior, tantò tempus, in quo mouet, fiat minus per suppositiones, augeatur virtus motiua, vt centum, in tanta proportione, quanta tempus vnius horæ exceditur à tempore mille horarum: & tunc manifestè patet, quòd in æquali tempore æqualiter mouebit virtus illa finita in mille cupla proportione ad virtutẽ vt centum, & virtus infinita, quod erat impossibile deducendum. Ex his iam manifestè patet, quòd nunquã fit sermo de infinitate durationis, sed semper de infinitate & finitate intẽsiua: vt qui his oblatis hoc non videt, non egeat medio, sed sensu intellectuali. Et confirmatur. Præmissæ istius vltimi syllogismi intellectæ, vt dicũt, de infinitate durationis, aut assumuntur ab Aristo, vt per se notæ, aut vt probatæ. Non vt per se notæ, quoniam sunt aut falsæ, aut maximè dubitabiles: tũ quia sol habet virtutem motiuam tempore infinito motu alterationis: tum quia totum corpus cæleste mouet actiuè motu locali sphæram ignis, & supremum aëris tempore infinito: & tamen constat quòd hæc sunt corpora: nec secũdum veritatem apparet aliquid cogens, nisi loquentes ad dicendum, quòd virtus corporea actiua est necessariò finita secundum durationem. Vnde Aristo. assumens vt per se nota ea, quæ sensus perhibent esse falsa, plurimùm peccasset. Nec vt probatæ: quia nullibi inuenuntur in hoc sensu probatæ. ergo.

¶ Et quoniam quæstionem hanc non aggredimur ea ratione, vt sciamus quid senserit Aristo. quoniam hoc à philosophia extraneum est: sed vt sciamus, qua ratione hoc conclusum sit: & in processu prædicto ambiguitas magna est circa probationem minoris (quæ est quæstionis huius obiectum) ideo videndum hîc est quã

quàm efficaciter minor illa probetur. Est autem ratio dubitandi: quia com. tex. 78. scilicet mouens tempore infinito est infinitũ, ex qua probatur minor. tex. vlti. scilicet primus motor est infinitus: loquitur de mouẽte tpe infinito ex parte mobilis: vt patet ex ratione probãte ipsam: conditiuidit enim tempus mobili. minor autem ista loquitur de mouente tempore infinito ex parte magnitudinis, seu spatij super quod fit motus: vt patet in motu cæli. Primus enim motor non aliter mouet tempore infinito, nisi quia mouet cælum tempore infinito. Constat autẽ quòd nec tempus, nec motus cæli habet infinitatẽ ex parte mobilis: sed ex parte spatij infinities pertranseundi. Constat autem, quòd ad mouendum tempore infinito primo modo, requiritur virtus infinita: vt patet ex demonstratione Arist. tex. 78. & hoc siue virtus illa sit corporea siue incorporea, permanet verum, & quòd ad mouendum tempore infinito secundo modo, non requiritur virtus infinita: vt patet de motore orbis lunæ, qui est virtutis finitæ, & sufficiens est mouere motu æterno. Eodem siquidem vigore, quo semel potest mouere suum orbem, potest infinities iterare motum illum: quia est inalterabilis & immutabilis virtutis: & vt dicitur in 8. Phy. tex. 85. semper similiter se habens in se & ad mobile, semper idẽ faciet.

¶ Et vt clarius percipiatur modus quæstionis, sciendum est ex 6. Phy. longo processu, quòd tempus motus conditiuiditur mobili, & cõdiuiditur magnitudini, super quam est motus. Et similiter dupliciter infinitum esse contingit, vno modo ex parte quantitatis mobilis, alio modo ex parte quantitatis spatij. Mobili quidem conditiuiditur tẽpus, & ex eo infinitatur: quia si aliquod certum signum in aliquo spatio designatum sit pertranseundum, prius pertransitur ab vna parte mobilis, quàm ab alia: & si pertrãseũdum est à pluribus mobilibus inæqualibus vno decem cubitorum, & altero viginti, &c. & cæteris paribus quæratur quantum erit tempus mensurans transitus istos: manifestè patet quòd si mobile decem cubitorum transit illud signum in vna hora, quòd mobile viginti cubitorũ pertransibit illud in duabus: sicut etiam illudmet signum prius transit medietas mobilis, q̃ totum. Oportet enim seruata æqualitate motus, quanto mobile est maius, tardius pertransire signum illud. Verbi gratia: Si primus orbis & orbis lunæ æqualiter mouerentur, signatũ punctum Orientis orbis lunæ tanto citiùs pertransiret, quanto minor est primo orbe. Ita quòd quando orbis lunæ pertransisset suum transitum, fortè adhuc nec millesima pars primi orbis punctum illum orientis transiisset: & idẽ est in motu recto. Vnde si infinitum est mobile, infinitum necesse est esse tempus, in quo datum signum pertranseũdum est. Magnitudini verò cõditiuiditur tempus. & ex ea similiter infinitatur: quia finitũ mobile prius transit vnã partem magnitudinis quàm aliam. & sic cæteris paribus quanto maior fuerit magnitudo pertranseunda, tãtò magis erit tempus mensurans magnum: & si infinita infinitum, vt in motibus processiuis manifestum est. Nec refert in proposito, an magnitudo seu spatium coincidat ratione materiæ in idem realiter cum quantitate mobilis: vt in motu cæli contingit. Non enim est aliud spatiũ pertranseundum à primo corpore, quàm quantitas ipsius, vt Auer. dicit in 2. cæli. com. 46. Pagst enim, q̃ cælum prius pertransiret partem spatij, quę est ab Oriente ad Meridiẽ, quàm illam, quæ est à Meridie ad Occidens, nihilominus quàm si ibi esset realis distinctio quãtitatis spatij & quãtitatis mobilis. Similiter non refert in proposito, an quantitas spatij quantitatem temporis augeat, ex quantitate suarum partium nunquam ab illo mobili pertransitarũ: vt contingit in motu recto & prima reuolutione circulari: an ex quantitate earũdem partium, quæ pluries pertranseundæ sunt: vt cõtingit in reflexione motus recti. & in secunda reuolutione circulari, & deinceps. Spatium enim idem secundo pertranseundum, alterius spatij æqualis primo rationem habet: & perinde quantificat & extẽdit tempus, acsi alterũ æquale primo esset (seu vt melius loquamur) acsi esset altera pars totalis spatij æqualis primæ parti: & similiter est de omnibus reuolutionibus circularibus.

¶ Ex his igitur patere possunt tria. Primum, quòd tempus, quo mouetur cælum perpetuò, est infinitum non à philosophia extraneum est: sed vt sciamus, qua ratione hoc conclusum sit: & in processu prædicto ambiguitas magna est circa probationem minoris (quæ est quæstionis huius obiectum) ideo videndum hîc est quã

Secundum quòd tempus, quo probauit Arist. in text. 78. non posse fieri motum à virtute finita, est infinitum ex parte mobilis: quoniam manifestè ibi fit diuisio temporis secundum diuisionem mobilis: dum augendũ proportionaliter dicitur secundum augmentationem mobilis & motoris: vt contra proteuos syllogizetur sic, Quãtitas temporis aucta & diminuta proportionaliter secundum augmentationem & diminutionem potentiæ motoris & quantitatem ipsius mobilis, est quantitas se tenens ex parte mobilis. patet ista ex terminis, & ex septimo Phy. text. 36. sed quantitas hæc temporis, de qua loquitur Aristo. est huiusmodi, vt patet de se: & Auer. in com. expresè asserit cum cæteris expositoribus. ergo.

Ex his autem liquet tertium principaliter intentum, quòd scilicet processus Arist. non sufficiẽter videtur probasse minorem, scilicet primus motor est virtutis infinitæ: sed æquiuocationem videtur commisisse in medio termino, qui est mouens tempore infinito: dum in maiore prosyllogismi, quæ fuit conclusio text. 78. sumitur pro tempore infinito infinitate se tenente ex parte mobilis: cũ dicitur, Omne mouens tempore infinito est virtutis infinitæ: & in minore sumitur pro tempore infinito infinitate se tenente ex parte spatij, cùm dicitur, Sed primus motor mouet tẽpore infinito. Restat igitur ambiguitas non parua in hoc processu.

¶ Omissis autem opinionibus pluribus, quæ à diuersis de vi huius demonstrationis dicta sunt. Sco. enim in quolibet. quæstio. 7. ad primum credens secundum Ari. primum motorem infiniti vigoris intensiuè, dixit hoc concludi ex eo, quòd mouet à se: quia quod mouet à se, est à se: & consequenter habet plenitudinem actuitatis & entitatis, quæ absque infinitate intensiua non est. Aegidius verò in 8. Phys. credens idem, dixit hoc concludi ex eo quod totus motus cæli finitus est proprius effectus Dei: quia quod potest in infinitum motum, quo ad suam totalitatem, potest nihil minus in ipsum, tam si sit vnius mobilis absolutè, quàm si sit vnius mobilis infinities iterati. & consequenter est virtutis infinitæ: quia à propria causa effectus recipit mensuram & speciem. His inquam omissis, quo absque probatione dicta sunt, quod mihi videtur scribendum est. Mirum enim & (vt melius dicamus) extraneum valde est, quòd Aristo. medium terminum tacuerit, & tantum studium apposuerit circa id, sine quo sua ratio ex tacito medio tenet: vt Sco. dicit. Non enim in 8. Phy. aliud medium assumitur, nisi mouere tempore infinito. & de hoc magna solicitudo fuit, quòd exigat virtutem infinitam. Constat autem quòd hoc abstrahit à mouere à se, vel non à se: & quòd motioni à se accidit, quòd fit in infinito tempore. nihil enim minus concluderetur, si esset in tempore finito, vt ipsemet fatetur.

Nec valet ratio dicens, quòd infinitas non dependẽs, sed prima est proprium medium ad virtutem infinitam: quia secundum hoc primitas motus esset proprium medium, siue ille motus sit finitus, siue infinitus: & sic idem quod prius. Vnde finitas & infinitas motus vndique per accidens concurrunt, & sic Arist. scilicet scientiarum artifex, tacuisset ea quæ sunt per se in medio termino, scilicet primitatem motus: & solicitus fuisset circa ea, quæ sunt per accidens, scilicet infinitatem temporis, cuius oppositum vbique docuit faciendum. Aegidij verò deductio quamuis veritatem à longè tangere videatur (vt in sequentibus patebit) veritatem tamẽ assequuta non est: quia ex eo quòd totus motus cæli ponitur effectus alicuius causæ per se, non est ab eo nec sequacibus deducta infinitas intensiua illius causæ: sed assumptæ sunt proportiones voluntariæ vel remotæ: vtpote quòd proprius effectus à per se causa recipit speciem & mensuram. Ex hac enim non habetur quòd totalitas infinitatis extensiuæ necessariò fiat per se ab infinitate intensiua: sicut nec ex hac effectus infinitus fit à causa infinita, quum non appareat, quare ipsa totalitas & vnitas infiniti motus non possit per se intendi, & fieri à virtute finita, immobili ad cõtinuandã & conseruãdam perpetuò inferiorum successionem, &c. vt dicitur in secundo de generatione, text. 56. & 12. Meta. com. 306. Latius igitur quòd mihi in re hac apparet, prosequendũ est: eo q̃ difficultatẽ motã directè discutit, & ad principale propositũ propriã viam docet. & Arist. tam mẽti q̃ verbis cõsona videtur. Premittendum est ergo primò, quòd perpetuitas motus sicut & alia quãtitas dupliciter imaginari potest,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd fiat ab aliqua, virtute. Vno modo per se primò. secundo modo non per se primò. Et ne in æquiuoco laboremus, illud dicitur fieri per se primò ab aliqua virtute, in quod potest virtus illa ex propria ratione: in illud autē dicitur posse aliqua virtus ex propria ratione, in quod potest ex perfectione clausa infra latitudinem propriam illius virtutis. Et per oppositum illud debet fieri non per se primò ab aliqua virute, quod quidē fit ab illa virtute ex aliqua conditione annexa illi virtuti, quæ est extra latitudinem illius virtutis formaliter sumptæ: verbi gratia, & est exemplum deseruiens proposito: Virtus calefactiua vt octo B ignis durātis centum annis, potest in duos effectus scilicet & calefacere vt octo, & centū annis cōtinuare hunc calefactionis motū: sed primū potest ex rōne propria inquantū est virtus calefactiua tātæ perfectionis scilicet vt octo, hęc eim pfectio infra latitudinē virtutis calæfactiuæ clauditur. Secundū verò non potest ex propria ratione, alioquin omnis virtus calefactiua vt octo hoc posset: quod patet falsum in D igne durante per diem tantū: sed potest ex annexa sibi duratione centum annorum: quam patet esse extra rationem virtutis calefactiuæ & cuiuscunque alterius virtutis motiuæ formaliter sumptæ. Ideo enim B ignis potest continuare calefactionem per centum annos, quia virtus eius durat centū annis: vt de se patet. Tunc ergo perpetuitas motus dicitur fieri per se primò ab aliquo, quando ex perfectione infra latitudinem potentiæ agentis clausa causatur, tunc autem non per se primò, quando non ex ratione propriæ potentiæ agentis, sed ex conditione illius fit. Ex hac aūt distinctiōe ex parte effectus manifestè patere pōt alia distinctio ex parte causæ. Potest siquidem dupliciter imaginari, aliquam virtutem esse cōtinuatiuā motus tempore infinito. Vno mō per se primo id est ex ratione propria, vt exposuimus, & alio modo non per se primò, sed ex annexa eius conditione: vt etiam exposuimus. Differunt autem vis perpetuatiua motus per se primò, & vis perpetuatiua nō per se primò, ex assignatis rationibus adhuc dupliciter. Primò in hoc quòd vis perpetuatiua per se primò respicit infinitatem durationis, vt per se primò effectum, & per se primò terminum: quia ex propria latitudine in illam potest, sicut vis calefactiua respicit calefactionem seu calorem: vt per se primò effectum & terminum. Vis autem perpetuatiua non per se primò respicit infinitatem durationis, non vt per se primò effectū, sed vt conditionem proprij effectus.

¶ Secundò in hoc, quòd illa respicit quantitatem durationis vt per se proprium effectum: quia infinitas durationis quędam quantitas durationis essentialiter est, omnem quantitatis durationem in se claudens. Ista autē nō nisi per accidens quantitatē durationis respicit, scilicet vt conditionem necessariò comitē sui proprij effectus: quia non ex propria ratione, sed ex annexa conditione hoc facere supponitur. His verò prælibatis, oportet secundò tres conditionales stabilire: ex quarum veritate propositi ratio habebitur.

CONDITIONALIS PRIMA.

Si quid per se primò mouet tempore infinito, est infinita virtutis intensiua.

PRIMA CONDITIONALIS est: Si A per se primò mouet tempore infinito, A est virtutis infinitæ intensiuæ. Declaratur ista: quia stando infra latitudinem virtutis per se respicientis quantitatem durationis vt propriū effectū quæ pōt vocari virtus quātificatiua motus, intelligēdo de quātitate durattonis: valet argumentum. Ad continuandum aliquanto tempore requiritur aliquanta virtus, ergo ad maius tēpus, maior virtus, ergo ad infinitū infinita. Et fundatur hæc cōsequētia super illam regulam: Sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximū ad maximū. Quare absque dubio vniuersaliter & necessariò tenet in his, quæ se respiciunt per se primò: vt san. Tho. in 3. contra Gen. ca. 139. dicit, Fundatur etiam super illud principium Metaphysicum: Cuiusque potentiæ propria latitudo, proportionabiliter respondet propriæ latitudini sui per se primo effectus. Quod patet inductiuè in omnibus: ergo virtutis quantificatiuæ motus, si esset propria latitudo, responderet propriæ latitudini quantitatis durationis: sed propria latitudo quantitatis durationis attenditur penes extensionem durationis: quia duratio non augetur per intensionem, vt qualitas, sed extensionem, vt quantitas: ergo virtus quantificatiua quantò maiorem posset quantitatem durationis producere, tantò maior esset, ergo si infinitam infinita. Vnde proportio virtutis quantificatiuæ seu continuatiuæ motus, ad quantitatem per se durationis, est sicut proportio virtutis calefactiuæ ad quantitatem per se caloris. Et nulla est differētia proportionum: quamuis sit differentia rerum substratarum proportionibus, quia quantitas per se caloris est quantitas intensiua, quantitas verò durationis est extensiua. Quod tū, vt ex dictis patet, proportionem non variat: eo quòd hoc est materiale & per accidens. Formale enim est, vniuersaliter loquendo, quòd latitudo cuiusque potentiæ actiuæ respondeat latitudini propriæ sui per se primò effectus. An verò latitudo propria effectus attendatur secundum extensionem vel intensionem, accidens esse cognoscitur ab exercitatis in metaphysica, & ideo eadem ratione proportionis tenet consequentia supradicta, qua tenet ista. Ad producendum aliquantum calorem requiritur aliquanta virtus calefactiua, ergo ad maiorem maior, ergo ad infinitam infinita. Si quis autem dixerit, supradicta principia non habere locum, nisi quando quantitas per se effectus est quantitas intensiua: cùm philosophia abhorreat voluntarium, oportet huius restrictionis rationem reddere. Nulla autem ratione fulta apparet hæc responsio, nisi fortè dicatur, quòd quia magnitudo virtutis non est nisi secundum quantitatem perfectionalem, ideo non responder nisi quantitati perfectionali effectus: quantitas autem perfectionalis non est quantitas durationis. Non enim quātò maior duratio, tantò perfectior effectus fit: sed æqualis perfectionis est ignis durans per horam, & per duas horas, & per tempus infinitum: vt dicitur primò Ethi. capit. 7. Sed hæc ratio in hoc deficit, & quasi æquiuocat: quoniam dupliciter contingit loqui de quantitate durationis: vno modo secundum se, alio modo vt est conditio aliarum rerum. Si consideretur vt est conditio rerum, puta hominis, aut albedinis: sic cùm sit extra rationes formales rerum, non auget propriā perfectionem alicuius rei: non enim est perfectior calor durans centum annis, quàm durans vno die. Et hoc modo est sermo de quantitate durationis in primo Ethi. vt patet ibi ex Com. Auer. & Sanct. Th. & consequenter hoc modo verificatur, cp quantitas durationis non est quantitas perfectionalis, nec sibi proportionatur virtus actiua alterius effectus.

¶ Si verò cōsideretur primo modo, scilicet secundū se: sic cū bonū diuidatur in decem prædicamenta, sicut ens, vt in primo Aethi. ibidem dicitur: & quantitas durationis sit quædam entis species: quandam etiam bonitatem secundum se necesse est ponat. Ac per hoc manifestè patet: quòd si duratio aliquam perfectionem secundum se ponat, maior maiorem ponat, & infinita infinitam: sicut etiam quantitas molis aliquam perfectionem dicit: alioquin inter entis species non esset: & maior maiorem, & infinita infinitam: non minus in suo ordine, quam calor infinitus, & tamen quantitas molis maior & infinita dicitur secundum extensionem. Quòd ergo quantitas durationis sit quantitas perfectionalis, potest dupliciter intelligi, scilicet vt conditio aliorum, & sic est falsum: quia est extra latitudinem rationis formalis cuiusque alterius rei. Alio modo secundum se, & sic ipsa quantitas durationis est quædā perfectio vendicans sibi quantitatem perfectionalem secundum suam extensionem: quemadmodum calor vendicat sibi eam secūdum suam intensionem. Vnde ad rationem in oppositum dicendā sunt duo. Primò, quòd non oportet quantitatem durationis esse quātitatem perfectionis: sed habere illam infra suam latitudinem: sicut nec calor est quantitas perfectionis, sed habet illam. Secundò, quòd fallum est, quòd quantitas durationis secundū se non ponat quantò maior maiorem perfectionem, quamuis non ponat maiorem perfectionē huius, puta caloris vel hominis. Et quia sermo in prædicta cōditionali habitus, nō est nisi de quantitate durationis secundū se: consequens est cp firmatur veritas illorū principiorū etiam in his effectibus, quorum propria quātitas est quātitas extensiua. Talia enim maiorem semper ponunt ex augmentata extensione perfectionem suæ speciei. Manifestè autem patere possunt oia quæ de perfectione quātitatis durationis diximus in hac solutione ex quantitate molis: applicando distinctiones factas & cætera dicta ad ipsam: vt facile est cuique exercitato deducere. Vnde potest formari ad principale propositum ratio talis. Magnitudo virtutis respondet proportionaliter magnitudini per se effectus: sic cp aliquanta virtus, ad effectum aliquantæ perfectionis requiritur, & maior ad effectum maioris perfectionis, & infinita ad infinitæ perfectionis effectum: sed duratio est effectus aliquantæ perfectionis: ergo ad faciendum per se primò aliquantam durationem requiritur aliquanta virtus, & ad maiorem maior, & ad infinitam infinita: cùm maior duratio maiorem dicat perfectionem, & infinita infinitam.

Rogō que omnes iterum atque iterum, ne auertendo mentis intuitum ab eo quod est per se, ad id, quod est accidens, fallantur, innitentes supra adductæ glossæ: absque rattone dicendo, quòd si ad effectum aliquantæ perfectionis requiratur aliquanta virtus, ad effectum maioris perfectionis intensiuæ requiritur maior virtus: non autē ad effectum maioris perfectionis extensiuæ, qualis est maior & minor duratio. Hæc eim glossa, vt ex dictis patet: optima est, loquendo de causa per se primo illius effectus, cui vtraque quantitas conuent, intensiua infra propriam latitudinem, & extensiuam extra: sicut est calor, &c. Vniuersaliter autem loquendo de quantitate causæ in ordine ad proprium effectum, & eius quantitate infra latitudinis suæ limites clausa, nulla opus est distinctione: eō quòd eadem ratio saluatur in proportione causæ & effectus, siue secundum propriam rationem augeatur intensiuè, siue extensiuè: ratio scilicet maioris perfectionis secundū propriam rationem suæ speciei. Non enim tenet illa regula in effectibus quantitatis intēsiuæ alia ratione, nisi quia quātò effectus per se primò alicuius est perfectior infra latitudinem propriam, tantò perfectiorem causam exigit. Propter hoc enim ex maiore quātitate extensiua caloris producti non concluditur maior virtus calefactiua, sed intensiua tantūm. Illa enim auget perfectionem caloris extra propriam latitudinem caloris: ista autem intra. Hæc autemmet ratio saluatur in effectibus quātitatis præcisè quantæ extensiua: quoniam eorum propria perfectio augetur infra propriam latitudinem secundum extensiuam augmentationem. vnde vniuersaliter loquendo, effectum esse perfectiorem intensiuè vel extensiuè, accidit effectui perfectiori secundum propriam latitudinē suæ rationis formalis: quod per se cōsideratur in hac ratione, & est ratio vtriusque eorum, quod perfectiorem causam exigat & concludat: sicut esse album vel nigrum accidit colorato: & est ratio eorum, quòd sint visibila. Falli autem multos contingit in re hac ex eo, quòd in cæteris entibus à quantitate manifestè videmus, quòd sola augmentatio intensiua effectus per se concludit maioritatem virtutis per se primò actiuam illius: & nullam perhibent sensus virtutem actiuam per se primò quātitatis: propter quod nunquam intellectui oblata apparet augmentatio virtutis ex intensiuo cremento effectus. Quicquid enim fit de virtute actiua per se primò quantitatis, siue permanētis, siue successiuæ, discernendum est intellectus acumine, vt dictum est, inter entia, quorum propria perfectio consistit in intensione, & quorum propria perfectio consistit in extensione: quoniam in illis extendi est extra limites rationum formalium suarum: & propterea non concludit maiorem perfectionem virtutum actiuarum illorum entium. In istis autem extendi est infra rationes formales eorum, & est ipsum eorum intendi: & ideo idem exigit & concludit in virtute eorum actiua per se primò, quod in illis infert intendi, si inuenitur virtus per se primò actiua quantitatis. Vnde non obstat proposito, si quis dicat non dari in rerum natura huiusmodi virtutem quantificatiuam motus: nobis enim sat est veritas conditionalis, quæ permanet etiam antecedente & consequente impossibili. Similiter puerile est, si quis putet dictum processum, ideo non tenere in effectibus quantitatis extensiuæ, sed intensiuæ: quia in extenso id quod additur licet perfectio quædam sit, non includit in se minus extensum, & aliquid vltra: intensius autem includit in se remissum, & aliquid vltrà perfectionis addit. & ideo hoc requirit maiorem virtutem, illud verò æqualem. Puerile inquam dixi, quia sic se habet maius secundum extensionem ad minus, puta spatium duarum horarum, ad spatiū vnius, aut bicubitum ad cubitum: sicut maius intensiuè ad minus: puta calor vt quatuor, ad calorem vt duo, vtrobique siquidem maius claudit minus, & aliquid perfectionis propriæ rationis formalis addit. Constat autem ex dictis, quòd in prædicto processu nulla est ratio exigēs aut supponens aliam similitudinem proportionum inter intensum & extensum, nisi maioris ad minus. Argutum enim semper est hoc modo. Potens per se primò in aliquantum, est aliquantæ virtutis, ergo potens in maius, est maioris. ergo in infinitum est infinitè. Nihilominus diligenter aduertenti apparebit, quòd quemadmodum in extenso pars addita priori non includit priorem, & ideo seorsum non infert maiorem virtutem: ita in intenso gradus, verbi gratia, additus non includit priores, nec est maioris perfectionis gradus quartus albedinis, quàm sit primus: nec ex perfectione maiore quarti gradus seorsum infertur maior vis calefactiua: sed ex eo quòd totum calidum, puta habēs quatuor gradus caloris, est perfectius, quàm calidum vt duo, quemadmodum etiam arguitur ex eo, quòd totum extensum est perfectius.

¶ Friuolum quoque omnino est, si quis admittat prædictum processum tenere quo ad effectus quantos quantitate permanente, non autem successiua. Oporteret enim abradere principia tradita in sexto & septimo & octauo Phy. de virtutibus motiuis & earum proportione: cùm motus & tempus, de quibus ibi est sermo, successiua entia sint. Stat ergo veritas primæ conditionalis.

SECVNDA CONDITIONALIS.

Si quis mouet per se primo tempore infinito vnum motum continuum, oportet tale esse immobile.

SECVNDA autem conditionalis est ista. Si A mouet tempore infinito vnum motum continuum, &c. A est mouēs immobile. & accipimus Mouet, propriè, vt distinguitur contra mutare. Et rursus accipimus mouet, vt motor, non vt instrumentum motoris. primū propter illuminationem secundum propter corpus cæleste trahēs secum ignem: quem nihil magis traheret, si idem ignis numero perpetuo conseruaretur, secūdum totum & partes: & etiam propter primum orbem trahentem secum alios: vt multis placuit, quamuis non sufficiēter. Probatur ista consequentia octauo Phy. tex. 85. ex proposito, & 12. Metaphy. tex. 43. ex hoc quòd motor motus non semper eodem modò se habet aut in se, aut in ordine ad mobile: id autem, à quo semper prouenit idem, eodem modo se habere necesse est vtroque modo: vt patet. ergo.

¶ Ex his autem duabus conditionalibus verificatis antequam veniamus ad tertiam iam patere potest distinctio superius præmissa cum suis membris in speciali. Liquet enim iā, quòd perpetuitas motus duabus attestatur causis, scilicet infinitati virtutis per se primò causantis ipsam aut immobilitati motoris: & consequenter quòd diuersimodè ab illis dependet, & illas infert: quoniam infinitatem non infert nisi in virtute per se primò (seu ex propriæ latitudinis perfectione) illam causante. Immobilitatem verò virtutis infert in omni virtute causante ipsam. Et meritò: quia immobilitas est extra latitudinem perfectionis virtutis tam motiuæ quàm quantificatiuæ motus. Infinitas autem rationis formalis cuiusque, infra ipsius latitudinem clauditur. Gradualitas enim alicuius speciei (puta caloris) etiam si in infinitum crescat, caloris naturam non exit. Immobilitas verò conditio est extra totam latitudinem caloris. Siue enim intelligatur calor vt quatuor siue vt mille, siue vt infinitus: nunquam peruenietur ad hoc, quòd sit immobilis infra limites caloris stando. Et quod de calore exemplificauimus, de cæteris virtutibus actiuis, formaliter sumptis, siue secundum rem sint in materia, siue non, intelligi volumus. oportet enim philosophum formaliter loqui. Vnde distinctio iam probata in terminis specialibus repeti potest sic. Perpetuitas motus dupliciter pōt imaginari, quòd fiat. Vno modo à virtute per se primò ipsam causante: & sic oportet, quòd fiat à virtute infinita intensiuè: vt patet ex prima conditionali. Alio modo à virtute non per se primò ipsam causante, sed per se primò causante talem motum, & secundario causante eius perpetuitatem, vt illius conditionem: & sic oportet quòd fiat à virtute motiua immobili, quæ ex perfectione suæ virtutis causet talem motum, puta Saturni: & ex immobilitate eiusdem semper perseueret idē faciens. Vt sic conditio virtutis sit cā conditionis effectus sicut in primo modo propria perfectio ipsius virtutis est

Universidad de Deusto
Biblioteca

causa propriæ perfectionis effectus.& propter hoc Arist. 8.Phys.in text.78.infinitatem temporis motus ascripsit infinitati virtutis,& in tex.85.ascripsit immobilitati motoris:vt faceret fundamenta & ad primum motorem, & alias intelligentias inuestigandum:vt ibidem diuus Th. notauit.Ex primo enim primum motorem octauo Phy. tex.vlti.& 12.Meta.text.41.conclusit.Ex secundo verò numerum intelligentiarum tex.43.& 44.Nõ enim ibi inuestigatur numerus infiniti motoris (vt quidam rudes & cæci dicunt)sed numerus motoris inalterabilis & immobilis:vt patet ex fine text.41.& ex ipso text.43.vbi semp est sermo de immobilitate motoris tpe æterno,&c.

TERTIA CONDITIONALIS.

Si cælum mouetur tempore infinito,primum mouens ipsum est infinitæ virtutis intensiuè.

TERTIA IGITVR Conditionalis, cuius antecedens supponit Arist.cum suis sequacibus est ista,Si cælum mouetur tempore infinito,primum mouẽs ipsum est infinitæ virtutis intensiuè. Et aduerte differentiam inter hanc consequentiam & priores.In prioribus enim inferebatur,A mouet,&c.ergo A est infinitæ virtutis:vt in prima:vel,ergo A est virtutis immobilis:vt in secunda.In hac verò non inferimus,ergo mouens cælum: nec,ergo quilibet motor cælestis:sed,ergo primũ mouens est virtutis infinitæ intensiuè. Probatur ista sic: Cælum mouetur tempore perpetuo:ergo ab aliqua virtute per se primò & directè potente in sempiternitatem motus,talis est infinita intensiuè:vt patet ex veritate primæ conditionalis probatæ : ergo inuenitur aliqua virtus infinita intensiuè. Aut igitur ista virtus est in quolibet motore cælesti,aut in primo tantùm. Non in quolibet : tum quia non oportet:tum quia neuter ab altero dependeret in sempiternè mouere:fatuum enim est ponere infinitum vt sic depẽdere.tum quia aliquid conueniret pluribus primo, scilicet mouere sempiternè:quod est impossibile, vt mõstratur primo Poster.ergo in primo motore tantùm. Totus processus clarus est & firmus, si prima consequentia probatur.Cuius vis consistit in ista categorica, Sempiternitas motus causatur ab aliqua virtute, per se primò intendente & potente in ipsam. Hac igitur propositione probata,nihil remanebit huius rationis probãdum. Probatur ergo primò,quòd hoc sit possibile:deinde quòd sit de facto.Primum probatur:quia si esset incõuenientes aut impossibile,sempiternitatẽ motus causari ab aliqua virtute actiua per se primò,hoc non esset,nisi vel quia duratio motus,cuius species est sempiternitas,nõest res separabilis à motu,sed simul est & non est,& fit & non fit cum motu:ac per hoc sufficienter fit à quolibet mouente, sicut & motus:vel quia duratio motus passio motus est:eo q̃ tempus,vt dicitur in quarto Phys.text.130.& 12.Meta. tex.29.aut est idem motus.aut eius passio. Passioni autẽ non debetur aliud agens quam productiuum subiecti:vt patet inductiuè.Vel quia,vt superius tactum est,duratio motus non est nisi conditio eius:conditionibus autem rerum non debetur propria virtus actiua:sed sat est conditiones actiui sequi.Præter enim hæc tria non apparet ratio,quare impossibile,aut inconueniens sit sempiternitatem vendicare sibi virtutem per se primò eius actiuam: sed nihil horum impedit.Inseparabilitas siquidem duarũ rationum formalium,etsi cõcludat,quòd producens vnã in rerum natura producat alteram:non tamen concludit, quòd à quocunque producatur per se primò vna, ab eodem producatur per se primò & altera.Quãuis enim esse ens sit inseparabile ab esse tale vel tale ens:& per hoc habeatur, quòd causans tale ens causet etiam ens : non tamen sequitur,ergo si est causa per se talis entis, inquantũ tale,ergo & inquantum ens:vnde Arist.in 6.Metaphy.in principio venatur principia & causas entium, inquantũ entia.Durationem autem passionem esse motus etsi verum sit quo ad aliquid : puta quia sub ratione temporis diffinitur per motum , & inseparabiliter concomitatur ipsum tanquam postertius suũ prius:non tũ est verũ simpliciter:quia constat q̃ verè & simpliciter passio alicuius sic producitur consecutiuè ad productionem subiecti vt à virtute per se primò productiua subiecti,secluso quocunque extrinseco,sufficienter emanet.Duratio autem siue sempiternitas motus non emanat à virtute motiua, vt sit ratione ipsius virtutis sed consequitur conditionem extrinsecam ipsius virtutis, scilicet duratione motus.vt patet inductiuè.Non est igitur passio propriè loquendo sed potius conditio inseparabilis.Nec ex hoc quòd talis conditio potest poni in esse ex conditione virtutis motiuæ, concludi potest, ergo superfluè quæritur alta causa:quoniam non quæritur causa ad hoc, vt fiat absolutè:sed ad hoc vt per se primò fiat.

¶ Nõ enim superfluè quæritur à quo per se primò fiat animal,quamuis sciamus ipsum fieri à generante hominem & bouem. Nec inconueniens aliquod sequitur,si tam nobilis conditionis motus, qualis est sempiternitas,specialis causa quæratur,& nõ sat sit credere, quod fiat vt cõditio præcisè:nihil enim cõtra principia naturalia, aut metaphysica,aut quæcunque alia apparet sequi : imò inuestigatio hæc consequens est processibus Arist.in 6.& 7.& 8.Phy.vbi causas motus aptauit secundum diuersas proportiones ad eius durationem.Nõ est igitur impossibile aut inconueniens, sempiternitatem motus talẽ esse effectam:quòd possit produci ab aliqua virtute per se primò.Quòd autem hoc sit de facto probatur primò: quia vt dicitur 2.Phy.tex.26.& 8.tex.30.semper ponendum est id quod est aut causat per se,ante id quod est aut causat per aliud.Constat autem quòd causans sempiternitatem motus, quia immobile, causat eam per accidens seu per aliud à virtute sua actiua,ergo debet præcedi ab eo quod ex propria perfectione suæ virtutis actiuæ sempiternitatem facit:hoc enim tantum est quod per se primò illam causare potest.

¶ Secundò:quod sempiternitas motus cælestis est effectus dignissimus:vt eius effectus ostẽdit scilicet perpetuitas omniũ generabilium & corruptibilium,ad quam tota sphæra actiuorum & passiuorum,& singula in ea contenta secundum vires conãtur,& pro ea agunt, quicquid agũt:vt Auer.dicit 2.cæli,com.17.& Albertus Magnus ibidem confirmat.Irrationabile est autem effectum adeò nobilem in rerum natura absq̃ per se primò causa actiua fateri. Et confirmatur:Quia cum in motu cælesti sint duæ cõditiones.scilicet sempiternitas & determinata velocitas,quæ in sui rõne claudit tps:vt patet in 4.Phy. tex.96.& sempiternitas eius sit nobilior determinata velocitate,vt ex effectibus,& de se patet,& 12.Meta.com. 41.habetur:Ibi certa velocitas finitati virtutis sempiternitas verò infinitati attribuit motoris absq; potentia oino: secundo quoque cæli tex.17.dicitur, quòd sempiternitas est proprium diuinitatis opus,& Platonicis confirmantibus.ibidem à san.Tho.cognoumus entia tantum sempiternitatis,quantum diuinitatis sapere: & determinata velocitas absque dubio habet causam per se primò ipsam causantem apud omnes philosophos : quæ demonstratio esset sempiternitatem cælestis motus causa per se primò priuare. Relinquitur igitur ratio tota, & stabilis & efficax : cùm etiam fugendi via concessa non sit.Duobus enim modis poterat quis tantum laborem fine priuare.Vel dicendo quòd sempiternitas motus non habet causam per se primò actiuam : quòd esse nefas ostensum est.Vel dicendo,quòd habet quidem,sed illa est virtus infinita,immobilis.Et hoc ostensum est esse ignorantiam propriæ vocis:quia nulla virtus per se primò actiua alicuius,est actiua illius ex aliquo extra eius propriam rationem formalem:alioquin esset actiua illius, circunscripto omni alio, & non circunscripto omni alio: quod implicat.Impassibilitas autem & vniuersaliter immobilitas, vt de se patet:& superius declaratum est : extra latitudinem esse huiusque rationis formalis virtutis actiuæ formaliter sumptæ:vnde dicere quòd virtus A sit per se primò actiua sempiternitatis,& dicere quòd ideo est actiua sempiternitatis:quia est immobilis,& semper manet eodem modo:est ignorare propriam vocem.

¶ His ergo præmissis ad motũ dubiũ contra processum Arist.redeũdo,dicimus q̃ qa sempiternitas motus exigit in per se primò motore seu in eius propria potentia actiua infinitatem intensiuam:& hoc non habet ex eo quòd ponitur in motu infinito ex parte mobilis,nec ex eo quòd ponitur in motu infinito ex parte spatij infinities iterati, sed inquantum est secundum se effectus quidem,cui accidit quòd hoc vel illo modo saluetur : ideo ex propria ratione sempiternitatis motus siue saluetur in motu infinito per se,siue infinito per accidens, concludi optimè potest absque equiuocatione infinitas intensiua primi motoris potentis per se primò in sempiternitatẽ. Vnde attẽta

sempiternitate motus formaliter,& relata ad virtutem actiuam per se primò illam respicientem, quamuis æquè bene concludatur infinitas intensiua illius virtutis.siue hoc siue illo modo ponatur.Arist.tamen à notioribus doctrinam subtilissimã tradens.deduxit in tex.78 ex sempiternitate motus posita in motu infinito ex parte mobilis,infinitatem intensiuam potentiæ:& in tex.vltimo ex eadem sempiternitate motus posita in motu infinito ex parte spatij cõclusit infinitatem primi motoris.Insinuans nihil obstare rõni sumptæ ex sempiternitate formaliter accepta in quouis motu saluari ponãt.Propter quod in tex. 78.non posuit mobile infinitũ,sed tẽpus tantùm:vt doceret q̃ non cõcludebat ibi infinitatem potentiæ ex infinitate mobilis,sed ex propria ratione infinitatis temporis, & in tex.vlti.secundum vtranque translationem non sat fuit Arist.subsumere,quòd primum mouens mouet motum perpetuum,vt tempore infinito, sed subsumpsit vtrunque simul:vt ostenderet,quòd non arguit absolutè ex hoc quòd mouet perpetuò(cum hoc sit commune omnibus motoribus cæli)sed ex eo, quòd sic mouet tempore perpetuo,vt ipsam infinitatẽ tẽporis per se primò causet: alioquin nugatio commissa esset in illa minore:quam nefas est Aristoteli imponere.

¶ Formaliter ergo dubium soluendo dicimus quòd medium ad probandum illam minorem,scilicet,primus motor est virtutis infinitæ,est hoc,mouens per se primò tempore infinito:ita quòd maior syllogismi sumpta ex tex. 78.est ista,Mouens per se primò tempore infinito,est virtutis infinitæ.Minor verò subsumpta in tex.vlti.est ista, Primus motor mouet per se primò tẽpore infinito, ergo primus motor est virtutis infinitæ, vbi nulla æquiuocatio interuenit.Et maioris probatio ex infinitate temporis saluati in motu infinito ex parte mobilis,non obstat, sed magis attestatur processui:quia proportio virtutis per se primò respicientis durationem motus, ad finitatẽ & infinitatẽ temporis, absolutè declarata & conclusa est ibi in materia clarius eam repræsentante scilicet in motu infinito per se:vt ex notioribus fieret doctrina. Differt autem deductio hæc à subtilissima deductione,quam diuus Tho.8.Phy.docuit in duobus. Primò in medio termino. Cùm enim medium Arist. sit mouens tempore infinito, ille apposuit ly per se supra ly infinito,nos verò supra ly mouens.Secundò in minore:quia apud nos,minor est vera de facto quo ad operationẽ primi motoris:apud illum verò minor est vera quo ad virtutem primi motoris.Nõ enim de facto primus motor mouet tpe infinito p se : sed oportet eum esse tantæ virtutis,quòd quantum est ex parte virtutis suæ,posset mouere tẽpore infinito per se : quia causæ per se oportet respondere effectum per se.Primus autem motor est causa per se infinitatis motus, ergo siue sit possibile tempus infinitum per se inueniri, siue non, oportet primum motorem tantæ virtutis esse si est per se causa infinitatis motus.Conueniunt tũ hæ deductiones in conclusione(quia vtrobique concluditur infinitas intensiua primi motoris)& in radice : quia vterque processus ponit primum motorem esse per se causam durationis infinitæ ipsius motus.Sed ille processit ex eo quòd causæ per se oportet esse tantam virtutem vt posit in effectum per se:quod fundatur super secundo Physi.tex.36.Iste verò,quòd causam per se primò alicuius,oportet proportionaliter augeri secundum augmentum proprium effectus sui:cuius fundamenta superius dicta sunt.

¶ Et vt multis philosophantibus complacearnus,qui volunt potius cum Auer.errare quàm cum aliis verum sequi:ostendendum superest hoc idem Auerroim docuisse. In 12.siquidem Meta.com.41.postquam conclusit iuxta demonstrationem 8.Phy.quòd virtus infinita requisita ad mouendum tempore infinito corpus cæleste,non est in magnitudine,quia moueret in non tempore:mouet ista tim dubiũ coniter tactũ à doctoribus 8.Physi.scilicet,cur si ponitur virtus infinita in magnitudine,sequitur motus in non tẽpore:& si ponatur extra magnitudinem, non sequitur motus in non tempore, quæ est ratio difformitatis:Et statim respondet,quòd hoc ideo est,quia motus cæli fit à duobus motoribus:quorum alter est finitæ motionis,& est anima cæli,& alter infinitæ,& est potentia omnino sine materia:& quod motus cæli à motore finito habet,quòd fit in non tempore, & à motore infinito, quòd fit tempore perpetuo. Vbi à plano sensu literæ non diuertendo,manifestè patet,q̃ ipse est opinatus primũ motorẽ esse infinitæ virtutis intensiuæ,& propter istã infinitatẽ causare per se primò sempiternitatẽ motus cæli,& in hoc differre à cæteris intelligentijs:quæ cùm sint immobiles, possunt virtute propria causare perpetuitatem motus, per accidens tamen:vt ex dictis patet. Et quia prædicta verba Auer.alijs locis eiusdem contradicere videntur(vt adduximus arguendo ad oppositum)ideo à diuersis diuersimodè exposita,vel potius extorta sunt : prout quilibet voluit non se Auerro istam, sed Auerroim suum facere, vnde oportet expositiones eorum afferre,vt firmetur veritas. Quidam igitur dixerunt,quòd Auerrois intendit q̃ sit finitus intensiuè primus motor,infinitus aũt in duratione : non tantùm formaliter, sicut alij motores : sed etiam causaliter;quia sempiternitas motus ascribitur fini ipsius motus,qui est purus actus omnino,& per hoc differt à cæteris motoribus. Et hi diuisi sunt in duas vias. Nam Quidam eorum dicunt quòd illa distinctio motoris in finitum & infinitum,est distinctio realis:quidam verò quòd est distinctio rationis in primũ motorem, secundũ q̃ est finis,& ipsummet secũdũ q̃ est agẽs,& secundũ q̃ agẽs mouet in tpe:quia est vigoris finiti intẽsiuè:secundũ verò quòd finis,perpetuat motũ:& ideo dicitur infinitus in duratiõe causaliter. Alij verò dixerũt,q̃ primus motor non est virtutis finitæ nec infinitę intẽsiuè:qa non est virtutis actiuæ,sed dicitur infinitus causaliter,causalitate finali:vt dictum est.Alij autem dixerunt, quòd illa verba Auerrois examinanda & glossanda sunt secundum determinationes factas in de substantia orbis,&c.vbi magis ex ꝓposito tractauit rẽ hãc,vbi manifestè negauit infinitatẽ intensiuã. Sed quòd omnes huiusmodi respõsiones errant,manifestatur.Et primò,quòd loquatur de infinitate intẽsiua,probatur primò sic: Quãdocunq; fit aliqua distinctio per opposita habentia plures significationes, & alterum oppositorũ declaratur ab ipso distinguẽte quo ad quid nominis,secundum quam intentionẽ sumitur,reliquum debet sumi secundum oppositam intensionem.Patet ista:alioquin periret omnis certitudo diuisionum,& syllogismi diuisiui,&c.sed Auer.diuisit motorem cæli in motorem finitæ motionis:& infinitæ motionis:& descripsit alterum membrum,scilicet motorem finitæ motionis per finitatem intensiuæ,vt patet:quia ibi expresse subdit.Dicere finitatem,est dicere proportionem motoris ad motam rem : ergo reliquum membrũ scilicet motor infinitæ motionis est describendum secundum intensionem oppositam scilicet quòd dicere infinitatem, est dicere improportionem : & sic erit motor infinitus intensiuè. Secundò sic: Termini quæstionis & responsionis secundũ artem demonstratiuam nõ differunt, sicut nec qõ differt à cõclusione in terminis,sed in modo. Constat autẽ quòd motor infinitus, de quo est sermo in quæstione,est infinitus intensiuè:quoniam est ille,de quo dicitur in 8.Phy.tex.79.quòd mouet in non tempore:ergo finitas & infinitas de qua est sermo in responsione, est etiam intensiua. Tertiò sic.Quælibet responsio à sapiente data,debet sumi in sensu in quo qõni motæ rñdet : sed ista non respondet quæstioni motæ,nisi intelligatur de infinitate intensiua:ergo &c.Declaratur minor:quæstio est cur virtus infinita requisita ad mouendum tempore infinito,posita in magnitudine,infert motum in nõ tempore & posita extra magnitudinẽ,nõ.Huic autem quæsito non satisfit dicendo,quòd hoc ideo est,quia ibi sunt duo motores separati & ambo finiti,sed alter actiuè, & alter vt finis:& ex motore vt fine est sempiternitas,ex motore verò vt agẽs est quod motus sit in tpe.Hoc enim siue verũ, siue falsum sit,est impertinẽs quæsito:& solicitudo superflua.Tota enim quæstio est quare à virtute separata non sequitur motus in non tempore, sicut à virtute posita in magnitudine. Et constat quòd est sermo de virtute actiua.Hæc autem quæstio vt & nouitij possint percipere (sicut & quælibet alia)aliqd certũ supponit scilicet infinitatẽ virtutis siue in magnitudine,siue extra.Et quæritur dubiũ,quare si illa infinita virtus ponitur in magnitudine, mouet in nõ tempore:& extra magnitudinẽ,non.Quæratur ergo ab istis primò:Qualis est illa infinitas virtutis, quæ supponitur intensiua, an durationis:si intensiua, habetur intentum:si durationis,quæstio & nulla & ridiculosa est.Nulla quidem:quia à virtute actiua infinita in duratione posita in magnitudine,non sequitur motus in non tempore:vt patet de virtute alteratiua solis à qua res aliqua alteratur,& tamen in tẽpore.Nec potest dici quòd

Universidad de Deusto Biblioteca

illud est verum tantùm de virtute motiua vnico motu locali tantùm:quoniam expresè Arist. in 8.Phy.tex.79. vnde hoc sumptum est, dicit hoc verificari in omnibus virtutibus motiuis quocunque motu.Ridiculosa autem: quia puerile est quærere,quare à virtute finita in vigore, infinita autem duratione separata à materia,prouenit motus in tempore,& non in non tempore. Quis enim est adeò rudis,vt ignoret finitatem & infinitatem intensiuã virtutis,sequi velocitatem certam vel incertam motus, & non finitatem & infinitatem durationis? Vltimũ igitur refugium horum est,quòd quæstio illa neutram infinitatem determinatè supponit,sed infinitatem in communi; quoniam ex motu perpetuo neutra infinita determinatè concluditur,sed in communi cõcluditur,quòd oportet virtutem motiuam tempore perpetuo esse infinitam. Vnde dicunt quòd quæstio Auerrois est, cùm sit quòd virtus motiua tempore infinito sit infinita, abstrahendo ab hac & illa infinitate,quare posita in magnitudine infert motum in non tẽpore,& extra magnitudinem, non. Et responsio est,supponendo quòd si aliqua virtus posita in magnitudine,debet mouere tempore perpetuo, oportet quòd sit infinita intensiuè,ex octauo Physicorum,textu septuagesimo octauo:& consequenter moueret in non tempore,ex textu septuagesimonono,& addendo quòd si aliqua virtus motiua tempore perpetuo ponatur extra magnitudinem, & illa est necessariò infinita secundum durationem,& distinguitur in motorem & agens:& sic est finitæ motionis,id est,mouet in tempore:& motorem vt finis:& sic est infinitæ motionis,id est, mouet infinito tempore, quòd virtuti positæ in magnitudine conuenire non potest. Non enim potest distingui in motorem vt agens,& vt finis:& ideo oportet,quòd virtus motiua tempore infinito,si est in magnitudine,moueat in non tempore,extra magnitudinem,non. Sed verè isti innituntur telis aranearum. Deficiunt enim dupliciter,scilicet in re ipsa,& in expositione Auer.In re ipsa quidẽ, quia falsum est,quòd virtus motiua tempore infinito,si ponitur in magnitudine,est infinita intensiuè:si extra magnitudinem, non.Queratur enim ab ipsis(ne in æquiuoco laboremus) de quali infinitate temporis est sermo.Distincta est enim superius ex 6.Phy.quia est duplex: ex parte mobilis,& ex parte spatij:seu per se,& per accidens. Si est sermo de virtute motiua tempore infinito ex parte mobilis, nulli dubium est, quòd illam oportet esse infinitam intensiuè: in textu enim 78.non est sermo de tali virtute,sed de prima:vt ex dictis patet. Amplius:Cùm Philosophus obedire debeat rationi, oportet reddere causam, quare cùm ad mouendũ B mobile certa velocitate,puta motu vnius horæ,requiratur tanta virtus intensiuè,puta vt centũ: & ad continuandum illum motum tempore perpetuo sufficiat ex parte virtutis motiuæ,quòd semper perseueret in eodẽ vigore:quare, inquam, est quòd virtus talis si ponatur in magnitudine,sequitur quòd sit infinita intensiuè? Hoc enim neque ex parte perfectionis virtutis, nec ex natura magnitudinis oritur:& tamẽ hoc est super quod isti fundantur. Quod si dicatur quòd hoc oritur ex hoc, quòd illa virtus actiua semper remanere debet in eodem vigore,hoc puerile est: quia ex hoc nihil aliud sequitur, nisi quòd illa virtus oportet quòd ponatur in magnitudine inalterabili & incorruptibili.Ex hoc autem,q̃ virtus actiua ponitur inalterabilis & incorruptibilis,infinitæque durationis siue in quanto,siue extra, non habetur maior perfectio intẽsiua: vt ex se patet in primo Ethi.ca. 7.ab Aristo.& Auerroe dicitur. Et datur exemplum de albo:quod ex hoc,quòd ponitur perpetuum, nõ sequitur, ergo est albius:quia differentia maioris & minoris rationis non infert differentiam secundum magis & minus. Vnde ridiculum est,quòd quidam inter philosophos se locantes dicunt, quòd ideo non potest esse virtus motiua actiuè tempore perpetuo in magnitudine, quia oportet ipsam esse durationis infinitæ,& per hoc infinitam intensiuè. Deberent enim inferre, ac per hoc inalterabilem & incorruptibilem;ad quod sequitur infinitas intensiua.

Pudet autem adducere quorundam fatuitatem dicentium,quòd processus non fit ab Auer.& Arist.ad concludendum, primum motorem esse incorporeum absolutè, sed ad concludendum, ipsum esse incorporeum,id est nõ immersum materiæ, ad esse: quæ est tantùm apud eos in generabilibus & corruptibilibus. Rationis siquidem Arist.à text.78.vbi inchoat,teste ipso Arist.ibi cũ Auer. tractatus intendentis ostendere impartibilitatem primi motoris:vis est ex natura quanti & extensi siue corruptibilis,siue non:vt patet.& in text.vlti.rationem formans ex efficacia probatorum, & nõ aliter, concludit primum motorem impartibilem.vnde hoc est simpliciter error nimis fatuus. Amplius.Hoc dictum,scilicet quòd virtus motiua actiuè tempore perpetuo si est in magnitudine, est infinita intensiuè,si extra, non oportet vel ex rationibus formalibus terminorum intelligibiliter deducere,vel sensibilibus assumere.Sed iam ostensum est ex rationibus terminorum hoc non deduci:sed oppositum quo ad primam partem,& sensibilia idem testantur.ergo hoc est voluntariè dictum. Ex sensibilibus enim habemus, quòd virtus alterattua solis est motiua actiuè,& est in magnitudine:& tamen non est infinita intensiuè, nec alterat in non tempore. Nec potest dici, quòd quia sermo est de virtute actiua motus localis,ideo instantia non militat. Tum quia eadem est ratio quo ad mouere in non tempore,& infinitatem intensiuam de virtute alteratiua & motiua secundum locum,& vniuersaliter motiua si ponantur in magnitudine,vt dicitur 8.Phy.tex.79.vt iam adductum iterum est. Tum quia si idem alterabile semper supponeretur alterationi solis,tunc sol vnum numero motum perpetuum posset continuare,nulla facta augmentatione suæ virtutis,quicquid sit de antecedente huius conditionalis:& sic virtus finita intẽsiuè, infinita duratione, moueret in tempore infinito vnum motum continuum & non in non tempore:vnde quòd de facto non sit hoc, est per accidens,quantum est ex efficacia virtutis. Accidit enim tantæ virtuti, q̃ vnum vel plura subijciantur, &c.& nihil minus posset in vnum semper, quam plura.

In expositione autem verborum Auerrois errant:quia ex huiusmodi sensu non haberet responsio ad quæsitum: esset enim responsio,q̃ ideo virtus motiua tempore infinito posita in magnitudine moueret in non tempore, & posita extra magnitudinem, non: quia virtus extra magnitudinem distinguitur in motorem vt agens,& motorem vt finis:in magnitudine autem,non. Ex hoc autem quomodo haberi posit quæsita differentia, centum iugaboum non deducerent.

¶ Quartò principaliter probatur, quòd de infinitate intensiua sit sermo Auer. ibidem: ex eo, quòd ibi dicit, quòd motus cæli inquantum est ab anima cæli, sortitur determinatam velocitatem, inquantum verò est à primo motore, sortitur sempiternitatem. Ex hoc enim arguitur sic: Aut intendit q̃ motus cæli habeat sempiternitatem à primo motore effectiuè,aut finaliter. Si effectiuè,cùm in hoc ponat differentiam inter primum motorem,& animam cæli,tripliciter potest hoc imaginari.

Primò,q̃ anima cæli,aut non efficiat,aut non sufficiẽter posit efficere sempiternitatẽ motus,& ideo attribuatur primo motori tanquam causæ sufficienti, & hoc conuincitur demonstratiuè esse falsum supponendo animam cæli esse virtutem motiuam immobilem: vt patet ex 8. Phy.tex.85.& ex supradictis. Secundò, quòd anima cæli dependenter illam faciat,primus autem motor independenter,& ideo attribuitur primo motori,vt eius causæ actiuæ indepẽdenter. Et hoc conuincitur esse contra Auerroim ibi: aut loquimur de communi dependentia, qua omnia entia alia à primo,& actiones eorum dependent à primo:& sic non saluatur commentum, ponens differentiã inter sempiternitatem & determinatam velocitatem motus cæli in hoc,q̃ illa est à primo motore, hæc ab anima cæli,tali enim dependentia communi tam sempiternitas,q̃ determinata velocitas est à primo motore mediante anima cæli.Aut loquimur de singulari dependentia:qua in faciendo talem effectum,scilicet sempiternitatem motus,anima cæli dependet à primo motore.Et hoc conuincitur esse impossibile,tenendo primum motorem finitum intensiuè:& deducitur sic.Motore sufficiente ex his,quæ in se intrinsecè sunt,applicato mobili disposito,circunscripto quocunque alio, excepta communi dependentia ad primum, necessariò prouenit effectus prior illius motoris.Patet ista ex terminis:alioquin nulla esset via ad probandam consecutionem causæ ad effectũ, & econuerso.Sed anima cæli est actiuum sufficiẽs ex suis intrinsecis respectu motus æterni,ergo circunscripto quocunque alio excepto communi influxu primi, potest in motum æternum,ergo nulla est opus speciali dependentia.Probatur minor ex eo,quòd anima cæli habet ex suis intr

intrinsecis duo requisita ad faciendum sempiternitatem motus,scilicet tantam virtutem intensiuè(puta vt mille) & immobilitatem:quilibet enim motor habens hęc duo, potest sempiternum facere motum, quamuis non per se, vt dictum pluries est. Tertiò,quòd anima cæli licet sufficienter,tamen per accidẽs facit sempiternitatem motus, primus autem motor facit eam per se:& ideo attribuitur primo motori,vt eius causæ actiuæ per se primò intẽdẽti illam.Et sic habetur intentum:quia,vt ex prima cõditionali probata patet,ex hoc sequitur, ergo primus motor est virtutis infinitæ intensiuæ.Et in rei veritate ista videtur mens Auer.in illo loco.Loquitur enim de actiua causalitate, vt quæstio mota ostendit, & non intendit subtrahere ab anima cæli causalitatem actiuã sempiternitatis, sed perfectatẽ causalitatis:cuius nulla virtus finita est capax, vt patet ex dictis.Vnde causam actiuã per se determinatę velocitatis posuit animam,sempiternitatis verò primũ motorem. Si finaliter,hoc potest dupliciter imaginari. Primò,vt sit sermo de depẽdentia communi:qua omnia causantur in genere causæ finalis à primo.Et hoc est contra Auer.ibidem:quoniã hoc modo non saluatur sua differentia inter determinatam velocitatẽ motus & eius sempiternitatem:hoc etenim modo vterque effectus depẽdet finaliter à primo motore. Secundò,vt sit sermo de alio quo speciali modo dependendi,in genere tamen causæ finalis.Et quantum verba eorum sonant,videntur dicere, quòd quodam singulari modo sempiternitas est à primo fine,quo non est determinata velocitas:sic quòd sempiternitas motus in hoc differt ab eius velocitate,q̃ ista sufficienter fiat ab agente,illa autem non nisi adiuncta causalitate finali primi motoris.Sed quia facile est dicere distinctionem in qualibet re quamuis ardua,& inexercitati est admittere illam in aere:ideo quæramus ab istis, quomodo sic ista different?.Hoc enim non potest nisi tripliciter imaginari,scilicet aut sic,quòd sempiternitas careat causa actiua,& finali tantùm attribuatur.Et hoc est ridiculum:quoniam non est intelligibile,quòd aliquid effectiuè producat motum,& non producat eius durationem,maximè cum tempus,quod est duratio illa(vt 12.Meta.text. 29.dicitur) aut est ipse motus,aut eius passio.Constat autem quòd hæc ab eodem fiunt actiuè secundum rẽ, quãuis non eodem modo:potest enim eorum, quæ sunt,idem realiter vnum per accidens, produci ab agente inferiori, & alterum per se:vt patet cùm Sortes generat Platonem, tunc enim licet fiat Plato per se:fit tamen corpus vel mixtum per accidens:vt dicitur in primo Physicorum,text. 76.Aut sic,q̃ ad determinatã velocitatem causa actiua sufficit absq̃ finali,ad sempiternitatem aũt,non. Et hoc etiam est ridiculum:quia finis est causa cæterarum causarum:nulliusq̃ est effectus naturæ aut artis absq̃ fine.Aut sic,q̃ ad determinatam velocitatem causa actiua cũ fine communi sufficit,ad sempiternitatem autẽ non,sed requiritur specialis ratio dependentiæ ad primum motorem vt finem.Et hoc est iterũ loqui in aere: nisi huiusmodi ratio assignetur. Nec apparet alia ratio,q̃ illa, quæ in eodem com.41.ex intentione Themistij subditur,scilicet q̃ motor,qui mouet ad consequendum aliquid,vel conseruãdũ aliquid transmutabile,necesse est q̃ quandoq̃ cesset.Motor autem,qui mouet propter aliquid semper in actu & immutabile,qua ratione mouet vno tempore,mouet semper.Et sic habetur specialis ratio dependentiæ sempiternitatis ex fine,quæ nõ habetur in velocitate motus.Sed adducere hoc ad propositum,nouitiorum est.Cùm enim omnes animæ cælestes prima intẽtione operentur propter se(vt dicitur 12.Meta.com.36.& secundo cæli.c.[illegible] n.17. & 21.)& ipsarum natura sit immutabilis in actu: & earum opera sint sicut opera artium:vt dicitur 12.Meta. com.44.& finis sit principium in operabilibus:vt dicitur in 2.Phy.tex.88.Quemadmodum ex actualitate immutabili finis sumunt animæ illæ rationem sempiternitatis in suis operibus,ita ex alijs conditionibus nobis ignotis sumũt rationem tantæ velocitatis:& quare magis ab Oriente moueant versus hemisperiũ superius, & alia huiusmodi.Hæc enim omnia fiunt propter melius:vt ex secundo cæli,tex.& com.34.habetur.Et ex fine necesse est bonitatẽ eorũ fieri,cũ naturalia agantur propter finẽ: vt dicitur 2.Phy.tex.Vnde ex hoc nõ magis habet,q̃ sempiternitas specialiter dependeat à primo.q̃ certa velocitas: verũq̃ enim eorũ habet hoc mõ spãlẽ rõnẽ depẽdẽtiæ ex fine.Amplius,Cũ rõ sempiternitatis motus sufficiẽter sumatur ex his finis cõditionibus,scilicet q̃ sit in se actu, et habitu & mouẽte, immutabilis. & hæc sint cõia oibus notoribus cælorum respectu propriarũ essentiarum:nihil proprium primo motori dixisset Auer.sed totum quod dixit conuenit omnibus animabus cælorum in ratione finis.nec potest dici,quòd dictum Auer.cõmune quidem est omni motori separato in ratione finis, sed appropriatẽ primo propter dependentiam aliorum à primo & in ratione finis:quia sic non saluatur differentia inter sempiternitatem & velocitatem: vtraque enim propter independentiam primo est attribuenda fini.Quòd si tanquã ad vltimum refugium recurrendo dicatur,quòd sempiternitas motus dependet à primo fine quodam singulari modo ignoto.nobis: & hoc cognosci ex hoc quòd omnes motores cælestes conueniunt in sempiterne mouere, non autem in velocitate motus(hoc enim ideo esse credendum est,quia rationem sempiternitatis habent respiciendo primum,velocitem verò respiciendo propria.)Hoc est contra Auer.qui expresse dicit in secundo cæli, com. 58. quòd motores inferiores sumunt rationes suarum velocitatum.secundum quòd magis desiderant assimilari primo.Et loquitur non solùm de motu diurno,sed etiam in circulo obliquo.Deinde hoc non est sufficiẽs ratione firmatum:quòd enim conueniant omnes in sempiternitate motus:vt dicit Auer.in secundo cæli,cõ.38.& 71.& alibi,est quia conueniunt omnes in hoc q̃ sunt motores immateriales.Et ideo hoc non oportet conijcere,quòd sit ex singulari modo dependendi a fine cùm clare pateat,quòd finis communis cum immaterialitate motoris sufficiat, nec locus est coniecturis in manifestis. Amplius: Velocitas de qua ibi loquitur Auer.vt patet in commen.nihil aliud est quàm temporalitas, in qua omnes motores cæli conueniũt,sicut & in sempiternitate: nullus enim mouet in nõ tẽpore.Restat ergo,q̃ de infinitate intensiua sermo Auer.ibidẽ fit.Et licet euidentiores sint prędictæ rationes si duo motores secundum rem in primo orbe ponãtur esficaces tamen sunt etiam si duo secũdum rationem, vnus autem secũdum rem ponitur,vt patere potest cuilibet eas applicare scienti. Vnde omnes expositiones commenti prædicti falsæ apparent. Vltima autem ordinem librorum Auer.non pensauit.Cũ em cõstet.ex secundo cæli com.3.quòd tunc tam fecerat libellum de substantia orbis:& ex pluribus commentis,quæ tunc etiam fecerat super libros Physicorum:& ex.12.Meta.com.65.quòd iuuenis erat quando fecit super li.de cælo, & sperabat in com.352.se perfecturum astrologiam:& quòd senex scripsit super metaphysica,manifeste liquet,q̃ omnia dicta Auer.sunt examinanda ad 12.Metaphysicæ eius,& non econuerso:quoniam opus illud testamentum eius est.

Secũdus modus ostendẽdi infinitatem intẽsiuã primi motoris.

SECVNDA Autem via ad ostendẽdam infinitatem virtutis dei gloriosi sumpta ex sanct. Tho.breuior est.Et supponit Deum esse cãm actiuam alicuius substantiæ,siue mundi,siue primæ intelligentiæ,siue omnium in corruptibilium siue ab æterno,siue in tempore:nihil enim horum refert,dummodo concedatur per simplicem emanationem(quam nos creationem dicimus)Deum aliquid produxisse.Hoc autem nũc supponatur:Tum quia communiter excellentes viri hoc cõcedunt etiam de mente Aristo.& Auer.Tum quia expresè contra Algazelem plures Auer.hoc dicit.Tũ quia hoc exigeret specialem quæstionem,quam alibi tetigimus. Acquiescentibus ergo huic supposito,hæc via paratur: iuxta quam arguitur prælibãdo rationes terminorum:scilicet quòd virtus creatiua est virtus actiua effectus ex nulla potentia passiua: siue sit creatiua ab æterno,vt Plato.& Arist.cũ sequacibus posuerunt:siue in tempore,vt fides Christiana determinat.Cæteræ autem virtutes actiuæ sunt effectuum ex aliqua potentia passiua præsupposita:vt patet in naturalibus & artificialibus. Arguitur ergo sic,loquẽdo semper de quantitate virtutis seu perfectionis: Omne quantum excedens aliud quantum sic quòd quantũcunque excessum crescat,nunquam inter ipsa est aliqua proportio, est necessario infinitum intensiuè. Ista patet ex terminis, qm̃,vt dicitur in 8.Physi.text.79.si excedens est finitum addendo semper quantum ad excessum, quandoq̃ æquabitur & excedetur.Sed virtus creatiua est aliquãtæ perfectioni:& sic excedit virtutem factiuam rerum ex potentia subiecti,quòd quantumcunque augeatur non est inter eas proportio:ergo virtus creatiua est infinita intensiuè,Probatur minor quo ad vltimam partem(quæ solà

Universidad de Deusto Biblioteca

eget probatione) & ducẽdo ad impossibile: quia sequeretur ꝙ virtus tantùm actiua ex aliqua potentia, & virtus actiua ex nulla potẽtia possent esse æquales: quod est manifestè impossibile. Tenet consequentia supponẽdo vnũ, quod probatione nõ eget, scilicet ꝙ quantò aliquod actiuum potest educere rem de remotiori potentia ad actum, tantò est virtuosius. Ad sensum enim patet, ꝙ ad educendum calorem de potentia aquæ, maior virtus requiritur, ꝗ̃ ad educendum ipsum de potentia aëris: hoc igitur supposito arguitur more Aristotelico sic: Sumatur virtus productiua alicuius (puta bouis) ex nulla potentia, & sit A. Sumatur quoq; virtus productiua bouis ex aliqua potẽtia, puta C, & sit virtus illa B. Tũc sic: Istæ duæ virtutes: scilicet A & B per te habent aliquam proportionem, sit ergo proportio centupla: ita ꝙ A excedat B non plus, ꝗ̃ in centuplo. Et tunc sumatur potentia passiua in centuplo magis elongata ab actu ꝗ̃ sit C, & sit illa D. Cũ ergo oporteat tantò virtuosius esse agens quantò elongatior est potentia ab actu, necesse erit virtutem actiuã bouis de potentia D, esse in portione centupla ad B, ac per hoc esse æqualẽ ipsi A. Et sic virtus productiua ex aliqua potẽtia, & virtus ꝑductiua ex nulla erunt æquales, quod est impossibile. Imò etiam eodẽ processu potest deduci, ꝙ illa sit etiã maior: quod est impossibilius. Nec põt inficiari quispiã hunc processum ex eo, quòd non potest sumi in rerum natura potentia remotior ab actu quacunq; potentia data: oportet enim sic dicentes negare processum Ari. 4. Phy. tex. 72. vbi assumit plenum subtilius quocunq; pleno. & 6. Phy. tex. 15. vbi assumit motum velociorem quocunque motu: & breuiter destruere doctrinam traditam in li. Phy. Saluatur enim efficacia horum & similiũ processuum ex rationibus formalibus terminorum, & ex veritate conditionaliũ: quicquid enim repugnat veritati conditionalis, est falsum & impossibile: vt Auer. dicit in 8. Phy. tex. 78. Vnde proposito sufficit veritas conditionaliũ: puta, si virtus aliqua produceret ex potentia in centuplo remotiori, esset in centupla proportione, &c. Stat ergo ratio firma: ꝗ̃uis quidam nescientes, aut non volentes eam formare, soluisse se arbitrati sunt: vt de Scoto patet prima dis. quarti. Qui ideo credidit se soluisse: quia S. Tho. non solicitus circa terminos, qui in autenticis rationibus solent subintelligi, fecerat maiorem huiusmodi: Eorum, inter quę nulla est proportio, alterum est infinitum: soluit Scotus, quòd hæc non est vera, vt patet de puncto & linea: & tamen punctum non est infinitum. Propter quod notanter nos posuimus in maiore vtrunque esse quantum: vt has pueriles cauillationes effugeremus. Et hæc de secundo.

QVAESTIO.

Num Deus moueat vt finis, vel vt agens.

RESTAT IGITVR Argumentis in oppositum respondere.

¶ Ad primum ergo (quod tres difficultates tãgit, vnam principaliter & duas ex consequenti) tali est ordine dicendũ, ꝙ duas annexas difficultates, scilicet an Deus moueat vt finis tantùm, vel vt finis & agens, & si vt agens, an mediatè vel immediatè: pertransibimus dicendo, quę est.

Tertiam verò principalem, scilicet an expositione virtutis infinitæ intensiuæ in rerum natura necessariò sequatur motus in non tempore, pertractabimus dupliciter, scilicet secundũ Auer. & simpliciter. Quamuis igitur multi ex secundo cæli, tex. 64. vbi in summo gradu perfectionis vniuersi locatur id, quod sine actione optimum possidet: & ex 12. Met. text. 30. vbi dicitur, ꝙ Deus mouet sicut amatum & desideratum: credant Deum nõ esse causam agentem, sed finalem: verius tamen dicunt sentiẽtes vtroq; modo Deum esse causam: vt Simplicius arguit ex primo cæli, tex. 30. vbi Arist. dicit, Deum nihil agere frustra. Si enim ad hoc inconueniens solicitus fuit Ari. deducere, ꝙ Deus nihil agit frustra, ergo supponebat Deũ agere propter finem: ridiculũ enim esset deducere ad hoc inconueniẽs de causa non actiua. Auerrois quoq; in de substantia orbis, manifestè reprehẽdit dicentes oppositũ esse de intentione Ari. & in 10. Meta. com. 7. expresè dicit, ꝙ Deus mouet non tantũ vt finis, sed vt motor. Quod etiã firmat in 12. commen. 7. & in commenta. 44. vbi etiam postmodũ Auicennã ponentem Deũ esse tantùm finem, arguit, ꝙ oportet primi principis esse actionẽ, quæ cum hoc, ꝙ sit sibi propria, sit cõis cæteris: qualis est motus diurnus. Et in secundo cæli, com. 17. dicit, ꝙ omne habẽs actionem in se, habet actionẽ in alio: & in com. 21. dicit, ꝙ omne quod inuenitur propter se prima intentione, inuenitur propter aliud secunda intentione: nisi illic esset natura non innata ad largiendum. Et breuiter totus Auer. plenus est hac sententia vel formaliter vel radicaliter: vt puta ꝙ in separatis à materia causalitas finalis & sufficiens eidem conueniunt: vt dicitur 12. com. & 35. & 38. & 55.

Nec obstat ꝙ Arist. dixit, Deũ mouere vt amatũ: non enim dixit hoc cũ dictione exclusiua: imò ex hoc magis habetur propositũ, supposita illa vniuersali Auer. quam modò diximus. Id verò quod ex secundo cęli adducitur, admiratione dignũ est, qua fronte ab Auerroistis adducatur, cùm Auerrois ipse ibidẽ in cõsilio 46. expresè dicat, ꝙ in illo summo gradu habente optimũ sine actione, datur latitudo includens omnes intelligentias: ita ꝙ apud ipsum oẽs intelligentiæ sunt in illo primo gradu, & non tantùm Deus: & tamen constat apud eos etiã, ꝙ cæteræ intelligentiæ agunt ad extra. Intendit enim ibi Aristoteles apud Auerroim, intelligentias quatenus intelligentiæ sunt, habere optimũ (quod est fœlicitas speculatiua) sine omni dependentia ab exteriori actione, nõ sicut in nobis iuxta illud 12. Meta. text. 39. deductio autem qualis optima &c. & esse in primo gradu. Quatenus verò animæ sunt, optimum assequi per motũ: & in secũdo locari ordine simul cũ corporibus, quorũ sunt animæ. Vnde Deum mouere non solũ finaliter, sed actiuè dicimus. Et ꝗ̃uis ex multis cõmentis videatur haberi, ꝙ Deus mouet immediatè: quia in cõ. 44. & 12. metap. reprehenduntur ponẽtes Deũ esse priorem motore primi orbis: & in com. 38. expresè dicitur, ꝙ primus motor mouet sine medio: & in com. 48. numerantur substantiæ immateriales secũdũ numerum motuum cælestium expresè, supponendo nullam esse, quæ non mouet: vt tamen ex dictis superius patere potest, in com. 41. & 12. expresè dicit motum cæli componi ex duobus motoribus. Et ideo sciẽdũ est ꝙ ista sibijnuicem non contradicũt: quoniam quum sint in hac re opiniones extremæ: vna Auicennæ, dicentis Deũ nihil agere ad motum cæli, nisi secundũ ꝙ prima causa operatur per secundas: sed primum motorem esse primam intelligentiam productam à Deo, quæ cum anima cæli mouet. Alia eorum, qui dicũt Deũ solum mouere primũ cælum. Auerrois via incesit media, vtrunq; declinans extremum: & ideo nunc hoc, nũc illud excludit extremũ, ꝗ̃uis pluries Auicennam impugnauerit. Est igitur apud eum primus motor Deus gloriosus, non tamen mouet solus.

Sed quia in motu primi cæli sunt duo (sempiternitas motus, & certa velocitas: puta 24. horarũ) posuit vtrũq; horum habere per se primò causam actiuam & propriã: sempiternitatis quidem Deum, certæ verò velocitatis animam cæli. Et hic sensus respondet planè expositioni illius cõmenti absque extorsione. Et sic Deus non est prior motore totius: imò facit per se motum totius quo ad nobilissimam eius rationem, quæ est sempiternitas: & hoc modo Deus nõ est anima alicuius orbis. Et ideo dixit ibi Auer. ꝙ est potentia non in materia: & per hoc volebat ꝙ differret ab anima cęli. Et hoc modo saluatur quod cõ. 44. dicitur, ꝙ illud quod intelligit motor corporis cæli de primo motore, est aliud ab eo quod intelligit motor orbis Saturni. Et sic numerus immaterialium substantiarũ secundum numerum motuum saluatur: quia ex motuũ numero inuentus est numerus motorũ aliorũ à primo: quia iam ex infinitate motus stabilitus erat. Nullã enim substantiam immaterialẽ ponimus nisi ex motu conclusam: sed primam ex infinitate motus, cæteras ex numero motuum regularũ & perpetuorũ exigentiũ motores immobiles. Et hoc consonat textui Ari. expresè quærẽti numerum motorũ immobilium, non numerũ motorũ infinitorum: vt per hoc insinuaret quod de alijs à primo loquebatur: ꝗ̃uis primus quoq; sit immobilis. Est siquidẽ sermo Ari. & Auer. & ibidẽ contra ponentes substantias immateriales absque aliqua propria motione alicuius corporis, vt patet ibidẽ: quod nos nõ diximus. Et breuiter hoc modo omnia dicta Auer. inueniũtur consona, & meritò: quia verò omnia consonant. Vnde Heliæ Hebræi labor, ꝗ̃ vanus fuerit patet. Putauit enim, ꝙ ex hoc ꝙ Deus dicitur motor effectiuè primi cæli sequeretur, ergo mouet solus primum cælum. Iam enim liquet, Deum propriũ motorẽ primi orbis, quo ad sempiternitatem sui motus actiuè causandam. Mouet ergo Deus cælum effectiuè vt motor proprius, & mediãte anima cæli, sic vt vtriusq; proprius effec

effectus motus cæli sit diuersimodè: & sic quo ad duo prima pateat quid tenendum sit.

¶ De tertio autem (in quo tota stat difficultas præsens) ambiguitas magna videtur: diuisi siquidem sunt Peripatetici circa id. Quibusdam enim apparet, quòd ex hoc antecedente, datur virtus infinita in natura, sequitur necessariò, ergo motus in nõ tempore. Quibusdam verò videtur, quòd distinctione opus sit in re hac: & hi in tres distincti sunt vias. Alij putant quòd distinctione modi agendi, s. liberè vel necessariò opus sit. Alij verò quòd distinctio modi essendi illius virtutis infinitæ, s. an habeat esse materiale, an immateriale, ad hoc sufficiat. Alij autem duas distinctiones necessarias credunt ad saluandam infinitam virtutem in rerum natura, scilicet modo essendi (quæ modò dicta sunt) & modi agendi, scilicet mediationem vel immediationẽ, ita quòd omnes huiusmodi opiniones sunt quatuor. Et primam quidem postponentes (quia ex discussione aliarum quid veritatis habeat patebit: & eius fundamenta sunt, quæ arguendo adduximus) ad secundam nos transferamus opinionẽ, quia tria dicit. Primò, quòd ex hoc antecedente, virtus infinita est in magnitudine: necessariò sequitur, ergo mouet in non tempore, quod implicat contradictionem. Et in hoc conueniunt cum Arist. 8. Phy. tex. 79 omnes Peripatetici: licet differant in modo deducendi consequentiam. Sco. enim in primo sen. distinc. 2. quæstio. 2. ad vlti. dicit, quòd ex eo quod in antecedente assumitur virtus infinita, subintelligendo, agat, necessariò sequitur, ergo actio sua est in non tempore: alioquin in æquali tempore agere contingeret virtutem infinitam & finitam, iuxta deductionem Aristotelis ibi. Ex eo verò, quòd in antecedente additur ly in magnitudine (id est extensa) sequitur quòd si agit, agat circa corpus: & consequenter quòd sit ibi aliqua resistentia, & sit etiam diuersa approximatio partium passi ad agens ac per hoc sequitur, ergo actio illius virtutis est mouere: quoniam hæ duę causæ, scilicet diuersa approximatio partium & resistentia, faciunt succesionem esse in motu, & sic ex toto antecedente simul, scilicet virtus infinita in magnitudine, sequitur motus in non tempore. Sed hæc deductio manifestè peccat: quia ex hoc quòd aliqua virtus est extensa & agit in corpus, non sequuntur illæ duę causæ succesionis: sed vna tantùm, scilicet diuersa approximatio partium passi ad agens: sed ex omnibus his absque resistentia non sequitur, ergo illa actio est motus. Et hæc omnia non egẽt probatione: quia manifestè patent de virtute illuminatiua. Hæc enim est extensa, & agit in corpus, &c. & tamen nõ est motus propriè (de quo loquimur) vt distinguitur contra mutationem. Sanctus Tho. autem quia Arist. non fuit solicitus ibi de vtraque parte consequentis deducenda, supponit cum Auerroẽ & cæteris expositoribus (quãtum vidisse me recolo) quòd subiectum illius antecedentis, scilicet ly virtus, seu potẽtia, supponit pro virtute motiua, propriè sumendo motum, ita quòd antecedens illius consequentiæ secundum veritatem est hoc, virtus motiua infinita est in magnitudine, ergo. Et quòd hoc sit mens Aristotelis, patet ibi, ex eo quòd probando suppositionẽ vnam, scilicet quòd maior virtus facit æquale in minori tempore, dicit vt calefaciens, aut dulce faciens: aut proijciens, & omnino mouens. vbi manifestè patet, quòd de virtute motiua loquitur. Patet etiam ex fine intento: ad nihil enim aliud inducebat demonstrationem illam, nisi ad inuestigandam impartibilitatem primi motoris, quẽ constat mouere propriè. Vnde impertinens erat proposito tractare de omni virtute extensa: quamuis ex ista negatiua, non potest dari virtus motiua infinita in magnitudine, habeatur ex consequenti, quòd nulla virtus in magnitudine est infinita: quia quum sit virtus, aut substantialis, aut accidentalis, & accidẽtalis infinitas inferat infinitatem substantialis, & omnis virtus substantialis in magnitudine, si est simplex, sit principium alicuius motus naturalis (vt patet in primo cæli textu septimo) & simplicibus existentibus finitis impossibile sit mixtum fieri infinitum, manifestè deduci potest ex negatione infinitatis virtutis motiuæ in magnitudine, negatio infinitatis omnis virtutis extensæ.

¶ Facit tamen vim Sanctus Thomas in ly magnitudine: ex hoc quòd virtus extensa non est intelligens, virtus autem extra magnitudinem est intelligens: vt patet tertio de anima commentario quinto: virtus autem motiua non intelligens mouet tantum quantum potest, Ac per hoc tenet cõsequentia Aristotelis. Quia si est virtus motiua infinita, & cum hoc mouet tantum quantũ potest sequitur, ergo mouet in non tempore: vt patet ex deductione Aristo. ibidem. Secundo dicit, quòd ex hoc antecedente, virtus infinita est (etiam loquendo de motiua) non sequitur necessariò, ergo mouet in non tempore: quia potest illa virtus esse agens liberum cuius potestate est & actio & modus agendi. Et quum hoc arguitur esse cõtra Aristo. & Auer. & omnes Philosophos. Sco. cum sequacibus non reputat hoc inconueniens: imò dicit in secundo senten. distinctio. prima quæstio. tertia eos sibijpsis contradicere, ponendo Deum agere necessariò.

¶ Mihi autem videtur hoc non esse contra Aristotel. eo quòd nulli imponendum est quod nec dixit, nec necessariò sequitur ex dictis eius. Deum autem non esse agens liberum, nullibi dixit Aristo. nec ex dictis eius sequitur necessariò. Demonstratio siquidem posita in primo cæli textu 90. sufficienter saluatur sic ponendo omnes intelligentias differre specie, & mouere quantũ possunt, vt assimilentur Deo glorioso: cuius proprius effectus est sempiternitas, siue liberè, siue necessariò illam causet. Numerus quoque intelligentiarum eisdem suppositionibus stantibus optimè inuestigatur ex numero motuum: sunt enim omnes motores adæquati. Inconueniens etiam quod dicitur in textu 79 scilicet virtutem finitam & infinitam mouere æqualiter: manifestè ibidem adscribitur virtutibus mouentibus naturaliter: & breuiter quæcunque alia ad hoc adduci possunt, facilè saluari videntur absque hoc. Nolo tamen propterea Aristoteli attribuere, quòd posuerit Deum agere liberè, sed opinionem suam ad nos non peruenisse tantum: contra Auer. tamen illam responsionem esse non dubito: vt ex commentario quarto duodecimi Metaphy. deducere facile esset: & commentario vigesimoprimo secundi de cælo manifestè habetur.

¶ Sed quoniam ex principijs philosophiæ non necessariò sequitur, Deum agere necessariò: idcirco quum soli rationi obediendum sit, quod secundo loco contra hoc obijcitur, soluendum est. Quum ergo dicitur, id ad quod sequitur falsum, impossibile est simpliciter impossibile, &c. negatur minor. Et ad primã probationem dicitur, quòd quamuis non sit impossibile, Deum velle vti tota virtute sua: est tamen impossibile, Deum velle vti tota virtute sua, in hoc effectu, qui est velocitas motus. Nec hoc est ex defectu virtutis, aut voluntatis: sed quia hoc non est factibile: vnde Deus vtitur tota virtute sua per se causando sempiternitatem motus, & creando. &c.

¶ Ad secundam verò dicitur præmittendo quatuor. Notãdum est enim primò, quòd aliud est arguere ex potẽtia motiua infinita & aliud est arguere ex potentia motiua infinita habente talem modum essendi, scilicet in magnitudine, vel extra, vel modum operandi, scilicet necessariò, vel liberè. Primum siquidem antecedens abstrahit ab omni modo essendi & operandi: secundum verò modum essendi vel operandi coassumit. Constat autem quòd multa possunt deduci ex aliqua ratione formali, & modo essendi vel operandi simul: quæ non possent deduci ex illa ratione formali absolutè. Notandũ est secundò, quòd ex aliqua ratione * abstractè, seu absolutè sumpta, dupliciter aliquid deducere consueuerunt philosophi. Vno modo necessariò, sicut ex ratione motus deducitur, quòd oportet esse in tempore, alio modo non repugnanter, sicut ex ratione motus deducitur, quòd quocunque motu dato, potest dari velocior, &c. Et inter hæc tantùm refert, quòd consequens aliquid necessariò, comitatur ipsum, in quocunque ponatur secundum omnem modum essendi illius. consequens verò aliquid non repugnanter, non oportet comitari illud in aliquo: imò stat quòd repugnet ei in quocunque modo essendi: vt patet in exemplis adductis.

* Alias abstrahente.

¶ Notandum est tertiò, quòd tripliciter potest imaginari quòd potentia motiua infinita exeat in actum secundum, vel quòd moueat A mobile certa velocitate, ita quòd non possit velocius illud mouere: sed illud mouere sit sibi adæquatum.

¶ Vel quòd moueat infinita velocitate, id est in non tempore: non est enim intelligibile ꝙ aliquid actualiter moueat infinitè velociter: & tñ in tẽpore: quia ex quo actualiter mouet, tempus illius motus certum est secundum se: signetur ergo, & tunc procedatur iuxta text. 79. octaui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Phy. & venietur ad hoc, quòd motus infinitæ velocitatis erit in æquali tempore cum motu finitæ velocitatis (vtpote à virtute finita facto) quod est impossibile. Idem est ergo mouere actu infinitè velociter, & mouere in non tempore. Vel medio modo, scilicet quòd nunquã moueat tãta velocitate A mobile, quin possit illud velocius mouere. Hęc autẽ tria aliter se habent ad potentiam motiuam infinitam absolutè, & aliter ad eam in magnitude. Ad potẽtiam siquidem motiuam infinitam in magnitudine, duo extrema comparantur immediatè, ita quòd respectu talis virtutis non datur medium inter mouere in non tẽpore, & mouere certa velocitate.

¶ Ad potentiam verò motiuam infinitam absolutè, extrema hæc sunt mediata, ita quòd stat quòd moueat sic velociter, quòd tamen semper velocius mouere possit. Et ratio difformitatis est: quia virtutis extensæ quantum est posse, tantum necessariò est facere; vt patet inductiuè, & cõsequenter si est infiniti posse, ergo habet adæquatum facere. aut ergo hoc est certa velocitate mouere, aut in non tempore: mouere enim sic quòd velocius possit non esse adæquatum virtuti patet. Virtutis verò motiuæ infinitæ absolutè non oportet quãtum est posse, tantum esse facere: quia abstrahit ab omni modo operandi, & essendi: & consequenter abstrahit ab hoc, quòd faciat secundum totum posse aut partem & tantum vel tantum: & ideo non necessariò sequitur, quòd si exeat in actum, quòd exeat in opus adæquatum. Notandum est quartò, quòd aliter arguendum est ex infinita velocitate ad infinitatẽ potentiæ motiuæ absolutè, & aliter ecõuerso. Ex infinita siquidem velocitate, determinatè infertur, ergo potentia motiua est actu infinita: quia impossibile est aliter talem effectum saluare. Ex infinita verò potentia motiua nihil aliud potest inferri: nisi, ergo põt infinita velocitate mouere: quia si aliquãta virtus motiua potest mouere alioquanta velocitate, maior põt maiore, & infinita infinita. Sed qa posse mouere infinita velocitate contingit dupliciter. Vno mõdo, qꝰ possit facere motũ infinitæ velocitatis in actu alio modo sic, quòd possit semper facere maiorem velocitatẽ quacunque facta velocitate, ideo non potest ex infinitate potentiæ motiuæ absolutè inferri determinatè, ergo est actu infinita velocitas: sicut econuerso.

¶ His autem præmissis, dico quatuor. Primò quòd ex hoc antecedente A est virtus motiua infinita in magnitudine, optimè sequitur, ergo mouet in non tempore: quia si non, ergo mouet adæquatè certo tempore ex tertio notando: & tunc sequitur iuxta deductionem Aristo. ergo virtus finita & infinita secundum totum posse mouent æqualiter. Secundò dico, quòd ex hoc antecedente A est virtus motiua infinita, non sequitur necessariò, ergo A mouet in nõ tẽpore: dicentibus enim quòd non, subintferri non potest, ergo mouet adæquatè in certo tempore: datur siquidem mediũ, scilicet quòd permittitur mouere A mobile tanta velocitate (puta decem horarum) non tam adæquatè, sed potest semper velocius: vt patet ex tertio notando. Quod non potest dici, si virtus illa est in magnitudine: & ideo Arist. fundans demonstrationem suam super illa distinctione, aut mouet in non tempore, aut certo tempore: loquendo de adæquata operatione assumit ab aduersario virtutem motiuam esse in magnitudine: quia de tali constat, quòd oportet supponere aliquãm vt locitatem esse illi adæquatam: quod nõ oportet verificari de virtute motiua absolutè, quia abstrahit ab his. Tertiò dico, quòd ex hoc antecedente A est potentia motiua infinita, non sequitur non repugnanter, ergo motus in non tempore. Probatur hoc ex illo principio: impossibile in se ex rationibus terminorũ, ex nullo deducitur possibiliter, ex quo non sequatur necessariò. Hæc enim est differentia inter consequens possibile & impossibile ex terminis: quòd possibile ex aliquo antecedente oritur possibiliter, ex quo non oritur necessariò: vt patet de velocitate motus respectu motus & mobilis. Impossibile verò nisi habeat connexionem necessariam cum antecedẽte ex illo oriri nõ põt: & hoc ideo est: qa impossibile ex terminis, est impossibile simpliciter & omnino. Tale autem ex nullo oriri potest, nisi ex alio impossibili, ad quod conditioniter sequatur: quod sine necessaria connexione fieri nequit. Constat autem, quòd motus in non tempore claudit cõtradictionem ex terminis: si est enim motus, ergo in tempore: & si in non tempore, ergo non est motus. Et ex antedictis patet, quòd hoc impossibile non sequitur necessariò ex infinita potentia motiua: ergo nec sequitur impossibiliter.

¶ Sed accidit hic dubiũ ex triplici capite. Primò, quia id quod sequitur necessariò ad aliqd cũ aliquo speciali modo essendi, sequitur permissiuè et possibiliter ad illud absolutè: verbi gratia: quod sequitur necessariò ad animal rationale, sequitur possibiliter ad animal: sed motus in nõ tempore sequitur necessariò ad virtutem motiuam infinitam habentem esse in magnitudine: vt patet: ergo sequitur possibiliter ad virtutem motiuam absolutè. Secundò, quia quum hoc argumentum valeat, Si aliquanta virtus motiua potest mouere aliquanta velocitate, ergo maior potest maiore, & infinita infinita: & vlterius valeat, aliquãta virtus motiua potest mouere tãta velocitate, ergo potest facere tãtam velocitatem actualiter & maior similiter maiorẽ: quare nõ valet, ergo si est infinita potest infinitam facere actualiter. Nulla enim ratio apparet difformitatis: & tamen oportet, si tenenda sunt prædicta, negare illam vltimam consequentiam: quia, vt patet ex dictis, posse facere velocitatem infinitam actualiter est idem quod posse mouere in non tempore. Tertio quia & si assignata sit ratio quare infinitę potentiæ absolutæ non oportet assignare adæquatam facere: quia scilicet abstrahit à modis operandi: non tamen habetur, quare infinitæ potentiæ motiuæ absolutè repugnet mouere secundum totum suum posse. Si enim non repugnat dato quòd ex ea non sequatur necessariò nec possibiliter, habetur intentum, quia si hoc sibi non repugnat, ergo est sibi possibile: possibili autem posito, nullum sequitur impossibile. Ex hoc autem sequeretur quòd moueret in non tempore: vt patet: ergo.

¶ Ad primum horum dicitur quòd maior est sic modificanda: Illud quod sequitur necessariò ad aliquid cum aliquo speciali modo essendi compossibili illi primo, sequitur permissiuè ad illud absolutè: sic enim est vera, & non aliter. Si enim aliquid iungatur cũ aliquo sibi incompossibili ex terminis id quod sequitur ad coniunctum, vtrique partium repugnat: verbi gratia: Ad hominem aereũ sequitur habere perfectissimum sensum tactus, non medium inter contraria: quod vt patet, nõ sequitur ex ratione hominis absolutè, nec aeris, sic autem est in proposito: quia virtutem motiuam infinitam esse in magnitudine, implicat contradictionem, partęque coniuncti non sunt cõpossibiles, vt ex iam dictis patet, & effectus necessariò sequens monstrat: scilicet motus in non tempore.

¶ Ad secundum dicitur, quòd ratio difformitatis inter vltimam consequentiam & priores est: quia in omnibus prioribus proportionaliter adaptatur propria causa proprio effectui. In vltima autem non secundum veritatem, sed solã apparentiam: non enim proprius effectus virtutis potentis infinita velocitate mouere, est actualiter mouere infinita velocitate: sed nulli certæ velocitati obligatum esse suum mouere, quantum est ex parte motiuæ potentiæ. Hoc autem saluatur, si sic posit mouere actualiter, vt semper posit velocius mouere: vt patet. Et si quæratur, quum virtuti potenti mouere velocitate vnius horæ proprio effectu assignetur mouere actualiter in vna hora & duplæ potentiæ potenti mouere in medietate horæ, pprius effectus dicat mouere actualiter in medietate horæ: quare virtuti potenti mouere infinita velocitate proprius effectus non assignetur mouere actualiter infinita velocitate: Respondetur, cꝯ hoc ideo est, quia quandocunque quantitati virtutis potest dupliciter attribui quãtitas operis, & altero modo est impossibile propter implicationem contradictionis in ipso opere, altero verò est possibile, dicendum est, quòd effectus proprius illius est ille, in quo saluatur modus possibilis. Verbi gratia, & est exemplum theologicum: dicimus quòd virtus creatiua Dei est infinita, non solũ ex parte modi agendi, sed ex parte creabilium, non tamen saluatur infinitas in creabilibus, sic Deus posit creare aliquod infinitum ens, sed sic: quia quacunque creatura facta potest facere perfectiorem. Quum ergo in proposito inter virtutem motiuã quamcunque finitam, & infinitam respectu velocitatis motus hæc sit differentia, quòd finitæ virtutis quantitati vno modo & illo possibili, respondet quantitas velocitatis in effectu, scilicet faciendo illam actu: infinitæ verò virtutis quantitati duobus modis quantitas velocitatis respondere videtur: scilicet faciendo infinitam in actu, vel mouendo absq; obligatione ad certam veloc-

velocitatem: & primo modo infinita velocitas effectus rationem habere non potest, quum sit de genere impossibilium ex terminis, secundo modo infinitæ potentiæ proprius effectus est.

¶ Ad tertiũ dicitur, quòd infinitæ potentiæ motiuæ absolutè, repugnat mouere actualiter secundum totũ suum posse quo ad velocitatem motus, non autem quo ad durationem eius: quia operatio talis est de genere operationũ impossibilium ex terminis. Et id, quod multos in materia ista decipit, est, quia assumitur talis motio vt operatio quædã, & quare infinitæ potentiæ motiuæ repugnet, quærunt: quum tamen, vt ex dictis patet, nõ sit de genere operationum, sicut nec alterare cælum. Nec ex his imponas mihi, quòd dicam infinito posse non posse attribui adæquatum operari actualiter. Hoc enim ex dictis nostris diligenter inspectis non habetur: sed tantum quòd infinito posse motiuo, non potest respondere adæquatum operari actualiter, quo ad velocitatem motus. Ex hoc enim non sequitur vniuersalis negatiua, ergo non potest respondere adæquatum operari: stat nanque quòd respondeat infinitum operari quo ad durationem motus: & quo ad operationes immanentes, scilicet intelligere & amare. Vnde ad quæstum cum distinctione dicendum est, quòd infinita potentia motiua potest referri ad motus velocitatem, & ad eius durationem. Et primo modo repugnat sibi mouere secundum totum suum posse, quia ista non est operatio, sed quiddam plus quàm chimericum. Secũdo modo, non repugnat, imò de facto conuenit, vt ex dictis patet.

¶ Quartò dico, quòd ex hoc antecedẽte A est virtus motiua infinita agentis liberi, non potest inferri, ergo mouet, aut potest mouere in non tempore: dicam enim in illo tẽpore mouere potest tanquam adæquato effectu, sed mouet semper certo tempore sicut elegit: non tamen sic quin quantum est ex ratione virtutis, posset velocius mouere. Quum enim ex ratione potentiæ motiuæ infinitæ absolutè, nihil aliud sequatur, nisi quòd quia tanta potẽtia potest mouere tanta velocitate, & maior maiore, infinita potest infinita velocitate mouere: & hoc contingat dupliciter, scilicet aut quòd possit exire in actum secundum faciendo infinitam velocitatem, aut quòd sic semper possit, vt nunquam exeat in actum secundũ, faciendo aliquam velocitatem, quin possit adhuc facere maiorem: & ex ratione potentiæ motiuæ infinitæ absolutè non necessariò sequatur, quòd possit exire in actum primo modo: & ex hoc quòd est agẽtis liberi, necessariò sequatur quòd exeat in actum secundo modo, si debet exire in actũ: consequẽs est, cꝯ non ex infinita potentia motiua agentis liberi absolutè considerata, nec ex ipsa sumpta cum tali modo agendi deducatur necessariò, ergo motus in non tempore. Et consequenter quum omnis conditionalis non vera sit necessaria, ista conditionalis nõ est vera: si datur virtus motiua infinita agentis liberi, posset dari motus in non tempore. Et sic patet ad secundam probationem illius minoris, quid dicendũ sit, scilicet cꝯ falsum est, qꝯ ex ratione infinitæ potentiæ motiuæ, absolutè sequatur, ergo motus in non tempore. Tertium, quod habet hæc secunda opinio est, cꝯ non potest aliter saluari infinita potentia in rerũ natura, nisi ponendo ipsam agere liberè, eo cꝯ aliter sequetur motus in non tempore. Sed hoc non est dictũ communę, vnde non videtur tutũ sequi illud: præsertim, quia (vt ex dictis & dicendis apparet) à multis illustribus viris saluatur, etiam si Deus non ageret liberè.

¶ Tertia verò opinio, quã S. Th. 8. Phy. prulit in lucẽ: dicit, cꝯ sola distinctio modi essendi, scilicet in magnitudine, vel extra, sufficit ad saluandam virtutem motiuam infinitam absq; motu in nõ tempore, quicquid sit de modo operandi. Ita cꝯ secundum eam quamuis ista conditionalis sit vera, si virtus motiua infinita est in magnitudine daretur motus in non tempore: ista tamen est vera, si motiua virtus infinita est extra magnitudinem, daretur motus in nõ tempore. Et fundamentũ huius est: quia veritas primæ cõditionalis fundatur super tribus. Primò, super infinitate motiuæ potentiæ: ex qua habetur cꝯ possit mouere infinita velocitate. Secundò, super modo essendi eius in magnitudine, ex eo quòd habetur quòd quantum est posse, tantum est operari. Tertiò, super hoc quòd effectus non est dignior sua causa: ex quo habetur, si aliqua virtus est in magnitudine, eius adæquatum opus potest recipi in magnitudine. Ex his enim tribus cõsurgere veritatem illius conditionalis patet ex eo, quòd quodcunq; horum trium deest, cõditionalis non est vera. Si enim deest infinitas potẽtiæ motiuæ, nunq; deducetur motus in non tempore: similiter si non ponitur in magnitudine, seu operari tantũ quantũ potest, nunq; deducetur motus in non tempore: & nihil minus, si non ponitur quòd operetur in passo capaci adæquatæ operationis illius potentiæ, nunquam sequeretur motus in non tempore: quem constat non sequi nisi ex motiõe adæquata potentiæ motiuæ infinitæ. In operationibus siquidem transeuntibus non solùm impeditur operatio & eius quãtitas ex parte potentiæ actiuæ sed ex parte passi. Constat autem quòd proprium passiuũ motiuæ virtutis, est mobile in actu: quod oportet esse actu quãtum & corpus, & c. vt patet 6. Phy. tex. 32. & ideo nisi ponatur, quòd adæquata motiuo virtutis motiuæ infinitæ assumptæ in antecedente posit recipi in corpore in actu seu in magnitudine (idẽ enim sunt in proposito) non potest deduci, ergo mouet in non tempore: & quia hoc non poni potest absolutè, quia est impossibile: ideo oportet poni vt sequens ex antecedente aduersarij: habetur autem, vt iam diximus ex illo, quia causa non est indignior effectu. Ex his autem patet, quare secunda conditionalis, scilicet: si virtus motiua infinita esset extra magnitudinem, daretur motus in non tempore non est vera: quoniam deficit sibi tertia conditione, non enim oportet virtutis existentis extra magnitudinem dari adæquatum opus in magnitudine, & ratio est: quia virtus immaterialis cõparatur ad omnia quanta, vt vniuersale ad particulare, non in prędicando, sed potius in essendo, & causando: nec est rationabile vt materiale possit totam immaterialium virtutem adæquare. Vnde ad maiorem horum euidentiam considerandum est, quòd motus relatus ad infinitam potentiam motiuam in magnitudine & extra, diuersimode comparatur. Illi quidem vt effectus proprius causæ particulari & propriæ, huic verò vt effectus particularis causę vniuersali (quemadmodum liquefactio ceræ virtuti solari) quia motus est effectus in corpore: & consequenter fit à virtute corporea, sicut ab vniuoco à virtute verò immateriali, sicut ab æquiuoco & vniuersali: & ideo sicut ridiculum esset ex quantitate virtutis solaris inferre quantitatẽ huius particularis effectus, vt adæquatẽ virtutẽ solis, ita irrationabile est ex q̃titate virtutis immaterialis inferre q̃titatẽ huius effectus particularis, qui est velocitas motus tanq; effectum adæquatum. Considerandum rursus est, quòd inter potentiam motiuã infinitam in magnitudine seu absolutè: & potentiam motiuam infinitam incorporeã hoc interest, quòd illa aut nihil aliud per se dicit, nisi principium motus, vt patet si sumatur absolutè, aut si aliquid aliud addit, nihil addit eleuans ipsam supra rationem proprij principij motus: vt patet si sumatur in magnitudine. Ista autem est hoc, quòd immaterialis ordinis ponitur, supra rationem proprij principij motus eleuatur, sicut & supra corporalia. Propter quod ex hoc ipso, quòd ponitur extra magnitudinem, sequitur quòd non per se primò respiciat motus velocitatem, qui est corporeus effectus, quemadmodum faciunt virtutes corporales, sed altius quid per se primò aspiciat, & secundariò & quasi per accidens motum. Vnde fit, vt infinitas virtutis motiuæ si esset in magnitudine motus velocitate necessariò manifestaretur, Infinitas autem virtutis motiuæ existentis extra magnitudinem non: quia scilicet infinitas potentiæ in magnitudine est per se, primò particularis principij motiui, infinitas verò potẽtiæ extra, est per se primò rei eleuatæ supra ordinem principiorũ motiuorũ particularium, ac per hoc latius quid respicit vt adæquatum * motum quam velociratem motus. Imaginandum est enim, quòd res illa infinita extra magnitudinem, quamuis habeat in se vnde posit mouere: hoc tamen opus non per se primò respicit ad illa, sed aliquid altius: quia, vt pluries dictũ est, motus p se primò est actus coporis, virtus aũt illa eleuata est sicut supra corpora, ita super oia corporalia per se primò: quod dico ꝓpter ens & bonũ, & alia huiusmodi: quę etsi sint corporalia, non tẽ per se primò: & ideo nõ oportet, si virtus illa est infinita, velocitatem infinitam posse ab ea prouenire. Ex duobus ergo falsificatur secundum S. Tho. conditionalis ista. Primò ex eo quòd virtutem extra magnitudinem non oportet habere adæquatum facere suæ virtuti, quum agat per intellectum: vt dictum est in secunda opinione. Secundò ex eo quòd considerata virtute infinita extra magnitudinem non considerato modo,

* Aliae motui.

Universidad de Deusto Biblioteca

operandi,sequeretur,ergo daretur motus in nõ tempore: quia non posset fieri motio,quo ad velocitatem adæquatã virtuti motiuæ:quia moueret corpus in actu,puta cœlum,quod non esset capax motionis adæquatæ illi virtuti, nec absolutæ, quia hoc implicat:nec ex hypothesi data,quia infinita potentia non est concessa in magnitudine,sed extra.

¶ Contra hanc autem opinionem dupliciter obijcitur. Primò,quia si ex sola incorporeitate virtutis motiuæ infinitæ habetur sufficiens ratio falsitatis secundæ conditionalis,manifestè sequitur quòd non refert,si ponatur, virtutem illam esse motiuam necessariò, dũmodo ponatur incorporea:stant enim ista duo simul,non enim est impossibile virtutem immaterialem esse necessariò motiuam, vt Arist.& Philosophi tenent de animabus orbium.Ex hoc autem quæratur in quanto tempore moueret virtus infinita extra magnitudinem mouens secundum totum posse,& signetur illud tempus,& tunc procedatur iuxta tex.79 octaui Phy.deducendo ad impossibile,quòd æqualiter moueant virtus finita & infinita. Secundò:quia hoc est expressè contra Auer.in secundo cæli.com.38.& 71.

¶ Ad primum horum dicitur,quòd istæ duæ conditionales distãt sicut cælum & terra.Si infinita potẽtia motiua esset extra magnitudinem,moueret in non tempore, & si infinita potentia motiua existens extra magnitudinẽ,moueret secundum totũ suum posse,moueret in non tempore.Secunda enim est vera:quia in antecedẽte eius iam ponitur ipsam secundum totum posse actualiter mouere,& consequenter habere mobile talis motionis subiectũ:quũ motus sit actus mobilis, ac per hoc in hac conditionali saluantur tres antedictæ conditiones.In alia verò non habetur ex hypothesi antecedentis,mobile capax totius posse,& ideo est falsa ex defectu tertiæ conditionis. De illa autem conditionali,super quam fundatur argumentum, scilicet si esset extra magnitudinem infinita virtus motiua,necessariò daretur motus in non tempore:dicẽda sunt duo.Primò,quòd est impertinens proposito:quia non habetur ex dictis S.Tho.Multum enim refert posita virtute infinita incorporea,loqui de ipsa,& cõsequentibus ad ipsam vt sic,abstrahendo à quibuscunque alijs, quæ non necessariò ipsam infinitam & incorpoream comitantur: & loqui de ipsa,addendo sibi specialem modum agendi, scilicet necessariò.Primo enim modo est sermo sanc.Tho. & non secundo.& primus nihilominus modus nihil ponit incompossibile,secundus verò fortè adunat incõpossibilia:quia quãuis virtuti incorporeæ non repugnet esse necessariò motiuam & velocitatiuam motus, repugnat tamen fortè virtuti incorporeæ infinitæ, vnde non oportet de illa conditionali solicitum hic esse.Si tamen de veritate eius quæratur, dicendum secundò videtur, quòd est falsa eadem ratione:quia scilicet ex hypothesi antecedentis habetur quòd in mobili posset recipi adæquatus effectus illi virtuti. Vt enim iam infinities tactum est,motus in non tempore est quoddam impossibile ex terminis, & non sequitur nisi ex aliqua hypothesi impossibili : quam requirere illa tria monstratum est. Et quum contra arguebatur,ergo moueret in aliquo certo tempore,signetur illud,&c.respondetur,quòd quia ex parte motoris nulla posset certitudo velocitatis determinari,quia nec ex libertate,nec ex finitate potentiæ, & in non tempore mouere nõ sequitur ex hypothesi:oportet dicere quòd si moueret, moueret ea velocitate,cuius mobile esset capax.puta si esset mobile non violentabile & capax motus.24.horarũ, tanto tempore moueret illud & non minore.Et si contra hoc dicatur:signetur tempus illud:intrepidè assignetur, puta vna hora vel decem:hoc enim non refert.Et si procedatur deinde ad hoc quòd eodem tempore mouebit idẽ mobile virtus finita & infinita,dicetur hoc non esse inconueniens, quando aliunde prouenit, quàm ex virtute motiua.Inconueniens siquidem est, quòd virtus finita & infinita ex proprijs meritis consideratæ moueantur æqualiter : sed quando aliunde hoc prouenit, puta ex libertate agentis(vt secunda opinio dicit)vel ex parte mobilis : vt modo dicitur,vel ex mediatione alterius motoris,vt vltima opinio Auer.dicet,nullum inconueniens est.

¶ Sed sunt in hac responsione adhuc duo dubia. Primũ est:quia ex eo quod in antecedente ponitur,virtus infinita motiua, ponitur * consequenter mobile adæquatum. Motiuũ enim ad mobile refertur:vt dicitur 5.Meta.cap. de ad aliquid:& sic tertia conditionalis est vera,Secundum est,quia licet tale vel tale mobile certam velocitatẽ sibi determinet:non tamen mobile in communi : & ideo comparando illam virtutem infinitam separatam necessariò agentem ad mobile in communi,restat dubium, an moueret in non tempore,an certo tempore.

* Aliàs consequẽtis.

¶ Ad primum horum dicitur:quòd ratio illa tenet,quando vis motiua est eiusdem ordinis cum mobili:tũc enim ex suppositione tãti actiui,necessario supponitur adæquatum proportionaliter passiuum.Quando autem supponitur tantùm actiuum altioris ordinis, non oportet tantum passiuum supponere:quia quum passiuũ non respiciat nisi mediante actione transeunte(quam facit vel facere potest in eo) & virtus altioris ordinis,scilicet vniuersalis immaterialis,non oportet quòd habeat, aut habere possit aliquam actionem in passo corporeo sibi adæquatam:consequens est,quòd non necessariò supposita tanta virtute motiua immaterialis supponatur mobile adæquatum proportionaliter.Vnde licet motiuũ dicatur ad mobile vniuersaliter , tñ tñ non dr̃ ad tm̃ mobile vniuersaliter : sed qñ motiuum est eiusdem ordinis cum mobili.

¶ Ad secundum dicitur, quòd quamuis docuerit Aristo. in Physicis motorem in communi mobili in communi comparare,& quicquid contradicit talibus in proportionibus esse impossibile : non tamen didicimus comparare mobili in communi motorem contractum:qualis est iste, de quo loquimur,motor enim est separatus à materia. Vnde tali motori attribuendum est tale mobile : puta cælũ, & non mobile in communi. Constat autem quòd tale mobile aliquam sibi certam velocitatem determinat : vt dicitur secundo cæli.textu 39. Et si curiose quæratur quid dicendum sit ad illud quæsitum. Dicendum est, quòd si ille motor applicaretur corpori mobili absolutè, quòd moueret nulla certa velocitate.Et si dicatur, hoc est impossibile,concedatur,quia enim antecedens est impossibile:nec est à nobis vnquam concessum.

¶ Ad alteram obiectionem,quæ dicebatur hanc tertiam opinionem esse contra Auer.dicitur dupliciter. Primò, quòd non est verũ nisi per accidens.Auerrois enim ideo dixit,quòd si anima cæli esset infinitæ virtutis, moueret in non tempore: quia supponebat ipsam necessariò mouere:vnde ex modo agendi supposito tenet apud ipsum consequentia. Sanctus Thomas autem loquitur de virtute infinita incorporea,abstrahẽdo à modo operandi:ideo in hac opinione non sunt contrarij per se. Et si dicatur, saltem habetur,quòd secundum Auerroym illa tertia cõditionalis est vera. Dicitur secũdò quòd hoc est verũ:non tamen propterea est relinquenda:quoniam maior est autoritas rationis, quam sit Auerrois & omnium philosophorum simul . Et puerorum non philosophorum est sequi dicta alicuius , credendo quòd non dixit hoc absque magna & sufficienti ratione : & relinquere argumenta ad oppositum necessaria aut propè.

¶ Quarta opinio ab Auerroe duodecimo Metaphisicorum,conclusione quadragesimaprima explanata : duabus distinctionibus censet egere positionem, dicentem virtutem motiuam infinitam absque motu in non tempore. Prima est modi essendi : vt scilicet ponatur immaterialis,& non in magnitudine. Secunda est modi operandi:vt scilicet moueat mediatè,& non immediatè.Supponit enim omnia immaterialia agere naturali necessitate: & sic dicit,quòd ideo non sequitur motus in non tempore,si ponatur primus motor virtutis infinitæ:quia ille mouet mediante anima cæli,modificante in effectu velocitatem:scilicet motus,infinitatem primi.

¶ Sed hæc opinio a Sancto Thoma & Aegidio, octauo Physico,arguitur insufficientiæ: à Scoto autem in primo sententiæ,distinctione octaua , quæstione vlti. ratione vlti. arguitur falsitatis. Insufficiens quidem dicitur à Sancto Thoma : quia quum Aristot.sexto Physicor. duos effectus attribuerit infinitati virtutis:scilicet mouere tempore infinito,in textu 78.& mouere in non tempore, in textu septuagesimonono.& Auer.ponendo infinitã virtutem,ex mediatione motoris finiti dicat impediri motũ in non tempore,& non impediri motum in infinito tempore:imò dicit, quòd quia ille primus motor est infinitæ motionis,ideo mouet tpe infinito:& quia ibi est alius motor finitus,ideo mouet in certa velocitate.Restat assignanda ratio quare mediatè mouere non impedit infinitatẽ tpis: sicut impedit infinitatem velocitatis:quod Auer.non fecit,Ab Aegidio verò:qa si Deus moueret immediatè, nõ propterea moueret in non tempore: quia motus in non tempore est de genere impossibilium. Falsa autẽ dicitur, quia virtus infinita habet omnem perfectionem causæ efficientis, quam habet ipsa cum causa secunda proxima: & ideo sequitur quòd immediatè potest causare omnem illũ effectum in cælo per se,quem potest cum anima,ergo & causat,si necessariò agit quicquid potest:vt supponitur:et vltra,si causat illud immediatè:ergo in nõ tempore:quia virtus infinita agens secundum vltimum virtutis suæ & immediatæ,non potest agere in tempore.

¶ Ad horum autem primũ dici potest, quòd quamuis difficilè sit reddere illius quæsiti rationẽ: nõ tñ est impossibile.Difficilè quidem:quia ratio eius nõ potest sumi ex eo, quòd infinitas temporis sit effectus possibilis , infinitas verò velocitatis impossibilis. Ex hoc enim non habetur quare mediatio impediat sequelam huius,& non illius licet habeatur quare illud possit fieri,& non hoc. Nec potest sumi ex eo quòd aliter attribuitur infinitæ potentiæ infinitas temporis,& aliter infinitas velocitatis: scilicet quòd illa attribuitur infinitæ potentiæ siue in magnitudine, siue extra : hæc autem in magnitudine tantùm,quoniam dato quòd hoc sit verũ, apud Auerroym reputatur falsum, vt patet ex dictis:& ideo solicitus fuit de virtute immateriali infinita,quare non mouet in nõ tempore,& posuit mediationem motoris.Nec potest sumi ex eo quòd virtus velocitatiua,in infinitum non est cõmunicabilis,virtus autẽ continuatiua in infinitũ est cõmunicabilis:quoniam hoc est falsum loquendo de virtute per se continuatiua in infinitum:qualis est virtus primi motoris.

¶ Impossibile autem non est : quia potest sumi ratio ex eo,quòd ad hoc vt infinitas temporis proueniat ab infinita virtute,sufficit per se primò respici ab illa, quòd mediatio motoris non aufert:mediatio enim causarum non aufert perseitatem causalitatum.

¶ Non enim ex hoc,quòd sol & homo generant hominẽ, tollitur perseitas causalitatis solis respectu proprij effectus, quẽ habet in homine,ad hoc autẽ quòd infinitas velocitatis proueniat à virtute infinita,exigitur quòd virtus illa absque vlla modificatione attingat motũ. Hoc autẽ motoris mediatio tollit:quia virtus primi motoris modificata in secũdo,& nõ in sua illuminatione attingit motũ. Et sic ex vi mediationis satisfieri videtur quæsito,& sufficiens reddi respõsio data. Ad Aegidiũ verò dicitur, quòd illa ratio nõ excludit,quin illa cõditionalis sit vera,Si Deus virtutis infinitæ moueret immediatè, moueret in nõ tempore, supposito eo quod supponit Auerrois scilicet quòd agat secundũ totũ suum posse:vnde impossibilitas cõsequentis nihil aliud cõcludit,nisi quòd antecedẽs est impossibile : cuius oppositũ probãdũ erat ab Aegidio,si ex impossibilitate cõsequẽtis reprehensione dignus censebatur Auerrois.

¶ Ad secundũ autem dicitur,quòd aliud est loqui de perfectione causæ,aliud de modo causandi: nec licet ex perfectione causæ ad modum causandi inferendo digredi, sed cõmittitur sophisma figuræ dictionis.Vnde ex hoc,quòd primus motor est nõ minus perfectæ virtutis quàm ipse cũ anima cæli simul, nõ licet inferre,ergo eodẽ modo põt solus facere,quod facit cũ anima cæli:qa aliud est posse, aliud posse tali modo.Et similiter non licet inferre: ergo potest immediatè facere quicquid potest facere cũ medio : quia immediatè agere ad modum agendi pertinet. Et si quæratur vt arguendo dicebatur, vnde põt reddi ratio,quòd virtus infinita sit alligata tali modo mouẽdi,scilicet mediatè:diceret Auer.quòd hoc,non est ex defectu potentiæ,sed ex essentiali ordine connectioneq; causarum & effectuum vniuersi,vt in eo saluetur vtrũq;,scilicet & perseitas causalitatis primi, dependentiaq; aliorum ab eo , & distinctio causarum effectuũq; cum illarum efficacia. Quæ istorũ dependentia ab illis. Nihil enim horum necessariò saluaretur in vniuerso,ordóq; vniuersi necessitate careret,si primus motor infinitæ virtutis non esset necessaria connexione coniũctus medijs,causis in causando. Et si contra hoc instetur,quia,vt dicitur in prima propositione libri de causis,causa prima plus influit & prius in effectũ quàm secunda , ergo si est infinita & agit naturaliter, in primo signo totum effectum totaliter causat , & sic non remanet ad quid actio causæ secundæ terminetur. Respondere potest, quòd ex hoc quòd causa prima plus & prius natura influit, quàm secunda,non habetur, ergo totaliter causat ipsum,quantumcunq; ponatur infinita & naturaliter agens,accipiendo ly totaliter,ex parte causalitatis. Tum quia non causat ipsum omni modo,quem effectus exigit ad sui factionẽ naturalẽ:nec ex eo quòd totus effectus causatur ab vna causa,habetur,ergo aliæ causæ nihil faciũt:qa faciũt idẽ realiter alio mõ.Nõ enim ideo dãtur plures causæ essentialiter ordinatæ eidẽ, quia aliquid eius fiat ab vna,& aliquid ab alia : sed vt totus effectus secundũ quamlibet sui rationem habeat propriã : & per se primò causam,quãuis totus a qualibet fiat secundũ rẽ: vt superius dictũ est. Tũ quia infinitas causæ primæ nõ largitur necessariò nisi efficaciam causalitatis eius in suo ordine,verbi gratia, Quantũcunq; ponatur solis virtus infinita,ex hoc non habetur, quòd ipse absq; homine posset producere hominẽ:sed quòd effectũ proprium in homine efficacissimè sortiretur:ita quantũcunq; ponatur diuina virtus infinita & necessariò agens,ex hoc non subtrahuntur actiones secundorũ agentiũ,sed ponitur,ipsam omnibus coagere,ad omnia,quæ illa agunt alio modo,& saluatur aliquem effectum (puta sempiternitatem) habere per se causam,quòd proprium effectum primi esse intimũ & primum in quolibet effectu.Illud autem quod ibi dicitur,quòd in primo signo effectus totaliter est à prima causa, &c. imaginariũ magis,quàm philosophicum quid sonat:non enim alia ratione philosophi(secundũ quorũ intentionẽ loquimur)dicunt primam causam plus & prius influere in effectũ causæ secundæ,quàm secunda:nisi quia per se primò effectus primæ causæ,cõmunioris & intimioris ac prioris rationẽ habet in effectu, vt patet in propositione adducta, & eius commento.sicut verbi gratia, causans per se vitã in homine, magis & prius dicitur influere in hominẽ, quàm causans per se animalitatẽ in eodẽ : qa illud est intimius, prius & cõmunius. Ex hoc autẽ non habetur,quòd in illo priori totus effectus secundũ omnem rationem habet sufficientem causam per se,& quòd aliæ superfluant: etiã si dans vitam,esset virtutis infinitæ,dato etiã quòd speciali causalitate attingeret hominem.Quod tñ est erroneũ in philosophia:quia causa prima nõ attingit effectũ causæ secũdæ, nisi media actione causæ secũdæ : quãuis magis & prius propter rationem dictam. Colligendo ergo responsionem ad primum argumentum principale,dicimus tripliciter respondere posse,vel tenendo,primum motorem mouere liberè,vel non considerando,hoc tenendo,ipsum esse immaterialem, vel tenendo ipsum mouere mediatè. Et quòd nulla harum Arist.repugnat,Auer. autẽ sola prima,quamuis tertia ab ipso habeatur.

¶ Ad secundũ argumentũ principale dicitur,quòd tenendo viam Auerrois de necessaria connexione virtutum agentium,&c manifestè patet, quòd nõ ponitur in rerum natura aliquid possibile secundũ potentiã actiuã, quin ponatur secundũ potentiã passiuã,& quòd infinitati potẽtiæ diuinæ respondet potẽtia passiua cæli ad sempiternitatẽ motus: nec est alius effectus in motu possibilis ex illa virtute accepta,secũdũ omnes cõditiones necessariò ipsam comitãtes in rerum natura. Tenendo autẽ alias responsiones,iã patet responsio dupliciter. Primò admittẽdo,quòd omni potentiæ actiuæ respondet passiua:sed nõ quo ad omne,quòd esset absolutè possibile ex illa virtute fieri,& sic potẽtiæ infinitæ motiuæ respõdet potẽtia cæli quo ad sempiternitatẽ motus:non autẽ quo ad omnem gradũ velocitatis, qui posset fieri ex illa virtute absolutè. Et huius ratio ex dictis haberi potest:quia potentiæ actiuæ vniuersali altioris ordinis:non oportet respondere passum corporeum capax totius eius virtutis quo ad omnia: quia nõn per se primò respicit effectum particularem : vt dictum est, & est philosophiæ principijs satis consonum. Secundò potest dici, quòd licet omni potentiæ actiuæ respõdeat possibile, non tamen potentia passiua,vt patet de productione intelligentiarum à Deo : siue ab æterno, siue in tempore. Et hoc propter rationem dictam. Nec tamen oportet respondere aliquod vnum possibile adæquatum : sed,vt ex dictis patet,virtuti infinitæ respondet infinitum possibile, non sic quòd possit produci aliquod infinitum nisi duratio : sed sic quòd nullis finibus possibilium producibile ab ipsa arctatur: sed quocunq; producto potest perfectius producere, quantum est ex ratione virtutis actiuæ. Et hoc modo quantitas virtutis in effectu manifestatur:& non primo modo tantùm. Quod verò in vltima confirmatione dicitur,proportionaliter intellectũ propositum magis confirmat, quam impugnet : quia quemadmodũ mobile infinita velocitate potest dupliciter intelligi (vno modo quòd possit actualiter infinita velocitate

Ad secundũ principale.

Universidad de Deusto Biblioteca

moueri. alio modo ſic ꝙ quacũq; velocitate motuũ põt velocius moueri & prio)mõ impoſsibile eſt ponere mobile, ſecundo verò eſt poſsibile; ita eſt de motiuo: quòd ſcilicet impoſsibile eſt dare motiuum infinita velocitate primo modo, ſed ſecundo tantùm: quòd etiam oportet eſſe infinitæ virtutis. Et aduerte, quòd de facto ſecundum philoſophos huic argumento dicendum eſt, quòd potentiæ infinitæ reſpondet in rerum natura effectus infinitus, ſcilicet tempus infinitum motus cæli per ſe productum, & potentia paſsiua cæli ad hoc. Et quòd hoc eſt ſufficiens manifeſtatiuum infinitatis virtutis: vt patet ex dictis. Cætera autem pro verè philoſophantium quiete dicta ſint.

Ad tertiũ principale.

¶ Ad tertium principale dicitur, quòd licet ſolo tertio modo arguatur ibi ſecundum mentem Auerrois, & nec etiam illo modo habeatur intentum, attamen ſingulis ordinatè reſpondendum eſt, præmiſſa prius intentione illorum verborum ſecundum veritatem. Intendit igitur ibi Auer. loquens de proximis motoribus orbium, non excludere infinitatem vigoris à Deo: qui nullius orbis eſt anima, ſed concludere infinitatem vigoris non ſequi ad motorem tempore infinito: ex hoc quòd motor infiniti vigoris habet neceſſariò infinitam potentiam, & conſequenter infinitam naturam. Ex hoc enim ſequitur, quòd ſi motor tempore infinito neceſſariò eſſet infiniti vigoris, quòd haberet & potentiam & naturam infinitam. Et quum plures ſint motores tempore infinito, ſequeretur vlterius, quòd ex poſitione plurium motorum cæleſtium tempore infinito, non haberentur propria naturis motorum: ſed hoc tantum, quòd ſunt motores infiniti. Et ſic vlterius ſequeretur, quòd non eſſet ibi multitudo motorum, nec diuerſitas proportionum motorum ad mobilia, ſed motus in non tempore &c. Et tenent conſequentiæ vt ibi: quia tunc illi motores conuenirent in natura & potentia infinita intenſiuè, quemadmodum modò de facto conueniunt in immobilitate: ex qua habent quòd poſsint continuare motum tempore infinito. Et ſic non eſſet vnde differrent abinuicem. Hæc eſt ſententia Auer. ibidem: vt patere poteſt cuilibet exercitato, ex qua non habetur primum motorem eſſe vigoris infiniti. Ad primum ergo modum arguendi ibi tactum, dicitur quòd non ſunt in eo tot verba quot errores. Conſequentia primò nihil valet. Propoſitio deinde dicens, quod quælibet pars infiniti eſt infinita, licet ſit vera de parte aliquota, non tamen iuuat cum alia coaſſumpta, ſcilicet infinitum non eſt maius alio infinito. Patet enim in quantitate permanente, quòd ſi ponatur linea infinita vtrinque verſus oriens & occidens, & ſecetur in directo puncti meridiei, quòd vtraque pars eſt infinita, & tota eſt maior vtraque parte. Et ſimiliter in quantitate ſucceſsiua, ſi ſecetur in termino decimæ horæ huius diei totum tempus æternum: vtraque pars eſt infinita: & tamen totum tempus eſt maius qualibet earum. Falſum eſt ergo cõparando infinitum ſimpliciter infinito ſecundum quid, quale eſt pars aliquota infiniti, quòd vnum non ſit maius alio: & quia talis eſt cõparatio in propoſito noſtro, patet nihil concludi. Et vt oſtẽdatur quantus error in hoc ſophiſmate lateat, adhuc declaratur, quòd etiam comparando infinitum ſimpliciter infinito ſimpliciter, ſtat vnum eſſe maius alio. Numerus enim reuolutionum Lunæ eſt maior numero reuolutionum Saturni (& loquimur de motu proprio) & tamen vterque eſt infinitus ſecundum ponentes motum æternũ. Antecedens patet, quia ſingulis reuolutionibus Saturni reſpondent amplius trecenta ſexaginta reuolutiones lunares: quoniam illæ ſingulis triginta annis vnam complet: illa verò vigeſimooctauo quoque die vel circa ſuam peragit. Vnde diuus Tho. præclarè docet in tertia parte, quæſtione decima articulo tertio, ad tertium, quòd non eſt proprietas infiniti non excedi ſimpliciter, ſed non excedi in illo ordine, in quo ponitur. Et fundat hoc ſuper tex. 37. & 38. tertij Phy. vbi dicit, quòd infinitum non eſt vt ſubſtantia, ſed vt accidens quærendum: accidentis aũt proprium eſt qualificare id, cuius eſt accidens. Et propterea quẽadmodum infinitas adueniens alicui, puta diebus, nõ infinitat niſi numerũ dierum: ita impoſsibilitas infinitatẽ cõſequẽs non ponitur niſi in ordine dierũ. Et propterea infinitis diebus ſimpliciter, nõ poſſunt dari plures dies: ſunt tamen multò plures horæ illorum dierum quàm ipſi dies. Et ſimiliter infinitis horis non dantur plures horæ: ſunt tamen multò plura minuta illarum horarum quàm horæ ipſæ. Nefas quoque eſſe videtur, cõditiones totius & partis in impartibili & ſummè perfecto, ac per hoc vocato quanto virtualiter, requirere: quũ non maius quid ſit totum hoc: Deus bonus, ſapiens, viuus, quàm hoc ſolum, ſcilicet Deus: aut econuerſo: ſiue ponatur finitæ virtutis ſiue infinitæ: quia non eſt æqualis: ſed eadem eſt perfectio rei illius, & omnium quæ eius ſunt. Ad ſecundum verò modum arguendi dicitur, ꝙ ſicut tactus quantitatiuus, quia ſecundum extrema eſt, expellit id, in quod fertur, tactus autem virtualis, quia interiora penetrat, magis conſeruat & firmat ſi contrarius non eſt tacto: ita infiniti corporei propriũ eſt, ſic oĩa occupare, vt omnia excludat, nihil ſecũ compatiens: infiniti verò virtualiter, & proprium eſt ſic omnia implere, vt ea faciat virtuoſa & cooperantia, & modificata illimitationem ſuam in effectibus. Vnde ex infinitate virtutis non excluduntur alia actiua, ſed magis ponuntur: vt ſuperius quoq; dictum fuit. Ad vltimum autem dicitur, quòd dupliciter poteſt poni diſtinctio formalis. Vno modo ſicut aliqua participantia aliquid, proprijs conſtitutiuis diuerſificantur: ſicut homo differt ab equo, & albedo à nigredine. Alio modo ſicut aliquid per eſſentiam diſtinguitur ab alijs, quæ ſunt talia per participationem: ſicut homo ſeparatus diſtingueretur à ſingulis hominibus. Diſtinctio primo modo eſt cauſa finitatis vtriuſq; extremi: & de hac eſt ſermo Auerrois ibidem. Secundo modo nõ infert finitatem niſi vnius extremi, ſcilicet participantis tantùm. Illud autem quod eſt per eſſentiam, ex hoc ipſo quod pura eſt, ab alijs diſtinguitur abſque aliquo finitante & contrahente. Et licet ab infinito nullum poſitiuum excludatur virtualiter, multa tamen excluduntur formaliter. quibus participãtia ipſum ab ipſo diſtinguuntur, excellentiori modo omnia præhabente.

Ad quartũ principale.

¶ Ad quartum principale dicitur, quòd conſequentia nihil valet. Et ad probationem, conceſſa ſuppoſitione, negatur minor: ſcilicet quòd diſtantium ab aliquo in infinitum, alterum non ſit altero propinquius illi: vt patet manifeſtè & in quantitate permanente & ſucceſsiua. In permanente quidem, ſi ponatur linea infinita ex parte Septentrionis, conſtat quòd tam pars intercepta ſub Tropico Cancri, & circulo Aequinoctiali, quàm pars intercepta inter circulum Aequinoctialem & Tropicum Capricorni, in infinitum diſtãt à quantitate lineæ infinitæ verſus Septentrionem: & tamen dubium non eſt quin pars ſub Tropico Cancri eſſet propinquior: quia minorem viã actura eſſet, ſi ad infinitam attingẽdam mouerentur. In ſucceſsiua verò, quum tam dies heſternus quàm hodiernus in infinitum diſtet ab æterno tempore præterito, conſtat tamen quòd propinquior heſternus fuit quàm hodiernus, & hodiernus quàm craſtinus. Alioquin mundus quotidie non eſſet maioris durationis, nec aliquid antiquius altero ſimpliciter: quæ ſunt contra ſenſum. Eſt autẽ ratio quare ſtat inter aliqua eſſe diſtãtiam infinitã: & tamen vnum altero magis diſtare, quia diſtantia illa non eſt infinita vtrinque, ſed ex vna parte tantùm ſicut contingit in propoſito, & in inſtantijs adductis. Tunc enim & ex parte infiniti habetur ratio infinitæ diſtantiæ cæterorum ab illo, & ex parte finitorum habetur ratio maioris appropinquationis ad primum, vt patet in exemplis adductis: quia enim tempus præteritum eſt infinitum, ideo infinita diſtantia eſt a parte antè inter ſingulos dies & ipſum: quia verò hodiernus dies finit hinc tempus elapſum, ideo eſt finita diſtantia a parte pòſt. Et conſequenter ex iſta parte poteſt accipi ratio, quare eſt propinquior æterno elapſo, quàm dies craſtinus. Et ſimiliter eſt de diſtantia inter Deum & creaturas. Ex parte ſiquidem Dei infinitæ diſtantiæ ratio habetur: ex parte verò creaturæ diſtantia finitur. Et ideo hinc ſumitur, quòd vna eſt propinquior altera primo enti infinito. Vnde poſſet cum diſtinctione dici ad minorem, quòd diſtantia infinita eſt duplex: ſcilicet infinita vtrinque ſeu ſimpliciter, & infinita ſecundum quid, ſeu ex altera parte tantùm: & quòd quamuis primo modo ſit vera, ſecundo tamen eſt falſa: & ſicut eſt ad propoſitum.

Ad quintum principale.

¶ Ad quintum principale dicitur breuiter, quòd omnes autoritates Auer. in hac re, excepta illa octaui Phy. qua dicitur non eſſe virtutis finitæ nec infinitæ: loquuntur de motoribus proximis, id eſt animabus cælorũ: vt ipſemet Auer. in commen. 41. duodecimi dicit: quum poſt diſtinctionẽ infiniti a finito ſubdit, quòd proportio inter motorem & mobilem in cæleſtibus, eſt propter mo-

tor

torem finitum: & quod propter ipſum dixit Ariſto. in 2. cæli, quòd primus orbis eſſet in labore, &c. Vel & clarius (licet in idem redeat) dicendum, quòd ideo ſepè Auer. negat dari motorem infiniti vigoris, ſic ꝙ poſsit ſemper velocius mouere: non ex defectu potentiæ primi motoris, ſed ex ordine eſſentiali cauſarum & effectuum, & finitate motorum proximorum. Ex his enim fit, vt quemadmodum negatur 9. Metaph. commen. 7. Deum poſſe producere muſcam, non ex defectu potentiæ, ſed ex ordine eſſentiali cauſarum & effectuum exigente talem effectum fieri mediante corpore cæleſti mobili: ita nihil minus negari ſimpliciter ab ipſo poteſt, quòd motor aliquis poſsit ſemper velocius mouere. Non ex defectu potentiæ primi motoris, ſed quia non poteſt mouere niſi mediante anima cæli, in qua modificatur virtus eius. Et ſic nullus motor reſtat potens maiorem velocitatem facere: quamuis primus ſit vigoris infiniti. Illud verò quod in commen. 69. octaui Phyſicorum dicitur; ſcilicet quòd motor immaterialis, nec finitus, nec infinitus dici poteſt: quamuis ſonet quaſi falſum & ridiculoſum, & propterea reprehenſum ſit à multis. Quidam extorquentes intelligunt ea ratione dictum de ſolo Deo, quia non eſt virtutis actiuæ, ſed tantùm mouet vt finis. Quidam verò, quia non eſt virtutis actiuæ reſpectu velocitatis motus, de qua ibi eſt quæſtio: ſed tãtùm ſempiternitatis motus.

¶ Ego autem nolens Auerroim Thomiſtam facere, neq; me Auerroiſtam, ſed veritatem ſolam ſequi (quantum cognoſcere potero Deo concedente) puto id tunc voluiſſe Auerroim, quod ſepè mentem meam pulſauit: tanquã de Ariſto. officina veniens: ſcilicet quòd virtutes immateriales non ſunt quantæ virtualiter, & conſequenter nec finitæ nec infinitæ. Non ſimpliciter, ſed eo modo, quo ſunt quantæ virtutes corporales: ſcilicet quòd non ſunt proportionales motibus, vt ſcilicet quantò maior motus, tantò virtus immaterialis maior: quemadmodum eſt in corporalibus, ſed ſunt altioris ordinis virtutes. Et hoc modo ſaluari videtur proceſſus Ariſto. 8. phyſi. quia quũ ſufficienter excludatur ex textu 78. & 79. ꝙ nulla virtus corporea poteſt mouere tempore infinito ex eo ꝙ talem virtutem oportet eſſe infinitam, & ad hoc ſequeretur motus in non tempore, & de facto ſupponatur virtutem motiuam cæli mouere tempore infinito: reſtat quòd virtus illa ſit extra ordinem virtutũ corporearũ, quarum nulla põt hoc facere: quia nec finita, nec infinita. Et cõſequenter habetur ꝙ ſit impartibilis, & nec finita, nec infinita: etiã de virtuali quantitate loquendo, eo modo quo virtutes corporeæ: alioquin eodem modo poſſet argui de virtute corporea, ſicut de incorporea. Et ſecũdũ hoc quũ in textu vltimo octaui Phyſicorũ dicitur motorẽ cæli eſſe potentiæ infinitæ, ly infinitæ, purè negatiuè teneri debet, id eſt non finitè. Hanc credo fuiſſe tunc mẽtẽ Auerrois: quam tamen quia vidit poſtmodum non eſſe veram (vt ex ſupradictis examinãdo rationẽ Ariſtotelis, & commentum. 41. deduci ab exercitatis poteſt ex medio termino Ariſto.) ideo in 12. Metaph. cõmutauit in melius, admittẽdo ibi finitatẽ & infinitatẽ virtutis & proportiõis.

¶ Et ſic ſit finis pſentis quæſtionis, anno Salutis, 1499. die 10. Septembris, Papiæ, in conuentu ſancti Apollinaris: ad Dei glorioſi laudẽ & honorẽ, & eorũ temeritatem retundendam, qui philoſophiam ſuo ingenio metiri præſumentes, non verentur dicere virtutem infinitam non eſſe in rerum natura, quia eſt ens impoſsibile ſecundũ principia philoſophiæ. Iam enim patet, quòd nullo philoſophiæ principio negato, non ſolùm ſuſtentatur, ſed etiam ex ſenſibilibus probatur. Erubeſcant ergo.

TRACTATVS TERTIVS, *de Potentia neutra, & de natura potentiæ receptiuæ in duas quæſtiones diuiſus.*

1 *Vtrum in rebus naturalibus detur potentia neutra.*
2 *Num potentia receptiua actuum ſupernaturalium ſit naturalis.*

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum in rebus naturalibus detur potentia neutra.

IVXTA PRIMVM Articulum primæ quæſtionis remanſit tractãda quæſtio de potentia neutra. Vnde quæritur: Vtrùm in rebus naturalibus detur potẽtia neutra. ¶ Circa quam difficultatẽ quatuor agẽda ſunt. Primò declarabitur titulus quæſtionis. Secundò ponẽ opinio Scoti, Tertiò probabitur oppoſita opinio, Quartò reſpondebitur obiectis.

CONCLVSIO.

Quælibet potentia receptiua comparata ad actum in ea receptibilem, aut eſt naturalis, aut violenta, nec aliqua eſt in natura potentia neutra.

QVO AD PRIMVM. Res naturalis ſumitur, hic vt diſtinguitur contra artificiales. Inueniri verò in rebus naturalibus, ſumitur pro inuentione reali in ſigularibus naturalibus ſimpliciter. Et hoc ad differentiam eorum quæ dicuntur in abſtractione: ſicut contingit de proprietatibus quantitatis vt ſic & alijs ſimilibus: quæ tamen in rerum natura actualiter non inueniuntur. Potentia in propoſito ſumitur pro potentia receptiua. Neutralitas inclinationem naturalem reſpectu vtriuſq; actus, ſcilicet huius & oppoſiti negat, non ſimpliciter, ſed in potentia receptiua vtriuſque. Dico autem hoc: quoniam dupliciter contingit imaginari potentiam aliquam neutram. Primò per negationem potentialitatis ad vtrumque: queadmodum colorabile, nec ad grauem, nec ad acutum ſonum eſt in potentia. Et ſic non vocatur potentia neutra, ſed potentia nulla: colorabile enim non eſt receptiuũ ſonorum. Alio modo per negationem inclinationis in potentia receptiua vtriuſque: ſicut ſi poneremus aliquam ſuperficiem receptiuã albi & nigri, & tamen ad neutrum inclinatam: & hæc propriè vocatur potentia neutra. eſt ergo ſenſus queſtionis, an inueniatur aliqua ſingularis potentia in rebus naturalibus, receptiua alicuius actus, & tamen nec ad illum nec ad oppoſitum inclinetur. Hæc de primo.

QVO AD SECVNDVM. Scotus in prologo primi ſent. quæſt. 1. & in 2. di. 2. quæſtio. 6. tenet dari potentiam neutram ponens quòd potentia receptiua relata ad actum, aut eſt naturalis, aut violẽta, aut neutra. Naturalis quidem ſi naturaliter inclinetur in illum: violenta verò, ille ſit contra eius inclinationem naturalem: neutra verò, ſi neque inclinetur ad iſtam formam, quam recipit, neque ad oppoſitam. Exemplum primi: vt motus deorſum lapidis. Exemplum ſecundi, motus ſurſum eiuſdem. Exemplum tertij: ſuperficies reſpectu albedinis & nigredinis. Etenim manifeſtè patet inueniri in angelis talem potentiam eo quòd potentia paſsiua quæ eſt in angelo ad eſſendum in loco neutra eſt. Quod probat dupliciter: tum quia tale paſſum non inclinatur naturaliter ad iſtam formam vel oppoſitam: tum quia ſi eſſet in aliquo loco naturaliter, eſſet in alio loco violenter. Et probatur ſequela per Auicennam. 9. Meta. volentem ꝙ ſi motus cæli eſſet naturalis, terminaretur ad quietẽ naturalem, & motus ab illa eſſet violentus. Poſſet quoque multipliciter argui pro hac opinione: ſed quoniam ſtabiliendo oppoſitam, habetur ſolutio omnium, ideo hæc ſufficiant de ſecundo.

QVO AD Tertium propono vnam propoſitionem, & vnam diſtinctionem: ex quibus probabitur intentum. Propoſitio igitur eſt hæc: Omnis potentia rei naturalis reſpicit per ſe primò & naturaliter aliquẽ actum. Probatur quo ad primam partẽ: quia, vt dicitur. 9. Metaph. text. 13. potentia diffinitur per actum. Actus nanq; diffiniens potentiam, proculdubio eſt per ſe primò reſpectus ab illa: quoniam neq; actus per accidens, neq; actus per ſe ſecundò, illi æquiualet. Quo ad ſecundam verò partem, ſcilicet naturaliter, probatur: quia ex ſecundo Phyſi. text. 76. vnumquodq; ſicut agitur, ita aptũ & natum eſt agi, & econtra: ſed potentia fit à natura, & eſt propter actum: vt patet 9. Metaphy. text. 15. & 16. ergo potentia naturaliter fit, & eſt propter actum, ergo propter actum, quem per ſe primò reſpicit: & ſic omnis potentia naturaliter reſpicit ſuum per ſe primò actum. Totus proceſſus clarus eſt ex allegatis & traditis in 2. Phyſic. quomodo natura agit propter finem: & quo pacto ea quæ à natura aguntur propter finem naturaliter inclinantur in finem, &c. Diſtinctio verò eſt, ꝙ potentia receptiua poteſt comparari quatuor modis ad actus. Poteſt enim colorabile, verbi gratia, cõparari ad colorem, ad ſpecies coloris, ad cõtrarium coloris, & ad diſparata, ſcilicet ſonos. Si cõparetur ad colorem, ſic cõparatur naturaliter & per ſe primò: ſi ad ſpeciem eius, naturaliter quidem, ſed non per ſe primò: ſi ad contrarium violenter: ſi ad diſparata, nulliter, niſi fortè per accidẽs. Nec hæc egent probatione: qm̃ per ſe ſunt nota ex terminis, niſi quis obijciat act⁹, ad quos potẽtia ſe habet obediẽtialiter. Sed quoniam de hoc

Universidad de Deusto Biblioteca

erit sequens quæstio, nec hi locantur à Scoto sub potentia neutra, ideo nihil proposito obstant. Ex his autem deducitur opposita opinio: scilicet quòd omnis potentia in rerum natura relata ad actum receptibilem in ea, aut est naturalis, aut violenta: quòd nulla est neutra. Omissa pro nunc potentia obedientiali: vtpotè non spectante ad præsens propositum. Probatur autem hæc conclusio sic: Omnis potentia receptiua alicuius actus, aut respicit illũ per se primò, aut per se secundò, aut contrarium his: sed tam actũ per se primò respectum, quam per se secundò, respicit naturaliter, & contrarium eis respicit violenter: ergo omnis potentia receptiua alicuius actus aut est naturalis, aut violenta. Minor est per se nota. Et maior probatur sic: Si daretur quartum genus actuum receptibiliũ in aliqua potentia, illud esset actus disparatus ab eo, quẽ per se primò respicit illa potẽtia: sed hoc esse nõ põt: ergo potentia nõ potest recipere nisi illa tria numerata. Quòd aũt hoc sit impossibile patet inductiuè. Colorabile enim nullam habet potentiam ad sonos, neq; calefactibile ad colores: & sic de aliis. Et probatur ratione: quia potentia vnius generis non est ad actus alterius: vt patet 12. Metaphy. in tractatu de principiis prædicamentorum. Et quoniam rationi hæc consonant, ideo hanc sequamur viam. Et hæc de tertio.

QVO AD Quartũ respondetur, q; distinctio illa trimẽbris est volũtaria quo ad tertiũ ẽmbrũ. Nec id qđ adducitur de superficie, iuuat: qm̃ aliud est loqui de superficie absolutè, & aliud de superficie physica tali in rerũ natura inuenta. Superficies enim absoluta non solùm abstrahit ab albo & nigro, sed etiam ab omni sensibili: & rursus aliqua superficies est quæ repugnat colori omni: vt patet de superficie cæli. Itaq; loquendo de superficie tali, id est colorabili, dicitur quòd vt sic non est indifferens ad album & nigrum per exclusionem inclinationis naturalis, sed per exclusionẽ maioris ad vnum quàm ad aliũ: quoniam huiusmodi superficies respicit naturaliter colorem, & omnes species eius, sed colorem per se primò, speciem verò per se secundò. Et simile est de materia prima respectu diuersarum formarum substantialium: ipsa quidem per se primò respicit formam per motum, aut mutationem acquisibilem quouismodo: per se autem secundò respicit hanc & illam formam. Et sic naturaliter inclinatur in omnes: & indifferens est ad omnes aut multas, non per exclusionem inclinationis naturalis ad eas, sed per exclusionem maioris inclinationis ad vnam, quàm ad aliã.

Ad id verò quod adducitur de potentia locabili in angelo, dicitur, quòd falsum supponit: scilicet in angelo esse potentiam passiuam, respectu ipsius Vbi. Vt enim in tractatu de angelis dictum est, angelum esse in loco, non est ipsum recipere aut pati, sed virtualiter tãgere locum. Vnde nõ oportet solicitari nisi de actiua potentia angeli: quã constat esse naturalem, liberè tamen exercitam. Quãuis ea quæ adducuntur à Scoto ad probandum suum intentum de angelo, non cogant: quoniam hæc consequentia formaliter non valet, A est naturaliter in vno loco, ergo est violenter in aliquo alio: vt patet de singulis partibus orbis lunæ. Quælibet em̃ est naturaliter in occidẽte, & similiter in Oriente, & tamen nullibi violenter: & mutat locum subiecto & ratione. Nec confirmatio ex Auicen. conuincit: quoniam non nisi de motu merè naturali verificatur dictum eius. Motus enim cæli naturalissimus est ex parte principii passiui: ita quòd ex hac naturalitate reducitur ratio, quare in eo nullus est labor mouẽti: vt patet secundo cæli, textu 3. quamuis ex parte principii actiui sit animalis. Vnde hoc magis ad oppositum intenti Scoti videtur: quoniam sic motus angeli esset naturalis ex parte principii passiui absq; sequela inconuenientium, sicut de motu cæli dicimus. Hæc de quarto, & de tota quæstione.

QVAESTIO II.

Vtrùm potentia receptiua actuum supernaturalium sit potentia naturalis.

IVXTA EVNDEM Articulum quærendum erat, vtrum potentia receptiua actuum supernaturalium, sit potentia naturalis.

¶ In qua quæstione quatuor agenda sunt. Primò declarabitur titulus. Secundò recitabitur opinio Scoti. Tertiò examinabitur. Quartò respõdebitur quæsito.

CONCLVSIO.

Omnes potentiæ in naturalibus actuum supernaturalium receptiuæ obedientiales sunt, non autem naturales.

QVO AD Primum potentia receptiua hic sumitur formaliter, vt receptiua est, quicquid sit de ipsa, vt elicitiua actus. Actus supernaturalis dicitur, quem nõ potest secũdum naturæ cursum adipisci: vt gratia, charitas, visio Dei, & reliqua huiusmodi. Potentia naturalis vocatur non subiectiuè, id est, potentia naturæ: sed formaliter, id est, potentia naturaliter inclinata. Ita quòd sensus quęstionis est, Vtrùm potentiæ in rebus naturalibus inuentę, in quibus recipiuntur actus supernaturales, naturaliter inclinentur ad illos. Hæc de primo.

QVO AD Secundum Scotus in primo, quęst. 1. prologi: & in q. 4. distinct. 49. in pluribus locis tenet affirmatiuam partem quæstionis. Putat nanq; q; potentia comparari potest ad actum recipiendum, & agens impressiuum actus, & quòd in prima comparatione nulla est supernaturalitas, sed potentia est vel naturalis, vel violenta, vel neutra. In secunda autem comparatione est differentia naturalitatis à supernaturalitate: quoniam si cõparatur ad agens naturaliter impressiuum, est naturalitas: si non naturaliter impressiuum, est supernaturalitas. Confirmatq; positionem suam ex hoc, quòd potentia receptiua actus supernaturalis, seipsa est receptiuè capax illius: & naturaliter perficitur per illum, cùm habet, & naturaliter appetit illum. Ex his manifestè sequitur, ergo naturaliter inclinatur in illum: &, ergo est potẽtia naturalis respectu illius. Singula autem assumpta probantur. Primum quidem: quia nullo eget potẽtia animæ medio ad recipiendum charitatem: & similiter intellectus respectu luminis gloriæ, &c. Secundum verò, quia potentia naturaliter perficitur per actum, qui est eius perfectio. Tertium autem: quia vnumquodq; appetit naturaliter suam perfectionem, sed maximè naturaliter appetit maximam perfectionem, ex principiis Metaphysicæ. sed actus supernaturalis, vt visio Dei, &c. maxima est perfectio. ergo, &c. Sumus igitur secundũ hęc in naturali potẽtia ad supernaturales perfectiones: nõ possumus tamẽ acquirere eas nisi supernaturaliter: quia oportet acquisitionem hanc ab agente supernaturali, scilicet Deo gratioso causari. Hæc de secundo.

QVO AD Tertium tria minus bene dicta in præfata opinione videntur: scilicet principalis conclusio, & eius probatio, & vsus vocabulorum. Malè in primis vtitur ly supernaturale, dum omnem actionem Dei ad extra supernaturalem vocat: quia Deus est agens non naturale, sed liberum. Constat nanq;, quòd alia est distinctio naturalis contra supernaturale, & alia naturalis contra liberum. Primo nanque modo anima Sortis producitur naturaliter: secũdo autẽ, non. Vnde nisi vocabulis abuti velimus ad placitum cuiusq;, supernaturale est, quod supra facultatem ordinis creaturis debiti in eis est. Omnes enim naturalia à supernaturalibus distinguimus frequenti vsu per hoc quod aliquid fit secundum debitum naturæ ordinem, & aliquid fit supra illum. Ratio deinde assumpta manifestè aut falsa est, aut petit principiũ. Quũ enim dicit, quòd potẽtia naturaliter perficitur per suum actum, & similiter appetit suam perfectionem: aut ly suũ significat suum per informationem actu vel potẽtia, aut suum per naturalem proportionem seu inclinationem. Si primo modo, falsa est maior: graue enim existẽs sursum, non naturaliter, sed violenter perficitur per esse sursum, & tamen esse sursum est actus & perfectio eius per informationem. Si verò secundo modo, petitio est principii in minore. hoc enim est probandum, scilicet quòd potentia naturalis habeat actum supernaturalem, vt suũ hoc modo. Quod quoq; dicitur de immediata receptione, ad propositum nihil infert: æs enim immediatè est receptiuũ figuræ Mercurii, & tamen non naturaliter. Conclusio demum principalis voluntaria relinquitur: & irrationabilis ostendetur probando oppositam. Hæc de tertio.

QVO AD Quartum conclusio responsiua quæsito est, quòd potentia ad actus supernaturales, non est naturalis, sed obedientialis. Et probatur tripliciter. Primò ex parte actus, sic: Actus supernaturalis dupliciter inuenitur, scilicet secundum se, vt gratia: & secundum talem modum fiendi, vt visus cæco datus. Visus enim secundũ se est naturalis actus hominis: sed quòd cæco in instanti detur, supernaturale est. Charitas verò & talia, sunt secũdum

dum se actus supernaturales: adeò vt implicet contradictionem, connaturales esse, aut fieri alicui creaturæ factæ vel factioni, vt etiam ipse Scotus in secundo, distinctio. 23. fatetur. Si ergo in natura nulla est naturalis potentia ad actum supernaturalem ratione modi vt sic, à fortiori nulla est naturalis potentia ad actus supernaturales simpliciter. Sed in natura nullam esse naturalem potentiam ad illos actus, patet ex frequenti vsu quo naturalem potentiam ad miracula negamus. Et ex hoc sequitur, quòd supernaturalitas inuenitur non solùm comparando potentiam ad agens, propter supernaturalem acquisitionem actus, sed etiam comparando potentiam ad actum, propter supernaturalitatem actus in se.

¶ Secundò, ex parte potentiæ sic: Omni potentiæ passiuæ naturali, respondet aliqua potentia actiua proxima: ergo respondet potentia actiua naturalis. Antecedens est maxima assumpta ab Arist. 3. de anima text. 17. ad probandum dari intellectum agentem. Fundatur enim super hoc, quòd in omni natura, vbi est patiens, oportet ponere agens. Et certum est quòd de proximo, non de primo agente loquitur: alioquin distributiuam non fecisset, dicens, in omni natura, &c. Et per hoc excluditur responsio Scoti, dicentis, quòd sufficit quòd detur primum agens. Consequentia autem probatur: quia potentia supernaturalis non est proximum actuum naturalis potentiæ, vt ex terminis patet: naturale enim soli naturali cognatum est.

¶ Tertiò ex parte subiecti. Quum enim quidditatiua cognitio alicuius sit sufficiens ratio omnium proprietatum eius, & ex ea soluantur omnes difficultates contingentes rei, vt in quarto Phy. dicitur, consequens est, quòd cognita quidditatiuè re aliqua, cognosci ex ea possint omnes eius naturales potentiæ: & quum potentiæ cognitio ex actu pendeat, vt dicitur 9. Metaph. consequens est, quòd actus, ad quos sunt naturales potentiæ, cognoscantur, & cũ huiusmodi actus sint supernaturales apud Scotum, sequitur de primo ad vltimum, quòd ex cognitione quidditatiua alicuius naturalis cognoscuntur supernaturalia: quod est manifestè falsum. Et confirmatur: quia certè scimus hanc maiorem, quòd nulla naturalis potentia est frustra. ergo si scimus hãc minorem, quòd in materia vel anima, vel quacunque alia re est naturalis potentia ad actum supernaturalem, oportet concedere quòd scimus supernaturalia illa debere esse: & sic sciemus resurrectionem mortuorum futuram, & gratiam iustificantem impium, &c. quod est ridiculum. Nec euacuat hanc rationem responsio Scotica, dicens, q; anima secundum illam rationem est ignota. Cognitio nanque quidditatiua alicuius, nihil naturale illius incognitum relinquit: quoniam continet formaliter vel virtualiter omnem illius notitiam. Nec euaditur dicendo quòd substantia non põt à nobis pro statu isto quidditatiuè & propriè cognosci: quoniam quicquid sit de hoc, habetur intentum, scilicet quòd ex quidditatiua rerum naturalium cognitione, siue habeatur pro statu isto, siue non, possit scientia haberi de supernaturalibus. & sic reuelatio de gratia, beatitudine pollicita, resurrectione, & aliis huiusmodi, ad quæ naturalis ponitur potentia receptiua non frustrà, erit necessaria secundum quid, scilicet pro statu isto, & non simpliciter: quod est manifestè falsum. Hæc de quarto. Finis.

TRACTATVS QVARTVS

de Subiecto naturalis Philosophiæ, unica quæstione contentus.

QVAESTIO.

An ens mobile sit subiectum in Philosophia naturali.

QVAERITVR An ens mobile sit subiectũ in philosophia naturali.

¶ Et videtur quòd non. Primò. Quia aut ens mobile significat substantiam mobilem, aut accidens mobile, aut tertium commune vtrique. Si primum, cùm substantia mobilis & corpus mobile sint idem conuertibiliter, sequitur quòd poneretur secundum rem corpus mobile subiectum philosophiæ, quod est contra tenentes ens mobile. Si secundum, hoc est manifestè contra omnes, & veritatem. Si tertium tunc sequeretur, quòd ens diceret tertium conceptum abstrahibilem à substantia & accidente, quod est contra Thomistas.

¶ Secundò sic: Subiectum scientiæ debet esse vnius rationis formalis: alioquin non haberet quod quid est, & consequenter nec esset principium scientiæ: quia, vt dicitur in 1. de anima, in text. 11. principium omnis demonstrationis est quod quid est. Nec haberet aliquam per se primò passionem: quia ei, quod non est in se natura vna, quicquid per se vnum conuenit, conuenit ratione partium, & consequenter nulla passio conuenit ei primò. ens autem mobile dicit aggregatum ex duabus rationibus formalibus: ergo non est subiectum. Si dicatur, q; illa duo ponuntur ad circunloquendum vnam rationem formalem, quemadmodum moris est ponere passiones loco differentiarum: contra, Ratio subiecti in scientia debet esse primò & maximè nota in scientia: eo quòd tota scientifica cognitio ex illa dependet: sed si circunlocutione eget, non esset huiusmodi: implicatio siquidem est in adiecto, dicere quòd est ratio formalis in scientia, & quòd circumloquitur illam passionis nomine, vtpotè occultam. ergo, &c.

¶ Tertiò: Si ens mobile esset subiectum philosophiæ naturalis, aut philosophia naturalis esset pars Metaphysicæ, aut esset subalternata illi: vtrunque est falsum: ergo. Tenet consequentia: quia aut ens mobile addit supra ens conditionem per se diuidentem ens, aut accidentalem enti. Si primo modo, sequitur quòd ens mobile à Metaphysico considerandum est: quia in primo Posteriorum ca. 22. dicitur, quòd eiusdem scientiæ est considerare subiectum aliquod & partes subiectiuas per se: & consequenter esset philosophia naturalis: cui ascribitur ens mobile, pars Metaphysicæ. Si secundo modo, sequitur quòd Philosophia naturalis Metaphysicæ subalternaretur: eo quòd dicitur in primo Posteriorum, capitul. 8. descendere de genere in genus secundum quid, id est, secundum conditionem accidentalem (vt communiter exponitur) est solius scientiæ subalternatæ conditio ab Aristotele tradita.

¶ Quartò sic: Subiectum in scientia debet esse illud, ad cuius rationem formalem omnes resoluuntur passiones & conclusiones illius scientiæ, vt de se patet: sed passiones & consequenter conclusiones Physicæ resoluuntur vltimò in Philosophia naturali ad quod quid est substantiæ, seu corporis naturalis: eo quòd omnia accidentia Physica causantur ex substantia naturali: ergo substantia naturalis seu corpus naturale ponendum est subiectum.

CONCLVSIO.

Ens mobile, non autem corpus mobile, aut substantia mobilis, vel naturalis, est subiectum adæquatum Philosophiæ naturalis.

IN HAC Dubitatione primò distinguam opiniones. Secundò declarabitur opinio sanct. Thom. Tertiò simul ipsa confirmabitur & contra alias opponetur. Quartò respondebitur argumentis in oppositum.

QVO AD Primum sciendum est de subiecto adæquato Philosophiæ naturalis (de quo hic est sermo) quosdam loqui in re hac naturaliter, quosdam verò innaturaliter: propter quod, hi à nostra resecandi sunt disputatione, quam inter Philosophos agimus. Supponunt enim intelligentias mobiles esse: & Philosophiam naturalem infra sensibilia non arctantes, commune aliquid sensibilibus & separatis à materia, quatenus mobilia sunt, subiectum Philosophiæ dicunt: operiúntq; errorem suum Theologicæ pietatis nomine.

¶ Contra hos enim non oportet naturalem disputare: apud quem indubitatum principium est, substantias abstractas immobiles esse: & terminum considerationis philosophicæ esse animam humanam, partim abstractam, partim non: vt dicitur secundo Physicorum, textu vigesimosexto. & vltimum, quod potest naturalis de intelligentiis attingere, & declarare quia sunt: vt Auerrois dicit primo Physicorum, commẽtario vltimo.

Quanta tamen sit quorundam horum temeritas, silentio inuoluendũ non est, cũ præsumant propriã opinio

Universidad de Deusto Biblioteca

nem Theologiæ sententiam asserere: sicque theologicæ facultatis expertibus, in philosophia tamen nutritis, deridendi Theologiam occasionem præbent. Non est enim ex sacra Scriptura, nec ex Theologis sanctis ab ecclesia approbatis traditum, quòd angeli sic mouentur, vt motus continui subiectum sint: sed potius oppositum, vt in Theologia discussum à Sanctis est. Vnde si Peripateticos arguendos censent, glorientur ex Scotica officina hos se errores deprehendere, non ex Theologia.

¶ His ergo omissis, ad naturales transeamus: Quorum opinio non est vna, dum alij mobile, alij ens, alij vtrunq; ex subiecto physicæ resecandum putant. Et illi quidem qui neutrius nomen recipiunt, secunda & quarta ratione ad oppositum facta mouentur: & sensibilem seu naturalē substantiam subiectum fore censent. Qui verò ens tantū abscindunt, corpus mobile subiectum philosophiæ ponunt. Et hi adhuc diuisi sunt, dum quidam ly mobile, passionē significare concedunt: quidam autem rationē formalem corporis physici supponere contendunt. Mobile autem tantùm abscindentes, sunt qui ens naturale subiectum dicunt. Sunt ergo quinque opiniones naturaliter loquentium, S. Thomistarum tenentium ens mobile: & Albertistarum, dicentium corpus mobile: & modernorum multorum, dicentium substantiam naturalem seu sensibilem: & quorundam etiam modernorum asserentium corpus physicum seu naturale: & eorum qui ens naturale subiectum credunt.

Auerroiste aliq. Alberti & Aegidij sequaces.

Quinque opiniones naturales de subiecto philosophiæ naturalis adæquato.

QVO AD Secundū, Cū ens mobile cōplexionem quandā nominum contineat, singula distinguēda sunt. Et primò quidē circa ly mobile triplici opus est distinctiōe.

¶ Prima est quòd cum mobile motum respiciat, sicut motus sumitur dupliciter, scilicet propriè, vt distinguitur contra mutationem in 5. Physi. & ad tria tantùm generā esse dicitur & communiter, vt continet in se & motū propriè dictum, & mutationem, scilicet generationem & corruptionem: ita mobile dupliciter sumi potest. In quæstione tamen ista sumitur communiter prout idem est quòd mutabile physica mutatione.

¶ Secūda est quòd aliquid potest dici mobile dupliciter, scilicet subiectiuè: quòd scilicet est subiectum motus: & terminatiuè: quòd scilicet est terminus alicuius mutationis. Et quamuis prima facie mobile sonet subiectum motus, si tamen restringendum est in proposito, magis tenendum est terminatiuè quàm subiectiuè, vt ex dicendis apparet. iudicio tamē meo indistinctè tenendū est non ea ratione vt sit commune ad omnia quomodocunque mobilia: continéatque vt partes subiectiuas materiam & formam, &c. quia hoc est contra san. I ho. in primo Phy. super text. com. 6. vbi in diuisione literæ expresse dicit, quòd in primo libro Phy. agitur de principijs intrinsecis entis mobilis, scilicet de materia & forma: ex hoc apertè insinuans ens mobile, quod est subiectum philosophiæ, non esse totum vniuersale respectu materiæ & formæ, sed totum integrale seu essentiale, sed ea potius ratione vt scilicet illa notissima sui acceptio supponatur, quam ex sensu supponere oportet: perhibent enim nobis sensus mobilia esse: an autem subiectiuè an terminatiuè mutentur ea quæ moueri videmus, ratione magis discernitur, quàm ex sensu habeatur.

¶ Tertia est quòd mobile æquiuocum est nomē ad aptitudinem, ad motum & ad fundamentum illius aptitudinis: sicut si risibile significaret aptitudinem ad ridēdum, & rationalitatem, quæ est eius fundamentum. Quid autem mobile in proposito significet, difficile est hac sola quæstione elucidare. Quamuis enim impossibile sit subiectum & passionem simul accipi pro subiectō in aliqua scientia, sic quòd totum aggregatum subiectum sit (quia oportet subiecti vnam esse rationem formalem, & ex qd qd est subiecti, & quid est passionis vna rō formalis constitui nequit) nihil tamen prohibet aggregatum ex subiecto & passione, subiectum sic constitui, vt passionis quod quid est, sit ratio formalis subiecti in illa scientia.

Et hoc modo intelligi potest mobile passionem significare in proposito: ita quòd mobilitas quæ est passio, sit ratio formalis enti vel corpori, quod sit subiectū phylosophiæ naturalis: vnde solet fieri reduplicatio supra ly mobile, dicendo ens aut corpus mobile, inquantum mobile est subiectum Physicæ. Suadetur autem in proposito sic sumi mobile ex subiecto Mathematicæ: sicut enim Physica est de entib⁹ in eo q̄ mobilia, ita Mathematica est de entibus in eo quod quāta. Constat autem Mathematicę sic esse subiectum ens quantum: vt quantitas ipsa quæ substantiæ materialis passio seu proprium accidens est, ratio formalis subiecti mathematicæ sit. Erit ergo Physicæ subiectum ens actum mouens, sic quòd aptitudo ad motum, ratio formalis subiecti sit. Et confirmatur hoc magni Alberti autoritate: qui in 1. Phy. sic distinguens corpus in Metaphysicum, Mathematicum & Physicum, mobilitatem, quam rationem formalem subiecti dicit, posteriorem corpore quanto naturaliter dicit. Nec obstat quòd eiusdem scientiæ est considerare de passione & subiecto eius: quoniam hoc intelligitur, quando tractatur de passione vt passio est: non autem quando passio primum subiecti locum tenet: vt patet de quantitate in Mathematica, quæ de substantialibus principijs subiecti eius, à quo fluit, non se impedit. Similiter nō obstat quòd perfecta cognitio de re non habetur absque quod quid est subiecti: hoc enim non est sic accipiendum, vt omnis cognitio citra illam sit imperfecta, ita quòd non sit euidens & scientifica: sed vt absque quod quid est subiecti, consummata omnimodáque notitia de re haberi non possit. Quod Physicæ accidere non inconuenit: quoniam Mathematicæ hoc conuenire certum est: Mathematicus enim ignorat an, quantum sit substantia vel accidens, & quantitatis subiectum, &c. & tamen certissimus est omnium: vt dicitur in secundo Metaphy. text. & commentario vltimo.

¶ Sed contra hanc viam est, quòd secundum eam ad philosophum naturalem non pertineret considerare aliquod prædicatum quidditatiuum cuiuscunque substantiæ, nisi fortè aliqua substantia sit, de qua quidditatiuè prædicaretur aptitudo ad motū: & consequenter philosophia naturalis non esset de substantia, sed esset de accidente, quemadmodum Mathematica. Si enim mobilitas (id est aptitudo ad motum) quæ passio ponitur entium naturalium, ratio formalis subiecti Physicæ acceptatur, non licebit Physico de ratione adæquati subiecti eius disserere: quia illa prior est, ac per hoc descendendo à mobilitate in communi ad talem vel talem mobilitatē in specialibus partibus philosophiæ naturalis, non licebit ad quod quid est talis vel talis subiecti descendere: sed quēadmodum adæquati subiecti mobilitatis quod quid est omissum fuerat, pari ratione specialia quod quid erat esse subiectum talium mobilitatum omittenda sunt: quoniam nulla pars alicuius scientiæ tractat de aliquo priori propria ratione formali. Nec video quomodo possit huic rationi satisfieri, nisi tenēdo quòd Metaphysicæ est considerare quod quid est in particulari. Quod quia nō credo verum, idcirco puto melius tenere, quòd mobile in proposito non significat ipsam aptitudinem ad motum si est passio: sed eius fundamentum. Cùm enim ista aptitudo, quam mobilitatis nomē sonat, quibusdam entibus repugnet, scilicet separatis à materia, & quibusdam nō, scilicet materialibus, & de entibus materialibus (puta homine & boue) non reputetur prędicari substantialiter: consequens est, quòd aliquid præcedat in eis, ex quo ipsa aptitudinem hanc sortiantur: & hoc fundamentum mobilitatis est. Notanter autem dixi non reputetur: quia communi voci satisfacere volens distinctionem hāc mobilitatis pertractaui. In 10. siquidem Metaphy. text. vlt. sub dubio relinquitur, an corruptibile sit substantia, an in substātia, id est an sit de substantia rei, aut eam sequatur: vt exponit Auerrois. Corruptibilitas autem quædam mobilitatis species est, vel mobilitas ipsa: secundum illud 8. Phy. text. comment. 25. in omni motu corruptio est. Sanctus Thomas etiàm ibidem inter substantialia prædicata corruptibile ponere videtur. Aristoteles quoque in primo Physi. text. 8. idem sentire videtur: dum dicit, quòd ad naturalem non spectat probare mobilitatē: hoc enim non esset verum, si mobilitas esset passio præuenta à formali ratione subiecti philosophiæ naturalis: posset enim per illam rationem à naturali philosopho probari. Nisi fortè quis dicat dictum Aristotelis non esse verum per se, sed per accidens: quia scilicet est passio notissima. Sed hoc non est tutum: tum quia non est sermo per accidens consuetus Aristote. tum quia saltem defendere mobilitatem pertinet ad Philosophum naturalem, & non ad Metaphysicum: sicut & quamlibet passionem subiecti proprij quilibet artifex defendere debet. Nec obstat, quòd sit passio per se nota de adæquato subiecto: quoniam per se notum, & non per se notum, faciunt quidem differentiā quo ad probari vel nō probari posse aliquid, vt patet in 2. Phy. tex. com. 6. non tamen faciunt differentiam quo ad defendere vel non defendere: quoniam si occulta tuenda sunt, manifesta magis sunt tuenda, modò non sint principia, sed ex principijs: qualis est mobilitas, si passio ponitur. Quicquid autem de hoc sit mobilitas, quæ est ratio formalis subiecti physicæ, nō passio, sed quod quid erat esse est entium naturalium: & præuenit naturalitatem & mobilitatem passionem eorū si concedatur: illam quidem, quia relatiua proprietas est: istam verò, quia passio dicitur.

¶ Circa verò ly ens, hoc tantùm distinguere oportet, q̄ dupliciter entis nomine vti consueuimus. Primò, pro omni eo quod habet esse quocunq; modo: & sic hic nō capitur. Secundò, pro eo quod propriè esse dicitur: hoc autem in his, quæ fiunt, est id quod propriè fit: eius siquidē est esse propriè, cuius est fieri. Id autem quod propriè fit, vt 7. Meta. tex. com. 28. patet, est compositum: siue substantiale, vt homo: siue accidentale, vt homo musicus. Et sic sumitur in proposito. Vnde colligēdo dicta ad hoc q̄ aliquid sit pars subiectiua entis mobilis, quod subiectum Physicæ dicimus, exigitur & quòd sit propriè ens, & quòd sit mutabile physica mutatione. Et propterea nec materia prima, nec forma substantialis aut accidentalis ens mobile est: sed entis mobilis principia hęc omnia sunt. Est ergo ens mobile cōmunius quàm sit corpus mobile, & quàm substantia naturalis siue sensibilis: quia cōtinet sub se omnia materialia cōposita, quæ solùm mutabilia sunt: siue sint substantialia, siue accidentalia, siue secundum formam absoluta, siue secundum vbi. Et est ens mobile abstractius quid quodcunq; prædictorum, quanto ens aliquem gradū cōcomitans prius est illo: dato etiā quòd ad composita accidentalia se non extenderet. Nec obstat contradictio per ly mobile: quoniam sicut substātia rationalis abstractius quid est, quàm animal rationale: sic ens mobile abstractius & prius quid est, quàm substantia mobilis: quamuis enim ex parte ly mobile æqua sit abstractio, ex parte tamen ly ens, & ly substantia, abstractius est ens mobile. Vnde quemadmodum concedēs substantiam rationalem, adhuc disputandi locum haberet, an illa rationalis substantia esset corpus, an animal, &c. & cōtinuè ab abstractiori ad minus abstractū quæstio descenderet, dum à substantia rationali ad corpus rationale, et à corpore ad corpus animatum, &c. ventretur. sic sub ente mobili quæstio remanet, an illud sit substantia, an corpus, &c. Cùm igitur in re mutabili considerari possit, & quòd sit corpus mutabile, & q̄ sit substātia mutabilis, & quòd sit ens mutabile, diui Th. sententia est, naturalia rationem subiecti philosophiæ naturalis induere primò, non quatenus sunt corpora mutabilia, aut substātiæ mutabiles, sed quatenus sunt entia mutabilia: ita q̄ ens mobile licet complexionem nominum contineat, incomplexum tamen & per se vnum quod quid est significat, sicut ens per se. Quemadmodum enim diuiso ente in per se & in alio, si simplicibus vocabulis carerem, substantiam ens per se nominaremus. & accidens ens in alio, & tamen vnam formalem rationem significaremus, nō aggregatam ex pluribus: ita diuiso ente in transmutabile & intransmutabile, carentes simplici vocabulo, ens transmutabile seu mobile vocamus alterum membrum quod vnius est quidditatis, & illud philosophiæ naturalis subiectum esse adæquatum dicimus. Hæc de secundo.

QVO AD Tertium, cùm ens mobile duo nomina complectatur, & vnum significet, primò ostendendum est, quòd eius significatum est adæquatum Philosophiæ subiectum: deinde quòd his nominibus conuenientissimè significatur.

¶ Primò probatur tripliciter. Primò sic: Adæquatū subiectum primarum passionum naturalium est adæquatū subiectum philosophiæ naturalis: sed ens mobile, & non substantia aut corpus naturale seu mobile, est adæquatum subiectum primarum passionum naturalium: ergo, &c. maior est per se nota. Minor verò probatur accipiendo transmutabilitatem, seu quod idem est, mutabilitatem pro prima passione Physica, vel saltem vna de primis, aut eis æquiualente: vt ab omnibus supponitur. Tunc sic: Adæquatum subiectum transmutabilitatis habet materiam, formam, & priuationem pro adæquatis principijs: sed tantùm ens mobile habet hæc pro adæquatis principijs: ergo nihil aliud ab ente mobili est subiectum adæquatum transmutabilitatis, & consequenter primarum passionum naturalium: quòd erat probandum. Maior huius prosyllogismi est ex eo euidens, quòd oportet ista tria in omni materia esse adæquata sibi inuicem, scilicet passionem & subiectum & propria passionis principia: vt patet de risibilitate, & homine, & animali rationali: constat autem ex 1. Physic. per longum processum transmutabilitatis principia prima esse materiam, formā, & priuationem: oportet igitur eius, ad quod tanquam ad adæquatum subiectum primò sequitur transmutabilitas, esse adæquata principia, materiam, formam, & priuationem. Minor patet ex his, quæ in 12. Metaph. a text. 19. vsque ad tex. 29. dicuntur, scilicet quòd materia, forma, & priuatio ad genus substantiæ non arctantur, sed materia, forma & priuatio generis substantiæ sunt principia propria substantiæ mutabilis: & materia, forma & priuatio in genere quātitatis sunt propria principia quātitatis mutabilis: & materia, forma & priuatio in genere qualitatis sunt principia propria qualis mutabilis.

¶ Si dicatur quòd quemadmodū principia propria substantiæ continent propria principia cæterorum generū, quia sunt causæ eorum (vt ibidem docet Aristo.) sic substantia mutabilis continet omne quantum & quale mobile. & transmutabilitas substantiæ omnem aliā. Et propterea licet materia, forma & priuatio excedant substantiam mobilem formaliter, non tamen virtualiter. Hoc licet sit subtiliter dictum, vim tamen rationis nō excludit propter duo. Primò: quia falsum est, q̄ principia propria substantiæ mutabilis sint principia principiorū cæterorum generum mutabilium. Quamuis enim sit verū & expressum in 11. Meta. cap. supra dicto, q̄ per se principia essendi in genere substantiæ sunt principia principiorum essendi in cæteris generibus: id est, quòd materia & forma substātiæ sunt causæ materiæ & formæ in quātitate & qualitate, &c. Veritati tamen aduersatur, quòd per se principia transmutabilitatis substantialis sint principia principiorum transmutabilitatis aliorum generū. Priuatio enim in genere substantiæ, quæ est per se principium non substantiæ, sed transmutationis substantialis, non est vniuersaliter, & consequenter nec per se principium priuationis, quæ est principium transmutationis accidentalis, vt in corpore cælesti patet: vbi ens mobile secundum locum, habet omnia propria principia, scilicet materiam, formam & priuationem: cælum autem substantialiter non habet nisi duo principia, quæ sunt essendi per se principia. siue ibi sit materia, quæ est pura potentia: siue simplex corporeitas pro materia, & intelligentia & forma: nullo enim modo est ens mobile substantialiter. Secundò: quia dato, quòd esset talis inclusio virtualis, adæquatum tamen subiectum trāsmutabilitatis, & similiter adæquatum principiatum ex materia, forma & priuatione, non substantia mobilis, sed ens mobile: quoniam quando aliqua proprietas vniuersalis secundum prædicationem habet subiectum adæquatum secundum prædicationem, in quo reperitur causa, secundum quam inest quibuscunq; proprietas illa, illud tale est eius subiectum secundum quod ipsum. Nec est requirendum pro primo subiecto illius illud ad quod per viam resolutionis proprietas illa & eius principia reducuntur: alioquin periret doctrina tradita in lib. Poste. cap. de vniuersali. Docemur enim ibi sistere, quando adæquatum subiectum secundum prædicationem inuenimus, & causam in eo, per quam sibi cæterisque illa passio inest. Nulla etiam posset poni proprietas communis alicui analogo ad substantias & accidentia: cùm accidentia & eorum proprietates & principia in substantijs virtualiter includantur. Nisi ergo velimus abuti vocabulis & rationibus eorum, quod in se est subiectum adæquatum transmutabilitatis in se ipso adæquatè, claudit propria principia transmutabilitatis. Sed nec substantia mobilis, nec corpus mobile claudit in se illa: quoniam propria principia transmutabilitatis vniuersalis seu in communi, sunt materia, forma, & priuatio in communi, quæ genus substantiæ transcendunt. Enti autem mobili adæquantur: quicquid enim ex materia, forma, & priuatione constat, ens mutabile est: & econuerso, eo quòd priuatio machinatur ad malum. Ens igitur mobile est proprium, & primum mobilitatis subiectum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶ Secundò probatur propositũ, & directè arguitur contra ponentes corpus mobile sic: Coniunctio omnis mobilis cum ratione corporeitatis, non supponitur in naturali philosophia, sed in 6. Phy. probatur, ergo non corpus mobile, sed ens mobile est subiectum philosophiæ naturalis. Antecedens patet in text. 32. sexti physi. vbi probatur quòd omne mobile est corpus. Consequentia verò patet tum ex eo, quòd si corpus mobile ponitur adæquatũ subiectum, oportet supponi mobilitatem coniunctam esse corpori, aut vt rationem formalem, aut vt passionem: tũ ex eo, quòd oportet supponi corpus coextendi ipsi mobilitati: alioquin non supponeretur subiectum adæquatũ scientiæ. Vtrunq; autem horum impossibile est supponi ignorata vniuersali coniunctione ipsius mobilis cum corpore: vt de se patet, ergo. Et hæc est ratio Sanct. Tho. in primo Phy nunquã enim dixit ipse, quòd philosophus naturalis probet corpus mobile esse: vt communiter sibi imponitur, quia non intelligitur (corpus enim mobile esse, qui dubitant, non egent medio, sed sensu, quò vel seipsos moueri percipiant) sed dixit quòd probat omne mobile esse corpus. Et vt plenius huius rationis vis percipiatur, aduertendum est primò, quòd subiectum adæquatũ scientiæ resoluentis suas conclusiones in principia per se nota (qualis est philosophia naturalis) oportet & quòd sit subiectum primarum passionum, ac per hoc cp sit principium essendi, & consequenter cognoscendi secundum naturam cæterorum: & quòd sit principium cognitionis in nobis, siue ad latentes proprietates & occulta principia à posteriori, siue à priori procedatur: quoniam subiecti cognitio omnibus ꝑsupponitur, & vt dicit Auer. in 2. Phy. com. 26. nec à priori, nec à posteriori probari potest in scientia: & innatum est nobis, quòd oportet semper à notioribus nobis procedere, vt in primo Phy. cõ. 4. dicitur. Sicut ergo prima ratio superius facta procedit ex ordine naturæ, sic ista procedit ex nostro ordine cognoscendi. Et propterea San. Tho. dixit, quòd ad audientes probatur, omne mobile esse corpus: insinuans per hoc, cognitionis magis quàm rei ordinem. Aduertendum est secundò, quòd quamuis aliud sit omnem mobilitatem esse coniũctam corpori, & aliud cognosci omnem mobilitatem esse coniunctam corpori: ad hoc tamen quòd corpus mobile ponatur subiectum adæquatum, nihil refert quod horum deficiat: quoniam sicut deficiente coniunctione illa secundum rem, corpus mobile prohiberetur ex parte rei esse subiectum: ita deficiente coniunctione illa in esse cognito, ex parte cognitionis quæ præhaberi debet, impediretur. Non sufficit autem præsupponi aliquod mobile esse corpus (quod ad sensum patet) sed oportet supponere omne mobile esse corpus: tum quia ad hoc, quòd complexum aliquod, vel complexè significatum induat rationẽ subiecti adæquati in scientia, oportet id quod est vt formale, & sic & supponatur per se coniunctũ alteri, vt passio vel ratio formalis: alioquin frustra de materiali parte cõplexi illius quæstio fieret: cùm ea quæ sunt per accidẽs, variabilia & extra quæstiones scibiles sint. Hoc autem sicut impossibile est esse, nisi omne tale illi insit: ita est impossibile supponi, nisi omne tale inesse illi supponatur: qm̃ omnia hæc, sicut in naturæ ordine præexigunt de omni, ita & in cognitionis ordine. Vnde si naturalis scientiæ subiectũ est corpus mobile, oportet in hac scitia, quæ de mobili in eo quod mobile tractat, supponere mobile, quod vt formale se habet, coniunctũ esse corpori per se, vel vt passionem, vel vt rationem formalẽ. Neutrum aũt horum fieri potest, nisi supponatur omne mobile corpori connexum esse: imaginari enim nõ potest, vt propria passio aut ratio formalis creditur esse alicuius, id quod communis illo dubitatur. Tũ quia ad hoc vt aliquod cõplexũ vel cõplexè significatũ habeat rationẽ adæquati subiecti alicuius scientiæ, nõ minus oportet id qd vt forma le ponitur adæquari scitiæ, q̃ id quod vt materiale sumitur coextẽdi illi formali: alioquin si materiale rationẽ formalis cõtraheret, scitia, quæ adæquatæ rõnem formalẽ respicit, subiectũ suũ excederet: nihil aũt refert, vt dictũ est, coextensionẽ talem non esse, aut nõ supponi. Si igitur corpus mobile in eo cp mobile, adæquatũ subiectũ ponatur philosophiæ naturalis, oportet philosophiam, quæ de mobili in eo cp mobile est, supponere, corpus euacuare mobile: alioquin adæquatum sibi subiectũ, quãuis haberet, non tamen supponeret: & cõsequenter subiecti rationem non haberet. Hoc autem impossibile est supponi, quãdiu nescitur, an omne mobile sit corpus: vt de se patet. Potes autem rationem hanc iuxta sanctum Thomã, sic colligendo formare: Nulla scientia habens subiectum complexum, aut complexè significatum, probat eam coniunctionem partium subiecti, sine qua complexũ illud subiecti rationem induere non potest: alioquin scientia construeret sibipsi subiectum, quod de nulla scientia speciali dicere licet. Hæc enim maior æquualet maiori sancti Thomæ: assumentis, nulla scientia probat: id est, construit, vel componit sibipsi subiectum: loquendo enim de subiecto complexo, æquualet dicere, nulla scientia componit aliquid, vt sit suum subiectum: & dicere, nulla scientia probat suum subiectum, apud formaliter terminos speculantes. Sed philosophia naturalis, si corpus mobile ponitur subiectum, construeret subiectũ suum, ergo, &c. Patet minor ex dictis: quia probat vniuersalem coniunctionem mobilitatis cum corpore, sine qua corpus mobile subiecti rationem habere non potest. Omissa autem verborum solicitudine, directè syllogizandũ est sic: Nullum coniunctum, cuius de omni coniunctio probatur in aliqua scientia, est subiectum adæquatum illius: corpus mobile est coniunctum, cuius de omni coniunctio probatur in philosophia naturali. ergo corpus mobile põ est subiectum in philosophia naturali. Maior iam patet, ex eo quòd omne coniunctum, quòd ponitur adæquatum subiectum, supponitur & per se coniunctum saltem ex parte formalis, & coextensum rationi formali adæquanti scientiam: sed cuius coniunctio dubitatur de omni, non supponitur coniunctum per se, nec coextẽsum rationi formali: ergo. Minor ex sexto Physic. patet text. com. 32. vbi probatur vniuersalis coniunctio mobilis cum corpore & processu philosophiæ naturalis, maximè in secundo Phy. & secũdo tractatu primi de cælo, vnde habetur vniuersalis coniunctio corporis cum mobili.

¶ Sed remanent duæ contrà rationem hanc obiectiones excludendæ. Prima est, quia non videtur verum, quòd in sexto Phy probetur, omne mobile esse corpus: eo quòd in tex. 32. probatur tantùm omne mobile esse diuisibile. Constat autem, quòd si probatur passio alicuius de mobili, non propterea probatur ratio formalis subiecti illius passionis: sic autem se habet diuisibilitas & corporeitas, vt patet. Secunda est: quia videtur hæc secunda ratio aduersari primæ: in hac siquidem dicitur omne mobile esse corpus: in illa verò dicitur ens mobile communius esse, & corpore & substantia mobili. Ad primum horum dicitur, quòd quia non cadit in intellectu humano, quòd aliquid supponatur esse corpus, de quo dubitetur esse diuisibile, nisi apud antiquis attributos errores, ponẽtes corpora indiuisibilia, quia diuisibilitas ipsa sic comes est corporeitatis & in esse, & in cognosci, vt prius absque posteriori nunquam cognoscatur: experimur enim nõ aliter nos cognoscere aut supponere corpus, nisi vt quantum quoddam quantitate molis: ideo si in philosophia nõ supponatur omne mobile esse diuisibile, a fortiori supponi non potest esse corpus: quia coniunctio mobilis cum corporeitate, dum dubitatur, cum diuisibilitate nõ potest cognosci, nisi ratione aut sensu. Ex sensu autem cõstat, quòd non habetur: ratio autem ad illam nulla inuenitur. Et si ex demonstratione illa. Physi. non acceptatur probatũ, saltem tanquam necessariò consequens conclusionem formaliter conclusam, relinquitur maius incõueniens, quòd scilicet omne mobile esse corpus, longè remotius est à philosophiæ principio: vtpote 3. cæli. & 1. de generatione. Peripatetici tamen ibidem vtranque concludi propositionẽ indistinctè intelligunt. vnde Auertois in primo cæli, commen. 9. dicit, Probatum est in sexto Phy. quòd omne mobile est corpus, &c. Ad secundum verò dicitur, quòd licet ens sit communius corpore (quia de multis prædicatur quidditatiuè, de quibus corpus non prædicatur quidditatiuè) non tamẽ est sic communius, quòd alicui insit, cui corporeitas coniuncta non sit, omne enim ens mobile est corpus, vel claudit in se corpus. Potest & secundò dici (licet in idem redeat) quòd in sexto Physic. probatur omne mobile esse corpus: id est corporeum aliquid. Probando enim mobile esse diuisibile, nihil aliud probatur, q̃ mobile esse ens corporeum, siue illud sit corpus, siue corporeum aliquid. Corporeum autem conuertitur cum ente mobili, dato quòd corpus cum eo non conuertatur. Et eodem modo potest argui contra ponentes substantiam naturalem aut mobilem. Omne enim naturale aut mobile esse

esse substantiam, cùm oporteat supponi, aut haberetur ex sensibus, aut ex naturali philosophia, aut ex Metaphysica. Ex sensu quidem non habetur. Ex naturali autem Physiosophia si haberetur, cõcluderet hoc nõ posse supponi in ipsa: si autem à Metaphysico tractatur, vt Auer. dicit secundo Physic. commen. 4. hoc etiam concludit illud non posse esse subiectum in philosophia naturali: quæ scientia ex se est euidẽs absque Metaphysica. Habet enim subiectũ & principia propria ex sensibus per se nota: & non accipit ea positione: quamuis à Metaphysico defendi debeant si impugnentur: vt in primo Physic. tex. cõmen. 12. dicit.

¶ Tertiò probatur idẽ autoritate: & primò Arist. in tertio Phy. vbi in diffinitione motus non posuit corpus aut substantiam, sed ens in potentia, &c. Ex quo arguitur sic: Id est subiectum Philosophiæ, quod ponitur in diffinitione primorum accidentium naturalium: quia tale est proprium subiectũ eorum, vt patet in septimo Metaph. tex. 15. sed non corpus nec substãtia sed ens in potentia secundum quod in potentia (quod idem est quod ens mobile, vt patet in tertio Physi. tex. 6. & 9.) ponitur in diffinitione primorum accidẽtium naturalium: scilicet motus &c. ergo ens mobile est subiectum Philosophiæ naturalis. Et confirmatur hoc idem ex primo Physic. tex. 11. vbi supponendum dicitur in Philosophia omnia aut quædam moueri, & non omnia aut quædã corpora. &c. Secundò autoritate Auerrois, qui scilicet non solicitus de vocabulis in 3. Metaphysic. commen. 1. ens mobile. & in 12. eiusdem commen. 5. corpus mobile, & in proœmio Physic. res sensibiles subiectũ philosophiæ nominauerit, & propterea non verba sua in hac re, sed sensum ponderari voluerit: in secundo tamen Physic. expresè docet aliquid prius corpore subiectum esse philosophiæ naturalis: dum dicit commen. tertio: Et sciendum est, quòd subiectum istius libri est natura & principia naturalia, cùm sint communia omnibus rebus naturalibus: & ideo in hoc libro nõ diffiniuit corpus neque alia de quibus cõsiderat naturalis, sicut fecit in primo cæli & mũdi. Ex quo habetur quòd apud ipsum cõsideratio de corpore mobili differtur vsque ad librum de cælo & mũdo, vbi ꝓb eius diffinitione incipiatur: vt patet in tex. commen. secundo. Et rursus habetur subiectũ Physicæ esse cõmune corpori & alijs, de quibus considerat naturalis: vt prima ratione assumpsimus. Non ergo corpus mobile, sed aliquid prius eo commune naturalibus omnibus est subiectum philosophiæ: quod ens mobile esse ex prima ratione liquet. Est ergo significata ratio per ens mobile subiectum philosophiæ naturalis: nõ autem significata per substantiam, aut corpus naturale vel mobile vel sensibile.

¶ Quòd autem illis vocabulis conuenientissimè significetur, sic patet: Mobilis vocabulũ in primis cõuenientius sumitur, q̃ sensibilis: quoniam admisso egte sensibili, adhuc non est naturalis philosophus liber à Parmenidis & Melissi inuectione: concedentes enim ens sensibile, negabant mobile, supposito autem ente mobili, philosophiæ principia inconcussa manent. Similiter conuenientius est, q̃ naturalis nomen: tum quia redit idẽ incõueniens. Nam supposito ente naturalis, adhuc philosophus naturalis liber non incedit, nisi mobile addat: vt ipse Arist. testatur in primo Physi. text. 11. cont. Parme. & Melissi. concedentes ens naturale, subdens, Nobis autem subiciatur, omnia aut quædã naturalia moueri. Tum quia subiectũ notissimè debet supponi, & constat diffinientia notiora esse diffinito: vnde cùm motus naturam diffiniat, quod clarè significatur per ens mobile, obscurè importatur per ens naturale: hoc enim si declarandum esset, ad motũ oportet venire. Tum quia nominibus vtendum est vt plures, 2. Topic. vsitatissimum autem est naturæ nomen ad cuiuscunque rei quod quid est, & naturale ad omne non artificiale, siue de genere mobiliũ sint siue non. Et propterea si ens naturale supponeretur, ens non artificiale intelligeretur subiectum in philosophia naturali: quod est falsum. Et sic inficiationi locũ daret vocabuli ęquiuocatio. quòd si distinguendum esset, & ens naturale, id est, habens in se principium motus supponendum, cur non potius absque glossa & distinctione ens mobile à principio dictis, clarius exprimendo præsertim quòd secundi Physic. principium anticipandũ esset, vt glossa illa intelligeretur. Entis aũt nomẽ clarius propositis, ex dictis patet. Hęc de tertio.

Ad argumenta.

NVNC QVARTO Superest argumentis in oppositum satisfacere. Et ad primum quidem dicitur, quòd ens significare tertium quid commune secundum analogiam substantiæ & accidenti, non est contra sanctum Thomam, nisi secundum analogiæ naturã ignorantes. Vnde nullum inconueniens est, ens mobile commune esse secundum rationem formalem, non vnam simpliciter, sed vnam analogicè entibus mobilibus omnibus, scilicet substantijs, quantis, & qualibus, & cæteris.

Quamuis etiam ratio ad oppositum non concludat contra tenentes, ens mobile extra substantiam non inueniri: quia homo ipse, inquantum est ens mobile, aliud est à seipso, inquantum est substantia mobilis. Et propter ea non sequeretur, ergo ponendo ens mobile subiectum, ponitur substantia, aut corpus mobile: quoniam differunt formali ratione.

¶ Ad secundum dicitur dupliciter. Primò, quòd mobilitas communiter sumpta, (vt de ea in hac loquimur quęstione) non est passio, sed substantiale prædicatum: sicut & materiale & possibile, iuxta ea quæ supra adducta sunt. Quæ possunt etiam ratione confirmari: ex eo quòd possibile substantiale prædicatum est entium, à materia sumptum. non enim homo est ens possibile per aliquam proprietatem ipsum cõsequentem, sed per intrinseca sua. Mobilitas autem apud naturalem idem sonat quod possibilitas apud Physicum: vt exercitatis in istis scientijs, non autoritatibus notum est. Sed quia hoc non est à præcessoribus discussum, & vt nouum non facilè acceptabitur, sic debiliter firmatum: ideo secundò dicitur, quòd si mobilitas sit passio, adhuc subiectum Philosophiæ cõceditur esse vniusrationis formalis circumlocutæ per ly ens mobile. Et ad instantiam contra hanc responsionẽ respondetur tripliciter. Primò, quòd quamuis in scientijs à priori procedentibus subiectum debeat esse primò & maximè notum, quo ad quid rei, non tamẽ hoc oportet in scientijs à posteriori doctrinam facientibus qualis est naturalis Philosophia: vt Cõmentator dicit in proœmio, et in commen. primi Physic. com. 2. Sufficit enim cp sit primò & maximè notum, quo ad an est, & quid nominis: vt ex primo Poste. patet. Huic autem nihil obstat talis circumlocutio. Secundò dicitur, cp notitiam subiecti debet esse maximam. põt dupliciter intelligi. Vno modo respectu cognitionum possibilium haberi de illo, potest enim idem cognosci probabiliter & demonstratiuè, per cõmunia & propria, &c. Et hoc modo de subiecto non oportet supponi à nobis maximam cognitionẽ: vt patet inductiuè etiam in Mathematicis. Alio modo respectu aliarum cognitionum, quæ in illa scientia acquiruntur. Et hoc modo est verum: & conceditur quòd cognitio ista, quam habemus de illa ratione formali in isto circumlocuto, est maior omni cognitione, quam acquirimus in Philosophia naturali. Et si contra hoc instetur: quia multorum notitiam acquirimus in Philosophia naturali, quæ per intima eorum cognoscimus & nominamus (perfectior autem est cognitio per intima, quàm per passionem, sicut ratio illa cognoscitur.) respõdetur, quòd perfectio cognitionis, de qua est sermo in primo Poste. vnde sumitur, quòd subiecti cognitio debet esse maxima, non attenditur penes aliud quàm entiam. Vnde maius & minus in cognitione in proposito, penes euidẽtiæ latitudinem attendere oportet. & propterea aliud est cognosci intimius, & aliud euidentius. Cùm enim omnis cognitio acquisita in scientia, siue pertingat ad intima alicuius quæsiti, siue non, habet euidentiam ex cõgnitione subiecti sicut ex principio, necesse est cognitionem subiecti esse euidentiorem, & consequenter maiorẽ cæteris. Et verè sic est in proposito: quia cognitio entis mobilis, quam circumloquendo supponimus, est ex sensibus euidens: quæcunq; autem alia acquisita est discursu syllogistico ex istius euidentia certa: propter quod autem vnumquodq; illud magis est: vt dicitur in primo Poster. Tertiò dicitur, quòd si Philosophia haberetur à nobis sub perfecta ratione scientiæ, qua est in se procul dubiò subiectum, oporteret omnino esse primò & maximè notum, vt arguendo dicitur. Quia autem non sic est, tantum imperfectionis scientiæ nostræ admiscetur, quantum subiecti cognitio compatitur: ex hac enim incompleta cognitione subiecti, minus plena est cognitio subsequentium, difficultãsque in soluendis quæstionibus non parua.

¶ Ad tertium dicitur negando consequentiã, quæcunq; via teneatur. Non enim eiusdem scientiæ est considerare

Universidad de Deusto Biblioteca

aliquod subiectum, & per se partes eius subiectiuas, aut per se modos quoscunque: sed eos tantùm, qui genus, scilicet illius subiecti, non egrediuntur. Mobile autem extra genus scibile Metaphysicæ est: quoniam à materia sensibili non abstrahit. Accidentalem autem conditionem entis mobilitatem esse, vt subalternatio requirit, nullo modo est possibile: vt ex his, quæ scripsimus super caput 13. primi Poste. patet: quia accidentalitas illa perseitatem & extraneitatem simul respectu illius subiecti exigit, quod respectu entis non est possibile: cùm nihil extraneum sit ab ente: vt dicitur 3. Metaph. text. 11. Nec mihi obijciatur quòd sanct. Thom. in tractatu de natura generis dicit Philosophiam naturalem propter accidentalitatem huiusmodi subalternari Metaphysicæ: quia tractatum illum fortè nunquam vidit sanct. Thomas. Stylus enim eius non est: & multa ibi sunt, quæ doctrinæ eius non consonant.

¶ Ad quartũ dicitur, quòd plus requiritur ad hoc, quòd aliquid sit subiectũ, quàm quòd ad ipsum fiat resolutio: alioquin principia subiecti, ad quæ vltimò fit resolutio, essent subiectum. Oportet ergo quòd ad eius rationem formalem fiat resolutio, tanquam adæquatum primarũ passionum subiectum: ad substantiam autem mobilem non fit mobilium resolutio, sicut ad adæquatum mobilitatis subiectum, sed sicut ad primum clausum in adæquato mobilitatis subiecto, quod est ens mobile. Post resolutionem siquidem passionum communium in analogum subiectum, potest analogum ipsum in se resolui, posterius in prius reducendo: vt in tractatu de nominum analogia diffusè diximus.

¶ Et hîc sit finis huius quæstionis in cõuentu sanctę Mariæ gratiarũ in Mediolani suburbio, anno Salutis 1499. die 6. Nouemb. Sume igitur amantissime mi frater Vincenti, solicitudinis hospitalitatisque tuæ fructum: & quo præstas ingenij acumine, discute, dans veniam minus consentaneis, memor quòd nihil in vllo vnquam genere cultum repentinúmque sit. Vale.

TRACTATVS QVINTVS de Nominum analogia, in undecim capita diuisus.

1 Quotuplex sit analogia: & quis sit eius primus modus.
2 Analogia attributionis quid sit: & quibus modis fiat, & quæ eius conditiones.
3 Analogia proportionalitatis quid & quotuplex sit: & quomodo propriè analogia dicatur.
4 Quomodo analogum nomen ab analogatis distinguatur.
5 Qualis sit abstractio analogi ab analogatis.
6 Qualis sit prædicatio analogi de suis analogatis.
7 Qualis analogatorum secundum analogi nomen definitio.
8 Qualis sit in analogo comparatio.
9 Qualis sit analogi diuisio, & resolutio.
10 Qualiter de analogo sit scientia.
11 De cautelis necessarijs circa analogorum nominum intellectum & vsum.

CAPVT PRIMVM.

Quotuplex sit analogia, & quid sit eius primus modus.

INVITATVS Est ab ipsius obscuritate, & à nostri æui flebili profundarum literarum penuria, de nominũ analogia in his vacationibus tractatum edere intendo. Est siquidem eius notitia necessaria, adeò, vt sine illa nõ possit metaphysicã quispiã discere, & multi in alijs scientijs ex eius ignorãtia errores procedãt. Quòd si vllo vsquam tempore accidit, hac ætate id euenire clara luce videmus: dum analogiam, vel indistinctionis, vel ordinis, vel conceptus præcisi vnitate, cum inæquali participatione constituunt. Ex dicendis nanque patebit opiniones huiusmodi à veritate, (quæ vltro se offerebat) per abrupta deuiasse.

¶ Analogiæ igitur vocabulum proportionem seu proportionalitatem (vt à Græcis accepimus) in proposito sonat. Adeò tamen extensum distinctumque est, vt multa nomina analoga abusiuè dicamus; & multarum distinctionum adunatio si fieret, confusionem pareret. Ne tamen rectum, obliqui iudicio priuetur, & singularitas in loquendo accusetur, vnica diuisione trimembri omnia cõprehendemus, & à minus propriè analogis ad verè analoga procedemus.

Triplex analogia

¶ Ad tres ergo modos analogiæ analoga omnia reducuntur: scilicet ad analogiam inæqualitatis, & analogiam attributionis, & analogiam proportionalitatis. Quamuis secundũ veram vocabuli proprietatem & vsum Aristo. vltimus modus tantùm analogiam constituat, primus autem alienus ab analogia omnino sit.

Analogia inæqualitatis.

¶ Analoga secundum inæqualitatem vocãtur, quorum nomen est commune, & ratio secundum illud nomen est omnino eadem, inæqualiter tamen participata. Et loquimur de inæqualitate perfectionis: vt corpus nomen commune est corporibus inferioribus & superioribus. Huiusmodi autem analoga Logicus vniuoca appellat, Philosophus æquiuoca: eo quòd ille intentiones considerat nominum, iste autem naturas. vnde & in 10. Metaphysi. text. comment. vltim. Aristo. dicit quòd corruptibili & incorruptibili nihil est commune vniuocũm: despiciens vnitatem rationis seu conceptus tantùm. Et in 7. Physico. tex. commen. 13. dicitur iuxta genus latere æquiuocationes: quia huiusmodi analogia cum vnitate conceptus nõ dicit vnam naturam simpliciter, sed multas compatitur sub se naturas ordinem inter se habentes: vt patet inter species cuiuscunque generis specialissimas, & subalternas magis. Omne enim genus analogum hoc modo appellari potest: licet non multùm consueuerint nisi generalissima & his propinqua, sic vocari: vt patet de quantitate & qualitate in prædicamentis, & corpore, &c. Hãc analogiam sanct. Tho. in primo senten. distinct. 19. vocat analogiam secundum esse tantùm, eo quòd analogata parificantur in ratione significata per illud nomen commune, sed non parificantur in esse illius rationis. Perfectius siquidem esse habet in vno, quàm in alio cuiuscunque generis ratio: vt in Metaphysica pluries patet. Non solùm enim planta est nobilior minera: sed corporeitas in planta est nobilior corporeitate in minera: & sic de alijs.

Perhibet quoque huic analogiæ testimonium Auerrois in commen. 2. 12 Metaphysic. dicens, cum vnitate generis stare prioritatem & posterioritatem eorum, quæ sub genere sunt. Hæc pro tanto analoga vocantur, quia cõsiderata inæquali perfectione inferiorum: per prius & posterius ordine perfectionis de illis dicitur nomen illud commune. Et iam in vsum venit, vt quasi synonimè dicamus aliquid dici analogicè, & dici per prius & posterius. Abusio tamen vocabulorum hæc est: quoniam dici per prius & posterius, superius est ad dici analogicè. In huiusmodi autem analogis, quomodo inueniãtur vnitas, abstractio, prædicatio, comparatio, demonstratio, & alia huiusmodi, non oportet determinare: quoniam vniuoca sunt secundum veritatem, & vniuocorum canones in eis seruandi sunt.

CAPVT II.

Analogia attributionis quid sit, & quibus modis fiat, & quæ eius conditiones.

Analogia attributionis quid.

ANALOGA Autem secundum attributionem sunt, quorum nomen est commune, ratio autem secundum illud nomen est eadem secundum terminum, & diuersa secundum habitudines ad illud. Vt, Sanum commune nomen est medicinæ, & vrinæ, & animali, & ratio omnium inquantum sana sunt, ad vnum terminũ, sanitatem scilicet, diuersas dicit habitudines. Si quis enim assignet quid est animal, inquantum sanum, subiectum dicet sanitatis: vrinam verò, inquantum sanam, signum sanitatis: medicinam autem, inquantum sanam, causam sanitatis proferet. Vbi clarè patet, rationem sani esse nec omnino eandem, nec omnino diuersam: sed eandem secũdum quid, & diuersam secundum quid: est enim diuersitas habitudinum, et identitas termini illarũ habitudinũ.

¶ Quadrupliciter autem fieri potest huiusmodi analogia secundum quatuor genera causarum: vocando pro nunc causam exemplarem, causam formalem. Contigit siquidem multa ad vnum finem, & ad vnum efficiens, & ad vnum exemplar, & ad vnum subiectum secundũ aliquam vnã denominationem attributionme, diuersimodè habere: vt patet ex exemplis ipsius Aristo. Ad causam enim finalem pertinet exemplum de sano in 3. Meta. text. commen. 2. ad efficientem verò exemplum de medicinali ibidem positum, ad materialem autem analogia

ent

entis ibidem subiuncta: ad exemplarem demum analogia boni posita in primo Ethic. cap. 7. Attribuuntur autem analogiæ huic multæ conditiones, ordinatè se consequentes: scilicet quòd analogia ista fit secundum denominationem extrinsecam tantùm: ita quòd primum analogatorum tantùm est tale formaliter, cætera autem talia denominantur extrinsecè. Sanum enim ipsum animal formaliter est: vrina verò & medicina & alia huiusmodi sana denominantur non à sanitate eis inhærente, sed extrinsecè ab illa animalis sanitate significatiuè vel causaliter, &c. Medicatiuum quoque à medicinali arte deriuatũ, medicum formaliter denominat. Instrumenta verò & quæcunque alia medicatiua dicuntur, extrinseca denominatione ab illa arte dicuntur. Sola etiam substantia formaliter est ens, quasi esset subiectum, & habens esse: cætera aũt entia ideo dicũtur, quia illius entis mensuræ, dispositiones, actiua, &c. sunt. Boni quoque ratio in bono per essentiam saluata quo exemplariter cætera denominãtur bona, in solo primo bono formaliter inuenitur: reliqua autem extrinseca denominatione secundum illud bonũ bona dicuntur.

Primum analogatorũ hac analogia oportet esse tale formaliter, cætera verò non nisi denominatione extrinseca.

Sed diligenter aduertendum est, quòd hæc huiusmodi analogiæ conditio, scilicet quòd non fit secundum genus causæ formalis inhærẽtis, sed semper secundum aliquid extrinsecum, est formaliter intelligẽda, & non materialiter: id est, non est intelligẽdum per hoc quòd omne nomẽ quod est analogum per attributionẽ, est commune analogatis, sic quòd primo tantùm conueniat formaliter: cæteris autem extrinseca denominatione, (vt de sano & medicabili accidit) ista enim vniuersalis est falsa: vt patet de ente & bono: nec haberi potest ex dictis, nisi materialiter intellectis. Sed est ex hoc intelligendum, quòd omne nomen analogum per attributionem vt sic, vel inquantum sic analogum commune est analogatis sic, quòd primo conuenit formaliter, reliquis autem extrinseca denominatione. Hoc siquidem verum est, & ex formali intellectu præcedentium manifestè sequitur. Ens enim quamuis formaliter conueniat omnibus substantijs & accidentibus, &c. inquantum tamen entia omnia dicuntur ab ente subiectiuè vt sic, sola substantia est ens formaliter: cætera autem entia dicuntur, quia entis passiones vel generationes, &c. sunt. licet entia formaliter alia ratione dici possint. Et simile est de bono. Licet enim omnia entia bona sint bonitatibus sibi formaliter inhærentibus: inquantum tamen bona dicuntur bonitate prima effectiuè aut finaliter, aut exemplariter, omnia alia non nisi extrinseca denominatione bona dicuntur: illamet bonitate, qua Deus ipse bonus formaliter in se est.

Analogũ est vnũ numero in omnibus analogatis positiuè, si sumuntur particulariter, negatiuè, si sumuntur vniuersaliter.

¶ Et ex hac conditione statim infertur alia: scilicet quòd illud vnum ad quod diuersæ habitudines terminantur in huiusmodi analogis, est vnum non solùm ratione, sed numero. Quod dupliciter intelligi potest, secundùm quòd analogata dupliciter sumi possunt, scilicet vniuersaliter & particulariter. Si enim sumuntur analogata particulariter, illud vnum necessariò est vnum numero verè & positiuè. Si autem sumantur vniuersaliter, illud vnum necessariò est vnum numero negatiuè, id est, non numeratur in illis analogatis vt sic, quamuis in se sit vniuersale quoddam & non vnum numero. Verbi gratia: si sumantur hæc vrina sana, hæc medicina sana, & hoc animal sanũ: hæc omnia dicũtur sanã sanitate existẽte in hoc animali, quam constat vnam numero verè esse. Sortes enim dicitur sanus, quia hanc habet sanitatem: medicina, quia illã fecit: vrina, quia eandem significat, &c. Si verò sumantur animal sanum in communi, & vrina sana in cõmuni, & medicina sana in communi: sic formaliter loquendo, sanitas à qua huiusmodi sana dicuntur, non est vna numero in se: eo quòd causæ vniuersales effectibus vniuersalibus comparandæ sunt. Et simile est de signis, & instrumentis conseruatiuis, & alijs huiusmodi: sed est vna numero in istis analogatis. Non enim numeratur sanitas in animali, vrina & diæta: quoniam non est alia sanitas in vrina, & alia in diæta, & alia in animali. Et sequitur conditio ista ex præcedenti, quoniam commune secundum denominationem extrinsecam non numerat id, à quo denominatio sumitur in denominatis. sicut vniuocum multiplicatur in suis vniuocatis: & propter hoc, dicitur vnum ratione tantùm, & non numero, in suis vniuocatis. Alia enim est animalitas hominis, & alia æqui, & alia bouis animalis nomine adunante in vna ratione.

Primum analogatum ponitur in cæterorũ rationibus.

¶ Ex hac aũt conditione infertur alia: scilicet quòd primum analogatum ponitur in ratione cæterorum, secundum illud nomen analogum: quoniam cætera non suscipiunt illud nomen nisi per attributionem ad primum: in quo formaliter saluatur eius rõ. Cadit siquidẽ in rõne medicinæ, & diætę, & vrinæ, &c. inquantũ sana sunt animalis sanitas: sine qua intelligi cætera sana non possunt. & simile est de alijs iudicium. Ex hoc autem sequitur vlterius, quòd nomen sic analogum vnum certum significatum commune omnibus partialibus eius modis, seu omnibus analogatis non habet. Et consequenter, quòd nec cõceptũ obiectiuum, nec conceptum formalem abstrahentem à conceptibus analogatorum habet: sed sola vox cum identitate termini diuersimodè respecti cõmunis est. Ita quòd cùm in hac analogia sint tria: vox scilicet, terminus, respectus diuersi ad illum, nomen analogum terminum quidem distinctè significat (vt sanum sanitatem) respectus autem diuersos ita indeterminatè & confusè importat, vt primum distinctè vel quasi distinctè ostendat: cæteros autẽ confusè, & per reductionẽ ad primum. Sanũ enim respectus multos ad sanitatem, puta habẽtis, significãtis, causantis, &c. sic in vna voce sanitatẽ distinctè importãte confundit: vt respectum primum, scilicet habentis seu subiecti distinctè significet. Sanum enim absolutè dicimus sanitatem habentem, vt subiectum: cæteros autem respectus indeterminatè importat & per attributionẽ ad primum: vt patet ex dictis. Et propter hoc tria de huiusmodi analogo dicũtur, scilicet quòd commune est omnibus analogatis non secundum vocem tantùm: & quod simpliciter prolatum stat pro primo: quod non est prius primo analogato, in quo tota ratio formaliter saluatur. Primum quidem pecularius significat, & supra omnia analogata superius significatum non habet.

¶ Diuiditur autem à san. Tho. analogia hæc in analogiã duorum ad tertium: vt vrinæ & medicinæ ad animal sanum: & in analogiam vnius ad alterum: vt vrinæ vel medicinæ ad animal sanum. Nec habet diuisio ista alia membra à supradictis: quoniam hoc circuit analogiam secundum omnia genera causarum: sed ad hoc facta est, vt ostendatur differenter suscipi nomen analogum, quando ponitur primum analogatum ex vna parte, & cætera ex alia parte: & quando secundorum analogatorum vnũ hinc & alterum inde ponitur, secundum quodcũque genus causæ analogia fiat. Primo enim & cæteris sic commune est analogum, vt nihil eis prius ponat aut significet: & propterea vocatur analogia vnius ad alterum, ponendo omnia alia à primo loco vnius. Secundis autem analogatis sic commune est nomẽ analogum, vt aliquid omnibus eis prius ponat: primum scilicet quod omnia secũda attribuũtur. Et vocatur analogia duorum ad tertium, vel multorum ad vnum: quia non inter se est attributio, sed ad primum. Appellantur autem analoga secundum attributionem à Logico æquiuoca: vt in principio Prædicamentorum patet: vbi animal æquiuocũ dicitur ad animal verum & pictum. Animal enim pictum non purè æquiuocè, sed per attributionem ad animal verum animal dicitur: & in ratione eius inquãtum animal manifestè patet verum animal accipi. Quærenti enim, quid animal pictum in eo quòd animal: respondebitur, imago animalis veri. A philosophis verò Græcis, nomina ex vno, vel ad vnũ, aut in vno, & media inter æquiuoca & vniuoca dicũtur: vt pluries in metaphysica patet & expressè in 1. Ethi. hmõi noĩa cõtra analoga distinguuntur, vt infra amplius dicetur. A Latinis autem vocantur analoga vel æquiuoca à consilio. Hanc analogiam san. Tho. in primo senten. dist. 19. vocat analogiam secundum intentionem, & nõ secundum esse, eo quòd nomen analogũ non sit hic commune secundum esse, id est, formaliter: sed secundum intentionẽ, id est, secundũ denominationẽ: vt enim ex dictis patet in hac analogia nomen commune non saluatur formaliter nisi in primo, de ceteris autem extrinseca denominatione dicitur. Hæc ideo analoga apud Latinos dicũtur quia proportiones diuersas ad vnũ dicũt extẽso Proportionis noĩe ad omnem habitudinem: abusiua tamen loquutio hæc est, quamuis lõgè minor, quàm prima. Quomodo autem de huiusmodi analogis fit scientia, & contradictiones, & demonstrationes, & consequentiæ & alia huiusmodi de eis fiant, ex dictis & Aristotelis cõsuetudine patet. Oportet enim significationes diuersas prius distinguere (propter quod ambigua apud

Universidad de Deusto Biblioteca

Arabes hæc dicuntur)& deinde à primo ad alia procedere: sicut à cētro ad circūferentiā diuersis proceditur vijs.

CAPVT III.

Analogia proportionalitatis quid & quotuplex sit, & quomodo propriè analogia dicatur.

EX ABVSIVE Igitur analogis ad propriè analoga ascendendo, dicimus analoga secundum proportionalitatem dici, quorū nomen est commune, & ratio secundum illud nomen est proportionaliter eadem. Vel sic, Analoga secundum proportionalitatem dicuntur, quorum nomen commune est, & ratio secundum illud nomen est similis secundum proportionem: vt videre corporali visione, & videre intellectualiter, communi nomine vocantur videre: quia sic intelligere rem animæ offert, vt videre corpori animato. Quamuis autem proportio vocetur certa habitudo vnius quantitatis ad aliam (secundum quod dicimus quatuor duplam proportionē habere ad duo) & proportionalitas dicatur similitudo duarum proportionum: secundum quod dicimus ita se habere octo ad quatuor, quemadmodū sex ad tria. vtrobique enim dupla proportio est,&c. Transtulerunt tamen Philosophi proportionis nomen ad omnem habitudinem cōformitatis, commensurationis, capacitatis,&c. Et consequenter proportionalitatem extenderunt ad omnem similitudinem habitudinum. Et sic in proposito vocabulis istis vtimur.

¶ Fit autem duobus modis analogia hæc, scilicet metaphoricè & propriè. Metaphoricè quidem, quando nomē illud commune absolutè vnam habet rationem formalē, quę in vnū analogatorum saluatur, & per metaphoram de alio dicitur: vt ridere vnam secundum se rationem habet, analogum tamen metaphoricè est vero risui, & prato florenti, aut fortunæ successui. sic enim significamus hæc se habere, quemadmodum homo ridens. Et huiusmodi analogia sacra Scriptura plena est, de Deo metaphoricè notitiam tradens. Propriè verò fit, quando nomen illud commune in vtroque analogatorum absque metaphoris dicitur: vt principium in corde respectu animalis & in fundamento respectu domus saluatur. Quod vt Auerrois in commenta. septimo primi Ethic. ait, proportionaliter de eis dicitur.

Analogia hæc cæteris omnibus antecellit.

¶ Præponitur autē analogia hæc cæteris antedictis dignitate & nomine. Dignitate quidem: quia hæc fit secūdum genus causæ formalis inhærentis: quoniam prædicat ea, quæ singulis inhærent. Altera verò secundum extrinsecam denominationem fit. Nomine autem: quoniā analoga nomina apud Græcos (à quibus analogiæ vocabulum habemus) hæc tantùm dicuntur: vt ex Aristot. etiam colligitur, qui in Metaphysica, nomina quæ dicimus analoga per attributionem, ex vno, vel ad vnum, vel in vno vocat: vt patet in principio 4. & in 7. text. comment. 15. In quinto autem Metaphysicæ, cap. de vno in textu 12. diffiniens vnum secundum analogiam, vt synonymis vtitur vnum analogia & vnum proportione: & diffinit esse ea, quæcunque se habent vt aliud ad aliud, apertè insinuans illam esse propriè analogorum diffinitionem, quam diximus. Quod tamen clarius in Arabica habetur translatione, dicente, Illa quæ sunt vnum secundum æqualitatem, scilicet proportionalem, sunt quorum proportio est vna, sicut proportio alicuius rei ad aliam rem. vbi Auer. exponens ait. Et illa dicuntur vnū, quæ sunt vnum secundum proportionalitatem: sicut dicitur, quòd proportio rectoris ad ciuitatem & gubernatoris ad nauem, est vna. In secundo quoque Poste. c. 11. huiusmodi nomina proportionalia, analoga vocat. Et quod plus est in primo Ethic. cap. 7. distinguit supradicta nomina ad vnum aut ex vno, contra analoga, dum loquēs de communitate boni ad ea quæ bona dicuntur, ait, Nō assimilantur, à casu æquiuocis, sed certè ei, quod est ab vno esse, vel ad vnum nomina contendere, vel magis secundum analogiam. Et subdens exemplum analogiæ dicit: Sicut enim in corpore visus, in anima intellectus. In quibus verbis diligenti lectori non solùm nomen analogiæ hoc, quod diximus, sonare docuit, sed præferendam esse in prædicationibus metaphysicis hāc insinuauit analogiam in ly magis: vt sanctus Thomas ibidem propter supradictam rationem optimè exponit. Scimus siquidē secundum hanc analogiam, rerum intrinsecas entitates bonitates, veritates, &c. quod ex priori analogia non scitur. Vnde sine huiusmodi analogiæ notitia metaphysicales processus absque arte discurrunt. Acciditque huiusmodi ignorantibus, quod antiquis nescientibus logicam: vt in 2. Elenchorum dicitur. Nec fuit fortè ab Aristo. tempore tam periculosus casus iste, sicut modò apud nos est: quoniam blasphemare ferè videtur, qui metaphysicales terminos analogos dicens secundum proportionalitatem communes exponit. Cùm tamen Auer. dicat super prædicto text. Et dignius his tribus modis est: vt sit nomen boni de eis secundum viam, quæ dicitur de proportionalibus. Vocatur quoque à sanct. Thom. in primo sent. dist. 19. analogia hæc, analogia secundum esse & secundum intentionem: eo quòd analogata ista nec in ratione communis nominis, nec in esse illius rationis parificantur, et tamen tam in ratione illius nominis, quam in esse eiusdem * proportionaliter conueniunt. Sed quoniam, vt dictum est, obscura & necessaria valdè res hæc est, accuratè distinctéque dilucidanda est per plura capitula.

** Alias, proportionabiliter.*

CAPVT IIII.

Quomodo analogum nomen ab analogatis distinguatur.

QVONIAM Autem analogia media est inter æquiuocationem purā & vniuocationem, ex extremis medij natura declaranda est. Et quia in nominibus tria inueniuntur, scilicet vox, conceptus in anima, & res extra seu conceptus obiectiuus, ideo singula perlustrando, dicendum est quomodo analogum ab analogatis distinguitur. Et à rebus incipiendo (quia priores conceptibus & nominibus sunt) dicimus quòd nomine æquiuoco diuersæ res significantur, quòd vt sic non nisi voce adunantur. Vniuoco verò diuersæ res ita significantur, quòd vt sic ad rem in se simpliciter vnām, abstractā & præcisam in esse cognito ab eis, adunantur. Analogo autem nomine res diuersæ ita significantur, quod vt sic ad res diuersas secundum proportionem vnam vniuntur. Vocatur autem in proposito res non solùm natura aliqua: sed quicunque gradus, quæcunque realitas, & quodcunque reale in rebus inuentum. Vnde inter vniuocationem & analogiam hæc est differentia, quòd res fundantes vniuocationem sunt sic adinuicem similes, quòd fundamentum similitudinis in vna est eiusdem rationis omnino cum fundamento similitudinis in alia: ita quòd nihil claudit in se vnius ratio, quod non claudat alterius ratio. Ac per hoc fundamentum vniuocæ similitudinis, in vtroque extremorum æquè abstrahit ab ipsis extremis. Res autem fundantes analogiā, sic sunt similes, quòd fundamentum similitudinis in vnā diuersæ est rationis simpliciter à fundamento illius in alia: ita quòd vnius ratio nō claudit id quod claudit ratio alterius. Ac per hoc fundamentum analogæ similitudinis, in neutro extremorum oportet esse abstractum ab ipsis extremis: sed remanent fundamenta distincta, similia tamen secundum proportionem: propter quod eadem proportionaliter vel analogicè dicuntur.

Et vt omnibus possint prædicta patere, declarātur exēplariter in vniuocatione huius nominis animal, & analogia huius nominis ens, homo, bos, leo & cætera animalia: quia habent in se singulas naturas sensitiuas seu proprias animalitates: quas constat diuersas secundum rem esse, & mutuò similes: sic quòd in quocunque extremo (puta homine aut leone) consideratur secundum se animalitas, quæ est similitudinis fundamentum, inuenitur æqualiter abstrahens ab eo, in quo est, & nihil includens in vno quòd non in alio. ideo & in rerū natura fundant secūdum suas animalitates similitudinem vniuocam: quæ identitas generica vocatur: & in esse cognito adunantur non ad duas vel tres animalitates, sed vnam tantùm: quæ animalis nomine in concreto per se primò significatur, & vniuocè vocatur communi nomine animal. Omnium siquidem eorum, secundum quòd naturas sensitiuas habent, indistincta omnino est ratio: quæ illius rei, quam animalitatem vocauimus, adæquata est diffinitio. Substantia autem, qualitas, quantitas, &c. quia non habent in suis quidditatibus aliquid prædicto modo abstrahibile (puta entitatem) quoniam supra substantialitatem nihil amplius restat: ideo nullam substantialitatem vniuocantem inter se compatiuntur. Et quia cùm hoc, quòd non solùm eorum quidditates sunt diuersæ, sed etiam primò

mò diuersæ, retinent similitudinem, in hoc, quòd vnumquodque eorum secundum suam proportionem habet esse: ideo & in rerum natura non secundum aliquam eiusdem rationis in extremis, sed secundum proprias quidditates, vt commensuratas his proprijs esse fundant analogiam, id est, proportionalem similitudinem. Et in intellectu adunantur ad tot res, quot sunt fundamenta, proportionis similitudine vnitas, significatas propter illam similitudinem, entis nomine, & analogicè communi nomine vocantur ens. Differenter ergo res adunantur sub nomine Analogo & Vniuoco.

¶ Conceptus quoque mentalis non eodem modo inuenitur in vniuocis & analogis: quoniam nomen vniuocum & omnia vniuocata vt sic, vnum tantùm conceptum in mente habent perfectè & adæquatè eis correspondentem: quia fundamentum vniuocæ similitudinis (quod significatum formale est nominis vniuoci) vnius omnino rationis est in omnibus vniuocatis: ac per hoc in vno repræsentato, omnia repræsentari necesse est. In analogis verò, quoniam fundamenta analogæ similitudinis diuersarum sunt rationum simpliciter, & eiusdem secundum quid (id est secundum proportionem) oportet duplicem analogi mentalem conceptum distinguere: perfectum & imperfectum: & dicere quòd analogo & suis analogatis respondet vnus conceptus mentalis imperfectus, & tot perfecti, quot sunt analogata. Quia enim vnū analogatorum vt sic, simile est alteri, consequens est, quòd conceptus repræsentans vnum: repræsentet alterum: iuxta illam maximam, Quicquid assimilatur simili vt sic, assimilatur etiam illi, cui illud tale est simile. ¶ Quia vero talis similitudo secundum proportionem tantùm est, quæ diuersam rationem in altero fundamēto habet: conceptus perfectè repræsentans vnum analogatorum à perfecta repræsentatione alterius deficit: & consequenter oportet alterius analogati alterum adæquatum conceptum esse. Vnde & analogum vnum habere mentalem conceptum, & plures habere conceptus mētales, verum est diuersimode: quamuis, simpliciter loquendo, magis debeat dici, analogi esse plures conceptus, nisi loquendo occasio aliud exigat. Dico autem hoc: quoniam cum cōtradicendus analoga omnino carere vno conceptu mentali sermo est, vnum eorum conceptum absolutè dicere non est reprehendendum. Propter quod oportet solerti discretione lectorem vti: quando inuenitur scriptum, quòd analogata conueniunt in vna ratione, & quando inuenitur alibi, quòd analogo non conueniunt in vna ratione. Est ergo differentia inter analogiam & vniuocationem quo ad conceptum mentalem, ita quòd vniuoci & vniuocatorum vt sic, vnus est conceptus perfectè & adæquatè eis respondens: vt de conceptu animalis patet. Analogi verò & analogatorum vt sic, vt plures necessariò sunt conceptus perfectè ea repræsentantes, & vnus est conceptus imperfectè repræsentans. Non ita quòd sit vnus conceptus adæquatè respondens nomini analogo, & inadæquatè analogatis: quoniam secundum veritatem nomen illud vniuocum esset, sed ita quòd cōceptus vnus repræsentans perfectè alterum analogatum vt sic, imperfectè repræsentat reliquum. Quo ad vocem autem, nō est inter analoga & vniuoca differentia.

Nota distinctionem analogi ab analogatis.

¶ His autem prælibatis, intentum facile patere potest: quomodo scilicet distinguitur analogum, puta, ens, ab analogatis: puta, substantia, quantitate & qualitate. Vniuocum enim, puta animal, distinguitur ab vniuocatis (puta homine & leone) quo ad rem significatam seu conceptum obiectiuum, & quo ad cōceptum mentalem sicut vnum simpliciter abstractum, &c. à multis simpliciter, &c. Analogum verò quo ad rem seu obiectiuum conceptum distinguitur sicut vnum proportione à multis simpliciter, vel (& idem est) sicut multa & similia secundum proportiones à multis absolutè: verbi gratia, Ens distinguitur à substantia & quantitate: non quia significat rē quandā eis communē, sed quia substantia quidditatē tm̄ substātiæ importat, & similiter quantitas quidditatē quantitatis absolutè significat: ens autem significat ambas quidditates vt similes secundum proportiones ad sua esse: & hoc est dicere vt easdē proportionaliter. Quo ad conceptum autem mentalem adæquatum hoc quoque eodē omnino modo distinguitur. Secūdū conceptū verò mētalē imperfectū, quamuis distinguat sicut vnum simpliciter à multis simpliciter, non tamen sicut vnum abstrahens in repræsentando ab illis multis quemadmodum in vniuocis contingit. Quoniam, vt ex dictis patet, conceptus ille, puta, qualitatis, inquantum ens, alterius analogati, id est ipsius qualitatis, secundum quòd se habet ad suū esse, est adæquatè repræsentatiuus, & à qualitatis quidditate non abstrahens, cæterorum verò (puta quantitatis & substantiæ) imperfectè tantùm est repræsentatiuus, inquantum eis similis proportionaliter est.

CAPVT V.

Qualis sit abstractio analogi ab analogatis.

OPORTET AVTEM Ex præmissis ostendere, qualiter analogum abstrahat ab his, quibus commune secundum analogiam dicitur: puta qualiter ens abstrahit à substantia & quantitate. Insurgit siquidē difficultas quædam in re hac, & ex parte rerum, & ex parte cōceptus. Ex parte siquidē rerū: quia videt analogi nōis res significata, eodē abstrahibilis & abstracta modo quo res vniuoco nomine significata. Quoniam cùm (vt in quinto. Meta. dicitur) vnum in qualitate faciat simile, nulla apparet ratio, cur à quibusdam similibus sit vna res abstrahibilis, & à quibusdam non, licet euidens nō sit, cur ab his similibus, puta Sorte & Platone, abstrahibilis sit res magis vna, & ab illis, puta hoīe & lapide, minus vna. Vnde si substantia & quantitas assimilantur in hoc, quòd vtraque est ens, & consequenter in eis est aliquid vnum, quod est fundamentum illius similitudinis, quid vetat ab eis abstrahi rē vnam vtrique communem? Ex parte verò conceptus, quia videtur eodem modo conceptus analogi abstrahere ab analogatis sicut vniuocū ab vniuocatis, eo quòd analogum nomen importat in confuso singulas proportiones analogatorum, & distinctè non significat nisi proportionem in cōmuni. verbi gratia, ens non significat habēs se ad esse sic vel sic, puta vt substantia, aut vt quantitas: sed si proportionale nomen est, significare videtur habens se ad esse secundū aliquam proportionem, quecunque sit illa. Hoc autem constat esse æquè abstractum à substantia, & à quātitate: & consequenter per modum vniuoci in analogis abstractio conceptus apparet.

VT AVTEM Euidens fiat huius ambiguitatis determinatio: sciendum est, quòd licet abstrahere diuersa significet, cùm dicimus intellectum abstrahere animal ab homine & equo, & cū dicimus animal abstrahere ab homine & equo: eo quòd tunc significat ipsam intellectus operationem attingentem in eis vnum & non alia, nūc verò significat extrinsecā denominationē ab illa intellectus operatione, qua res cognita abstracta denominatur. In vnum tamen & idem semper tendit: quoniam semper sonat intelligi vnum, non intellecto altero. Ideoque nihil aliud est agere de abstractione analogi ab analogatis, quàm inquirere & determinare, quomodo res significata analogo nomine intelligi possit, non cointellectis analogatis: & quomodo conceptus illius habeatur absque conceptibus istorum. cùm igitur ex supradictis, & ex ipso analogiæ vocabulo pateat, quòd analogo nomine non simpliciter vna res, sed res proportione vna significatur: talis autem idem est quod res diuersæ, vt similes proportionaliter, facilè deduci pōt, quòd res analoga pōt quidē intelligi nō cointellectis analogatis, & cōsequēter abstrahere ab eis. Sed non sicut in vniuocis res vna (puta natura sensitiua, seu animal intelligitur non cointellectis oīno natura humana & equina vt sic) sed sicut duæ res vt proportionaliter similes intelligūtur, nō cointellectis ipsismet duabus rebus secūdū suas proprias naturas absolutè. Ita quòd analogi abstractio non consistit in cognitione vnius & non in cognitione alterius: sed in vnius & eiusdē intellectione vt sic, & non in intellectione absolutè. verbi gratia, entis abstractio non consistit in hoc, quòd entitas apprehenditur, & substantia aut quantitas non: sed in hoc quòd substantia, aut quantitas apprehenditur vt sic se habet ad proprium esse: secundum hoc enim similitudo proportionaliter attenditur: & non apprehenditur substantia, aut quantitas absolutè. Et simile est de alijs rebus analogis, quales sunt ferè oēs metaphysicales. Vnde cōcedi potest, rem analogā abstrahere, & non abstrahere ab analogatis diuersimodè. Abstrahere quidem, pro quanto abstrahit ab eis, quemadmodū res

Universidad de Deusto Biblioteca

vt sic, id est, res similis alteri proportionaliter abstrahit à se absolutè sumpta. Non abstrahere verò, pro quanto res vt sic accepta seipsam necessariò includit, & absq; seipsa intelligi nonpotest. Quod de vniuocis dici non potest: quia res vniuoca, absque alijs, quibus est vniuocè cõmunis, intelligitur, sic quòd eas in suo intellectu nullo modo actualiter includit: vt patet.

Vnũ proportione, non vnũ simpliciter oportet esse similia.

OBIECTIONI Autem ad oppositum adductæ ex analogæ similitudinis natura, facilè satisfit, dicendo, quòd cùm vnum multipliciter dicatur, non oportet omnem similitudinem attendi secundum vnum simpliciter, sed quandoque sufficit, quòd vnum secundum proportionem faciat similè. Vnum autem proportionaliter non est simpliciter vnum, sed multa similia secundum proportiones, à quibus ideo non potest abstrahi res vna simpliciter: quia similitudo ipsa proportionalis tantùm est, & fundamentum non est vnum nisi proportionaliter. De ratione siquidem vnius proportionaliter, est habere quatuor terminos: vt in quinto Ethic. dicitur. Quoniã proportionalitas, qua similitudo proportionum fit, inter quatuor ad minus (quæ duarum proportionum extrema sunt) necessariò est, & consequenter vnum proportione, non vnificatur simpliciter, sed distinctionem retinẽs, vnum pro tanto est, & dicitur, pro quanto proportionibus dissimilibus diuisum nõ est. Vnde sicut nõ est alia ratio quare vnum proportionaliter non est vnum absolutè, nisi quia ista est eius ratio formalis: ita non est quærenda alia ratio, cur à similibus proportionaliter nõ potest abstrahi res vna, hoc enim ideo est, quia similitudo proportionalis talem in sua ratione diuersitatem claudit. Et accidit vlterius procedentibus, vt quærant id, quod sub quæstione non cadit: vt quare homo est animal rationale, &c.

Conceptus nominis analogi abstrahit nõ sicut vnũ simpliciter, sed sicut vnũ proportione.

DE ABSTRACTIONE Quoq; cõceptus eodẽ dicendũ est modo, abstrahit eũ conceptus analogi nominis nõ sicut vnũ simpliciter, sed sicut vnũ proportione: seu similè secundũ proportiones à multis absolutè. Sed quia obijciendo tangitur de abstractione cõceptus analogi à specialibus conceptibus illius analogij, et abstractione analogata ibidẽ vocantur partiales analogi rationes: ideo diligẽter cauendũ est, ne apparẽtia in obiectione tacta in illum errorem ducat, qui ibi tangitur. Sciendum siquidem est, quòd licet in analogis secundum attributionem in hoc omnia analogata conueniant, quòd eandem formam omnino respiciunt: ita quòd non solũ conueniunt in vno termino, sed in hoc, quod est respicere illum. Erroneum tamen est, analogo per attributionem conceptum vnum respectus in communi ad illum terminũ per abstractionem à tali & tali respectu, attibuere: verbi gratia, Animal inquantum sanum, vrina inquantum sana, & medicina inquantum sana, licet conueniant, & in sanitate tanquam termino, cuius animal est subiectum, vrina signum, & medicina causa, & conueniant, in hoc, quòd respiciant sanitatem: quodlibet enim eorum sanitatem respicit, licet diuersimodè. Ab his tamen specialibus respectibus non abstrahitur respectus in communi ad sanitatem, importatus sani nomine: in cuius respectu omnes speciales respectus ad sanitatẽ, cõfusè & in potentia claudantur. Falsum enim est, quòd sanum significet hoc quod dico, respiciens, vel aliqualiter se habens ad sanitatem. Tum quia sic Sani nomen vniuocum verè esset ad vrinam & animal, &c. vt patet ex vniuocorũ diffinitione. Tũ quia hoc est cõtra intẽtionẽ dicentium, vrinam aut diætam sanam. Percunctantibus siquidem, quid est vrina inquantum sana, non respondetur, respiciens sanitatem: sed omnes respectum illum specificant, respondentes signum sanitatis, & similiter de diæta respondetur, quòd est conseruatiua sanitatis, &c. Tum quia contra omnes & Philosophos & logicos hucusque à me visos hoc est. Sicut autem in prædictis analogis prædictus cauendus est error: ita in analogis secundum proportionem (quæ sola simpliciter analoga sunt) similis cauendus est error, ex simili causa apparentiæ firmitatem trahens. Quia enim analogata conueniunt in hoc, quòd vnum quodque eorum cõmensuratũ seu proportionatum est, licet diuersimodè credi põt cp ab his specialibus proportionibus abstrahatur proportionatum in cõmuni, & nomine analogo significetur. Ac per hoc analogum habeat conceptum vnum, in quo confusè & in potentia claudãtur omnes speciales proportiones analogatorum: verbi gratia, vt quia substantia proportionata, est suo esse. & similiter quantitas & qualitas, licet diuersimodè: ideo à substantia, quantitate & qualitate, diuersimodè proportionitatis suis esse, abstrahatur res siue quidditas proportionem habens ad esse: qualiscunq; sit illa proportio, & hoc sit entis primarium significatum, in quo omnes speciales proportiones substantiæ, quantitatis & qualitatis, &c. ad sua esse confusè claudantur & in potentia.

¶ Sed hoc falsissimum est. Tum quia hoc quod dicitur, scilicet res proportionata ad hoc quòd sit, non est res vna simpliciter etiam in esse obiectiuo, nisi chimericè. Tum quia proportionalia nomina vniuoca essent (vt ex vniuocorum diffinitione patet) & consequenter periret proportionalitatis ratio, quæ extrema vnum simpliciter esse non compatitur, & sic essent proportionalia & non proportionalia: quod intellectũ capere non potest. Tum quia contra Aristote. autoritatem in secundo post inferius adducendam, & adductam ex primo Ethic. & sanct. Thom. & Auer. & Albert. expressè est. Vnde confusio, qua analogum tam secundum attributionem, q̃ secundum proportionem importat speciales habitudines aut proportiones, non est confusio plurium conceptuum in vno communi conceptu: sed est confusio significationum in vna voce, licet disformiter. Quoniam in analogia Attributionis vox analoga primùm distinctè significat, cætera autem confusè. In analogia verò proportionis, nomen analogum ad omnes suas significationes indistinctè se habere permittitur.

¶ Cautum tamen & attentum oportet hîc esse: quia cũ analogi rationes dupliciter sumi possint, & licet secundum se, & vt eadem, & ipse vt eadem propter identitatis proportionalis naturam non abstrahant à seipsis: & tamen aliquid conuenit eis ratione identitatis, seu inquãtum eadem sunt, quòd non conuenit eis ratione diuersitatis (vt patet de communibus eis) videtur quòd duo incompossibilia secundum apparentiam, analogi rationibus conueniant, scilicet quòd ipsæ vt eadem non abstrahant à seipsis, & quòd ipsæ, vt eadem aliquid cauent, & habeant, quod nõ vt diuersæ, reduplicatiq; possint vt eadem, non reduplicatis, vt diuersæ sunt. Hæc enim non solùm compossibiliter, sed necessariò simul sibi vendicat identitas proportionalis: quoniam & extrema vniri omnino non patiens, ab eis omnino abstrahi non permittit: & extrema aliqualiter indiuisa & eadem ponens, vt eadem ea considerabilia & reduplicabilia exigit. Sicque fit, vt in analogo secundum identitatem in se clausam, ad diuersitatem rationum in se quoque clausam comparato, abstractio quædam (quæ nõ tam abstractio, quàm quidã abstractionis modus est) inueniatur: propter quam nõ solùm ab analogatis (puta substantia & quantitate) analogum, puta ens, abstrahere dicitur: vt supra diximus. Sed ab ipsis eius rationi bene, seu à diuersitate ipsarum rationum eius: puta rationis entis in substantia, & rationis entis in quantitate. Non quia quandam rationem eis communem dicat: quia hoc est fatuum, nec quia illæ rationes omnino sint eædem, aut eas omnino vniat: quia sic non esset analogum, sed vniuocum: sed quia eas omnino aliqualiter adunans, & vt easdem proportionaliter significans, vt easdem considerandas offert, annexa inseparabiliter diuersitate quasi seclusa, & identitate proportionali vnit, & confundit quodammodo diuersitatem rationum. Sicque non solà significationum in voce confusio, analogo conuenit, sed confusio quædam conceptuum, seu rationum fit in identitate eorum proportionali, sic tamen vt non tam conceptus, quàm eorum diuersitas confundatur. Et quoniam analogum talem identitatem præcipuè importat: & tali confusione frequenter vtimur, analoga nomina ab omni rationum eius diuersitate abstrahere dicentes (dum confusè pro omnibus supponere ipsum pluries exponimus) ideo non mediocri opus est vigilantia, ne in vniuocationem labi contingat. Abstrahit igitur analogum à suis analogatis (puta ens à substantia & quantitate) sicut vnum proportione à multis; seu sicut similia proportionaliter à seipsis absolutè, tam quo ad conceptum obiectiuum, quàm mentalem, siue sit sermo de abstractione totali, siue de formali. Hæ enim abstractiones non differunt in eodem, nisi secundum præcisionem, & non præcisionem: vt alibi dec

declarauimus. Vnde nihil aliud est dicere ens abstractum à naturis prædicamẽtorum abstractione formali, quàm dicere naturas prædicamentales proportionales ad sua esse, vt sic præcisè: à specialibus autem seu singulis analogiæ rationibus extremis, non tertio conceptu simplici, sed voce communi & identitate proportionali earundem, quodammodo abstrahit.

CAPVT VI.

Qualiu sit prædicatio analogi de suis analogatis.

VIDEBITVR AVTEM Fortè alicui ex his, quòd prædicatio analogi de suis analogatis (puta entis de substantia, & quantitate, aut formæ de anima & albedine, &c.) sit sicut prædicatio æquiuoci de suis æquiuocatis, ita quòd non sit prædicatio superioris de inferioribus, nec communioris de minus communi, nisi sola voce, sed eiusdem de seipso. Non est enim analogo res vna significata, quæ in vtroque analogatorum saluetur, absque hoc autem prædicatio communioris aut superioris non inuenitur secundum intrinsecam denominationem, seu existentiam. Sic enim analogum secundum proportionalitatem commune esse dictum est. Fouere quoque potest non parum opinionem hanc processus iuxta primum Topi. Aut scilicet analogum est prædicatum conuertibile, aut inconuertibile, seclusa vocis communitate. Et cùm constet non esse inconuertibile (quoniam substantia vt sic se habens ad suum esse. quod ens de substantia dictum prædicat, conuertitur cum substantia: & similiter quantitas sic commensurata suo esse, cum quantitate conuertitur, & sic de alijs) consequens est, quòd analogum tanquam superius, de analogatis prædicari non possit. Superioris enim intentionem suscipere non potest, quod conuertibile esse comprobatur. Et quoniam secundum veritatem analogum vt superius prædicatur de analogatis, & non sola voce commune est eis, sed conceptu vnico proportionaliter; cuius vnitas ad hoc, quòd prædicatum aliquod superioris rationem habeat, sufficit: quia superius nihil aliud sonat, quàm vnum prædicatum ad plura se extendens: vnum autem non per accidens, aut congregatione (sicut à cerauus lapidum) sed per se, constat esse etiam vnum proportione: ideo ad huius veritatis claritatem ex extremis procedendo, sciendum est, quòd quia analogum medium est inter vniuocum & purè æquiuocum, consequens est, quòd analogum idem aliquo modo, & non idem aliquo modo de suis prædicet analogatis. Et quia prædicat aliquod abstrahens aliquo modo à suis analogatis (vt ex præmissis patet cap.) consequens est, quòd comparetur ad sua analogata vt maius ad minora, seu superius ad inferiora: licet non omnino vnum secundum rationem sit, quod eis imponit. Quod vt clarius pateat, figuraliter declaratur sic: Tamen in æquiuocis quàm vniuocis & analogatis, quatuor inueniuntur, scilicet duæ res ad minus, æquiuocatæ, vniuocatæ, aut analogatæ: & duæ res, seu rerum rationes æquiuocationem, vniuocationem aut analogiam fundantes. verbi gratia, In æquiuocatione canis inueniuntur hæc quatuor, canis marinus, & canis terrestris, & ratio illius, & ratio istius secundum nomen canis. In vniuocatione quoque animalis inueniuntur quatuor, scilicet homo & bos, & natura sensitiua hominis & natura sensitiua bouis: quæ animalis vniuocationem fundant. In analogia similiter entis quatuor sunt, scilicet substantia & quantitas, & substantia inquantum commensurata suo esse, & quantitas secundum quod suo esse proportionatur. Et licet prima duo, scilicet æquiuocata & vniuocata & analogata eodem modo quantum ad propositum spectat in omnibus his distinguantur, quia vbilibet ex opposito condistincta sunt: altera tamen duo vniuocationem, æquiuocationem & analogiam fundantia, diuersimodè vnita aut distincta sunt. In æquiuocis nanque rationes illæ, puta canis marini & terrestris, sunt omnino diuersæ secundum rationem: & propter hoc id quod prædicat canis de marino cane, nullo modo prædicat de terrestri, & econuerso: & ideo sola voce communius aut maius æquiuocatis dicitur, & est. In vniuocis verò res illæ (puta animalitas in boue & animalitas in leone) licet numero & specie diuersæ sint, ratione tamen omnino eædem sunt: ratio enim vnius est omnino eadem quod ratio alterius, & econuerso: & propter hoc id quod prædicat animal de homine, idem omnino prædicat de boue, & vniuocum dicitur & superius homine & boue.

In analogis autem res analogiam fundantes (puta quantitas vt sic se habens ad esse, & substantia vt sic se habens ad esse) licet diuersæ sint & numero, & specie, & genere, ratione tamen eædem sunt non omnino, sed proportionaliter: quoniam vnius ratio proportionaliter eadem est alteri. Et propter hoc, id quod prædicat analogũ, puta ens de quãtitate, illud met proportionaliter prædicat de substantia, & econuerso. Est enim illudmet proportionaliter id, quod in substantia ponit, & econuerso: & propter hoc analogum (puta ens) non sola voce communius, maius aut superius analogatis est, sed conceptu (vt dictũ est) proportionaliter vno. Ita quòd analogum & vniuocum conueniunt in hoc: quòd vtrumque communioris & superioris rationem habet. Differunt autem in hoc, quòd illud est superius analogicè seu proportionaliter, hoc verò vniuocè. Et meritò: quia fundamentum superioritatis vtrobique saluatur, vniuocationis autem non. Fundatur enim superioritas super identitate rationis rei significatæ, id est super hoc quòd res significata inuenitur non in hoc tantũ, sed illamet non numero, sed ratione, inuenitur in alio. Vniuocatio autem super modò identitatis omnimodè, scilicet identitate rationis rei significatæ, id est super hoc, quòd ratio rei significatæ in illo, & in isto est eadem omnino. Quamuis enim in analogis hîc identitatis modus non inueniatur, quem, in vniuocis inueniri pluries dictum est: identitas tamen ipsa rationis *rationum inuenitur, est namque identitas proportionalis, identitas quædam. Et ideo non minus analogum (puta ens) est prædicatum superius, quàm vniuocum, puta animal: sed alio modo. analogum enim est superius proportionaliter: quia fundatur supra identitatem proportionalis rationis rei significatæ, vniuocum autem præcisè & simpliciter: quia semper omnimoda identitate rationis rei significatæ eius superioritas fundatur. Propter quod sanctus Tho. superioritas fundamentum aspiciens in quinto Meta. dixit, quòd ens est superius ad omnia, sicut animal ad hominem & bouem.

Aliàs identitas tamẽ rationum, &c.

¶ Vnde obiectiones ad oppositum adductæ, in hoc peccant, cp inter identitatem & modũ indẽtitatis non distinguunt. Fatendum est enim, cp ad hoc, cp aliquis terminus denominetur superior, aut communior, oportet vt rem vnam & eandẽ in vtroq; ponat: sed sophisma consequentis committitur inferendo ex hoc, ergo oportet quòd dicat rem vnam & eãdem omnino. Et est semper sermo de identitate secundũ rationem, seu diffinitionem. Identitas enim & vnitas continent sub se non solùm vnitatẽ & identitatem omnimodam, sed proportionalem, quæ in analogi nominis ratione saluantur. Negandum est igitur quòd in analogis non prædicatur idem de vno & alio analogato: quoniam vnum & idem proportionaliter de omnibus analogatis dicitur: & propterea inter prædicata non conuertibilia numerandum est. Quantitas enim licet adæquet ens de quantitate verificatum secundum rationem omnino eandem, non tamen secundum rationem illam proportionaliter: quoniam entis ratio non alia proportionaliter ad substantiam & qualitatem se extendit. Verùm quia analogum sonat identitatem proportionalem, ideo huiusmodi rationibus formaliter respondendo, nullo pacto concedendũ est analogum conuerti cum aliquo analogato. Ad materiam tamen descendendo, potest intrepidè dici, quòd quia analogum rationem vnam proportionaliter tantùm prædicat, & vnum proportionaliter plura & esse proportionibus similia manifestum est: dupliciter potest secundum singulas rationes ad analogata comparari. Vno modo absolutè: & sic secundum singulas rationes cum singulis analogatis conuertitur: quia nulla omnino vna analogi ratio in duobus analogatis inuenitur. Alio modo secundum identitatem proportionalem, quam habet vna cum altera: & sic cum nullo analogato conuertitur: quoniã omnes analogi rationes indiuisæ sunt proportionaliter, & vna est altera proportionaliter. Et quia vt dictum est analogum hanc sonat identitatem, ideo formaliter & simpliciter loquendo, analogum inconuertibile & com

Universidad de Deusto Biblioteca

munius prædicatum concedendum est esse. Non tamen genus, aut species, aut proprium, aut diffinitio, aut differentia, aut accidens vniuersaliter est. Nec propterea diminutus Ari. aut Porphy. fuit: quoniam prædicabile, quod simpliciter vnum est, docebant, ac per hoc inter æquiuoca analoga numerauerunt.

¶ Ex prædictis autem manifestè patet, quòd analogum non conceptum disiunctum, nec vnum præcisum inæqualiter participatum, nec vnum ordine, sed conceptum vnum proportione dicit & prædicat. De ordine tamen in analogis incluso infra tractabitur. Vnde cùm dicitur de homine, aut albedine, aut quocunque alio, quod est ens, non est sensus, quòd sit substantia, vel accidens: sed sic se habens ad esse. Vtor autem ly, sic, quoniam de proprijs nominibus proportionum ad esse in actu exercito eas importantibus, disputare nolo ad præsens: quoniam Metaphysici negotij opus hoc est, & exemplariter hîc de ente loquimur. Simile siquidem est de actu, potentia, forma, materia, principio, causa, & alijs huiusmodi iudicium.

CAPVT VII.

Qualis analogatorum secundum analogi nomen diffinitio.

APPARERE QVOQVE Poterit alicui, quòd in ratione vnius analogati (puta qualitatis) secundùm analogi, puta entis nomen, alterius analogati, puta substantiæ, vel quantitatis ratio secundum idem analogi nomen cadere debeat: sicut in analogia attributionis contingere dictum est. Fundamentum autem inde apparentiam hæc sumit: quia ratio vnius analogati vt eadem proportionaliter est alteri, absque illa altera exprimi completè nequit. Dictum est autem, quòd analogo nomine rationes hæ importantur, vt eadem proportionaliter sunt. Et confirmat hoc expositio ipsa analogiæ ab Aristotele, Auerroe & sancto Thoma in primo Ethicorum posita. Exponunt enim, quòd bonum seu perfectio analogicè dicitur de visu & intellectu: quia sicut visus in corpore, ita intellectus in anima perfectio est. Constat autem, quòd non est intelligibile hoc se habere sicut illud, nisi vtrunque extremorum percipiatur. Necessariò igitur videtur, vnum analogatorum secūdum analogi nomen per aliud diffiniendum esse.

VT AVTEM Liqueat huius ambiguitatis solutio, recolendum est analoga hæc dupliciter inueniri, scilicet propriè & metaphoricè. Diuersimodè enim hæc se habent ad propositam quæstionem. In analogia siquidem secundum metaphoram, oportet vnum in alterius ratione poni: non indifferenter, sed propriè sumptum, in ratione sui metaphoricè sumpti claudi necesse est: quoniam impossibile est intelligere quid sit aliquid secundum metaphoricum nomen, non cognito illo, ad cuius metaphoram dicitur. Neque enim fieri potest, vt intelligam quid sit pratum in eo, quod ridens, nisi sciam quid significet risus nomen propriè sumptum, ad cuius similitudinem dicitur pratum ridere.

Est autem huius ratio radicalis: quia analogum metaphoricè sumptum, nihil aliud prædicat, quàm hoc se habere ad similitudinem illius, quod absque altero extremo intelligi nequit. Et propter hoc huiusmodi analoga prius dicuntur de his, in quibus propriè saluantur, & posterius de his, in quibus metaphoricè inueniuntur, & habent in hoc affinitatem cum analogis secundum attributionem: vt patet. In analoga verò, in qua nominis saluatur proprietas, nullum analogi membrum per alterum diffiniri oportet, nisi fortè gratia materiæ: vt sanctus Thomas in secunda quæstione, de Veri. articulo vndecimo docuit. Sunt enim analogatorum rationes secundum analogi nomen quodammodo mediæ inter analoga secundum attributionem, & vniuoca. In analogis enim secundum attributionem primum diffinit reliqua. In vniuocis verò neutrum alterum diffinit, sed vnius diffinitio est completa alterius diffinitio: & econuerso. In analogis autem neutrum alterum diffinit, sed vnius diffinitio est proportionaliter alterius diffinitio. Et loquimur semper de ratione secundum nomen commune, verbi gratia, in diffinitione cordis, secundum quòd principium animalis, non ponitur fundamentum, secundum quod principium domus, nec econuerso: sed eadem proportionaliter est principij ratio vtrobique, vt commen. vbi suprà dicit.

¶ Duabus autem opus est distinctionibus vti in re hac: ea scilicet, quæ in logica traditur de actu signato & exercito, & ea quę à metaphysico, vt plurimùm tractatur, de ordine rerum ex vno nomine ex parte rei, & parte impositionis nominis. Ex prima siquidem distinctione scimus duo. Primò, quòd sicut animal dictum de homine & æquo importans vniuocationem in actu exercito, non prædicat de homine totum hoc, scilicet naturam sensitiuam eandem secundum rationem naturæ sensitiuæ æqui & bouis, sed naturam sensitiuam simpliciter, quam tamen ad hoc, quòd vniuoca sit prædicatio, oportet esse omnino eandem secundum rationem naturæ sensitiuæ æqui & bouis, ita ens importans proportionalitatem in actu exercito, non prædicat de quantitate totum hoc, scilicet habens se ad esse sic proportionaliter vt substantia, aut qualitas ad suum esse, sed habens se ad esse sic absque alia additione: quod tamen oportet ad hoc, quòd analoga sit prædicatio, idem proportionaliter esse cum altero, sic se habere ad esse quod de substantia aut qualitate ens prædicat. Secundò, quòd sicut ex declaratione, qua manifestatur animal esse vniuocum, quia dicit vnam & eandem omnino rationem in omnibus, non fallimur, nec confundimur, nec vagamur circa hominis et bouis secundū animalis nomē rationē, sed quiescimus, intuentes quod animal exercet, quod vniuocorum diffinitio et expositio significat. Ita ex hoc, quòd declaratur ens, aut bonum, aut quodcunque aliud esse analogum: quia dicit rationes plures easdem proportionaliter, & importat hoc se habere quemadmodum proportionaliter se habet illud ad esse vel appetitum, &c. non debemus turbari, & inquirere in analogi nominis (puta boni) ratione significationem istam, sed sat sit, distinguendo inter actum signatum & exercitum inspicere quòd analogi nominis ratio id exercet, quòd analogi ratio & declaratio significat. Ex his autē duobus patere iam potest intentum, quòd scilicet non oportet vnum analogiæ membrum per alterum diffinire, ex eo quod analogum significat ea esse eadem proportionaliter: quoniam hoc in actu exercito significat.

¶ Ex secunda verò distinctione scimus, non solùm quòd præposterus est ordo rerum & significationum quandoque sub nomine analogo, ita quòd prior secundum rē, ratio, posterior interdū significatione est (vt de ente & bono, & alijs huiusmodi communibus Deo & creaturis accidit: ratio enim, quam in Deo quodlibet horum ponit, significatione quidem posterior, re autem prior est) & propter alterum horum dicitur analogum prædicare de suis analogatis secundum prius & posterius, ipsam analogi * rationem. Sed etiam scimus, quòd quando ratio, quàm ponit analogum in vno, ex ratione, quam in altero ponit, exponitur, non ideo fit, quia vnum in alterius ratione cadat: sed quia vnius ratio posterior altera est significatione, & per priorē vtpotē notiorem declaratur, vt sanctus Thomas in secundo articulo, quæstione decimatertia primæ partis fecit, declarans, quòd dicendo, Deus est bonus, sensus est, id quod bonitatem in creaturis dicimus, præexistit in Deo proportionaliter, &c. Et eadem intelligendum est ratione fieri, si posterior secundum rem per priorem declaretur. Non diffinit ergo analogum secundum vnam rationem, seipsum secundum alteram, licet exponat & declaret.

* Aliâs, prædicare de suis analogatis secundum prius & posterius ipsam analogi rationem.

OBIECTIONIBVS Autem in oppositum, quamuis ex dictis satisfactum sit, formaliter responderi potest, quòd cognosci aliqua vt eadem proportionaliter, seu hoc se habere sicut illud, dupliciter contingit. Vno modo formaliter, id est quo ad relationem identitatis & similitudinis: & sic absque extremis cognitio hæc haberi non potest. Alio modo fundamentaliter: & sic in ratione vnius non cadit reliquum, sed ratio vnius est alterius ratio, omnino, vel proportionaliter. Constat autem, quòd analogum nomen (puta ens aut bonum) non relationem identitatis aut similitudinis significat, sed fundamentum: & ideo obiectiones, quæ iuxta primum sensum procedunt, nihil concludunt contra intentum. Patet autem facillimè hæc esse ve-

raexe

ra exempla de vniuocis, ponendo & applicando ad identitatem vniuocationis. Significat nanque nomen vniuocum plura, inquantum eadem sunt vniuocè, seu secundum rationem omnino. Et identitatis relatio in nullo extremorum absque altero intelligibilis est, &c.

CAPVT VIII.

Qualis sit in analogo comparatio.

DIFFICVLTAS Etiam non parua, (quæ multos inuasit ac superauit) de comparatione in analogo dilucidanda est. Creditum enim à quibusdam est, quòd non posset analogia posita, sermo ille nisi extortè exponi, quo vnum analogatum magis aut perfectius tale secundum analogi nomen diceretur, verbi gratia: Substantia est magis, aut perfectius ens quam quantitas. Moti sunt autem ex eo, quòd comparatio in vno communi, vtrinque facienda est etiam secundum grammaticos: quod in analogo non inueniri videtur. Et potest formari ratio pro eis talis: Aut comparantur analogata in vna communi eis ratione, aut in suis rationibus: non in ratione communi, quia illa analogum caret: nec in rationibus proprijs: quia tunc falsum est, substantiam esse magis ens, quàm quantitatem. Non enim minus aut imperfectius quātitas est sua ratio, quàm ens in ea ponit, quàm substantia sua, &c. Nullo igitur modo videtur comparationem cum analogia saluari posse.

¶ Succumbitur autem difficultati huic, quia proprium comparationis fundamentum non consideratur. Fundatur enim super identitate seu vnitate rei, in qua fit comparatio, & non super modo identitatis aut vnitatis: sicut de intentione superioritatis prædictū est. Vnde, cùm analogum ex dictis constet rem vnā, licet proportionaliter, dicere: nihil prohibet, in ipso comparari analogata: licet non eo modo, quo vniuoca fit comparatio. Ad comparationem siquidem cùm requirantur & sufficiant hæc tria, scilicet distinctio extremorum, & identitas eius, in quo fit comparatio, & modus essendi illius in extremis, scilicet ęquè, vel magis, aut minus perfectè: sub identitate autem seu vnitate proportionalis vnitas seu identitas contineatur, consequens est, quòd si in diuersis idem proportionaliter æquè vel magis aut minus perfectè esse habet, comparatio secundum illud proportionale fieri posit, comparatione non vniuoca, sed analoga. Sicut enim quia natura sensitiua est in boue, & illamet omnino secundum rationem est in homine, & perfectius esse habet in homine, quàm in boue, homo perfectius animal boue dicitur vniuoca comparatione, sic quia sic se habere ad esse est in substantia: & hoc idem proportionaliter est in quantitate, & imperfectius esse habet in quantitate, quàm in substantia dicitur substantia magis seu perfectius ens, quàm quantitas, analoga comparatione. Vnde sanctus Thomas in septimo articulo quæstione septima de potentia Dei, tripliciter comparationem fieri docens, duos modos analogicæ computationis ponit: apertè ex hoc insinuans, comparationē non solùm super identitate numerali specifica aut generica fundari, sed etiam proportionali. Modi autem comparationis ibidem traditi sunt hi, scilicet secundum solam quantitatem rei participatæ: & sic vnum album dicitur altero albius.

Vel extendēdo propter præsens propositū, hunc modum ad omnem comparationem vniuocā, dicatur quòd primus attenditur secundum quantitatem rei participatæ eiusdem omnino secundum rationem, siue illa ratio sit specifica, siue generica: vt calidum magis calidum altero dicitur, & homo perfectius animal leone est. Secundus verò modus attenditur secundum quòd res aliqua in vno inuenitur participatiuè, alterum verò est per essentiam, quemadmodum homo Platonicus longè perfectior homo esset nobis. Et abstractione intellectus vtendo: quemadmodum bonitas longè melior est quocunque bono, quod participatiuè bonum dicitur. Tertius autem modus attenditur secundum quòd res aliqua in vno inuenitur formaliter, & secundum se, in altero autem virtualiter & eleuatum ad rem superioris ordinis.

Quemadmodum dicimus, quòd sol est magis calidus quàm ignis: vel quòd calor perfectius esse habet in sole, quàm in igne. Nec est dubium hos duos modos vniuocam comparationem impedire, vt Sanctus Thomas ibidem dicit. & Aristoteles in primo Ethicorum, de primo modo testatur: vbi bonum commune non vniuocè, sed secundum proportionalitatem dicendum docet, bonitati separatæ & bonis cæteris per participationem. Patet igitur ex his, eadem proportionaliter vt sic esse comparabilia: quamuis Physicè loquendo in sola specie aut genere comparatio fiat.

AD OBIECTIONEM Autem in oppositum, dicitur quòd vtroque modo in analogis comparatio fit. Comparantur siquidem analogata (puta substantia & quātitas) in ratione vna & communi proportionaliter, quàm analogi nomē (puta ens) dicit, & addit supra analogata: vt ex dictis patet. Et comparantur secundum suas rationes, secundum tamen analogi nomen, quæ earum sit perfectior: secundum quòd dicimus, substantia est perfectius ens quantitate: quia ratio entis in substantia perfectior est ratione entis in quantitate. Ita quòd iuxta istam comparationem est sensus, substantia habet perfectiorem secundum entis nomen rationem, quàm quantitas, & non quòd substantia est magis aut perfectius substantia, quàm quantitas sit quantitas: vt quidam somniare videntur. Vnde comparatio ista extenditur vsque ad analoga secundum attributionem: licet in tali analogia non nisi abusiuè comparatio fieri posit. Dicimus enim quòd ens reale est magis & perfectius ens ente rationis: quod per attributionem ad illud ens dicitur in quarto Methaphisicorum, textu secundo: quia ens reale habet perfectiorem secundum entis nomen rationem. Iuxta quem modū si vsus admitteret, diceremus, animal est magis sanum vrina: quia perfectiorem secundum Sani nomen rationem habet.

CAPVT IX.

Qualis sit analogi diuisio & resolutio,

QVALITER AVTEM Analogum diuidendum sit, ex dicendis manifestum est. Potest siquidem trifariam analogi diuisio intelligi. Primò, vt diuidatur vox in suas significationes. Dictum est enim quòd analogum plures rationes significat immediatè, & hæc diuisio conuenit sibi, inquantum æquiuocum quoddam est. Secundò, vt diuidatur significatum eius in quasi membra eius: eo modo quo eius, quod proportionaliter vnum est, sic & sic proportionatum membra dici possunt. Dictum est enim quòd analogum non ita diuersas rationes significat, quin significet vnam rationem proportionaliter. Omnes nanque rationes analogo nomine immediatè significatæ, eadem proportionaliter sunt. Ratio autem vna proportionaliter, cùm constituatur ex pluribus rationibus proportionalibus, in eas secari potest. Hæc autē non est diuisio analogi in sua analogata: quoniam rationes hæ in ipsius analogi ratione intrinsecè clauduntur, & analogata ea sunt, in quibus rationes illæ saluantur, & non ipsæ rationes. Entis enim analogata sunt substantia & quantitas: & non rationes entis in substantia & quantitate. Rationes enim (vt dictum est) analogæ sunt. Vnde tertio modo potest diuidi analogum, diuidendo significatum eius in sua analogata per diuersos modos, quibus analogi rationem proportionalem analogata ipsa diuersimodè suscipiunt. Ita quòd diuisum est significatum vnum proportionaliter: diuidentia sunt modi fundantes & facientes in analogatis proprias proportiones, secundum quas fit analogia: constituta autem per diuisionem, vt partes subiectiuæ, sunt analogata ipsa. verbi gratia: Quando ens diuiditur in substantiam & quantitatem, diuisum est ratio entis nomine significata, quæ omnes in se Entis nomine significatas rationes claudit, vtpote vna proportionaliter: diuidentia sunt substantiuum & mensuratiuum, seu per se & in alio, sicut ex quibus substantia & quantitas habent quòd diuersas entis rationes subintrent, partes autem subiectiuæ sunt substantia & quantitas, quæ in entis ratione analogantur.

¶ Et qa hæc est propria analogi diuisio, idcirco distinctè explicadū est, quomodo differat diuisio hæc ab vniuoca. Tripliciter siquidem differunt. Primò ex parte diuisi, quia diuisione vniuoca vnum omnino secundum rationem secatur: hîc autem vnum proportionaliter.

¶ Secundò ex parte diuidentium quia differentiæ se-

Universidad de Deusto Biblioteca

cantes genus sunt extra genus: modi autem secantes analogum, in ipsius analogi ratione clauduntur, quemadmodum ipsa analogata (vt in capitulo de abstractione declaratum est): propter quod in tertio Metaphy. tex. 10. ens genus esse nagatur.

¶ Tertiò ex parte ipsarum partium subiectiuarum, in quæ per diuisionem fiunt: quia partes diuisionis vniuocæ licet ordinem habeant secundum se (& originis, vt dualitas est prior trinitate: & perfectionis, vt albedo est perfectior nigredine) tamen secundum diuisi rationem, puta numeri, aut coloris, neutra altera prior, aut posterior est: sed omnes æqualiter in diuisi ratione communicant. Analogata verò, quæ analoga diuisione constituuntur, non solùm secundum se, sed etiam in ipsius analogi, quod diuiditur ratione, ordinem habent & aliud prius, aliud posterius est: adeò vt in vno eorum tota ratio diuisi saluari dicatur, in alio autem imperfectè & secundum quid. Quod non est sic intelligendum, quasi analogum habeat vnam rationem quæ tota saluetur in vno, & pars eius saluetur in alio: q̃m puerile est hoc. Sed cùm totum idem sit quod perfectum, & analogo nomine multæ importentur rationes, quarũ vna simpliciter & perfectè constituit tale secundum illud nomen, & aliæ imperfectæ & secundum quid: ideo dicitur, quòd analogum sic diuiditur, quòd non tota ratio eius in omnibus analogatis saluatur, nec æqualiter participant analogi rationem, sed secũdũ prius & posterius.

Cum grano tamen salis accipiendum est analogum simpliciter saluari in vno, secundum quid in alio. Sufficit enim hoc verificari, vel absolutè (vt patet in diuisione entis in substantiam & accidens: illa enim absolutè loquendo dicitur ens simpliciter, hoc autem secundum quid) vel in respectu, vt patet in diuisione entis in Deum & creaturam. Vtrunque enim, licet ens simpliciter sit, & dicatur, absolutè loquendo, creatura tamen in respectu ad Deum, ens secundum quid, & quasi non ens est & dicitur.

CIRCA RESOLVTIONEM Autem analogatorum sciendum est, quòd cùm vniuersaliter primum in compositione sit vltimum in resolutione, & per diuisionem in ea, quæ actu in aliquo sunt resolutio fiat: eodem modo resoluenda sunt analogata in analogum, quo cætera resoluuntur, scilicet vtendo diuisione prædicta, (quæ vocatur diuisio in partes essentiæ vel rationis) & à posterioribus secundum consequentiam ad priora procedendo, si longa esset resolutio facienda. Ad rationem autem analogi, cùm deuentum fuerit, singulis analogatis in suas rationes secundum analogi nomen resolutis: cum illa analogi ratio ex multis constituatur rationibus, ordinem inter se & proportionalem similitudinem habentibus, vel ordinatè ad primam resolutio fiat, veniendo semper ad similius & propinquius, primæ & id, in quo dissimilitudo est, relinquendo. Vel si non sic ordinatas inter se contingit esse rationes illas, ad primam omnes modo prædicto deducendæ sunt. Ordinem enim ad primam nulla subterfugere potest. Nec refert in proposito, an fiat resolutio ad rationem primam significatione, vel secundum rem. Intelligenda enim sunt hæc in suo ordine, scilicet significationum aut rerum.

CAPVT X.

Qualiter de analogo sit scientia.

VISVM EST Autem quibusdam de analogo scientiam esse non posse, nisi quẽadmodum de æquiuocis scientia habetur, eo q̃ plures rationes dicit, licet similes. Imò fallaciam æquiuocationis committi in syllogismis, in quibus analogo pro medio sumpto, certum analogatum subsumitur, nisi fortè gratia materiæ bonus esset processus, asserunt eadem ratione. Nec posse ex vnius analogati ratione secundum analogi nomen concludi alterum analogatum tale formaliter esse: sed semper prædictum incidere vitium ratione prædicta confirmant. verbi gratia: Si ponamus sapientiam esse analogicè cõmunem Deo & homini, ex hoc q̃ sapiẽtia in hoĩe inuenta secundum formalem rationem præcisè sumpta, dicit perfectionem simpliciter, non concludere possum, ergo Deus est formaliter sapiens, sic arguendo: omnis perfectio simpliciter est in Deo: sapiẽtia est perfectio simpliciter, ergo. Minor enim distinguenda est: & si ly sapientia pro ratione sapientiæ, quæ est in homine stat, argumentum erit ex quatuor terminis: quia in conclusione sapientiæ stat pro ratione sapientiæ quam ponit in Deo, cùm concluditur, ergo sapientia est in Deo. Si autem pro ratione sapientiæ in Deo stat in minore, non concluditur ex perfectione sapientiæ creatæ Deum esse sapientem: cuius oppositum & philosophi & theologi omnes clamant.

¶ Decipiuntur autem isti, Scotum (cuius est ratio hæc in quæstione prima distinctione tertia primi libri) sequentes: quia in analogo diuersitatem rationum inspicientes, id quod in eo vnitatis & identitatis latet, non considerant. Rationes entis, analogi, vt superius etiam diximus, possunt dupliciter accipi. Vno modo secundum se, inquantum abinuicem distinguuntur, & ea quæ conueniunt eis vt sic, seu ex hoc. Alio modo, inquantum eadem sunt proportionaliter. Primo modo acceptæ vitium æquiuocationis inducerent, si quis eis vteretur, vt patet. Secundo autem modo eis vtendo, peccatum nullum incurritur: eo quòd quicquid conuenit vni, conuenit etiam alteri proportionaliter: & quicquid negatur de vna, negatur proportionaliter de alia: quia quicquid conuenit simili in eo, quod simile, conuenit etiam illi, cuius est simile, proportionalitate semper seruata. Vnde si ex immaterialitate animæ cõcluditur eã esse intellectualẽ ex immaterialitate proportionaliter posita in Deo, optimè cõcluderetur, Deũ esse intellectualẽ proportionaliter: vt quantum immaterialitas illa excedit istam, tantùm intellectualitas illa excedat istam, &c. Propter quod sanctus Thomas in quæstione secunda de potentia Dei, articulo quinto analogata omnia sub vna analogi distributione cadere dixit. Et meritò: quia vnitas analogi non esset in coordinatione vnitatum nnmeranda, nisi vnum proportionaliter, vnum esset affirmabile, & negabile, & consequenter distribuibile, & scibile, vt subiectum, & medium, & passio.

¶ Vnde ad obiecta in oppositum dicitur, quòd quia, vt in secundo Elenchorum, capitul. decimo dicitur, æquiuocatio latens in huiusmodi proportionalibus, peritissimos etiam latet, ideo oportet huiusmodi analogis nominibus vtendo ex parte vnitatis, semper modum proportionalitatis subintelligi: aliter in vniuocationem lapsus fieret. Nisi enim præ oculis haberetur proportionalitas, cùm dicitur immateriale omne esse intellectuale, tanquam vniuocè dictum acciperetur, & latens æquiuocatio non visa obreperet.

¶ Proportionalitate autem seruata de analogis sciẽtiam esse, & diui Thomæ processus de bono & verò, & alijs huiusmodi, & quotidianum conuincit exercitium. Testatur quoque demonstratiuæ artis pater Aristotel. in secundo Posterio. capitulo vndecimo incipiente, Vt habeamus autem proposita vel problemata analogum causam adæquatam esse alicuius passionis, & in medium oportere quandoque à demonstratore assumi: dum venationem propter quid docens, inquit, Amplius, alius modus est secũdum analogiam eligere vnum: idem enim non est accipere, quod oportet vocare sepion, & os, & spinam. Sunt autem quæ sequuntur, & hoc tanquam natura vna huiusmodi existente. Et in sequenti cap. ait, Secundum autem analogiam eiusdem, & medium se habet secundum analogiam. In quibus verbis non solum docuit analogum vt medium assumi quandoque in demonstrationibus: sed etiam *ipsum non esse vnum in se expressũ, & cùm hoc habere passionem adæquatam, ac si vnius esset naturæ. [*Aliud ipsum.]

¶ Nec impedit analogia hæc processum formalem ad concludendum de Deo & creaturis predicatum aliquod eis commune: quoniam accepta sapientie ratione, & segregatis ab ea per intellectum eis, quæ sunt imperfectionis, ex hoc quòd id, quod est sibi propriũ formaliter sumptum, perfectionem absque imperfectione claudit, concluditur ergo sapientiæ ratio non omnino alia, nec omnino hæc, sed hæc proportionaliter est in Deo: quia similitudo inter Deum & creaturam non est vniuoca, sed analoga. Nec pari ratione potest concludi, Deum esse lapidẽ proportionaliter: quia ratio lapidis formaliter sumpta quantũcunque expoliata, imperfectionẽ aliquã claudit: quæ prohibet tã ipsam secũdũ se, q̃ ipsam proportionaliter in Deo reperiri, nisi metaphoricè: quẽadmodũ dictũ est

est, Petra autem erat Christus. Vnde cùm sit huiusmodi processus, Omnis perfectio simpliciter est in Deo, sapientia est perfectio simpliciter, ergo, &c. in minore ly sapientia, non stat pro hac vel illa ratione sapientiæ, sed pro sapiẽtia vna proportionaliter, id est, pro vtraque ratione sapiẽtiæ nõ cõiunctim vel disiũctim: sed inquantum sunt indiuisæ proportionaliter, & vna est altera proportionaliter, & ambæ vnam proportionaliter constituunt rationem. Significantur enim analogo noĩe, inquantum eædem sunt, vnde non oportet analogum distinguere, ad hoc quòd contradictionem fundet & enuntiationis subiectum, aut prædicatum fiat: sed ratione idẽtitatis proportionalis in se clausæ, & quam principaliter dicit ex se ad hoc sufficit. Contradictio enim dicitur consistere in affirmatione & negatione eiusdem de eodẽ, &c. & non in affirmatione & negatione vniuoci de eodem vniuoco: identitas siquidem tam rerum quàm rationum (vt pluries replicatũ est) ad identitatem proportionalem se extendit. Ex hoc autem apparet, Sco. in primo senten. dis. 3. quæstio. 1. vel malè exposuisse conceptum vniuocũ, vel sibi contradicere, dum volens vniuocationem entis fingere, ait, Conceptum vniuocum voco, qui ita est vn⁹, quòd eius vnitas sufficit ad contradictionem affirmando & negando ipsum de eodem: & sic vniuocum vult esse ens. Si enim identitas sufficiens ad contradictionem vniuocatio dicitur, constat q̃ ponendo ens esse analogũ, & secundum proportionalitatem tantùm vnum, satisfiet vniuocationi, quod Scoticæ doctrinæ aduersatur, tenenti ens habere conceptum vnum simpliciter, & omnino indiuisum: vt de vniuocis diximus. Si autem non omnis talis identitas sufficit ad vniuocationem, non rectè igitur vniuocatio conceptus declarata est esse ea quæ ad contradictionem sufficit, quasi proportionalis identitas ad hoc non sufficiat.

CAPVT XI.

De cautelis necessarijs circa analogorum nominum intellectum & vsum.

QVIA VERO Aristote. in prædicta ex elẽchis autoritate, doctissimos viros circa horum nominum conceptus errare dicit ob latentem eorum vnitatis modum: idcirco necessarium fore duximus in fine huius tractatus cautelas quasdam tradere, quibus possit se quis ab errore multiplici in re hac præseruare.

[Primus error.] CAVENDVM Est igitur in primis, ne ex vniuocatione ipsius nominis analogi respectu quorundam, credamus simpliciter ipsum esse vniuocum: omnia enim ferè analoga, propriè fuerunt prius vniuoca, & deinde extensione, analoga communia proportionaliter illis, quibus sunt vniuoca & alijs vel alij, facta sunt. Sapientiæ enim nomen primò impositum est humanæ sapientiæ, & vniuocum, omnium hominum sapientijs erat. Deinde ad diuinæ naturæ cognitionẽ ascendentes, proportionalẽmque similitudinem inter nos vt sapientes & Deum contemplantes, Sapientiæ nomen extenderunt ad id in Deo significandum, cui nostra sapientia proportionalis est: sic quæ vniuocum nobis analogum factũ est nobis & Deo. Et similiter de alijs accidit. Falli autem contingit faciliter ex hoc, quia illa ratio prior, vt pote notior, & familiarior, & prior quo ad nos, semper profertur ab illustribus viris, & eorum sequacibus, quando analogi significatio quæritur, & dicitur esse tota analogi ratio, pro qua simpliciter prolatum stat, & omnia analogata illam participare: vt patet cùm sapientiæ ratio redditur. Assignatur enim differentialis eius conceptus pro ratione, secundum quam communis ponitur Deo & creaturæ, & simile est in alijs. Creditur enim ex hoc, quòd sit ipsa analogi ratio, & incautè vniuocatio acceptatur: non enim illa ratio est ratio analogi, sed eius origo, quo ad nos: quoniam non illa, sed illa proportionaliter in altero analogato inuenitur: vt ex dictis patet.

[Secundus error.] CAVENDVM Secundò est, ne nominis vnitas aut diuersitas rationum, analogam vnitatem obnubilet: hoc enim tanquam quoddam accidens, in re hac suscipiendum est. Nihil enim min⁹ analogicè idem sunt sepion, os, & spina, vnum non habentia nomen, quàm si vnũ nomẽ haberent: nec magis idẽ essent, si vnum nomen haberent: & tamen si communi nomine ossa vocarentur, ita q̃ defectu vocabulorum, vel rerum proportionali similitudine ossis nomen ad cetera extensum esset, crederemus eiusdem esse naturæ, & rationis ossa, & spinas, &c. Præsertim quia (vt dictum fuit) ad ea, quæ sunt proportionaliter eadem, consequuntur passiones, tanquam si eorum esset natura vna.

[Tertius error.] CAVENDVM Tertiò est, ne vocalis vnitas rationis analogi nominis, mentem reuoluat. Ex eo namque (verbi gratia) quòd principium dicitur esse id ex quo res fit aut est, aut cognoscitur, & hæc ratio in oĩbus, quæ principia dicuntur, saluatur, Principij nomẽ vniuocũ creditur. Erratur autem: quia ratio ipsa non est vna simpliciter, sed proportione & voce: vocabula enim, ex quibus integratur, analoga sunt: vt patet: neq; enim fieri, neque esse, neque cognosci, neque ly ex, vnius omnino est rationis, sed proportionalis. Et propterea ratio illa in omnibus, vt tota proportionalis saluatur: sicut & principij nomen proportionaliter commune dicitur.

[Quartus error.] CAVENDVM Demum est, ne diuersa doctorum dicta de analogis, nos perturbent. Considerandũ quippe est, quòd quia analogum medium inter æquiuocum & vniuocum est, & medium extremorum naturã sapiens, ad alterum comparatum, alterum induit, adeo vt quãdo medio secundum id quod de vno extremo habet, vtimur, illius extremi conditiones ei attribuamus (vt in quinto Phy. tex. com. 6. & 52. patet) ideo plerunque doctores vtentes analogo ex parte vnitatis, quã ex vniuocis participat, vniuocorum non solùm conditiones (puta abstractionem, instinctionem &c.) sed etiam nomen ei attribuunt: vtentes verò analogo ex parte diuersitatis, quã ex æquiuocis trahit, conditiones quoque supradictis oppositas, & nomen illi imponunt æquiuoci. Et vt de multis pauca dicantur, Arist. in secundo Metahysi. tex. 4. ens & verum vniuoca vocat: quia ex parte identitatis illis vtitur: vt processus suus apertè ostendit.

¶ Sanc. Tho. quoque pluries dicit in ratione alicuius analogi (puta paternitatis cõmunis diuinæ & humanæ paternitati) omnia contenta esse indiuisa & indistincta, & quòd paternitas (verbi gratia) abstrahit à paternitate humana & diuina: quia vtitur analogo ex parte identitatis. Nec tamen falsæ sunt aut abusiuæ prędictę locutiones & similes, sed amplæ potius & largæ, quẽadmodũ pallidum nigro contrarium est, & dicitur. Saluatur siquidem in analogis identitas nominis & rationis: in qua (vt ex dictis patet) non solùm analogata, sed etiam singulæ analogi rationes vniuntur, & quodãmodo confunduntur, vt pote abstrahentes aliqualiter ab earum diuersitate. Aristo. rursus in primo Physic. ex parte diuersitatis, ente vtẽs contra Parmenidem, multiplex seu æquiuocum (vt ipsemet illum tex. sic exponendum specialiter in secundo Elenchorum tradit) vocauit: vnde & Porphyrius Aristo. dicere ens esse æquiuocum accepisse videtur: vtens ente ex parte diuersitatis. Quod tamen Scot. in primo, distin. 3. quæst. 3. in Logica Arist. non inueniri ideo dixit: quia prædictos tex. non coniugauit. Propter quod ibidẽ quoque, contra textum glossauit principium Aristo. contra Parmenidem in pri. Physic. tex. 13. vt in Elenchis (vt dictum est) clarè patet. Sanc. Tho. etiam ens prius non esse primo analogato, nihilque Deo prius secundum intellectum esse dicit pluries vtens analogo ex parte diuersitatis rationum. Quælibet siquidem eius ratio secundum se, quia proprium analogatum in se claudit, & in sui abstractione illud secũ trahens cum illo conuertitur (vt supra diximus) ideo prior secundum consequentiam, aut abstractior suo analogato negatur: ac per hoc primo analogato & Deo nihil est prius: quia eius ratio secũdũ Analogi nomen, quæ ipso prior secundum se non est, sed conuertitur, cæteris prior rationibus. Cum his tamen stat, quòd ratio illa in Deo vt eadem est proportionaliter alteri rationi, secundum idem nomen superior, & secundum consequentiam prior logicè loquendo fit: vt ex dictis patet. Dico autem logicè: quia physicè loquendo analogum nec est prius secundum consequentiam omnibus analogatis (quia ab eorum proprijs abstrahere non potest: quãuis vt saluatur in vno sit prius altero) nec potest esse sine primo analogato, vbi analogata consequenter se habent. Vnde si quis falli non vult, solerter sermonis causam conijciet, & extremorum cõditiones medio applicaturum se recolat: sic enim facile erit omnis sanè exponere, & veritatem assequi, quæ à prima est veritate. Cuius cognitio

ex hoc exaltetur & firmetur opusculo, completo in conventu sancti Apollinaris, Papiæ suburbio, die primo Septembris. 1498.

¶ Præclarissimus reuerendissimi Domini, Domini Tho. de Vio Caietani, Cardinalis sancti Xisti, de nominum analogia Tractatus explicit.

TRACTATVS SEXTVS

De conceptu entis in duo diuisus Quæsita, ad Fratrem Franciscum de Ferraria.

1 *Num sit vnus conceptus mentalis entis repræsentatiuus.*
2 *Num Analogum à rerum naturis, de quibus dicitur, absolui possit.*

AMANTISSIME PATER, ex acceptis vestræ solicitudinis literis percepi libellum nostrum de analogia nominum vos perlegisse, duo que dubia de conceptu entis mentem vestram tenere solui, que à me familiariter flagitastis. Ego autem cum primum compleui expositionẽ librorum de anima (cuius fini incumbebam, cùm vestras recepi) respondere curaui, ne præclaro ingenio tuo deessem. Primum igitur dubiũ fuit ad hominem meipsum, scilicet quia in commentarijs de ente & essentia, sustineo vnum conceptum mentalem repræsentatiuum entis, & in tractatu de analogia nominũ videor hoc negare. Secundum autem est ad diuũ Thomam: quoniam ego in præfato libello sustineo analogum non absolui ab his, quibus analogum dicitur, & diuus Tho. in q. de Veri. q. j. art. j. ens habere conceptum vnum simplicem, ad quem omnia prædicamenta, & transcendentia addunt, in quẽ resoluuntur, qui est primò notus. Hæc enim inuicem sibi aduersari videntur: quandoquidẽ si ens absolui non potest à naturis rerum non erit simplicissimus, nec primò notus, nec in quem vltimò resolutio fiat, & ad quem omnes addunt.

AD EVIDENTIAM HORVM, Et specialiter primi, recolito, quòd quicquid est imago alicuius similis alteri, etiam imago illius alterius quatenus primò assimilatur: ac per hoc omnis conceptus creaturæ est cõceptus Dei, sicut omnis creatura aliqua est similitudo Dei. Hinc ergo fit, quòd cum vnum proportionalitate vt sic habeat singula membra similia proportionabiliter, oportet quòd habeat etiam vnum conceptum mentalem repræsentatiuum illius vnius proportionabiliter. Nec huius oppositum teneo in tractatu de analogia nominũ, sed conceptus iste vnus numero in mente secundum esse repræsentatiuum: nec repræsentat vnam solùm naturam: sed vltra vnam, quã determinatè repræsentat (à qua est impressus) repræsentat implicitè cæteras similes illi primò repræsentatæ secundum id, in quo proportionabiliter eis similis est: idem enim est iudicium de similitudine rerũ inter se, & conceptus mentalis & rerum. Quemadmodum enim ossis natura similis est naturæ spinæ in sustinendo carnes animaliũ (in quo analogantur) ita conceptus mentalis ossis, vt sustinens carnis, est similis ossi & spinæ, sed ossi determinatè, spinæ autem implicitè: sicut etiã ipsum os non est simile spinæ determinatè, sed quatenus spina sustinet carnes, sicut ipsum os. Hic est primus modus, quo analogum habet vnum conceptum mẽtalem, ac per hoc ens, cùm analogum sit, vnum hoc pacto habet conceptũ in mente a rebus impressum. Aliter autem modus super ipsius intellectus opere, quo natus est adunata diuidere, fundatur, & est tunc conceptus similis vnus numero in mẽte, repræsentans analogũ quidẽ determinatè, nullum autẽ eorũ, quæ fundant analogiã explicitè. Cõtingit autẽ hoc, cũ intelligens, mentalem conceptum, quẽ paulò antè diximus, expoliat ab illa determinata natura, quã repræsentabat: & loco illius naturæ concipit pronomen aliquod referẽs naturas fundantes analogiã indeterminatè, verbi gratia: Si conceptus ossis est os sustinens carnes, intelligens loco ossis ponat quod, & dicatur quod sustinet carnes: tunc enim manifestè repræsentatur analogum explicitè, implicitè autẽ tantùm naturę fundantes analogiam.

Est autem inter hos duos conceptus non solùm dicta ex radicibus differentia, sed etiam quia primus ad quid rei spectat analogi, secundus autem ad quid nominis, neuter tamen perfectè repræsentat analogum. De quo scilicet perfecto seu adæquato explicitè conceptu analogi interpretandum est, cùm à me vel ab alio scriptum inuenitur, quòd non potest analogum, vnum numero mentalem conceptum habere, sed vnum analogia tantũ. Et quoniam conceptus mentales sunt imagines rerum repræsentatarum (nisi sint fictitij) quemadmodum in mente conceptus adæquatus analogi nõ est vnus, sed exigit repræsentationem omnium fundantium analogiam, ita significatum analogi adæquatum & perfectum non potest sic abstrahi, vt obijciatur, repræsentetur, aut concipiatur absque fundantibus rebus. Et sicut in mente duplex conceptus imperfectus reperitur: ita res significata, extra potest obijci dupliciter imperfectè, scilicet vel in vno explicitè, in quo cætera obijciuntur indeterminatè: vel in nullo explicitè, sed omnia implicitè, in solo formalissimo significato explicitè.

¶ Nec prædicta contrariantur doctrinæ sancti Thomæ: ens enim primò notum ordine generationis est secundum conceptum imperfectum: ordine autem distinctæ cognitionis est secundum conceptum perfectum. Ens quoque habere conceptum simplicissimum, consonat dictis: quoniam cùm simplicitas compositioni opponatur, & vnum analogia non sit vnum compositione aliqua, non habet ens ex hoc, quòd analogum cõpositionem admixtam. Et vt exercitatione resolutio monstretur, si substantiam in ens vis resoluere, si in conceptum distinctum entis resolutio quæritur, resoluetur in ipsam naturam substantiæ quatenus esse fundat, quod est simplicissimum cui & addit ipsa substantia & addunt transcendentia. Et si in conceptum confusum, quod est, resolues: quod etiam est simplicissimum. cui etiam prædicta addunt. Sed occasio errendi multis est, quia in resolutione distincta quærunt resoluere in vnum analogia sicut cõsueuit resolui in vnũ vniuocatione. Ita quod quærũt in analogia quasi vnum numero terminum. sicut in vniuocis: cùm tamen terminus in analogia sit vnus proportionabiliter tantum. Ita quòd & singula resolubilia resoluũtur in cõceptu simplices obiectiuos & mẽtales, & omnia in cõceptũ obiectiuũ & mentalem simplicem, & vnum proportionabiliter. Ita quòd (vt vnico verbo rem absoluam) ens esse primò notum in quod fit omnis resolutio, in quod omnia addunt per modum analogi interpretandum est: cum quo stare potest, quòd ens secundum perfectum adæquatumque conceptum non abstrahit à naturis prædicamentalibus, sicut nec aliquod analogum a fundantibus analogiam. In hoc pendet tota vis claritatis rei huius: vt semper animaduertat secundum analogorum morẽ hæc dici. Plura nunc non mihi occurrunt ad propositum dicenda, imò prolixior fui acutissimo ingenio tuo, quo ex vnico verbo concepisses cuncta. Bene vale, & pro me orare digneris. Romæ die 27. Februarij, 1509.

TRACTATVS SEPTIMVS

super librum de Ente & Essentia S. Thomæ Aquinatis, in septem capita diuisus.

*

1 *Entis & Essentiæ nomine quidnam significetur ostendit: nomina item varia ponit, quæ essentiam significant.*
2 *Substantiarum essentiam propriè dici, accidentium autem, non nisi secundum quid, ostendit. Nobiliores item esse simplicium essentias quàm compositarum substantiarum probat. Quod demum essentia substantiæ compositæ non materia, non forma, vel inter ea aliqua excogitata relatio, vel quidpiam ipsi composito superadditum, sed ipsum sit compositum varijs rationibus demonstrat.*
3 *Essentia generis, speciei, indiuiduorum, quomodo tam absolutè, quàm primæ impositionibus nominibus conceptæ distinguantur: quomodo item genus, species, differentia, diffinitio differãt, exponit. Deinde quomodo essentia speciei ipsis indiuiduis comparentur, declarat.*
4 *Quanam ratione compositorum essentiæ conueniat esse genus, speciem, & differentiam, ostendit.*
5 *Quòd simplicium substantiarum essentia minimè sit ex materia & forma, quid compositum, sed totum forma: quomodo item comparetur compositorum essentiæ, & quod ex esse & essentia sit composita: quòd denique intelligentiæ effectiuæ sint à Deo, ex actu & potentia composita, multipliciter.*
6 *Qualisnam sit essentia Dei, quanam item ratione in simplicibus substantijs separatis, & à quo genus & differentia sumendum sit, & quomodo multiplicari eas contingat, exponit.*

Quò

7 *Quòd accidentia habeant essentiam incompletam, ostendit: varia item accidentia distinguit: & quomodo in ipsis sumatur genus & differentia, exponit.*

PROOEMIVM.

Eorum, quæ dicenda sunt, vtilitatem ac necessitatem ponit: difficultatem item, illorum & ordinem ea exponendi, edocet.

1. c. 33. QVIA PARVVS Error in principio magnus est in fine, secundum Philosophum primo Cæli & Mundi: ens autem & essentia sunt, quæ primo in intellectu concipiuntur, vt dicit Auicenna in Metaphy- li. 1. in fin. sica, ideo primo, ne ex eorum ignorantia errare contingat, ad horum difficultatem aperiendam dicendum est quid nomine Essentiæ & Entis significetur, & quomodo in diuersis inueniantur, & quomodo se habeant ad intentiones logicas, scilicet genera, species, & differentias.

OPVS ISTVD Insigne in duas partes diuiditur principales: in prooemium scilicet, & tractatum incipientem ibi, Sciendũ est, &c. In prooemio artem Rhetoricæ seruando tria agit. Primò reddit auditores beneuolos, vtilitatem & necessitatem dicendorum ostendẽs tali ratione, Omnis errans circa principia omnium intelligibilium magis errabit circa alia: omnis errãs circa essentiam & ens errat circa principia omnium intelligibilium: ergo omnis errans circa essentiã & ens magis errabit circa alia. Vtile igitur & necessarium est tradere notitiam de essentia & ente ad vitandos multiplices errores, qui ex eorum ignorantia accidunt. huius rationis Maioris subintellectæ probatio ponitur in litera sumpta ex primo cæli tex. commẽtario tricesimotertio. Minor autem probatur autoritate Auicen. primo suæ Metap. capi- li. 1. in fin. te septimo. ¶ Ad euidẽtiam Maioris & suæ probationis scito, quòd quia principium est paruum in quantitate, ideo error in principio paruus appellatur, & quia principium est magnum in virtute (vtpote virtualiter continens omnia principiata) ideo error in principio paruus, in fine efficitur magnus. Crescit enim error sicut & dilatatur principium in suis principiatis, vt manifestè patet in principio huius, in quo modica deuiatio ad magnam distantiam deducit in processu.

QVAESTIO I.

Num ens sit primum cognitum ordine & via originis.

Quæst. j. AD EVIDENTIAM Minoris occurrit dubitatio in hoc studio trita, an scilicet ens sit primo cognitum ordine originis ab intellectu nostro.

¶ In hac quæstione quinque agam. Primò declarabitur in quo stat difficultas quæstionis: secundò ponetur opinio Scoti cum fundamẽtis suis: tertiò ponetur opinio sancti Thomæ, & impugnabitur simul opinio Scoti: quartò arguetur contra dicta sancti Thomæ, & respondebitur: quintò satisfiet argumentis principalibus.

QVO AD Primum notandum est quòd vniuersale (quod tantùm ab intellectu directè cognosci supponimus) duplicem habet totalitatem: est enim totum diffinibile, & est totum vniuersale. Differunt autem hæ totalitates tripliciter. Primò, quia totalitas diffinitiua fundatur supra actualitates rei: totalitas autem vniuersalis supra virtutem seu potestatem. Secundò, quia illa est in ordine ad superiora, si habet ea: ista verò est in ordine ad inferiora. Tertiò, quia illa naturaliter est ista prior. Et sicut habet duplicem totalitatem ipsum vniuersale: ita habet duplicem cognitionem, confusam, & duplicem distinctam. Prima cognitio confusa est, qua cognoscitur vt totum diffinibile, non resoluendo in partes diffinitiuas. Secunda cognitio confusa est, qua cognoscitur vt totum vniuersale non cõponendo ipsum cum partibus subiectiuis. Prima distincta est, qua cognoscitur totum diffinitum, resoluendo ipsum in singulas partes diffinitionis: & hæc respondet primæ confusè. Secunda distincta est, qua cognoscitur totum vniuersale, componendo ipsum cum suis partibus subiectiuis: & hæc respondet secundæ confusè. Differunt autem illæ duæ cognitiones confusè inter se tripliciter. Primò, quia prima cognitio respicit obiectum: vt totum diffinibile, secunda verò vt totum vniuersale. Tertiò, quia prima nullam notitiam distinctam eiusdem obiecti secum compatitur. Secunda verò compatitur secum notitiam distinctam eiusdem obiecti: in eo quòd totum diffinibile, vtpote non sibi oppositam. Similiter enim ignoro animal in suis speciebus, & noui quid sit animal. Tertiò, quia prima naturaliter est prior secunda: ex quibus pono verbalem differentiam. Et prima vocetur cognitio confusa actualis: secunda verò notitia virtualis confusa. Et meritò: eo quòd prima cognitione cognoscitur confusè id quod actualiter in obiecto reperitur: secunda verò cognoscitur confusè, id quod virtualiter in obiecto includitur.

¶ Illæ verò duæ distinctæ cognitiones differunt etiam tripliciter. Primò, quia prima cognitione penetratur res, vt totum diffinibile: secunda verò vt totum vniuersale. Secundò, quia prima compatitur secum eiusdem obiecti aliquam cognitionem confusam vniuersalem, scilicet vtpote sibi nõ oppositã, secunda verò nullam confusam secum compatitur: cum notitia enim animalis cum suis speciebus non stat ignorantia animalis in se: & ex hac sequitur tertia differentia, quòd secunda distincta infert primam, & non econuerso. Ex quibus pono etiã hîc verbalem differentiam: & prima quidem vocetur notitia distincta actualis, secunda verò notitia distincta virtualis. & meritò: quia prima penetratur res, secũdũ id, quod actualiter in ea inuenitur, secunda autem cognoscitur res secundum id, quod virtualiter in ea includitur.

EX HIS Elicio primò diffinitiones istarum quatuor cognitionum: deinde coordinationes quatuor earundem. Et quia priuatio cognoscitur & diffinitur per suum habitum: ideo à distinctis incipiendo, dicitur quod cognitio distincta actualis est: qua penetratur id, quod actualiter in obiecto inuenitur. Cognitio confusa actualis est, qua circa penetrationẽ cognoscitur id, quod actualiter in obiecto inuenitur. Cognitio distincta virtualis est, qua obiectum penetratur secundum id quod virtualiter in ipso includitur. Cognitio confusa virtualis est, qua obiectum secundum id, quod virtualiter in ipso includitur non perfectè cognoscitur.

COORDINATIONES Harum cognitionũ sunt istæ, prima est cognitionũ cõfusarũ actualiũ: secũda confusarum virtualium: tertia distinctarum actualium: quarta distinctarum virtualium. In prima est cognitio, qua cognoscitur substantia in seipsa nõ penetrando tamẽ, & cognitio qua cognoscitur corpus: & qua corpus animatum vt sic, & qua animal vt sic, & qua homo vt sic: semper absque penetratione, id est, absque hoc quòd habeatur ratio formalis clara & resoluta. In tertia sunt cognitiones oppositæ supradictis, scilicet qua substãtia, & qua corpus & qua animal, & qua homo quidditatiuè cognoscuntur. In secunda sunt cognitiones, quibus substantia, corpus, corpus animatum, & animal cognoscuntur, non componendo cum inferioribus suis. In quarta sunt cognitiones his oppositæ, scilicet qua substantia iam cum suis inferioribus perfecta cognitione componitur totum vniuersale, scilicet cum suis partibus: & qua corpus similiter cum suis partibus subiectiuis penetratur, & sic de alijs. Cùm autẽ, vt ex dictis patet, ordo cognitionum confusarum actualium sit via originis prior cæteris, primũ cognitum in ordine cognitionis confusæ actualis, erit primum cognitum simpliciter: & sic cum hîc quæramus, quid sit primum cognitum simpliciter ab intellectu nostro via originis nihil aliud dubitamus sit quid nisi primum cognitum in ordine cognitionis confusæ actualis. Stat ergo inter nos & Scotũ difficultas in hoc, an in ordine cognitionis confusæ actualis via originis primum cognitum sit ens, an species specialissima. Ex quo patet defectus Antonij Trombete, qui hanc quæstionem mouẽdo adducit opinionem sancti Thomæ ex prima parte, q. 85. art. 3. etenim à san. Tho. nulla ibi facta est comparatio inter cognitiones confusas actuales: de quibus est hîc tota quæstio, sed cõparauit ibi cognitiones distinctas actuales inter se: comparauit quoque distinctam actualem superioris distinctæ virtuali eiusdem: comparauit & confusam virtualem superioris distinctæ virtuali eiusdem: comparauit & confusam actualem distinctæ actuali eiusdem obiecti, vt patet intuenti, est hæc de primo,

1. q. 85. artic. 3. subtilissime indagauit mentem doc. scilicet expositor.

Sco. 1. d. 3. q. 2. QVO AD SECVNDVM Scotus primo sen. dist. 3. q. 2. ponit hanc conclusionem: Primum cognitum cognitione confusa actuali est species specialissima: cuius singulare efficacius primò mouet sensum. Et probat tribus rationibus.

¶ Prima est, Causæ naturales non impeditæ producunt primò perfectissimum effectum: quē possunt primò producere: patet ista, quia agunt secundum vltimū potentiæ suæ: sed agentia ad primum actum intellectus sunt causę naturales non impeditæ, ergo producunt primò perfectissimum effectum, quem possunt primò producere: talis effectus non est nisi conceptus actualis cōfusus speciei specialissimæ, ergo &c. Probatur hoc vltimò assumptū: quia si talis cōceptus scilicet perfectissimus sit cōceptus cōmunioris, sequitur quòd nunquam illa agentia poterunt producere conceptum speciei specialissimæ. Tenet consequētia: quia nunquam aliqua potentia potest in effectum perfectiorem suo perfectissimo effectu: conceptus autem speciei specialissimæ est perfectior conceptu communiori: sicut totum sua parte. Et confirmatur, inquit Antoni. Trombeta, quandocunq; sunt aliqua duo naturalia agentia æquè approximata passo debitè disposito, id, quod est actualius, præuenit id quod est minus actuale in agendo erga passum: sed rationes obiectiuæ speciei specialissimæ, & cuiuscunque superioris sunt huiusmodi, scilicet quòd species specialissima est actualior, ergo species specialissima prius producit effectum suum, quàm genus.

s. 3. circa medium. ¶ Secūda ratio est ista, Termini metaphysicales, vel vniuersalissimi sunt vltimò actualiter noti via doctrinæ. Patet ista ex Auic. 1. meta. cap. 3. dicente, quòd Metaphysica est vltima ordine doctrinæ, sed termini illi sunt vniuersalissimi, ergo vniuersaliora nō sunt prius nota actualiter.

Et confirmatur, ait Ant. Trombeta, quia ordo scientiarum quo ad nos attenditur per ordinem cognoscibilium quo ad nos, si ergo Metaphysica est vltima quo ad nos, ergo termini sui erūt etiā vltimò noti quo ad nos.

¶ Tertia ratio est ista, Si oporteret ante speciei conceptū concipere vniuersaliora, tunc supposito sensu in actu & intellectu soluto, magnum temporis interuallum accideret antequam intellectus cognosceret speciem: Tenet consequentia, quia multa sunt prædicata media inter supremum & infimum.

¶ Quartò ad idem arguit Anto. Trombeta sic, Id prius cognoscitur quod est facilioris abstractionis, sed species specialissima est facilimæ abstractionis, ergo species specialissima prius cognoscitur. Probatur Maior: quia cùm intellectus non intelligat nisi abstrahendo: sicut se habet ad abstrahendum, ita se habet ad intelligendum. Minor patet, quia à similioribus facilior est abstractio, quam à dissimilioribus: indiuidua autem vnius speciei, à quibus abstrahitur genus: seu quoduis superius.

¶ Quintò, Id vniuersale prius cognoscitur ab intellectu, cuius singulare fortius mouet sensum, sed singulare speciei specialissimæ fortius mouet sensum, quàm cuiuscunq; superioris singulare: ergo species specialissima primò cognoscitur ab intellectu. Maior patet: quia nostra cognitio intellectiua nascitur ex sensitiua. Minor probatur dupliciter. Primò, Sensus mouetur à singulari, ergo maximè mouetur à maximè singulari (per regulam Topicam, sicut simpliciter ad simpliciter) sed maximè singulare est singulare speciei specialissimæ: quia est determinatum non solùm determinatione singularitatis, sed etiā naturæ determinatæ: non amplius determinabilis per aliam naturam, quod indiuiduis superiorum non cōuenit: ergo. &c. *Primo Topi.*

Secundò probatur eadem minor sic, Singulare actualius fortius mouet sensum, sed singulare speciei specialissimæ est actualius, cùm sit perfectius: cùm ad alia singularia addat, ergo singulare speciei specialissimæ fortius mouet.

¶ Sextò sic, Compositius est prius notum: species specialissima est compositior omnibus superioribus: ergo species specialissima est prius nota omnibus superioribus. Maior habetur à Commentatore primo Physicor. commento tertio, Minor à Porphyrio dicente, quòd species abundat à genere. Et hoc de secundo.

CONCLVSIO.

Ens concretum quidditati sensibili est primum cognitum cognitione actuali confusa.

QVO AD TERTIVM Ponuntur duæ conclusiones. Prima est, Ens concretum quidditati sensibili est primum cognitum cognitione confusa actuali.

¶ Antequam hæc conclusio probetur duo præmittam. Primò declarabo quid nominis subiecti conclusionis. scilicet quid sit dicere ens concretum quidditati sensibili. Secundò declarabitur quoddam, quod præsupponit ipsa conclusio.

Abstractio formalis & totalis quid sit. ¶ Circa primum scito quòd ens sub triplici conditione potest terminare actum intellectus. Primò vt habet conditionem istam, quæ est abstractio totalis, non dico à singularibus sed à speciebus & à generibus. Secundo modo, vt habet conditionem istam quæ est abstractio formalis similiter à speciebus & generibus. Tertio modo, vt neutram istarum conditionum habens: abstractum tamen à singularibus, primo modo ens non est pertinēs ad hanc quæstionem: quia ipsum vt sic est totum vniuersale, nos autem loquimur de cognitione confusa actuali non virtuali. Secūdo modo ens est terminus metaphysicalis: & fortè adhuc viris doctissimis non innotuit. Tertio modo ens est primum cognitum, & nūcupatum est ens concretum quidditati sensibili: quia non est separatum aliqua dictarum abstractionum à quidditate specifica vel generica.

Abstractio. ¶ Ad horum pleniorem intelligentiam nota quòd sicut est duplex compositio, scilicet formæ cum materia, & totius cū partibus: ita duplex est abstractio per intellectū, scilicet qua formale abstrahitur à materiali: & qua totū vniuersale abstrahitur à partibus subiectiuis, secundum primā quantitas abstrahitur a materia sensibili: iuxta secundam animal abstrahitur a boue & leone, primam voco abstractionem formalem, secundam verò voco abstractionem totalem, eo quia quod abstrahitur prima abstractione, est vt forma eius, a quo abstrahitur. Quod verò abstrahitur secunda abstractione, est vt totum vniuersale respectu eius, à quo abstrahitur.

¶ Differunt autem hæ duæ abstractiones quadrupliciter. Primò, quia in abstractione formali seorsum vterque conceptus completus habetur: eius scilicet quod abstrahitur, & eius à quo abstrahit, id est, formalis & materialis: ita ꝙ conceptus alter alterum non includit. linea enim in eo quòd linea habet completè suam diffinitionem non includentem materiam sensibilem, & ecōuerso, materia sensibilis lineæ habet completè suam diffinitionem non includentem aliquid lineę, in eo quòd linea: aliter diffinitiones naturales abstraherentur à materia sensibili. In abstractione verò totali non remanet seorsum vterque conceptus completus, ita quòd alter alterum non includit: sed vnus tantùm, eius, scilicet quod abstrahitur. Quādo enim abstraho animal ab homine non præcidunt se inuicem cōceptus hoīs & animalis: sed tn̄ conceptus aīalis non includit conceptum hominis: homo enim non est intelligibilis sine animali. Fundamentum huius differentiæ est, quòd illa abstractio fit per cōsiderationem alicuius, quod est de ratione inferioris: & per remotionem, id est, non considerationē alicuius, quod est de ratione illiusmet inferioris: abstrahitur em̄ animal ab hoie per hoc, ꝙ intellectus cōsiderat in hoie animal & non rōnale, quorū vtrūq; est de rōne hoīs. Illa autē abstractio nō fit per cōsiderationē alicuius quòd sit de illius ratione materiæ, & per non considerationem alicuius, quod sit de illius ratione: sed potius fit per separationem eorum, quæ sunt de ratione formalis, ab his quæ sunt de ratione materialis, & econuerso. vt exemplum datum ostendit.

¶ Secundò differunt, quia per abstractionem formalem oritur in eo quod abstrahitur actualitas, distinctio & intelligibilitas. In abstractiōe verò totali oritur in eo quod abstrahitur potentialitatis confusio: & minor intelligibilitas. ¶ Tertiò differunt: quia in abstractione formali quantò aliquid est abstractius, tantò est notius naturæ. In abstractione verò totali quantò est abstractius, tantò est notius nobis. Fundamentum harum differentiarum est, quia abstractio formalis fit per separationem à materialibus potentialibus, & huiusmodi. Abstractio autem totalis fit per separationem à specificis actualitatibus: à quibus quantò aliquid est abstractius, tantò est potentialius, cùm genus potestate contineat inferiora: & tantò est minus intelligibile, cùm actus secundum se sit notior potentia sexto Metaph. tex. Commen. 2. Quartò differunt, quia penes diuersos modos abstractionis formalis scientiæ speculatiuæ diuersificantur. vt patet sexto Meta. in principio. Abstractio autem totalis communis est omni sciētiæ. Propter quod metaphysicalia vt *Tex. 3.*

sic non cōparantur ad naturalia per modū totius vniuersalis ad partes subiectiuas, sed vt formalia ad materialia, sicut & mathematicalia: licet enim gradus metaphysicales sint vniuersaliores aliis, & comparari possint ad alia vt ad partes subiectiuas, eo ꝙ eidem potest vtraque abstractio conuenire: tamen inquantum stant sub consideratione metaphysicali, non sunt vniuersalia respectu naturalium, sed formæ. & naturalia sunt earum materia: hoc est valde notandum. Patet ergo quomodo ens quandoq; habet abstractionem formalem, quando scilicet cum præcisione cæterarum rationum genericarum & specificarū accipitur: & quomodo quandoque habet abstractionem totalem, quando scilicet vt totum vniuersale potestate includens cætera genera & species, consideratur. Patere etiam potest quod nunc intendimus, quomodo ens sit concretum quidditati sensibili, cùm scilicet neutra illarū abstractionum fulcitur: sed in quidditate sensibili abstracta à singularibus absque aliqua separatione inspicitur: & sic est manifestum quid significetur nomine Entis concreti quidditati sensibili.

Supplementum in conclusione. ¶ Id verò quod præsupponit conclusio est, ens posse cognosci cognitione actuali confusa: quod Scotistæ negant, tenentes ens non posse cognosci cognitione actuali confusā, sed distincta tantùm. Et probant sic, Id quod habet conceptum simpliciter simplicem, non potest cognosci cognitione confusa actuali: ens habet conceptum simplicem: ergo. Maior patet ex eo, quòd cognitio confusa actualis fit, cùm intellectus fertur in obiectum secundum id quod actualiter in eo includitur, nesciendo resoluere in partes rationis illius obiecti. In id autem quod habet conceptum simpliciter simplicem, non contingit intellectum ferri secundum aliquid, & secundum aliquid non: aliter conceptus eius esset compositus. Minor patet: quia conceptus entis est irresolubilis. Vt autem videatur ꝙ conclusio non præsupponit aliquod falsum, & pateat insufficientia huius rationis, aduertas ꝙ sicut de ratione cognitionis distinctè actualis non est, ꝙ obiectum cognoscatur per resolutionem in partes rationis, vt patet, cùm distinctè cognoscitur ens: sed eius ratio stat in hoc, ꝙ obiectum penetretur ab intellectu secundū oē, quod actualiter in illo inuenitur: siue hoc fiat per resolutionē obiecti in partes rationis, siue fiat ex claro intuitu obiecti simplicis: ita non est de ratione cognitionis confusæ actualis, quòd intellectus intelligat obiectum secundum aliquid, & secundum aliquid ignoret: sed sufficit quòd intellectus feratur in obiectum ipsum actualiter, & non penetret eius actualitatem, ita quòd in hoc stat ratio cognitionis confusæ actualis, quòd intellectus feratur in obiectum secundum id quod actualiter in eo est non penetrando ipsum. Siue autem hoc cōtingat ex eo, quòd obiectum est resolubile in plures conceptus, siue ex alio per accidens, hoc se habet ad cognitionem confusam actualem: & sic ratio Scoti sumit maiorem falsam: & probationem peccantem falsam consequentiis. ab inferiori ad suum superius negatiuè, a negatiua vnius modi cognitionis confusæ ad negatiuam vnius modi.

¶ Et quòd ita sit, & quòd ens & quodlibet simpliciter simplex possit cognosci cognitione confusa actuali, probo sic: Quandocunque intellectus fertur in ens, actualiter ipsum concipiendo, & nesciēdo separare ens à substantia & accidente, habet de ente cognitionem confusam actualem: sed multorum hominum intellectus est huiusmodi: ergo, &c. Maior sic manifestatur: quia cùm intellectus actualiter fertur in ens: & tamen nescit separare propriam eius rationem à rationibus propriis substantiæ & accidentis: aut habet cognitionem confusam, aut distinctam. Non distinctam: quia effectus inseparabilis cognitionis distinctè, est scire illius obiecti differentiam ab aliis, ergo confusam: & cùm positum sit ꝙ sit cognitio actualis, sequitur ꝙ sit cognitio confusa actualis. Minorē experientia docet: videmus enim multos per plures annos exercitatos in studiis adhuc nescire distinguere rationem propriam entis à substantia & accidente: quos nescire habere conceptum actualem entis fatuum est dicere, & contra sensum: considerant enim ens secundum id quod actualiter in se habet, & totum attingunt: sed quia nō totaliter comprehendunt: ideo nesciunt ipsum ab aliis separare: restat igitur præsuppositum in nostra conclusione solidum, & falsum esse, ꝙ ens sola cognitione actuali distincta cognoscatur. Nunc superest probare conclusionem, quam habes quo ad primam partem à sanc. Tho. & Auicen. dicētibus, ꝙ ens est id quod intellectui nostro primò imprimitur. probatur ergo sic conclusio: Conceptus imperfectissimus omnium est primus via originis: sed cōceptus actualis confusus entis est conceptus imperfectissimus omnium: ergo est primus via originis. Maior patet: quia imperfectiora sunt priora via generationis, 9. Metaphy. tex. com. 15. Minor etiam est de se euidens: quia omnis alius conceptus cùm addat ad entis conceptum, est perfectior illo, sicut totum sua parte. *T. c. 15.*

¶ Respondet Ant. Trombeta, ꝙ perfectio conceptus est duplex: perfectio obiectalis & perfectio euidentiæ, ille cōceptus est perfectior obiectalis, qui habet obiectum perfectius positiuè: ille autem est perfectior euidenter, qui habet obiectum pauciora includens ex Aristo. (in proœ. Meta.) Vnde si in argumento sit sermo de perfectione obiectali, maior est falsa, & minor vera: si de perfectione euidentiæ, maior est vera & minor falsa.

¶ Contra: & probo ꝙ minor sit vera de perfectione euidētiæ loquēdo: ita ꝙ cōceptus actualis confusus entis sit imperfectissimus, quo ad euidentiam. Ille conceptus est omnium in euidētissimus, sub quo intellectus positus magis remotus est à cognitione aliorū omnium, quam sub quocunque alio conceptu, conceptus actualis confusus entis est huiusmodi, scilicet ꝙ intellectus habens ipsum, magis distat ab aliorum cognitione, quam habens quemcunque alium conceptum: ergo cōceptus actualis confusus entis est in euidētissimus omnium. Maior patet ex eo ꝙ euidentia cōceptus, cùm sit propria perfectio intellectus, quantò maior est, tantò intellectum magis propinquum reddit ad aliorū cognitionē, præsertim cū intellectus ex euidētibus ad in euidētia naturaliter procedat. Minor verò probatur sic, Quandocunque sunt aliqui duo conceptus, quorum vnus actualiter alterum includit, & non econuerso, intellectus habens illum, qui actualiter includit alterum, est in propinquiori dispositione ad cognoscendum reliquum, ꝙ e conuerso: modò conceptus entis ita se habet ad alios, quòd ipse alios non includit: alii verò actualiter ipsum includunt. ergo intellectus habens conceptum entis magis distat ab aliorum cognitione, ꝙ habens quemcunque alium conceptum. Et confirmatur per Sco. dicentem, ꝙ pars rationis actualiter intellecta ꝙ satis proxima intellectui, adeò vt proximius esse non possit. Illud autem quod adducitur ex proœ. Metaphy: quòd euidētia attenditur penes obiectum pauciora actu includens, ad propositum non est: quoniam certitudo illa est certitudo obiectalis: sermo autem noster est de euidentia se tenente ex parte intellectus: ex talibus enim euidentibus & certis procedit intellectus ad sibi in euidentia & incerta. *Lec. 2.*

¶ Secundò probatur eadem conclusio sic: Cognitio primorum principiorum est prima cognitio complexa: ergo cognitio entis est prima cognitio incomplexa. Antecedens patet ex eo quòd cognitio, quæ est à natura, debet præcedere eam, quæ est ex industria: & ex eo quòd in omnium sunt notitia etiā in pueritia, & ex eo quòd præsupponuntur ad quodlibet discere: vt habetur primo Poste. Consequentia verò probatur, quia cùm ens sit terminus ille, ex quo conficitur principium primum, si ens nō esset primum cognitum, sed aliquid aliud, posset tunc fieri alia complexio ab intellectu, adhuc non habita notitia principii, &c. *T. c. 5.*

Contra Scoti positionem. ¶ Contra ipsam positionem Scoti arguitur: Species specialissima non est obiectum confusissimum simpliciter, ergo cognitio eius actualis confusa non est prima simpliciter, & consequenter ipsa non est primū cognitum. Consequentia tenet ex positione aduersa dicente, ꝙ ideo species specialissima est primum cognitum: quia est confusissima. Antecedens probatur sic: Genus est confusius specie. ergo ipsa non est confusissima. Consequentia iterum est nota: Antecedens probatur, Quod plura continet, est confusius, genus plura continet quā species: animal enim continet plura, quàm homo. ergo, &c.

¶ Respondent, quòd continentia est duplex, quædam actualis, quædam potentialis: & quòd id est confusius, quod plura continet actualiter, non potentialiter, modò genus continet plura in potētia: species autem in actu, & ideo species est confusior.

¶ Cōtra, cōfusius est qđ cōtinet plura sine ordine, ꝙ qđ cōtinet plura cū ordine: sed cōtinēs actualr̄ cōtinet plura ordinatè, spēs enim ordinatè cōtinet partes diffinitiuas:

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

continens autem in potentia continet plura sine ordine, ergo continens plura potentialiter est confusius.

¶ Respondet Anto. Trombeta, quòd genus continet species ordinatè & non sine ordine, eo quòd non respicit eas nisi medijs differentijs, quæ sunt valde ordinatæ.

3. de differentia. ¶ Contrà, Genus continet species & differentias in actu: sed in potentia (vt dicit Porphyrius.) ergo continet eas indistinctè. Tenet consequētia: quia actus est qui distinguit, septimo Metaph. tex. com. 49. tunc vltima continet indistinctè: ergo non ordinatè. Tenet consequentia: quia ordo absque distinctione non est imaginabilis (etiam si fingendi detur licentia). Quòd autem dixit, genus, scilicet non respicere species nisi medijs differentijs ordinatis, non iuuat: eo quòd non solùm species, sed etiam differentias inter se ordinatas genus absque ordine continet: vt probatum est.

Tex. 49.

¶ Aduertas hic, quòd confusio non sequitur continentiam plurium (vt Scotistæ fingunt) sic enim vniuersum esset maximè confusum: sed continentiam plurium sine ordine. vnde prouerbium est, Vbi pluralitas sine ordine, ibi confusio, &c.

SECVNDA Conclusio est ista, Inter conceptus actuales confusos prædicatorum quidditatiuorum non est essentialis ordo originis. probatur sic, Quandocunque sunt aliqui conceptus essentialiter ordinati ordine originis, impossibile est extremos generari non genitis interme dijs. Ista patet de se: alioquin non esset ordo essentialis originis inter illos: sed de facto habemus conceptus confusos actuales extremorum absque intermediorum conceptibus: ergo non est inter eos essentialis ordo originis. Minorē expertentia declarat: experimur nanque nos concipere hominem, & substantiam, & tamen intermedia ignoramus non solùm distinctè, sed cōfusè: caremus enim conceptibus proprijs eorum, quibus actualiter in ipsa dirigatur intellectus acies: & non solùm ignoramus resoluere ipsa in partes diffinitiuas. Et quia hæc ratio conuincit me, ideo solam adduco. Ex hoc patet defectus Scotistarum dicentium, quòd est ordo essentialis inter conceptus confusos: non enim possunt soluere hanc rationem.

¶ Sed immediatè contra hæc obijcitur sic, Inter conceptus confusos actuales superioris & inferioris non est ordo essentialis originis: ergo ita potest primò generari conceptus speciei specialissimæ, sicut entis: quod est contra primam conclusionē. Tenet consequentia: quia ordo non essentialis non est necessarius, & variari potest.

¶ Ad hoc dico negando consequentiam. licet enim non sit ordo essentialis inter omnes conceptus confusos: est tamen talis ordo inter conceptus entis, & quemcunq; aliū. Nec hoc est voluntarium, eo quòd cōceptus entis est quædam forma generalissima ipsius intellectus, sicut forma corporeitatis est forma generalissima ipsius materiæ. vnde sicut inter formam corporeitatis & alias est ordo essentialis, non autem inter alias formas inter se: ita inter conceptum entis & alios, non autem inter alios inter se, potest enim post conceptum entis quodcunque aliud concipi, siue substantia, siue accidens, siue species, siue genus. Est etiam conceptus entis quasi naturalis ipsi intellectui, sicut & cognitio primi principij: statim enim præsentatum ens ab omnibus cognoscitur, & ideo ipsum oportet esse prius alijs essentialiter sicut vniuersaliter actus naturalis præcedit cæteros, qui penitus ab extrà sunt: non est autem similis ratio de alijs conceptibus inter se. Et hæc de tertio.

Quinque dictorum S. Thom. defensio.

QVO AD QVARTVM, Quia Anto. Trombeta impugnat quædam dicta S. Doct. in prima parte, quæstio. 85. ar. 3. vbi tradit ordinem intellectualis cognitionis secundum viam Peripateticam, ideo adduco eius impugnationes, & soluo. Quinq; autem sunt dicta, contra quæ arguit. Primum est, Intellectus est vniuersalium & prius magis vniuersalium. Secūdum, Intellectus noster procedit de potentia ad actum. Tertium, Notitia rerum in vniuersali est notitia incompleta. Quartum, Notitia in vniuersali est notitia secundum quid, & in potentia. Quintum, Sensus exiens de potentia ad actum prius communius, quàm minus commune cognoscit.

Primo Intellectus est vniuersalius, & priusma gis vniuersalis.

¶ Contra primum arguit sic, S. Tho. tenet, q̄ quicquid est in re & ex natura rei sit singulare: addo huic aliam propositionem, scilicet illud quod præcedit actum intelligendi est reale: tunc sic, quicquid est in re est singulare: quicqd prima intellectione intelligitur, est in re: ergo quicquid prima intellectione intelligitur, est singulare, ergo non pōt intelligere magis vniuersaliter, Maior est S. Th. Minor ex secundo suppósito patet: quod quadrupliciter probatur. Tum quia ens rationis est posterius actu collationis intellectus. Tū quia tale obiectū est cā entis realis, scilicet primi actus intelligendi. Tum quia talis primus actus refertur ad obiectum relatione reali quæ non est nisi ad terminum realem. Tum quia talis primus actus dependet ab obiecto: vt à mensura, ens autem reale non dependet ab ente rationis.

¶ Ad hæc responsio, quòd Maior potest habere duplicē sensum. Primus est, quòd quicquid est in re, est singulare, id est, quicquid est in re est singularitas, & sic est falsa. est enim in Sorte non solū singularitas, sed humanitas & animalitas. Secundus sensus est, quicqd est in re, est singulare, id est, quicquid est in re, habet esse singularizatum: & hoc mō est apud Peripateticos verisima. vnde argumentū si debet esse tribus terminis, Maior est falsa in primo sensu. In secundo autem conceditur totum argumentum, ens. si quidem primò cognitum non habet esse reale nisi in singularibus. Quæ autem addit, quantum veritatem habeant infrà patebit.

Secunda Intellectus noster magis procedit ex potentia ad actum.

¶ Contra secundum dictum, scilicet intellectus noster procedit de potentia ad actum, arguitur sic, Ista propositio assumitur à S. Tho. ad probandum illam conclusionē, scilicet magis vniuersale prius intelligitur, aut ista propositio concludit nihil ad propositum, aut ipsa est simpliciter falsa. Quia si intelligit q̄ intellectus prius intelligat aliq̄d in potētia, q̄ in actu, ipsa est vera: sed non ad ppositū: cōcedo enim q̄ intellect⁹ prius intelligit speciē specialissimā in potētia, quā in actu: sed hoc nō habet, q̄ prius genus, quàm speciem intelligat. Si autem intelligat, quòd intellectus procedit de potentia ad actum, id est, de notitia imperfecta ad perfectam, ipsa nō est vniuersaliter vera vt patet cùm proceditur à notitia præmissarum ad conclusiones, & à notitia causę ad effectus notitiam: & per hoc patet etiam illud esse falsum, scilicet quòd intellectus prius peruenit ad actum imperfectum quàm perfectum, nam aër illuminatus non prius imperfectè, deinde perfectè illuminatur à sole, simpliciter intellectus prius accipit actum quàm habitum: & tamen actus est perfectior habitu, vnde ad hoc quòd propositio sit vera, oportet proba re ordinē essentialē actus in completi ad actum cōpletū.

¶ Ad hoc respondeo quòd S. Tho. intelligit illam propositionē neutro illorum modorum præcisè sed hoc modo, Intellectus exiens de potentia ad actum vltimatè perfectum transiturus per multos actus medios prius peruenit ad actum imperfectum, quàm perfectum: & habetur ista propositio ex octauo Phy. tex. com. 58. & nono Meta. tex. commen. 15. & in libro secundo de partibus animalium, quòd priora via generationis sunt imperfectiora. Sub illa ergo Maiore subsumatur Minor scilicet, intellectus noster est exiens de potentia ad actum vltimatè perfectum, puta cognitionem distinctam speciei specialissimæ transiturus per multos actus intermedios, ergo prius peruenit ad actum imperfectum, quàm perfectum, minor est euidens: eo quòd cognitiones generum ab omnibus conceduntur actus intermedij, & sic ratio concludit quòd prius magis vniuersale, quàm minus vniuersale distinctè cognoscamus: quod intendebat beatus Thomas, sed ille deceptus est: quia credidit sanctus Thomas loqui de cognitionibus confusis actualibus, cùm, sicut suprà dictum est, loquatur de cognitione confusa virtuali ipsius speciei: & distincta eiusdem & generis, cognitio enim distincta actualis generis appellatur ibi confusa ipsius generis & specierum eo quòd confuse in illa species & generis potestas cognoscatur. Ad id quod additur contra hanc propositionem, Intellectus procedit de notitia imperfecta ad perfectam, dico quòd hæc propositio est vera vniuersalissimè, si intelligatur.

¶ Pro cuius intellectu & omnium instantiarum solutione aduerte primò, quòd processus naturæ & intellectus est duplex, alter secundum ordinem generationis tantùm, alter secundum ordinem generationis & causalitatis effectiuæ vel finalis. Primus processus est quando inter terminos & media nō cadit nisi prioritas & posteriorias secundum generationem. Secundus est quando vltra istam prioritatem inuenitur in illo quod est prius etiam prioritas causæ effectiuæ vel finalis.

¶ Secundò aduerte quòd aliud est perfectius altero duplic

pliciter, scilicet simpliciter vel secundum quid: stat enim quòd aliquid sit simpliciter, id est secundum suam naturam altero perfectius: quod tamen aliquam conditionem est imperfectius illo: sicut substantia materialis est simpliciter perfectior accidente, quo tamen est imperfectior secūdum quid, inquantum actuatur per illud. Dicit ergo quòd tam natura, quàm intellectus in processu generationis tantùm semper procedit de imperfecto simpliciter ad perfectum simpliciter: eo quòd ordo generationis attenditur penes genus causæ materialis: sicut animal prius generatur, quàm homo (vt dicitur in libro de animalibus). In processu autem secundo procedit de imperfecto non simpliciter, sed secundum quid, ad perfectius secundum quid, sicut substantia est prior genere ratione accidente: & vltra hoc est prior causalitate finali, eo quòd est finis eius, & quādoque agens. constat autem ipsam esse secundum quid imperfectiorem accidente, inquantum est in potentia respectu eius: & causalitatem materialem participat.

¶ Ad primam igitur instantiarum dicitur quòd præmissæ non sunt priores conclusione via generationis tātùm, sed etiam ordine causalitatis effectiuē (vt dicitur secundo Phy. tex. commen. 31.) In alia litera, vt testatur ibi san. Tho. & colligi potest ex primo Posteriorum, & ideo sufficit quòd notitia earum sit imperfectior secūdum quid: vnde etiam in genere causæ materialis collocantur, secundo Physi. ibidem, & quinto Metaph. tex. com. 32. Idem dico ad secundam de processu notitiæ causæ ad effectum. De aëre illuminato non est ad propositum: quia illuminatio non est successiua, conceptus verò generis & speciei sibi succedunt. Falsum quoque est quòd actus præcedens habitum sit simpliciter habitu perfectior: licet hoc sit verum de actu elicito ab ipso habitu, vt habes primo Ethi. talis autem est posterior habitu. Ordo quoque essentialis conceptus generici ad specificum satis sufficienter notus in notitia distincta est ex dictis ibidem, vnde non oportebit aliter laborare.

Tertium Notitia in vniuersali est notitia incōpleta.

¶ Contra tertium, scilicet quòd notitia in vniuersali est notitia incōpleta, arguit sic, Demonstratio vniuersalis est potior demonstratione particulari, ergo notitia in vniuersali, quæ acquiritur per demonstrationem vniuersalē, est potior notitia particulari.

¶ Ad hæc dico quòd argumentum peccat per fallaciam æquiuocationis illius termini vniuersale. Arist. enim vocat demonstrationem vniuersalem illam, qua passio de suo proprio subiecto scitur: & hoc tam in passionibus genericis, quàm specificis, & vult dicere quòd potior est notitia illa, quam acquirimus per demonstrationem demonstrantem passionem de suo subiecto primo, quàm illa quæ fit per demonstrationem, qua illa passio demonstratur de parte subiecta primi subiecti. Nos autem dicimus quòd cognoscere hominem in animali est cognoscere hominem imperfectiùs, quàm cognoscere hominem in seipso: & hanc vocamus cognitionem in vniuersali. Manifestum igitur est omni habenti ingenium, quòd nostra dicta Arist. non repugnant. Aliud est enim dicere, A cognoscitur in vniuersali: &, A demōstratur demonstratione vniuersali, primo modo A nōn cognoscitur in semetipso, sed in suo superiori: secūdo modo A in seipso cognoscitur inesse suo primo subiecto.

Quartū. Notitia in vniuersali est notitia secūdū quid & in potentia, ac confusa.

¶ Contra quartum, scilicet notitia in vniuersali est notitia secundum quid & in potentia: propterea quòd in ipso vniuersali intelliguntur partes ut quadam confusione: ex quo infertur, ergo notitia in vniuersali est notitia confusa.

¶ Contra, illa probatio nulla est, quæ procedit secundū fallaciam æquiuocationis: ista est huiusmodi, ergo, &c. Declaratur Minor: quia aliud est loqui de notitia actuali obiecti, & aliud de notitia virtuali eorum, quę in ipso includūtur. Licet enim notitia virtualis particularū in vniuersali sit confusa: tū notitia actualis ipsius vniuersalis est distincta: & quia ab his, quæ actualiter confunduntur in obiecto, attenditur confusio notitiæ cùm notitia specificetur ab obiecto: & his, quæ sunt intrinseca non debet dici notitia confusa, sed distincta.

¶ Ad hæc dico quòd iste non intelligit S. Tho. qui vult, quòd notitia distincta animalis, vt est totum diffinibile, sit notitia confusa animalis, vt est totum vniuersale: & consequenter notitia confusa specierum. & ideo non accidit æquiuocatio. Fatemur enim quòd notitia qua actualiter fertur intellectus in ipsum animal, vt vniuersale, & non in suas species est notitia cōfusa animalis: vt totum vniuersale est: & nō solum specierū eius, vt expressè dicit ibi Sanct. Tho. vnde contingit animal simul esse notum distinctè & confusè diuersimodè: vt supra dictum est. Nec oportet quòd si istæ duæ notitiæ simul inueniantur, sint eædem cum etiam separentur: puta cùm & actualiter & virtualiter animal distinctè cognoscitur. Quod autem addit, quòd talis notitia non debet dici confusa, falsum esse ostenditur, ex eo quòd minor est cōfusio actualis quā potentialis. Quod vltimò additur, quòd notitia specificatur ab obiecto & eius intrinsecis, ad propositum non est: confusio enim & distinctio non sunt species cognitionum: alioquin cognitio confusa & distincta eiusdem obiecti non essent eiusdem speciei & sic notitia non specificaretur ab obiecto. vnde assumptum eius implicat contradictionem in proposito.

1. q. 85. art. 3.

Quintū. Sensus exiens de potentia ad actū, magis cōmune primò attingit, quā minus cōmune.

¶ Contra quintum, scilicet quòd sensus exiens de potentia ad actum prius communius quàm minus commune cognoscitur. arguitur sic, Sensus non cognoscit nisi singulare, ergo non prius cognoscit magis commune. Quòd si dicas sensum non cognoscere magis commune in se, sed pro cognoscere singulare magis communius: contrà, aut cognoscit singulare magis cōmuniusita quòd singularitas est ratio cognoscendi: aut ita quòd natura communis sit ratio cognoscendi. primum non est dicendum, vt de se patet: nec secundum potest dici à Thomistis: quia hoc ideo esset, quia natura illa esset ratio mouēdi sensum.

¶ Contra quod arguitur sic, illud non est ratio mouendi, quòd est idē re & ratione ei, cui repugnat ratio mouendi: sed natura communis est eadem re & ratione singularitati, cui repugnat ratio mouēdi: ergo, &c. probatur minor: quia natura & singulare non distinguuntur realiter: non ex natura rei apud te, nec ratione. quod probo: quia distinctio rationis sequitur actum intellectus, in illo autē priori nullus actus est intellectus. Et confirmatur: quia actus realis non dependet ab ente rationis: sed sensatio est actus reali: ergo non dependet ab ente rationis: sed obiectum sensibile habens in se distinctionem rationis est ens rationis, vel aggregatum ex ente reali & entionis: ergo, &c. Et confirmatur ratio principalis sic, Quæcunq; sunt indistincta omnino secundum rem, si vnū terminat ad aliquam actionem realem & reliquum terminabit eandem: sed natura magis communis & minus communis sunt homini: ergo &c. & hoc supposita debita approximatione ad sensum. Confirmatur secundò: idem sensus primò cognoscit quod species sensibilis primò repræsentat, sed species sensibilis primò repræsentat singulare speciei specialissimæ posita debita distātia: ergo. &c. Minor probatur: Species sensibilis primò repræsentat obiectū sub ea ratione, qua imprimitur sensui: sed imprimitur ab obiecto sub ratione naturæ specificæ. Tum quia est actualior & perfectior. Tū quia species sensibilis est naturalis similitudo causata ab obiecto repræsentans ipsam adæquatè secundum rationem sibi essentialiūs competentem: ergo magis repræsentat ipsum ratione, quæ sibi essentialiūs & perfectiūs competit, quàm sub ea ratione quæ sibi remotè & minus principaliter competit.

¶ Ad hæc respondetur, quòd responsio ibi recitata est bona & recta. Ad impugnationem dico, quòd natura talis puta color & non natura communis, id est color communis est ratio mouēdi. Ad improbationem, negatur Minor pro vtraque sui parte. Ita apud S. Tho. in Prima parte. q. 3. ar. 3. in rebus materialibus natura & singularitas distinguuntur realiter, & distinctio rationis, licet actualiter fit post sensationem, fundamentaliter tamen præuenit ipsam: & hoc sufficit. Ad confirmationem dicitur primò, quòd obiectum sensibile habens distinctionem rationis fundamentaliter, non est ens rationis: nec aggregatum ex ente reali & ente rationis. Distinctio enim rationis fundamentaliter nihil addit supra rem. Dicitur secundò q̄ sensatio non causatur ad stinctione naturæ: sed à natura ipsa habente talem conditionem: & ideo dato quòd distinctio illa esset ens rationis, adhuc nihil concludit, non enim color inquantum distinctus à sua singularitate mouet: sed hic color inquantum color, de cuius ratione, nec distinctio nec adunatio est. Ad aliam confirmationem dicitur, quòd maior est falsa quo ad actiones nihil reale ponentes in suis terminis, quales sunt actiones immanentes, possum enim intelligere Dei sapientiam nō

1. q. 3. ar. 3.

Universidad de Deusto Biblioteca

intelligendo eius bonitatem. Ad alias confirmationes præmitto, quòd non dicit S. Th. quòd semper sensus prius cognoscat magis cõmune, q̃ minus cõmune: verba enim sua sunt ista, Et quia sensus exit de potentia ad actum, sicut & intellectus, idem etiam ordo cognitionis apparet in sensu. nam primò secundum sensum diiudicamus magis commune, q̃ minus commune & secundum locum, & secũdum tempus. Ex quibus verbis non habetur nisi, quòd sensus primò secundum locum & tempus cognoscit singulare magis communis, & non habetur, ꝙ semper ita sit: vnde argumenta illa non sunt contra S. Th. licet non concludant. falsum enim est, ꝙ species sensibilis primò repræsentet singulare speciei specialissimæ: & eius probatio falsa est, scilicet ꝙ species sensibilis sit primò impressa à natura specifica. nã species sensibilis primò imprimitur à per se primo obiecto sensus. nullius autem sensus obiectum primum est species specialissima, vt patet discurrendo. propterea species visibilis imprimitur primò à visibili in eo, quod coloratum, & non ab ipso, in eo, quod est album vel nigrum. Nec obstat, ꝙ albedo sit actualior colore, quia hoc non sufficit: sed requiritur ꝙ sit primum obiectum potentiæ. Nec est verum quod assumit, scilicet ꝙ essentialius insit sensibili natura specialissima, q̃ natura generis: imò huic visibili, vt sic essentialior est color, q̃ albedo siue nigredo, quod patet ex hoc, quòd sublata albedine siue nigredine visibile remanet: non autem econuerso. Et hæc de quarto.

QVO AD Quintum respondetur ordinatè argumentis factis: & ad primum negatur illud vltimò assumptum, scilicet ꝙ perfectissimus effectus, quẽ possunt primò producere agentia ad intellectionem, sit conceptus specificus. Dico enim, ꝙ perfectissimus, quem pro tunc possunt, est conceptus entis. imò nullum aliũ possunt pro tunc. Et cùm contra hoc arguitur, quia sic nunquã produceretur conceptus specificus: non valet consequentia. Ad cuius probationem dicitur, ꝙ nulla virtus potest in perfectiorem effectum suo effectu perfectissimo simpliciter: quælibet tamen virtus potest in effectum perfectiorem suo perfectissimo effectu, in quẽ potest pro aliquo priori: quia ille non est perfectissimus, nisi secundum quid. Exemplum, Virtus generatiua leonis non potest in perfectiorẽ effectum, q̃ sit leo: quia huiusmodi est eius effectus perfectissimus simpliciter; potest tamen in effectum perfectiorem illo, quem producit in principio actionis: quia tamẽ effectus fuit perfectissimus, quem pro tunc posset producere. Ad confirmationem dicitur, ꝙ Minor est falsa: nam intellectus existens in pura potẽtia non est æquè dispositus ad conceptum specificum, sicut entis, non per positionem alicuius contrariæ dispositionis: sed propter ordinem conceptus generalissimi ad speciales: sicut materia prima omni contraria dispositione inconsiderata, non est æquè disposita ad formas specificas, & ad formam corporeitatis: sed oportet primò recipi formã corporeitatis propter ordinẽ formæ generalis ad speciales, propter quod cõsueuit dici, ꝙ est indispositus priuatiuè & non contrariè.

¶ Ad secundum patet responsio ex dictis: nã termini metaphysicales vt sic, non ponuntur à nobis primò cognosci: sunt enim termini metaphysicales abstracti abstractione formali: sed dicimus ꝙ significatum huius termini ens concretum quidditatis sensibilis est primò cognitum.

¶ Ad tertium dico ꝙ non oportet in quacunq; formatione conceptus specifici semper sigillatim præformare conceptum confusum entis: sed sufficit ens primò omnium fuisse cognitum: in illo enim omnia virtualiter concipiuntur. Vlterius dicitur, ꝙ cùm apud nos non ponatur ordo essentialis inter istos conceptus confusos, non oportet tantum temporis interesse.

¶ Ad quartũ dicitur, ꝙ spẽs specialissima nõ est facilioris abstractionis, q̃ ens, loquendo de abstractione ad propositum requisita: sicut enim ad conceptum confusum speciei specialissimę requiritur, & sufficit duplex abstractio: altera per actum intellectus agentis, scilicet separatio à singularibus: altera per actum intellectus possibilis, scilicet actualiter intueri speciem, & non actualiter intueri genus: ita ad conceptum confusum actualem entis duplex est abstractio necessaria. prima est à particularibus, quæ quidem fit, cùm species quæcũq; abstrahitur ab intellectu agẽte: altera fit ab intellectu possibili per hoc, ꝙ in quidditate quacunq; sibi primò præsentata actualiter, primò concipit ens non concipiẽdo actualiter cætera quæ in illo sunt: vnde tanta & tã facilis est abstractio illa entis, q̃ facilis est abstractio speciei specialissimæ: imò abstractio ista entis est facilior: quia facilius est actualiter concipere prius sine posteriori, q̃ e conuerso, ex quo patet, ꝙ abstractio illa, de qua loquitur argumentum, non est necessaria ad cognitionem confusam.

¶ Ad quintum dico, ꝙ Minor est falsa: & ad eius probationem negatur consequentia, eo ꝙ sensus non mouetur à singulari in eo ꝙ singulare. Ille enim modus arguendi secundum regulam Topicam non tenet, nisi cùm prædicatum conuenit subiecto, secundum ꝙ ipsum, vt habes à san. Tho. in tertio contra Gentiles ca. 139. quod in proposito non reperitur: non enim hic color, inquantũ hic, mouet visum: sed inquantum color. Ad aliam probationẽ dicitur, ꝙ Maior assumpta non est vera vniuersaliter: eo ꝙ coloratũ magis mouet visum, q̃ hoc nigrũ: quia à remotioribus mouet. Agens namq; corporale quantò in remotius agit, tantò fortius videtur. Secundò dicitur, ꝙ fortius mouẽt sensum multa singularia imperfecta, q̃ vnũ actualius & perfectius: & quia omnia singularia sunt singularia entis, ideo cogitatiua pueri, in quo noua cognitio oriri debet, magis mouetur à singularibus entis, q̃ à singularibus huius speciei, & cùm intellectus accipiat vniuersale ex multis singularibus, vt dicitur 2. Poster. (& in proœmio Meta.) ideo prius cognoscit ens, q̃ species: & secũdũ hoc dicitur ad argumentum, ꝙ Maior est vera cæteris paribus: non autem vbi aliqua imparitas sicut in proposito accidit, præponderans inuenitur: multò enim plura singularia entis præponderant paucioribus singularibus speciei, sicut plus trahunt mille homines non nimis fortes, quàm decem fortes.

¶ Ad sextũ dicitur, ꝙ Maior simpliciter est falsa. Ad autoritatem Philosophi dicitur primò, ꝙ tex. Commentatoris est corruptus: debet enim legi confusa & non composita. Dicitur secundò, vt saluemus Commẽtatorem, quòd compositum est notius suis componentibus, vt sic, nõ autem absolutè: vnde prius confusè cognosco hominem, q̃ partes eius diffinitiuas vt sic: absolutè tamen prius cognosco magis vniuersale. Ex his apparet veritas Minoris autoritate Auicennæ approbatæ.

DEINDE Reddit auditores attentos, dicẽdorum difficultatem aperiens, tria proponendo, quid nomine Essentię & Entis significetur, & quomodo in diuersis diuersimodè inueniatur, & quomodo se habeant ad intentiones Logicas. Horum enim difficultas non modica est, vt diuersitas opinionum circa ipsa testatur: sunt enim maximè vniuersalia, quæ sunt difficilima ad cognoscendum: vt dicitur primo Metaphy.

CIRCA Hanc particulam nota, ꝙ sicut quid rei est quidditas rei, ita quid nominis est quidditas nominis, nomen autem cũ essentialiter sit nota earũ, quæ sunt obiectiue in anima passionũ (ex primo Peri hermenias) non habet aliam quidditatem nisi hanc, ꝙ est signum alicuius rei intellectæ seu cogitatæ: signũ aũt vt sic, relatiuũ est ad signatum: vnde cognoscere quid nominis nihil est aliud, q̃ cognoscere ad qd tale nomẽ habet relationẽ: vt signũ ad signatũ. Talis autẽ cognitio potest acquiri per accidentalia illius signati, per communia, per essentialia, per nutus, & quibusuis alijs modis, sicut à Gręco quęrẽtibus nobis (quid nominis anthropos) si digito ostendatur homo, iã percipimus quid nominis: & similiter de alijs. Interrogãtibus verò quid rei, oportet assignare id ꝙ cõuenit rei significatæ: in primo modo perseitatis adæquatæ. Et hæc est essentialis differentia inter quid nominis & quid rei, scilicet, ꝙ quid nominis est relatio nominis ad signatũ: quid rei verò est rei relatæ seu significatæ essentia: & ex hac differẽtia sequũtur oẽs aliæ quæ dici solẽt, puta ꝙ quid nominis sit non entiũ complexorum, per accidẽtalia, per cõmunia, per extranea: quid rei verò est entiũ incõplexorũ per propria & essentialia: relatio enim vocis potest terminari ad non entia in rerũ natura. & cõplexa, & declarari per accidentalia, & hmõi: essentia autem rei nõ nisi per ꝓpria essentialia habeẽ de entibus incõplexis. *Quid rei & quid nois intellectu.*

Quia verò ex compositis cognitionem simpliciũ accipere debemus, & ex posterioribus deuenire in priora, vt à facilioribus incipientibus conuenientior fiat disciplina: ideo ex significatione entis ad significationem essentiæ procedendum est.

¶ In hac tertia parte proœmij reddit auditores dociles or-

din

dinem dicendorum proponens tali conclusione. Ab ente ad essentiam procedendum est: quam probat duplici medio. Primo sic, Ex compositis ad simplicia procedendum est: sed ens est velut compositum, & essentia velut simplex: ergo ab ente ad essentiam procedendum est. Secũdo sic, Ex posterioribus in priora procedendum est: sed ens est posterius essentia: ergo ab ente ad essentiam procedendum est. Maior vtriusque rationis probatur: quia ex facilioribus est inchoandum: composita autem & posteriora sunt faciliora nobis simplicibus.

¶ Circa minorem primæ rationis nota, ꝙ ens, vt infrà dicetur, significat id quod habet esse: id autẽ quod habet esse, comprehendit in se essentiam: essentia verò significat id quod importat diffinitio, vt dicetur: quæ non dicit esse vel non esse, ex primo Posteriorum. ens ergo ita se habet ad essentiam: quòd complectitur in se vtrunque, essentiã scilicet & esse: essentia verò alterum tantum, & ideo ens appellatur compositum respectu essentiæ. *infra in prin. c. 3. & in fi.*

¶ Circa maiorem secundæ rationis scito, ꝙ quando dicimus, Ex posterioribus procedendum est, intelligitur ex posterioribus secundum naturam prioribus quo ad nos: innata enim est nobis via ex notioribus nobis in ignotiora naturæ, vt dicitur primo Physico. text. comment. 2. Minor secundæ rationis probatur ex eo, quòd compositũ est posterius componentibus: & ens (vt dictum est) compositum est respectu essentiæ.

CAPVT I.

Entis & essentiæ nomine quidnam significetur, ostendit. Nominis item varia ponit, quæ essentiam significant.

SCIENDVM est, quòd sicut in quinto Metaphysicæ Philosophus dicit, ens per se dicitur dupliciter. Vno modo, qđ diuiditur per decẽ genera. Alio modo, quod significat propositionum veritatem. Horũ autem differentia est, quia secundo modo potest dici ens omne illud, de quo affirmatiua propositio formari potest, etiam si illud in re nihil ponat: per quẽ modum priuationes & negationes entia dicuntur: dicimus enim quòd affirmatio est opposita negationi, & quòd cæcitas est in oculo. Sed primo modo nõ potest dici aliquid quod sit ens, nisi quod in re aliquid ponat. Vnde primo modo cæcitas & huiusmodi non sunt entia. Nomen igitur Essentiæ non sumitur ab ente secundo modo dicto: aliqua enim dicuntur hoc modo entia, quæ essentiã non habent, vt patet in priuationibus: sed sumitur essentia ab ente primo modo dicto. Vnde Commen. in eodẽ loco dicit, Ens primo modo dictum est, quod significat substantiam rei.

¶ Hic incipit tractatus diuisus in duas partes. In quarũ prima declaratur quid nomine Entis & Essentiæ significetur. In secũda verò quõ essentia in diuersis diuersimodè inueniatur. pars prima vnico absoluitur capitulo, pars secunda sex: & sic totũ integrãt tractatũ capitula septem. Quorũ primũ, quod præ manibus habemus, tres partes continet, in prima declaratur quid nomine Entis significetur, in secũda quid noĩe Essentiæ, in tertia differentia nominũ ipsius essentiæ designatur. Primũ tali diuisione declaratur, ens per se dupliciter dicitur: vno modo, vt diuiditur per decem genera, alio modo vt significat veritatem propositionũ: quẽadmodũ dicit Ari. 5. Meta. text. cõ. 14. Dixit ens per se ad differentiã entis per accidẽs aggregati ex rebus diuersorũ generũ, vt homo albus: de quo habes quinto Met. tex. cõ. 13. Et innuit, ꝙ tripliciter differũt ens primo modo, & ens secundo modo. Primò, qa ens primo modo prædicatur nõ nisi de rebus existentibus in decem generibus, ens autẽ secũdo modo prædicatur de omni eo, quod potest esse subiectũ propositionis affirmatiuæ. Secũdò differũt: quia ens primo modo est illud cõpositum, de quo suprà diximus, quod aliqualiter cõplectitur in se essentiam & esse. ens autẽ secundo modo nõ est huiusmodi: q̃m aliquid est hoc modo ens (puta negatio aut chimera) quod non habet essentiam aliquã. Et ex hoc sequitur tertia differẽtia, ꝙ ab ente primo modo tanq̃ à cõposito notiori Essentiæ nomen sumitur: non autem secũdo modo. *Ens significare veritatem propositionis quid sit.*

CIRCA Primam differentiam aduerte primò, ꝙ veritas propositionis, quæ est entis secundo modo significati nihil aliud est q̃ compositio facta in secunda operatione intellectus obiecto conformis. verbi gratia, Sortes est cæcus, ly est, non significat inhærentiam cæcitatis in Sorte. eo ꝙ cæcitas omni inhærentia caret, cum inhærere realium accidentiũ sit: sed significat cõpositionem factã ab intellectu adæquante seipsum per illã obiecto Sorti, scilicet carente virtute visiua. vnde 5. Meta. in alia litera dicitur, ꝙ ens significãs veritatẽ propositionis significat, quoniam propositio est vera. Prima autem significatio entis quid sit, infrà videbitur. *t. cõ. 14. c. 1. q̃. 2. in fi. c. 4. circa medium.*

ADVERTE Secũdò ꝙ licet nullo intellectu considerãte Sortes sit cæcus, & per considerationem intellectus non fiat magis vel minus cæcus: tamen cæcitas nullo intellectu considerãte nullum habet esse in Sorte, stant enim ꝙ ista duo simul. Quod sic declaratur, Sortem esse cæcũ, vt sic, non est Sortẽ habere aliquod esse substantiale, vt patet: nec accidentale, quia Sortes sit cæcus sola absentia visiuæ virtutis, quæ nihil supra Sortem addit: vnde cæcitas nullum esse omnino ponit in Sorte: ac per hoc quod absque omni consideratione intellectus virtus visiua Sorti nõ inest, oportet Sortem nullo intellectu considerante esse cæcum. Dubitatio autem in hac re accidit, quia non rectè inspicitur ꝙ esse cæcũ non est esse aliquid: sed carere virtute visiua. Exẽplum, Nauis caret gubernatore nullo intellectu considerante, absentia tamen gubernãtis nullũ esse substantiale, aut accidentale ponit in naue, vnde nauẽ esse sine gubernatore extra animam nõ est esse aliqđ, sed nõ esse gubernatã. Acquirũt aũt esse & fiũt entia priuationes & negationes. ex hoc ꝙ intellectus intelligẽs priuationes per habitus: & negationes per affirmationes format in seipso rei carẽtis aliquo modo idolũ quoddã. Verbi gratia, cum intellectus format in se idolũ quoddã nauis gubernatore carẽtis: qđ est ista propositio mentalis. Nauis est sine gubernatore, non præsentia gubernatoris, quæ extra animã nihil ponit in anima, fit ens: per hoc ꝙ intellectus fecit ipsam propositionis terminum aliquẽ, & cũ hoc esse sit in aĩa, & nullũ aliud esse habeat: consequẽs est ꝙ negationes huiusmodi & priuationes non sint entia nisi in anima obiectiuè. & sic earũ esse nihil aliud est, q̃ intelligi, quomodo tantùm omnia entia rationis habent esse.

CIRCA Tertiã differentiã aduertendũ est, ꝙ cũ nomina sint signa conceptuum, secundũ ordinem concipiendi est & ordo nominandi: propterea sicut ab ente primo modo tanq̃ à cõposito nobis notiori essentiæ notitiã sumpsimus: sic Essentiæ nomen ab ente originẽ habet.

Et quia, vt dictum est, ens hoc modo dictum diuiditur per decem genera, oportet ꝙ essentia significet aliquod commune omnibus naturis, per quas diuersa entia in diuersis generibus & speciebus collocantur, sicut humanitas est essentia hois: & sic de alijs.

¶ In hac secũda particula declarat qd noĩe Essentiæ importetur tali cõclusione, Essentia significat quoddã cõe omnibus naturis omnium entiũ. Cuius talem declarationẽ innuat: sicut ens significat aliquod cõmune omnibus existentibus, ita essentia, cũ ab illo sumatur, significat aliquod cõe omnibus generibus & speciebus: & sicut ens significat id qđ est ĩ quolibet genere & qualibet specie, ita essentia oportet ꝙ significet id quo aliquid est in quocunque genere & quauis specie. habẽt enim se ens & essentia vt quod & quo. cũ aũt naturæ rerũ sint illę, quibus res reponũtur in generibus & speciebus: sequitur ꝙ essentia significat aliquod cõe omnibus naturis rerũ: vnde quemadmodũ ens prędicatur de homine, boue, & similibus, quę sunt in generibus: ita essentia prædicatur de humanitate & bonitate, quibus in generibus reponũtur. per nomẽ ergo Essentiæ intelligitur natura rei, sicut per nomẽ Entis, id quod habet naturam illam.

QVAESTIO II.

Num Ens & Essentia significent immediatè ipsa prædicamenta, vel illorum naturas, an mediatè.

CIRCA Hãc particulã insurgit dubitatio valde difficilis: an ens & essentia significẽt immediatè ipsa ꝓdicamẽta seu naturas eorũ, an mediatè. in hac dubitatiõe tria agã. Primò declarabitur titulus q̃onis: secũdo adducetur opinio Scoti, & impugnabit. tertiò ponet opinio san. Th.

¶ Pro primo scito, ꝙ significare mediatè in proposito est significare aliquid mediãte aliquo superiori: sicut animal significat species suas mediatè (mediãte scilicet natura seu

Universidad de Deusto Biblioteca

sibili)non enim animal significat hominem:nisi quia homo est substantia aīata sensibilis. Significare immediatè est significare aliquid non per aliquã naturam seu realitatē superiorem,sed per ipsam primò:sicut animal significat gradũ sensitiuũ seu realitatem sensitiuam immediatè: vt patet. Vertitur ergo in dubium hoc, an ens significet aliquē gradũ seu aliquã realitatem abstrahibilē à naturis prædicamentalibus communem eis sicut superius essentiale suis inferioribus:& sic mediatè significet prædicamēta,an immediatè significet ipsas naturas prædicamentales. Hæc de primo.

sco.1.dist. 3.q.1.& 3.dist.8. q.2.

QVO AD Secundũ. Sco. vt colligitur ex primo sen.dist.3.q.1.& 3.& di.8.q.2.opinatur,ꝙ ens significet decē prædicamēta mediatè:imaginatur enim ꝙ à quibuscunq; similibus sit abstrahibilis vna realitas obiectiua vtriusq; cōmunis & prior vtroq;: & sic cũ substantia & accidens habeant similitudinē in ente,ab eis est abstrahibilis vna ratio obiectalis vtriq; cōis & prior tam substātia,ꝗ̃ accidēte q̃ noīe entis significat. Quod vt melius intelligatur pono processum istarum abstractionũ diffusè. Cùm enim Sortes cōueniat cũ Platone in humanitate & non cũ Brunello,ab eis potest abstrahi humanitas cōmunis & prior eis: & inde cũ homo cōueniat cũ Brunello in sensibilitate & non cũ plāta,ab eis potest abstrahi animalitas communis,& prior eis:& inde cùm animal conueniat cum planta in vegetabilitate,& nõ cũm lapide, ab eis potest abstrahi vita cōmunis & prior eis: inde cũ viuum conueniat cum lapide in corporeitate & nõ cum intelligentijs, ab eis potest abstrahi corporeitas communis & prior eis:inde cùm corpus conueniat intelligentijs in substantialitate,& non cũ accidentibus, ab eis potest abstrahi substantialitas cōmunis & prior eis:inde cũ substantia cōueniat cũ accidente in entitate reali, & non cũ entibus rationibus,ab eis est abstrahibilis entitas cōmunis & prior eis,& cũ hîc realitas vltimò abstrahibilis sit illa,quam significat ens immediatè,oportet quòd prædicamentales realitates seu naturæ mediatè sub entis significatione claudantur.

¶ Ad hanc positionē confirmandã multa possent adduci media,quæ ne digrediamur ad analogiam entis & cōparationē transcendētium ad prædicamēta,an scilicet sint eorum prædicata quidditatiua vel non, omittemus pro nunc:quia infrà speciales erunt de his quæstiones.

¶ Cōtra hanc opinionē arguo dupliciter. primò autoritate Arist.8.Met.tex.cō.16.vbi soluens quæstionē Quare quidditas sit vna,dicit ꝙ in substantijs separatis non est quærenda alia causa:quia in eis non est nisi forma, quæ statim seipsa est ens & vnum:quēadmodũ ens statim seipso est substantia & quātitas, & cætera prædicamenta, non expectans aliud faciens. ipsum naturas prædicamētales.ex qua autoritate arguitur sic,ens significat quandam realitatem priorem prædicamentis : ergo expectat aliquid contrahens ipsum ad prædicamēta consequentia nota.consequens autem est contra Ari.ergo à destructione consequentis ad destructionē antecedentis ens nõ significat realitatem priorem prædicamentis.

aa.2.q̃.3.cap.1. cõ.me. in quodam dubio. T.c.16.

Com.18.

¶ Secundo arguitur autoritate Commenta.10.Meta.cō,18.dicentis,ꝙ hoc nomen ens,vnũ,significat id quod significat in prædicamēto substantiæ & quātitatis & qualitatis prima significatione sine medio & nõ mediātè aliqua cōmuni. Quid clarius? Ratione non arguo : quia oporteret egredi limites. Hæc de secundo.

Cōclusiones duæ.

QVO AD Tertiũ pono opinionē san. Thomæ ex duabus conclusionibus eliciendã. Quarum prima est ista, Ens significat vnum cōceptum formalem cōmunem in repræsentādo substātiæ & accidenti Deo & creaturæ.

SECVNDA Est ista, Ens significat vt cōceptũ obiectalem aliquod reale inuentũ in omnibus generibus dinstinctum secundum rationem à proprijs conceptibus obiectalibus omniũ generũ: nullum gradũ supra naturas genericas,specificas & indiuiduales exprimens.

¶ Pro intelligentia terminorũ nota,quòd conceptus est duplex, formalis & obiectalis. Conceptus formalis est idolum quoddã,quod intellectus possibilis format in seipso repræsentatiuũ obiectaliter rei intellectæ:quod à Philosophis vocatur intētio seu cōceptus:à Theologis verò verbũ. Cōceptus autē obiectalis,est res per cōceptũ formalē repræsentata in illo terminans actũ intelligēdi, Verbi gratia,cōcept⁹ formalis leonis,est imago illa, quã intellectus possibilis format de quidditate leonina , cùm vult ipsam intelligere:cōceptus verò obiectalis eiusdē,est natura ipsa leonina repræsentata & intellecta. Nec putandum est cũ dicitur nomen significare cōceptũ ꝙ significet alterũ tantùm : significat enim Leonis nomen conceptũ vtrunq;,licet diuersimodè.est nanq; signum conceptus formalis,vt medij,seu quo,& est signũ cōceptus obiectalis,vt vltimi,seu quod. Vnde idē est loqui de cōceptu entis & de significatione eius.

¶ Probo ergo cōclusionē primã tali medio,omnia similia quacunq; similitudine etiam analoga seu imitatiua secundũ id in quo assimilantur,possunt per eandem imaginē repræsentari:sed Deus & creaturæ substantia & accidens habent similitudinē inter se saltem analogã:ergo secũdum id in quo assimilātur,possunt per eādem similitudinē repræsentari. Sed assimilātur in esse:ergo eadē similitudine poterũt repræsentari inquātũ habēt esse similitudo illa est conceptus formalis entis.ergo, &c. Processus clarus est,& propositiones ab omnibus sunt cōcessæ : cũ Maior fuerit dilucidata,quã sic ex notioribus suademus. Vbicũq; inuenitur agēs producere sui similitudinem in alio,si id aliud producat aliud simile sibi secundũ id, quo ipsum assimilatur primo:oportet tertiũ assimilari vtriq; ea ratione:quia quicquid est simile alicui in eo,ꝙ illud est alteri simile est simile vtriq; : sicut species Sortis in oculo meo producta ab imagine Sortis in speculo est similitudo repræsentatiua vtriusq; & figuræ Solis.in speculo à qua immediatè est cāta:& figuræ Sortis in seipso a qua est mediatè causata. Sed ita est mõ,ꝙ iter habētia analogã similitudinē Deum & creaturã,substantiam & accidēs, reperitur huiusmodi habitudo in ordine ad cōceptũ formalē. igitur,&c. Fit autē hoc sic manifestũ exēplariter, Sapientia diuina producit sapientiã humanã,quæ est quædã sui similitudo (imperfecta tamē)sapientia autē humana producit similitudinem sui in intellectu nostro,quæ nil aliud est,ꝗ̃ sapientia in esse intētionali:sicut sapiētia extra est sapiētia in esse naturali. Cũ autē similitudo ista sapientiæ in intellectu repræsentet sapientiam humanã secundũ id quo illa assimilatur sapientiæ diuinæ:quia repræsentat eã secundũ propriã rationem formalē,sequitur de necessitate,ꝙ hîc vnica similitudo repræsentat vtrãq;, humanam scilicet & diuinã:vtpote quę similis est vtriq;:licet ab humana sit immediatè exemplata,à diuina mediatè. Ex hoc exēplo in terminis specialibus intuere propositũ nostrũ in terminis trāscēdētibus,qualis est ens. Cũ enim esse creaturæ assimiletur esse diuino à quo exemplatũ est, & esse accidētale assimiletur esse substantiali à quo emanat:similitudo producta in intellectu ab esse substantiali siue accidentali inquātum assimilantur, erit omniũ repræsentiua imago,& cũ cōceptus nõ requiratur ad intellectionē nisi vt obiectaliter repræsentet rem vnico conceptu intellectus in Deũ & creaturã in quo ens feretur:& similiter in substātiam & accidens. Nec oportet ponere plures cōceptus & multiplicare entia sine necessitate. Quòd autē hîc sint non solũ secũdum mentē san. Tho. dicta,sed etiam secundũ expressam sentētiam,patet in q.de di.potentia Dei q.7.ar.5.in corpore:vnde hanc rationē accepi:& in eadē q.ar.6.vbi circa finē corporis q.adduxit exēplum de speculo:& dicit expressè,ꝙ sic se habet cōceptus noster ad Deũ & creaturas sicut species rei visæ in speculo : ita ꝙ Deus se habet vt res producens similitudinē suã in speculo:creatura vt species in speculo:cōceptus noster vt similitudo extracta à specie in speculo vtriusq; repræsentatiua. Vnde nullus mētis cōpos põt hoc negare in eius via.

CONCLVSIO Secunda habet tres partes. Quo ad primã declaratur sic,cōcēptus obiectalis entis est id ꝙ repræsentatur per eius cōceptũ formalē : sed eius conceptus formalis repræsentat id,in quo assimilātur omnia entia realia,ꝙ oportet in eis esse,ergo conceptus obiectalis entis est aliquid reale inuentum in omnibus. Secũda propositio assumpta licet patere possit ex dictis tamē declaratur adhuc,sicut cōceptus formalis animalis repræsentat fundamentum similitudinis genericæ : & conceptus formalis hominis repræsentat fundamētum similitudinis specificæ.& vniuersaliter quælibet imago cōmunis pluribus in repræsentando repræsentat fundamentum similitudinis inter illa plura:vt patet in exēplo suprà posito de specie in oculo causata à specie Sortis speculo:nõ illa repræsentat non similitudinē inter speciē in speculo & Sortis:cũ sit relatio,sed fundamētum illius similitudinis puta qualitates & lineamenta quæ sunt in vtroq;:sic cō

ceps

ceptus entis formalis repræsentat fundamentum analogicæ similitudinis in esse inter omnia entia realia existētis quod in omnibus esse absque opere intellectus ex eo patet vnde quòd similia sunt extra animam:cùm hoc fundamentum repræsentatum sit conceptus obiectalis entis, vt dictum est, vt patet conceptum obiectalem entis esse aliquid reale inuentum in omnibus: quod erat in prima parte conclusionis positum.

¶ Secunda pars conclusionis sequitur ex ista,si enim conceptus obiectalis entis inuenitur in omnibus: & nullus conceptus obiectalis proprius substantiæ aut accidētis inuenitur in omnibus, consequens est quòd non omnino sunt idem,& quòd saltem ratione distinguatur cōceptus entis à proprijs omnium cōceptibus obiectalibus:ꝙ erat secunda pars conclusionis.

¶ Tertia pars eiusdem sic declaratur, Si cōceptus obiectalis entis esset aliquis gradus supra gradus specificos & genericos,tunc consideratis præcisè gradibus specificis & genericis,cum eorum præcisè passionibus nõ esset in eis vt sic,inuenire passiones entis.hoc est falsum.ergo à destructionibus consequentis, &c. consequentia declaratur:quia enim animal dicit alium gradum ab homine, ideo homini secundum differentialem conceptum præcisè non insunt passiones animalis,vt ostēdit falsitas illius reduplicatiuæ,homo inquantum rationalis,est bipes, cum loquendo per ly bipes,passionē animalis propriã. & similiter si ens dicit alium gradũ à substantia, sequitur ꝙ considerata præcisè ratione constitutiua substātię substātia non est vna,nec vera nec bona,&c. quæ nominãt passiones entis.&c. Falsitas consequentis probatur sic, Homo inquantum rationalis præcisè est vnum quid vnitate,quæ est passio entis:homo inquantum rationalis dicit alium gradum ab ente,secundum te,contra quem arguo ergo passio entis conuenit alijs gradibus ab ente præcisè, vt sic acceptis:quod est oppositum consequentis. Prima propositio assumpta habetur ex Sco.in secundo sen.dist.3.q.1.tenente vnitatem mediam minorem vnitate numerali & maiorem generica esse passionem entis. & sequi naturam specificam ratione vltimæ differentiæ. Manifesta quoque sit sic pro nunc eadem propositio, Homo inquantum rationalis est indiuisibilis formaliter,supposito quòd rationale sit vltima differentia:ergo homo inquantum rationalis est vnus formaliter, vnitas enim nil aliud est, quã indiuisio. Sed de hoc(cùm de vnitate naturæ agetur)amplior erit sermo. Nunc autem sufficiat,quòd in gradibus specificis præcisè,acceptis & similiter genericis,est inuenire passiones entis:quod erat probandum,& consequēter,quòd ens non significat distinctũ gradũ à naturis specificis & genericis: quod erat tertia pars conclusionis.

infra ca. 4.q.6.

SED TVNC Ex quo res significata per hoc nomen ens est aliquid inuentum in omnibus : & non est gradus distinctus contra specificos & genericos:declarandum superest quid sit. Quod sic declaratur, Gradus quicunque genericus vel specificus,vel differentialis vel indiuidualis,habet in se vnũ ꝙ multis modis concipi possit: & secundum quod quilibet gradus est habens esse, nomine Entis importatur,& ad cōceptũ obiectalem entis pertinet:secundum verò quòd absolutè talis gradus consideratur,nomine proprio significatur,& conceptus obiectalis illius est. verbi gratia, humanitas ex sua propria perfectione formali,qua distinguitur contra reliquas vniuersi perfectiões,habet ꝙ per cōceptũ formalē humanitatis repræsentetur & cognoscat & significetur Humanitatis nomine,humanitas:vt sic etiã habet quod sibi debeatur,seu conueniat esse quidditatiuum,& actualis existentiæ : & sic repræsentatur conceptu formali entis tanquam pars sui obiectalis Conceptus & Entis nomine significatur. Similiter animal hæc duo in se habet,& sic de alijs. Vnde conceptus obiectalis entis sunt naturæ genericæ & specificæ,vt habentes esse,sic enim fundant analogam similitudinem,de qua loquimur,& propterea ens & passiones eius in quolibet gradu præcisè accepto saluantur:quilibet enim gradus vt sic habet in se vndè sit, & indiuisus sit & conformabilis intellectui & appetitui, &c.quod à ponētib⁹ ens abstrahibile à gradibus specificis,& genericis saluari non potest. Quòd autem hæc sint secundũ doctrinam san. Tho.diligenter intuentem eius doctrinã censorem constituo. Infrà tamen cùm de analogia entis agetur,hoc ostendemus:pro nunc satisfaciant hæc dicta, præsertim,quòd tam prima, quàm secunda pars conclusionis ex præcedente conclusione sequitur quam constat esse sancti Thomæ.

¶ Tertia autem pars ab omnibus Thomistis asseritur vnanimiter. Si ergo patet qualiter ab omnibus entibus vtpote similibus abstrahibilis est conceptus entis, non modo Scotistico,vt patet, qualiter sit verum quod hîc san. Tho.dicit, scilicet, essentia significat aliquid commune omnibus naturis omnium generum & specierum : non enim intendit quòd essentia significet aliquam naturam communem omnibus naturis,sed quòd significet omnes naturas,vt assimilantur in hoc,quòd essentia sunt,quælibet enim naturæ vt sunt(quibus res sunt)essentiæ rationē habent:sicut quælibet res habent rationem entis,vt sunt habentes esse seu quæ sunt.

Quinque nomina quæ ad Essentiã spectant.

Et quia illud,per quod res cōstituitur in proprio genere vel specie,est quod significamus per diffinitionem,indicantem quid est res. Inde est,quòd nomē Essentiæ à philosophis in nomē quidditatis mutatur. Et hoc est quod philosophus in septimo Metaphysicæ frequenter noīat,quod qd erat esse id est hoc, per quod aliquid habet esse quid. Dicitur etiam forma, secundum quod per formam significatur perfectio, vel certitudo vniuscuiusque rei,sicut dicit Auicenna in secundo Metaphysicæ suæ. Hoc etiam alio nomine natura dicitur accipiendo naturam secundũ primum modum illorum quatuor modorum, quos Boetius de duabus naturis assignat,secundum scilicet ꝙ natura dicitur esse illud,quod quocunque modo intellectu capi potest:non enim res intelligibilis est nisi per suam diffinitionem & essentiam. Et sic etiã dicit Philosophus in quinto metaphysicæ,quòd omnis substantia est natura:Nomen autem Nature hoc modo sumptæ videtur significare essentiam rei secundũ quod habet ordinem vel ordinationem ad propriã operationem rei,cùm nulla res propria destituatur operatione. Qualitatis verò nomen sumitur ex hoc, quod per diffinitionem significatur:sed essentia dicitur secũdum quod per eam,& in ea res habet esse.

¶ In hac tertia parte huius capituli declaraturus quomõ differant nomina Essentię inter se,enumerat quinque eius nomina: primò scilicet essentia,quidditas,quod quid erat esse,forma,& natura:quorum ratio & differentia satis clarè ac manifesto sermone in litera traditur,adeò vt addere non sit opus.

Parum post principium.

¶ Nota tamē circa id quod de Boetio affertur,quòd Boetius in libro de duabus naturis & vna persona Christi, naturam quadrupliciter accipi dicit. Primò omne intelligibile,secundò omnis substantia,tertio principium intrinsecum motus,quarto specifica essentia seu differētia,quos modos(si Boetium non habes)vide si placet in secundo sent.san. Tho.dist.37.quæst.1.ar.1. primo modo accipit hîc naturã san. Tho.quoniam sic communis est essentijs substātialibus & accidētalib⁹ genericis & specificis &c.

CAPVT II.

Substantiarum essentiam propriè dici, accidentium autē non nisi secundum quid ostendit:nobiliores item esse simplicium essentias,quàm compositorum substantiarum probat:quod demum essentia substantiæ compositæ non materia,non forma,vel inter ea aliqua excogitata relatio, vel quippiam ipsi composito superadditum,sed ipsum sit compositum,varijs rationibus demonstrat.

SEd quia ens absolutè & primò dicitur de substantijs,& posterius, & secundum quid de accidentibus:inde est quòd essentia propriè & verè est in substantijs : sed in accidentibus est quodãmodo & secũdũ quid, &c.

¶ Expedito primo propositorum exequens in hac secunda parte tractatus,quomodo essentia in diuersis diuersimodè inueniatur, quod secundo loco propositum erat. Primò declarat,quomodo essentia inueniatur in substantijs compositis in tribus capitulis:secundò in substantijs separatis duobus capitulis: tertiò in accidentibus vnico capitulo. Circa substantias compositas tria declarantur in illis tribus capitulis. In prio,quid sint entia substātiarũ compositarũ:in secundo, qũo differãt inter se essentiæ substātiarũ cōpositarum:In tertio,quomodo se habeãt ad ins

tentiones Logicas.incipiens autē exequi in hoc cap.quomodo essentia in diuersis diuersimodè inueniatur.Primò hoc declarat in communi,omnes essentias vniuersi adinuicem comparando in duabus comparationibus.Secundò,quid sit essentia substantiarum compositarum tribus conclusionibus negatiuis,& quarta affirmatiua. Tertiò mouet dubitationem quandam circa conclusionem affirmatiuam,& soluit eam.Facit primò comparationem primam inter essentias substantiarum & accidentium tali conclusione,Substantia verè & propriè habet essentiam: accidens autem secundum quid quam sic probat,Vnumquodque sicut est ens,ita habet essentiā:sed substantia est ens simpliciter,accidens verò est ens secundum quid.ergo substantia habet essentiam simpliciter, accidens autē secundum quid,maior ex dictis in præcedenti capitulo patet.Minor licet habeatur septimo Meta.in principio,tamē sic probatur in litera:illud est ens simpliciter de quo ens absolutè & primò prædicatur,& illud est ens secundum quid,de quo ens posterius,& secundū quid dicitur:sed de substātia ens dicitur absolutè & primò,de accidente autem posterius & secundum quid:ergo substantia est ens simpliciter,accidens verò secundum quid.

QVAESTIO III.

Num ens per prius de substantia,posterius de accidente dicatur,an de vtroque vniuocè.

CIRCA HANC Particulā dubitatur,an ens per prius dicatur de substantia & posterius de accidente, an vniuocè de vtroq;.In hac quæstione quinque agenda sunt.Primò declarabitur titulus.Secundò ponetur opinio Sco.Tertiò arguetur cōtra illam.Quartò ponetur opinio S.Tho.Quintò respondebitur argumentis in oppositum.

¶ Quo ad primum sciendū est,ꝙ aliquid dupliciter contingit de aliquibus prædicari per prius & posterius.Vno modo secundum esse illius prędicati.Alio modo secundū propriam rationem eiusdem.Illud dicitur prædicari analogicè(secundū esse)quod perfectius habet esse in vno & sic oē genus prædicat per prius & posterius de suis speciebus:eo ꝙ perfectius esse necessario habet in vna specie, q̄ in alia.q̄ in alia.vnde; cō,12.Met.com.2.dicit ꝙ prioritas & posterioritas specierū non impedit vnitatē generis. & hoc modo nō quærimus hîc.per se enim notū est omnibus,ꝙ ens perfectiori modo est in substantia, q̄ in accidētibus,& ꝙ hoc mō prædicatur per prius & posterius,

¶ Illud verò dicitur prædicari analogicè,seu per prius & posterius secundum rationē propriā,quod de vno prædicatur sine respectu ad aliud,de altero verò non nisi in respectu ad aliud.Verbi gratia:Sanū prædicat de aīali sine respectu ad diætā,medicinam & vrinā,de istis verò prædicatur non nisi in respectu ad animal.dicitur enim animal sanum absque additione aliqua.vrina verò non dicitur sana,nisi quia est signum sanitatis existentis in animali:& diæta similiter non est sana,nisi quia est cōseruatiua sanitatis:& sic de alijs.Cùm enim diffinies sanum prædicatum de animali,non pones in eius diffinitione respectū ad aliquid horum.Cùm autem diffinies sanum prædicatum de vrina,in diffinitione eius ponetur respectus ad sanitatem animalis cum ipsa animalis sanitate. & similiter in diffinitione diætæ & medicinæ in eo,ꝙ sanæ sunt.dices enim(vt iam dictum)ꝙ vrina est sana,in eo ꝙ signum est sanitatis:diæta in eo ꝙ conseruatiua:& medicina in eo ꝙ causa est illius: & hoc modo vertitur hîc in dubium an ens prædicetur analogicè: ita ꝙ absolutè prædicetur de substantia:de accidentibus verò non nisi relatiuè ad substantiam:quod idem est quod quærere,vtrum substantia in eo,ꝙ ens non includat accidens,accidens verò in eo ꝙ ens includat substantiam: & in hoc pendet tota quæstio inter nos & Scotum:quoniam accidens in eo,ꝙ accidens includere substantiam ab omnibus conceditur.sed non accidens in eo,quòd ens.Hæc de primo.

QVO AD Secundum Scotus primo sen.dist.3.q.1.& 3.8.q.2.ponit hanc conclusionem,Ens est vniuocū substantiæ & accidenti Deo & creaturæ:& probat eam sic:Omnis intellectus certus de vno conceptu,& dubius de diuersis, habet conceptum, de quo est certus, alium à cōceptu de quo est dubius:intellectus quisque potest esse certus de Deo seu de propria passione,quòd sit ens,dubitando an sit ens finitum vel infinitum:siue an sit substantia vel accidens.ergo conceptus entis est alius à conceptibus istis,& ita neutrum est ex se : sed in vtroque illorum includitur:igitur vniuocus.prima propositio patet ex terminis.Minorem verò experientia docet.

¶ Secundò sic,Ens non est vniuocum,ergo Deus nō est à nobis naturaliter cognoscibilis aliquo conceptu simplici.hoc est falsum.ergo à destructione consequentis,&c. Consequentia probatur,Nullus conceptus est producibilis in intellectu nostro,qui non contineatur essentialiter, vel virtualiter in obiecto relucente in phantasmate : sed cōceptus nō vniuocus Deo & obiecto relucente in phantasmate est non contentus tam essentialiter,quàm virtualiter in obiecto relucente in phantasmate.ergo nullus conceptus est producibilis in intellectu nostro, nisi sit vniuocus obiecto relucenti in phantasmate:hoc autem est creatura.ergo omnis conceptus simplex, quem habemus de Deo,est vniuocus creaturæ : & consequenter conceptus entis Maior patet,Minor declaratur:quia obiectum creatum continet essentialiter conceptum increatum,vt de se notum est,nec virtualiter:quia prius non includitur virtualiter in posteriori,sed econuerso.

¶ Tertio sic,Omnis inquisitio Metaphysicalis de Deo procedit,considerando rationem formalem alicuius : & auferendo ab ea imperfectionem,quam habet in creaturis,& reseruando illam rationem formalem,& attribuendo sibi omnino summam perfectionem:& sic ponendo illam in Deo.ergo omnis inquisitio de Deo supponit intellectum habere conceptum eundem vniuocum, quem accipit ex creaturis.

¶ Quarto sic,Ens non est vniuocum substantiæ & accidenti.ergo substantia non est à nobis naturaliter cognoscibilis.hoc est falsum:ego,&c.Tenet consequentia, eo ꝙ cùm substantia non immutet immediatè intellectum nostrum ad aliquam intellectionem sui:sed tantùm accidēs sensibile,sequitur quòd nullum conceptum quidditatiuū habere poterimus de ea, nisi aliquis talis possit abstrahi à conceptu accidentis:sed nullus talis quidditatiuus abstrahibilis est à conceptu accidentis, nisi ens vniuocum accidenti & substantiæ.Hoc autem quod in ista ratione assumit,scilicet quòd substantia non immutet intellectū nostrum ad aliquam sui intellectionē,probatur sic,Quicquid sua præsentia immutat intellectum, absentia illius potest naturaliter cognosci ab intellectu quando immutatur!(sicut appalet ex secundo de anima)quòd visus est tenebræ cognoscitiuus,quando lux non est præsens,eo ꝙ tunc visus non immutatur.igitur si intellectus naturaliter immutatur à substantia immediatè ad actum circa ipsam,sequeretur quòd quando substantia non esset præsens,posset naturaliter cognosci nō esse præsens:& ita naturaliter cognosci posset in hostia consecrata nō esse substantiam panis:quod est manifestè falsum.

¶ Quintò arguitur autoritatibus secundi Metaphy.tex.commen.4. Probans Aristoteles causam entitatis & veritatis,maximè entia & vera,assumit hanc propositionē, Vnumquodque maximè ipsum aliorum dicitur,secundū quod alijs inest vniuocatio.ens ergo vniuocum dicitur apud Aristotelem de causa entitatis,scilicet Deo & alijs: aliter processus Aristotelis nullus esset:arguit enim sic, Causa vniuoca entitatis & veritatis est maximè ens:& verè Deus est huiusmodi.ergo Auicenna quoque primo Metaphy.capitulo secundo dicit,Substantia & quantitas non habēt intentionem communem nisi entis, cuius quædam sunt quasi species:& quædam quasi accidentia propria.Et capitulo quinto facit argumentum,quod adductum est de conceptu certo,& dubijs,Omnes, inquit, imaginantur certitudinem entis.dubitant autem vtrum sit agens vel patiens.Algazel in Metaphysica sua tractatu primo habet,quòd quidam homines putauerūt, quòd ens nō prædicat alium conceptum à suis inferioribus,dicentes quòd esse accidentis nihil aliud sit,quàm esse substantiæ.Multa alia argumēta adducūtur ad hoc:sed quia (vt patebit)non probant vniuocationem,sed aliquatem conceptus entis,omitto : & etiam quia ex dicendis cuilibet ingenioso patebit rñsio ad omnia.Hæc de secundo.

aui.c.2. circa me. *algazel.*

QVO AD TERTIVM arguo primo sic, Nullum vniuocatū in ratione sui vniuoci habet aliquid plus,quàm reliquum vniuocatum:substantia & accidens sunt vniuocata per te in ente:ergo accidens non habet aliquid plus in ratione sui vniuoci, scilicet entis, quàm substantia : discursus bonus : conclusio verò est falsa, ergo altera præmissarum,non Maior:quia illa habetur ex ante prædicamentis;ergo Minor,quæ est conclusio aduersæ partis.Falsitas conclusionis habetur septimo Meta.textibus & commentis secundo & tertio,vbi dicitur quòd in ratione accidentis,inquātum ens ponitur substātia,vnde Commen,dicit in commento tertio,quòd sedens & stans non dicuntur esse entia sine substantia. patet autē quòd in diffinitione substantiæ,inquantum ens non ponitur accidens nec substantia,eo quòd abstrahit apud eos ab illis. Patet secundò,falsitas illius conclusionis ex dictis Antonij Trombetæ,qui in hac quæstione fatetur in diffinitione accidentis,inquantum ens,cadere substantiā. Vnde etsi ratio possit a Scoto secundum apparentiam solui, glossando Aristotelem(glossa destruēte textum)nullo tamen pacto potest ab Antonio Trombeta solui : eo quòd ab ipsa veritate coactus concessit in Quolibeto suo falsitatem conclusionis,quam Scotus negaret.

Prima ratio.

¶ Secundò arguitur sic,Ens est vniuocum prædicatum in quid de pluribus differentibus specie,in nulla differentia quidditatiuè inclusum:ergo est genus.Tenet cōsequētia ex diffinitione generis,& conditione apposita a Scoto in primo senten.dist.3.q.3.vltimam enim particulam assumptam exigi dicit ad genus & bene,secundum Aris. quarto Topi.Antecedens quo ad primam partē & secundam Scoti ibidem est.Quo ad tertiam autem probatur sic:Si ens esset inclusum in aliqua differentia nō vltima, sequeretur quòd addendo differentiam non vltimam generi,esset nugatio:hoc est falsum : ergo, &c.Tenet consequentia:quia bis ens poneretur eodem modo:semel ratione generis,& semel ratione differētiæ.Verbi gratia,Si ens includitur quidditatiuè in ratione animalis & rationalis,dicendo animal rationale,erit nugatio:cùm enim prima pars rationis animalis sit ens, erit ratio propria animalis ens,A,B,C,Similiter cùm prima pars rationis rationalis sit ens,erit ratio rationalis ens, D, E, F.& sic dicendo animal rationale,dices ens,A,B,C,ens,D,E,F.& consequenter pones ens bis:& expressè nugationem committis. Nec est opus impugnare responsionem Scoti, vbi supra ad hoc argumentum,quia non est ad propositū : ait enim quòd sicut dicimus,animal album absque nugatione,eo quòd ens clausum in ratione albedinis denominat accidentaliter ens clausum in ratione animalis:ita in proposito dicimus animal rationale,eo quòd ens clausum in rationali denominat essentialiter ens clausum in animali absque nugatione.

Vide ad hoc propositū cō[...] d[...] secundo poste. 1.circa me.& vi[...] cōse[...] epistolæ 1. d.3.q.3.

1.di.3.q. [...]

¶ Hoc enim non est ad propositum:aliud enim est loqui de ente in sua ratione communi,in qua indistinctè vniuocantur supradicta:& aliud est loqui de ente particulariter accepto.Licet enim palliari possit,quòd ens particulatum ad album & rationale denominet ens particulatum ad animal:non tamen potest intelligi quòd prima pars rationis alibi formaliter sumpti,denominet primā partē rationis animalis.Ea enim est ens eodem modo sumptum, cùm vniuocum sit:remanet ergo,quòd nugatio est dicere apud Sco.animal rationale:quò animal album eodē modo arguendo,vt prius vtendo loco nominum eorum rationibus quidditatiuis.

¶ Quòd si aliquis vim faciendo in verbis Scoti forte dixerit,ens non claudi in rationali quidditatiuè & albo, sed in rationalitate & albedine,tunc interim sequitur principale intentum nostrum: quòd scilicet ens in nulla differentia includatur quidditatiuè:quia rationalitas non est differentia,sed differentiæ principium secundum verā Auicennæ doctrinam:differentia enim prædicatur de specie: rationalitas autem non,quare,&c.

¶ Tertio arguitur sic,Ens est vniuocum substantiæ & accidentis:ergo in ratione substantiæ expressè cadit ens: ergo in diffinitione hominis explicitè cadit ens:hoc est inconueniens & contra Aristotelem & viam communem: ergo,&c.Prima cōsequentia probatur,ex eo quòd omne superius vniuocum explicitè cadit in ratione sui essentialis inferioris:sicut animal cadit explicitè in ratione hominis.Secunda consequentia probatur ex autoritate Aristotelis posita in secundo libro Topicorum ; illa scilicet quñ aliquid ponitur in diffinitione alicuius loco illius : si ponatur eius ratio,clarior erit intellectus. Cùm ergo substantia ponatur in diffinitione hominis, & loco substantiæ liceat ponere eius rationem , in qua explicitè cadit ens,vt clarior sit diffinitio, sequitur quòd ens debeat poni in diffinitione hominis explicitè : vt clarior reddatur. Nec prohibet hoc communissimus ambitus ipsius entis,aut carentia differentiarum. Sicut nec ex his prohibetur ens tanquam prædicatum vniuocum & quidditatiuum cadere in ratione substantiæ. Et confirmatur hoc per Scotum,qui in primo sententiarum distin.tertia ponit ens esse primum cognitum cognitione distincta: eo quòd ens cadat in cōceptu quidditatiuo omnium tanquam primum prædicatum quidditatiuū. Hæc de tertio.

7.meta. T.c.16. *Cap.5.*

QVO AD QVARTVM Principale prænoto differentiam inter vniuocum & æquiuocum, purum & analogum. Vniuocata sunt,quorum nomen est commune:& ratio secundum illud nomen est eadem simpliciter.Pura æquiuocata sunt,quorum nomen est commune,& ratio secundum illud nomen est diuersa simpliciter.Analogata sunt quorum nomen est commune, & ratio secundum illud nomen est aliquo modo eadem : & aliquo modo diuersa seu secundum quid eadem,& secundū quid diuersa.Verbi gratia, Animal & medicina sunt analogata sub sano:vnde habēt illud nomen commune: vtrunque enim illorum dicimus sanum.diffinitio autem eorum inquantum sana sunt,est aliquo modo eadem, & aliquo modo diuersa:animal enim,inquantum sanum,est habens sanitatem:medicina,inquantum sana,est causa sanitas:sunt enim eædem aliquo modo istæ diffinitiones: quia in omnibus includitur sanitas:& sunt diuersæ aliquo modo:quia diuersis modis sanitatem respiciunt : vnde analogum est medium inter purum æquiuocum & vniuocum:sicut inter idem simpliciter & diuersum simpliciter cadit medium idem secundum quid & diuersum secundum quid:& sicut medium sapit naturam vtriusq; extremi,dicit enim quodāmodo plures rationes & quodammodo vnam.propter quod inuenitur quandoque apud illustres phylosophos, quòd analogum dicit plures rationes,& quandoque quòd dicit vnam rationem.

1.dist.3. q.2.

¶ Nota secundò,quòd duplicia sunt analogata.Quædam secūdum determinatam habitudinem vnius ad alterum. Quædam secūdum proportionalitatē. Exēplū:Substātia & accidēs sunt analogata prīo modo sub ente.Deus autē & creatura secundo modo:infinita enim est distantia inter Deum & craturam.Differunt autem hæc plurimùm; quoniam analogata primo modo ita se habent,quòd posterius secundum nomen analogum diffinitur per suum prius : puta accidens, inquantum ens per substantiam, Analogata verò secundo modo non:creatura enim inquātum ens non diffinitur per Deum:vnde analogata primo modo habent nomen cōmune : & rationem secundum illud nomen secundum quid eādem & secundum quid diuersam:per hoc quòd analogum illud simpliciter, id est, sine additione aliqua de primo dicitur : & de alijs verò non nisi diuersimodè respiciendo primum,quod cadit in eorum rationibus : sicut in exemplo de sano manifestum est.Analogata verò secundo modo habent nomen cōe & rōnē secūdū illud nomē aliquo modo eādē & aliquo modo diuersam:non propter hoc,ꝙ illud simpliciter dicatur de primo & de alijs relatiuè ad primum,sed habent rationem eandem secundum quid propter identitatem proportionis,quæ in eis inuenitur,& secundum quid diuersam, ꝑpter diuersitatē naturarū suppositarū illius proportionibus. Exēplū, Forma & materia substātialis & forma & materia accidentium sunt analogata quędam sub nominibus formæ & materię:habent enim nomen commune,puta formam & materiam & rationem secundum nomen formæ siue materię eandem & diuersam hoc modo: quia forma substantialis ita se habet ad substantiam,sicut forma accidentalis ad accidens:similiter materia substantiæ ita se habet ad substantiam, sicut materia accidentis ad accidens:vtrobique enim saluatur identitas proportionum cum diuersitate naturarū & vnitate nominis : hunc modum analogiæ exprimit Commentator 12.Metaph. commēto 28.& clarius cum Aristot.primo Ethi.cap.7.

cō.28. & 5.metap. cō.12.circa mediū capi.7.

QVIBVS SIC Prælibatis,pono duas conclusiones.Prima est,Ens analogicè vtroque modo analogiæ dicitur de substantia & accidente.Secunda conclusio,Ens dicitur de deo & creatura secundo modo tātùm. Prima conclusio probari potest rationibus factis contra Scotum,& maximè prima.Autoritatis autem Aristote. 4.Meta. text.com.3.& Commentatoris ibidem:expressè enim ibi dicitur,quòd ens vnum, sed ad vnū.Duodecimo.quoque Metaphy. text. com.28.expressè dicitur, quòd principia prædicamentorum non sunt aliquo modo eadem nisi secundum proportionem.Super qua autoritate potest argui sic,Illa non sunt vniuoca,quæ nullam

Cōclusiones duæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

idẽtitatem habent nisi proportionis:sed principia propria substantiæ & accidentium sunt huiusmodi:ergo,&c.Minor expresse est in litera Aristot.Maior est nota ex terminis:si enim nullam aliam identitatem habent nisi proportionis:oportet quòd careant vnitate vniuoca.Et hæc auctoritas est notanda contra Scotistas,quia si concedant ens habere entitatem analogam,dicunt cum hoc,quòd habet etiam identitatem vniuocam:cuius oppositũ Aristotel.dicit,solam identitatem proportionis inter principia prædicamentorum ponens.

¶ Secunda conclusio non aliter pro nũc probetur, quàm autoritate Sanct.Tho.in quæstionibus de veritate, quæstio.2.articu.2.vbi examinans quomodo scientia sit analoga scientiæ diuinæ & scientiæ creatæ, expresse fatetur, quòd secundo modo sit analoga & non primo modo. Vnde cùm ens dicitur de Deo & creatura, hoc modo dicitur proportionabiliter, qui exprimitur, ꝙ sicut Deus se habet ad suum esse,ita creatura ad suũ:sed de hijs aliàs, cùm ex proposito tractabitur,diffusius loquemur. modò sufficiant hæc pauca dixisse,ex quibus innotescere potest, quòd cõceptus entis formalis est vnus inæqualiter repræsentans esse substantiæ & accidentis Dei & creaturæ:& quòd conceptus obiectalis non habet nisi vnitatem proportionis determinatæ ex identitate termini vel vnitate proportionabilitatis & identitate proportionum.Ex quibuselici potest,quòd cùm talis vnitas apud Aristo.quarto Metaphy.tex.com.2.sufficiat ad obiectum sciẽtiæ, ens non oportet poni vniuocum ad hoc,quòd passiones habeat:& contradictionẽ fundet,& reliqua huiusmodi habeant sibi conuenientia.Hæc de quarto.

In tract. de Analogia.

1.d.3.q.8.

QVO AD QVINTVM respondetur ordinatè ad argumenta.

¶ Et ad primum dicitur,quòd argumentum illud, si aliquid probat,alietatem conceptus in vniuocationẽ probat:sicut ipsemet Scotus dicit,& ideo gratis cõcedimus illud,sicut etiam Auic.qui tenet ens non esse prædicatum quidditatiuum,concedit ens dicere alium conceptũ, non tamen vniuocum & quidditatiuum.

¶ Ad secundum negatur consequentia.Ad cuius probationem dico,quòd aliquod continere virtualiter aliud,potest intelligi dupliciter.Vno modo sicut causa in virtute sua continet effectum.Alio modo sicut effectus continet virtutem causæ,participando illam sic:hoc stante Minor est falsa,etenim effectus quilibet virtualiter continet secundo modo Deum.Nec oportet quòd continens isto modo sit prius:imò necessariò est posterius.Quòd si mihi dixeris,quod hoc est abuti vocabulis,quia apud omnes cõtinere virtualiter non attribuitur nisi causæ:dico quòd si fiat vis in verbo, falsa est Maior: eo quòd datur triplex modus cõtinendi,scilicet essentialiter,virtualiter,& participatiuè:sicut effectus continet in se causam.

¶ Ad tertium,concesso toto antecedente,negatur consequentia:sufficit enim analogia illius rationis formalis.

¶ Ad quartum negatur consequentia.Ad probationem dicitur,quòd falsum supponit,scilicet quòd substantia nõ immutet intellectum per propriam speciẽ. Vnde ad eius probationem dico,quòd quantitas & accidentia in Eucharistia agunt & patiuntur totum,quod ageret & pateretur substãtia,si esset:sicut enim acceperũt modũ essendi substantiæ,scilicet absque subiecto:ita etiam agere & pati eius:& ideo ex multis hostijs sensatis generatur in intellectu spẽs intelligibilis substãtiæ panis:& eius quidditatiua cognitio,sicut & ad nutritionẽ agũt,acsi esset ibi panis:non enim minus ex illis accidẽtibus nutrimur,quàm ex alijs hostijs non consecratis: sicut non minus ex consecratis generantur vermes & cineres,quàm ex non consecratis.Vnde ad argumentum dico,quòd panis absens immutat,quoniã non est omnino absens:remansit enim ibi accidens suum,quod est vice panis: quare non est simile de visu respectu tenebræ.Nec est contra nos autoritas Aristo.quoniam hæc omnia habent locũ, vbi est simpliciter absentia obiecti:quam hic non concedimus quo ad operationes.

¶ Ad quintum dico, quòd quia medium comparatum vni extremorum,vt oppositum induit alterum extremũ, vt dicitur quinto Phy.tex.com.6.ideo analogum comparatum æquiuoco,quod diuersas rationes simpliciter sonat,vniuocum appellatum est ab Arist.ibi:& meritò,eo quòd vtebatur analogo secundum id,quod habet de vnitate:oportet enim ad verificandam illam maximam, ꝙ causa & effectus non in sola voce conueniant, sed in ratione aliqua formali eadem aliquo modo in illis:vnde textus ille non est contra nos.

¶ Ad Auicen.& Algazelem dico, quòd nihil contradicunt:quia alietatem non vniuocationem conceptus entis insinuant.

Substantiarum verò quædam sunt simplices, & quædam compositæ,& in vtrisque est essentia : sed in simplicibus veriori & nobiliori modo secundum etiam quod habent esse nobilius,sunt etiã causa eorum, quæ composita sunt, ad minus substantia prima,& simplex,quæ Deus est.

Ad obiectum.

¶ Hic ponitur secunda comparatio, qua substantias inter se comparat tali conclusione:Substantiæ simplices nobiliori & veriori modo habent essentiam,quàm compositæ,quam probat dupliciter:primò sic, Quorũ esse est nobilius,eorum essentia est nobilior:sed substantiarum simplicium esse est nobilius,quàm compositarum:ergo essentia substantiarum simplicium est nobilior. Secundo sic,Causa,supple effectiua,non vniuoca habet nobiliorem essentiam suo effectu:substantia simplex saltem prima est huiusmodi causa compositarum:ergo substãtia simplex est perfectioris essentiæ quàm composita.

AD EVIDENTIAM Huius partis nota,ꝙ vt habes à sancto Tho.quarto sen.di.11.q.2.art.1.ad primum : simplicitas nec perfectionem simpliciter nec imperfectionem sonat:res enim ex eo quòd simplex, non habet perfectionem maiorẽ:sed ex eo quòd taliter simplex, id est simplicitatem subsistẽtem habet.Vnde materia prima est simplicissima,& formæ accidentales sunt simplices,& tamen non sunt perfectiores substãtijs compositis.Et ideo cùm dicimus substantias simplices esse perfectiores compositis,intelligas non de quibuscunq; simplicibus substantijs,sed de simplicibus subsistentibus in sua simplicitate:quales sunt substantiæ separatæ omnes.

Substantia simplices sub sistentes perfectiores sunt substantijs compositis.

PROPTEREA Caueto hic opinionem Scoti in primo sen.dist.8.q.1.dicentis simplicitatem esse perfectionem simpliciter.Vt autẽ veritatem tutari ac falsum impugnare scias,notato quid sit perfectio simpliciter.

Sco.1.di.8.q.1.ad primum quodlibet.

Perfectio simpliciter,apud Anselmũ Monologion 15. est quæ in vnoquoque melior est ipsa,ꝙ non ipsa.Glossa sic.In vnoquoq;,inquantum est indiuiduum entis, id est, hoc ens non inquantum est indiuiduum huius vel illius naturæ,puta,hic homo,aut hic angelus,melior est,&c.qa comparatiuum includit suum positiuum:ideo melior est, id est bonitatem seu perfectionem meliorem ponit.quàm non ipsa,id est quàm quodlibet sibi incompossibile:ita ꝙ (ly non ipsa)non teneatur contradictorie, sed incompossibiliter.Vnde perfectio simpliciter exigit duas conditiones:primò,quòd dicat perfectionem : secundo, quòd illa perfectio in indiuiduo entis sit melior, ꝙ quodlibet sibi ineo incompossibile.Propter defectum enim primæ conditionis tam relatio,quàm negatio à perfectionibus simpliciter excluditur.Propter verò defectum secundæ, ratiocinari,ridere,latrare,& huiusmodi perfectiones simpliciter non sunt:quia ista etsi sint meliora in indiuiduo huius vel illius naturæ,non tamen entis.Diximus ꝙ ly non ipsa,tenetur incompossibiliter & nõ contradictorie:quia aliter omne positiuum esset perfectio simpliciter : quia in indiuiduo entis melius est positiuum quodlibet quodlibet contradictorio formaliter sumpto. Nec superficiæ tenus consideres primam conditionem:quoniam propter defectum eius simplicitas non dicit perfectionem simpliciter. Simplicitas enim nihil aliud est quàm negatio compositionis:vnde non est perfectio,sed negatio imperfectionis. Propterea deficit talis modus arguendi.In indiuiduo entis quodlibet incompossibile simplicitati dicit imperfectionem : ergo ipsa simplicitas est melior in vnoquoque quã non ipsa:& consequẽter perfectio simpliciter.Oportet enim addere in antecedente:& ipsa dicit perfectionẽ, quod falsum est,quia negatiuum prædicatum est.

Diffinitio perfectionis simpliciter.

¶ Potes autem contra Scoti positionem arguere sic:Nulla perfectio simpliciter saluatur in relatione,vt relatio est: simplicitas autem saluatur in relatione, vt relatio est: ad,siquidem est simplicissimum, nullam enim compositionem includit,& vniuersaliter secundum Scotũ omnis differentia vltima relationis.ergo,&c.maior patet,ex eo quòd relatio vt relatio,nec perfectionem nec imperfectionem sonat apud nos,& Scotum.

Præ

¶ Præterea,Quod diuiditur per quantum, & nõ quantum,non est perfectio simpliciter.Patet ista, quia implicat ꝙ aliquid sit nõ quantũ & perfectio simpliciter.Sed simplicitas diuiditur per quantũ & non quantum.ergo, &c. Patet Minor, quia diuiditur in simplicitatẽ relatiuã & absolutam : simplicitas autem relatiua est nõ quanta.

¶ Si dicatur ad ista,ꝙ relatio formaliter sumpta non est simplex,sed simplicitas prædicatur de ea denominatiuè: hoc non euadit argumenta, quia simplicitas relatiua est passio relationis secundũ hoc,aut modus intrinsecus. Impossibile est autẽ, ꝙ alterũ horũ sit perfectius eo, cuius est,vt arguatur sic:Nulla passio est maioris entitatis subiecto suo:simplicitas denominãs relationem est eius passio,sicut vniuersaliter passio superioris est passio inferioris,licet non primo:ergo simplicitas relationem denominans non est maioris entitatis relatione,sed relatio nõ est quanta.ergo simplicitas relatiua nõ est quanta. ergo nec perfectio simpliciter. Stat ergo assumptum verum , scilicet ꝙ simplicitas diuiditur per quantum & nõ quantũ.

¶ Similiter arguere potes,si dicant ꝙ simplicitas sit modus,quod tamen minus consonũ veritati videtur. Substantiæ ergo immateriales,(nõ ratione simplicitatis sunt perfectiores essentijs substanciarum compositarum,) sed ratione simplicitatis subsistentis, & adunantis in se tantam perfectionem,ita indiuisè,qua gaudent.

Materia nõ est essentia sub stantiæ cõposita.

Sed quia illarum substãtiarum essentiæ sunt nobis magis occultæ,ideo ab essentijs compositorũ incipiendũ est,vt à facilioribus cõuenientiori fiat discipina.In substantijs igitur compositis forma & materia notæ sunt,vt in homine anima & corpus. Nõ autem potest dici, ꝙ alterum eorum tantũ essentia dicatur essentia.Quòd enim materia sola non sit essentia,planum est: quia res per suam essentiam cognoscibilis est,& in specie ordinatur vel in genere:materia autẽ non est cognitionis principiũ : nec secũdum causam aliquid ad speciem vel ad genus determinatur,sed secundum id solum,quo in actu aliquid est.

¶ In hac secũda parte capituli quid sit essentia in substãtijs cõpositis,declaraturus(quia à notioribus inchoandũ est)conclusionẽ hanc negatiuã ponit, Materia sola nõ est essentia substantiæ cõpositæ:quã duplici ratione probat. Prima est talis,Illud quod est essentia substantiæ cõpositæ est principium cognoscendi illã : sed materia sola non est principium cognoscendi illam:ergo materia sola nõ est essentia substantiæ cõpositæ.Maior patet ex eo, quòd vnũquodq; per suã essentiam cognoscitur quidditatiuè: vnde omnes aliæ cognitiones oriuntur. Minor habetur ex 9.Meta.tex.com.20.vbi dicitur,quòd principium cognoscendi est actus & non potentia.

¶ Secũda ratio est, Essentia substantiæ cõpositæ est id, quo res ponitur in genere & specie:sed materia sola non est id quo res ponitur in genere & specie, ergo materia sola, nõ est essentia substantiæ cõpositæ. Maior est euidẽs inducẽdo in singulis:Sortes enim per suam naturam in specie humana collocatur:similiter in genere animalis:et sic de alijs.Minor probatur:quia id,quo aliquid in specie reponitur,oportet ꝙ actuale sit,eo ꝙ est principiũ distinguẽdi ipsum ab alijs speciebus:& collocãdi ipsum in tali gradu vniuersi:materia autẽ sola actualitatẽ nõ includit.

Commẽtator 7. Meta.c. 23.& cõmẽt. 34.

Essentia substantiæ cõpositæ nõ est sola forma.

Neq; etiam forma tantũ substantiæ compositæ essentia dici potest, quamuis quidã hoc asserere conuentur. Ex his enim,quæ dicta sunt,patet,ꝙ essentia est id,quod per diffinitionem rei significatur:diffinitio autem substantiarũ naturalium non tantum formam,sed & materiam continet,aliter enim diffinitiones naturales & Mathematicæ nõ differrent. Nec etiam potest dici,ꝙ materia in diffinitione substantiæ naturalis ponatur,sicut additũ essentiæ eius : vel ens extra illam naturam, vel essentiã eius : quia hic modus proprius est accidentibus,quæ essentiã perfectẽ nõ habent.vnde oportet,ꝙ in diffinitione sua substantiam vel subiectum recipiant,quod est extra genus eorum:patet ergo quòd essentia comprehendit materiam & formam.

¶ Hic ponitur secunda cõclusio negatiua talis, Essentia substantiæ cõpositæ non est sola forma,quã vnica ratione probat sic,Illud est essentia substantiæ cõpositæ,quod per eius diffinitionẽ significatur : sed sola forma per eius diffinitionẽ non significatur.ergo sola forma non est essentia substantiæ cõpositæ.Maior est de se nota.minor probatur:quia diffinitiones naturales per hoc differũt à Mathematicis:quia istæ significant solã formam,id est formam absq; materia sensibili:naturales verò significant formã & materiam sensibilem.

¶ Sed ad hanc rationẽ potest dici, ꝙ cùm significari per diffinitionẽ contingat dupliciter. Vno modo, vt pars rei diffinitæ:alio mõ, vt subiectũ rei diffinitæ:seu vt deferẽs rem diffinitam,per diffinitionem naturalẽ significatur sola forma vt res diffinita:& ideo quidditas est sola forma. materia autem significatur vt quidditatem deferens.

¶ Contra hanc responsionem subiungitur in litera talis ratio,Illud quod est propriũ accidẽtibus,ex imperfectione suæ essentiæ,nõ conuenit specificis substantijs:sed recipere in diffinitione aliquid extra essentiã suã est propriũ accidẽtibus ex imperfectione suæ essentiæ : ergo hoc non cõuenit substãtijs specificis : Maior patet ex terminis.quã em est propriũ alicui ex sua imperfectione,nõ cõuenit alteri habẽti perfectionẽ oppositã illi imperfectioni.Minor habetur ex septimo Metaphy.tex.com.13.15.& 16.

CIRCA Maiorẽ nota, ꝙ licet formæ partis, puta animæ cõueniant etiam diffiniri per aliquid extra essentiã eius:ac per hoc istud videatur esse non propriũ accidẽtibus:sed cõmune eis & formis partiũ : in rei tũ veritate propriũ est,accidentiũ:eo ꝙ diffinitio nõ est nisi rerũ existentiũ in recta linea prædicamentali habentiũ speciem completam,cùm diffinitio cõponatur ex genere & differentia,sola autem accidentia inter entia & specie completa sunt per additamentum diffinibilia.& ideo proprium accidentibus dixit esse tali modo diffiniri : vnde & anima diffinitur per aliud extra essentiam suam,pro quanto participat de accidentis natura esse in alio.

Essentia substantiæ cõpositæ, non est relatio inter materiã & formã, aut aliquod superadditũ composito.

Non etiam potest dici, ꝙ essentia significet relationem, quæ est inter materiam & formam, vel aliquid superadditũ illis,quia hoc de necessitate esset accidens extraneum à re,nec per eam res cognoscetur:quæ omnia essentiæ conueniũt.per formã enim, quæ est actus materiæ,materia efficitur ens actu & hoc aliquid:vnde illud,quod superaduenit,non dat esse actu simpliciter materiæ, sed esse actu tale, sicut accidentia faciunt:vt albedo facit actu album, vnde quando talis forma acquiritur,non dicitur generari simpliciter,sed secundum quid.

¶ Hic ponitur tertia conclusio negatiua,Essentia substãtiæ compositæ non est aliqua relatio inter materiam & formam aut aliquid additum composito ex materia & forma;quam probat ex duabus rationibus. Primò sic, Omnis relatio media inter materiam & formã, & similiter omne additũ composito ex materia & forma est accidens extraneũ substantiæ:nulla essentia substantiæ cõpositæ est accidens extraneum.ergo Minor est de se nota: Maior verò probatur, Omne adueniens enti simpliciter facitis formaliter ens tale est accidens extraneæ naturæ à substantia : omnis relatio media inter materiam & formam, & omne additum composito aduenient enti simpliciter, & faciunt ens tale : ergo omnia huiusmodi sunt accidentia extraneæ naturæ à substantia composita.Huius prosyllogismi Minor declaratur. primò ex eo, quòd forma substantialis aduenienis materiæ facit esse simpliciter,& hoc aliquid,vt dicitur secundo De anima,tex.cõment.2. Declarabitur secundò ex eo,quòd generatio terminata ad formam substantialem,est generatio simpliciter:terminata verò ad formam accidentalem, est generatio secundum quid,vt dicitur 5.Physi.tex.c.7.cùm enim materia Sortis acquirit formam substantialem,tunc sine additione dicitur Sortes fieri:acquisita autem forma substantiali,cùm magnitudinem acquirit,nõ dicitur Sortes fieri simpliciter & sine additione,sed fieri magnus.

¶ Secunda ratio est ista, Nullum additum vt relatio illa media, aut vt quomodolibet sequens compositum ex materia & forma est proprium principium à priori perfectæ notitiæ substantiæ compositæ:essentia substantiæ compositæ est proprium principium à priori completæ notitiæ eius,ergo,&c.

Universidad de Deusto Biblioteca

Relinquitur ergo, ꝙ nomen Essentiæ in substantijs cōpositis significat illud quod est ex materia & forma compositū: & huic positioni sonat verbum Boëtij in cōmento prædicamentorū, vbi dicit, ꝙ ousia significat compositū. Ousia enim apud Græcos idem est, quod essentia apud nos, vt ipsemet in lib. de duabus naturis fatetur. Auic. autem dicit, ꝙ quidditas substantiarū compositarū est ipsa cōpositio formæ & materiæ. Cōmentator autem dicit super septimo Metaphysicæ, natura quā habent species in rebus generalibus, est aliquod mediū, id est compositū ex materia & forma. Huic etiā ratio cōcordat, quia esse substantiæ cōpositæ non est tantū formæ, nec tātùm materiæ, sed ipsius compositi: essentia aūt est secundū quā res dicitur esse. Vnde oportet vt essentia, qua res denominatur ens, nō tantū sit forma, nec tātùm materia, sed vtrūq;: quāuis huiusmodi esse, siue essentiæ sola forma suo modo sit causa. Sicut enim in alijs videmus, quæ ex pluribus principijs cōstituūtur, ꝙ res denominantur ex altero illorū principiorū tantū, sed ab eo quod vtrūq; complectitur, vt patet in saporibus, quia ex actione calidi digerentis humidum causatur dulcedo, & quāuis hoc modo calor sit causa dulcedinis, non tamē denoīatur corpus dulce à calore, sed à sapore, q calidū & humidū cōplectitur.

Boëtius in libro de duabus naturis & vna persona christi. Metaphy. c. 4. Com. 27.

¶Hic ponit quarta cōclusio affirmatiua: Essentia in substātijs cōpositis significat cōpositū ex materia & forma, quā per locum à diuisione cōcludit ex autoritate Boëtij, Auicēnæ, & Cōmētatoris, septimo Met. cō. 27. & ratione tali probat, Id quo tanq; principio cōpleto denomināte, substātia cōposita est ens, est cōpositū: sed essentia ipsius substantiæ cōpositæ est id, quo tanq; principio cōpleto denominăte substātię cōpositę est ens, ergo essentia ipsius substantiæ cōpositæ est cōposita. Minor de se est clara, dicitur em̄, & est Sortes ens propter suā essentiā, quā habet: Maior verò declaratur sic, Quādocūq; aliqua res ex pluribus principijs cōstituitur, nō est talis ex altero eorū, vt cōpleto principio, sed ex cōplectente vtrunq;: sed substantia cōposita est ens ex pluribus principijs constitutū, scilicet materia & forma: ergo nō ex altero tanq; completo principio, sed cōplectente vtrūq; est, & dicitur ens. sed id qđ cōplectitur vtrunq;, est compositū: ergo id, qđ substātia cōposito tanq; cōpleto principio, denominante esse, oportet esse cōpositū: quod erat probandū: Maior huius prosyllogismi exēplariter in saporibus declaratur in litera tanq; ex notioribus: & declaratio est manifesta per se. qđ autē dicitur, ꝙ sola forma & causa essendi, infra patebit.

QVAESTIO IIII.

Num Materia sit pars quidditatis naturalis.

CIRCA Prædicta dubitatur, an materia sit pars qdditatis naturalis, In hac dubitatione tria faciā: primò ponā opinionē Cōmentatoris: secundò ponam opinionē san. Tho. tertiò respondebitur argumentis oppositis.

QVO Ad primū, Cōmentator 6. Metaph. cō. 21. et 34. opinatur, materiā nō esse partem quidditatis naturalis, sed cadere in diffinitione rei naturalis, vt deferens illā quidditalē: adducit aūt in 34. com. ad hæc rationē talē: Essentia rei est substātia declarans rem quidditatiuè: materia non est substantia declarans quidditatē rei: ergo materia nō pertinet ad essentiam rei: minor colligitur ex primo Physicorum, tex. cō. 69 vbi dicitur, ꝙ materia secundū se est ignota: & per consequēs alterius declaratiua nō est. Ex commento verò 21. potest elici talis ratio ad hoc: si quidditas hominis esset homo cōpositus ex materia & forma, tunc quidditas hominis haberet quidditatem: & sic quidditatis esset quidditas; qđ est falsum. Tenet consequentia: quia quæcunque sunt idem, quicquid habet vnum, habet reliquum: si ergo quidditas hominis, & homo compositus sunt idem, cùm homo compositus habeat quidditatem, sequitur ꝙ quidditas hominis habeat quidditatē. Hāc eandē positionē videtur docere Aristot. 7. Metaphysicæ, text. com. 34. expresè dicens materiam non esse partem quidditatis: & secundo Physicorum, tex. com. 28. partes diffinitionis in genere causæ formalis collocans. Vnde & 10. Metaphysicæ, tex. commento 25. dicit quòd mas & fœmina non variant speciē quia sunt differentiæ materiales.

¶Idem etiam persuaderi potest ex consequentibus materiam: materia enim est causa corruptionis, distinctionis suppositi à natura sensibilitatis & similium, quorum opposita conueniunt quidditatibus; sunt enim essentiæ rerum ingenerabiles, incorruptibiles, insensibiles, & huiusmodi, Hæc de primo.

CONCLVSIO.

Materia est pars quidditans substantiæ naturalis.

QVO AD SECVNDVM Sanc. Tho. 7. Metaph. supra tex. commen. 33. & prima parte quæst. 75. articul. 4. & hic tenet materiam esse partem quidditatis substantiæ naturalis: probat hanc conclusionem tribus rationibus: quarum duæ in litera positæ sunt. Tertia verò est ista, Quicquid est de essentia omniū indiuiduorū cōtentorū sub specie, vniuersaliter cōceptū est de essentia speciei ista est vera pro tanto: quia aliter essentia specifica non prędicaret essentialiter totam essentiam indiuidui: sed materia est de essentia omnium indiuiduorum naturalium: ergo materia vniuersaliter accepta est de essentia speciei, & sic non cadit in specie, vt deferens ipsam, sed vt pars essentialis.

Lect. 9.

¶Ad primam rationem in litera factam dicunt aduersarij, quòd proprium est accidentibus diffiniri per additamentum alterius generis: & hoc non conuenit substantijs sed diffiniūtur substantiæ per additū sui generis; materia enim est in eo genere, in quo est quidditas delata.

¶Contra, Ergo nulla est differentia inter diffinitionem formæ partis, & diffinitionem formæ totius, nisi forte secundum modum significandi, cùm vtraque per additum sui generis diffiniatur: & sic eadem erit diffinitio animæ & viui: & tunc sicut nullum genus prædicamenti substātiæ ponitur in diffinitione animæ: ita nullū ponetur in diffinitione viui: & sic de alijs: quod est manifestè falsum.

¶Confirmatur sanc. Tho. positio adhuc tripliciter. Primo sic, In omni obiecto quidditatiuè sumpto, cui conuenit aliqua passio adæquata, oportet iueniri intrinsecè causam illius passionis: sed corpus contrarietati subiectum quidditatiuè sumptum est subiectum, cui conuenit corruptibilitas per modum passionis adæquatæ: ergo in corpore contrarietati subiecto quidditatiuè sumpto oportet intrinsecè inuenire cām corruptibilitatis: & talis causa non est nisi materia: ergo, &c. Maior est de se nota; quia passio fluit ab intrinsecis principijs quidditatis: aliter nō conueniret ei secundum quod ipsa. Minor ex eo manifestatur, quòd corruptibilitas primò concluditur de corpore contrarietati subiecto. Quod autem causa corruptibilitatis sit materia, clarum est, apud Commen. maximè.

¶Secundò sic, id quod est pars humanæ naturæ est pars quidditatis humanæ: quia natura & quidditas sunt idem: sed materia est pars naturæ humanæ: ergo, &c. probatur Minor, ex eo quòd materia est natura secūdo Physico. tex. com. 21. Et si non est pars, oportet quòd in Sorte sint duæ naturæ non partiales: quia non sunt partes alicuius naturæ: quod est impossibile. Tertiò declaratur hāc fuisse mentem Aristotel. primò ex octauo Metaph. tex. commen. 15. & 16. vbi assignat causam, quare diffinitio compositorum est vna: quia ex actu & potentia natum est fieri vnum. quidditates autem simplices seipsis, inquit, habent vnitatem statim, eo quòd formæ tantùm sint: ex quibus habetur, quòd si essentia substantiæ compositæ esset sola forma, non oportet Aristo. assignare causam propter quod sit vna: forma enim seipsa est vna: sed quia est composita ideo dixit quòd vnitatem habet, ex eo quòd altera pars est actus, altera potentia. Similiter 9. Metap. textu vltimorum commentorum dicit, quòd in quidditatibus compositorum accidit error: non autem in quidditatibus simplicium propter multitudinem partium: ex quibus sunt compositæ illæ quidditates, vnde ex earum compositione error accidere potest: qui in simplicibus, cùm careant partibus, locum non habet: ex quibus apparet ipsum opinari essentiam compositi esse compositam, & non simplicem: & quòd quidditas substantiæ materialis differt à qdditate separata, ex eo ꝙ ista est essentialiter simplex: illa verò est essentialiter cōposita. Hæc de secūdo.

Primo physica. 79. & 9. metaph. com. 17. T. c. 7.

T. c. 21.

QVO AD Tertium dicendum est ad rationes in

in oppositum: ad quarū primā negatur Minor: licet em̄ materia secundū se, id est solitariè sumpta sit ignota, adiūcta tamen & substracta tali formæ specificæ siue genericæ declaratiua est alterius.

¶Ad secundā negatur consequētia: ad cuius probationē dicitur, ꝙ Maior illa potest intelligi dupliciter. Vno modo sic, Quæcūq; sunt idem realiter, quicquid realiter coniunctū est vni, est & realiter coniunctū alteri: & sic conceditur: sed non est contra nos. Alio modo sic, Quæcūq; sunt idē realiter, quicquid prædicatur de vno, prædicatur de altero: & hoc modo est falsa. Aliquid em̄ cōuenit vni, vt distincto secundū rationē ab altero: quod nō conuenit alteri; sicut in proposito: habere quidditatē conuenit homini, vt distincto a sua quidditate secundum rationem: distinguitur enim ab illa, vt habens ab habito: et quia sic oportet distingui illam Maiorem in proposito, ideo argumentum non procedit

T. c. 34. & 17.

¶Ad id quod additur ex Arist. dicitur, ꝙ septimo Metaphysicæ nō remouet materiā à quidditate: sed materiam particularē & eas partes, quæ per accidens se habent ad speciei intellectū, vt manus & pedes: verbi gratia, ab hominis ratione: & has carnes & hæc ossa. Quod autem partes diffinitionis in genere causæ formalis collocentur non est contra id quod dicimus. Meminisse enim oportet ꝙ omne superius se habet, vt formale respectu inferioris: vt ibidē, ab Arist. habetur. Masculus quoq; & fœmina etsi nō differāt specie in genere animalis, sicut album & nigrū, differūt tn̄ specie in genere sexus, cuius differentiæ ad genus animalis per accidens se habent, & ex parte materiæ: & propterea in illo genere non causant diuersitatem specificam.

Secundo Physic. T. c. 28.

¶Ad vltimam confirmationē de passionibus materiæ dicitur, ꝙ illa sequuntur materiam particulariter existentem: & non sequuntur materiam abstractam à singularibus, quæ est pars quidditatis specificæ: & ideo nō oportet illa inesse quidditati, nec oportet materiam remouerí à qdditate ꝑpter hoc, ꝙ illorū opposita qdditati insunt.

Sed quia indiuiduationis principium est materia, ex hoc fortè videtur sequi, quòd essentia, quæ cōplectitur in se simul & formam, sit tantùm particularis & non vniuersalis, ex quo sequeretur, vniuersalia diffinitionem non habere, si essentia est id, quod per diffinitionem significatur.

¶In hac tertia parte huius capituli obijcit contra quartā conclusionē sic, Id, quod cōprehendit in se materiā intrinsecè, est particulare: essentia substātiæ cōpositæ comprehendit in se materiā intrinsecæ: ergo essentia substātiæ est particularis: ergo nō datur essentia substantiæ cōpositæ vniuersalis: quod est falsum. Et vlterius sequitur, ꝙ vniuersalia naturalia nō sunt diffinibilia: quia rerū naturaliū nō nisi essentiæ sunt diffinibiles: eo ꝙ diffinitio significat essentiā rei: essentiæ autē naturaliū, vt deductū est, particulares sunt. Maior probatur sic, Quod habet in se actu intrinsecè principium indiuiduationis, est particulare: habens intrinsecè materiam, habet in se principium indiuiduationis, quia materia est principium indiuiduationis: ergo, &c.

Et ideo sciendum est, quòd materia non quomodolibet accepta est principiū indiuiduationis, sed solùm materia signata. Et dico materiam signatam, quæ sub certis dimensionibus consideratur. hæc autem materia in diffinitione hominis, inquantum homo ponitur, sed poneretur in diffinitione Socratis, si Socrates diffinitionem haberet; in diffinitione autē hominis ponitur materia non signata: non enim in diffinitione hominis ponitur hoc os, & hæc caro, sed os & caro absolutè, q̄ sunt materia hoīs non signata.

¶Hic respondet obiectioni, destruendo Maiorem cum sua probatione dicēs, quod materia dupliciter accipitur: signata scilicet & non signata: signata est principiū indiuiduationis, non signata ponitur pars essentiæ specificæ: signata poneretur in diffinitione Socratis si diffiniretur: non signata ponitur in diffinitione vniuersalium. vnde et patet vniuersalia diffiniri, & tamen materiam includere: sed non signatam, quæ particularitatis est principium.

QVAESTIO V.

Num materia sit principium indiuiduationis.

CIRCA Hāc partē dubitatur, an materia sit principiū indiuiduationis. In hac qōne sunt sex agēda. Primò declarabitur titulus: secūdò ponetur opinio Scoti: tertiò impugnabitur: quartò ponetur opinio S. Thom. quintò arguetur cōtra illā: sextò rūdebitur argumētis in oppositū.

QVO Ad primū nota, ꝙ cū de principio indiuiduationis agitur, cū indiuiduū duo dicat, scilicet indistinctū à se & distinctū ab alijs: nihil aliud quæritur nisi per qd primò natura specifica reddatur incōmunicabilis: ita ꝙ repugnet sibi cōmunicari pluribus: vt superius inferioribus cōmunicatur, atq; per quid hoc indiuiduū primò distinguitur realiter ab alijs eiusdē speciei. Duo ergo quærūtur cōcurrentia ad indiuiduationē, scilicet quo (primò) natura specifica reddatur incōmunicabilis & quo (primò) realiter distinguatur ab alijs eiusdem speciei. Et aduertas bene singulas partes tituli, quas declarauimus, quoniam aliquos in hac parte errare inuenio. Agitur enim hîc de incōmunicabilitate, quæ opponitur cōmunicationi reali, & nō de incōmunicabilitate, quæ opponitur cōmunicationi formæ, hanc em̄ nullus dubitat primò conuenire materiæ. Et similiter agitur hîc de distinctione reali indiuiduorū sub eadē specie, quæ nō est nisi inter entia realia: & non de distinctione, qua Sortes viuus & Plato mortuus distinguuntur. Aduertendo semper, quòd nō loquimur nunc nisi de indiuiduatione substantiarum materialium. Hæc de primo.

SCOTI PROPOSITIO.

Non materia, nec forma, vel compositum, sed indiuidualis proprietas, hecceitas, principium est indiuiduationis.

QVO Ad secundū. Scotus secūdo sen. dist. 3. q. 6. opinatur, ꝙ natura specifica indiuiduatur per quoddā positiuū per se contrahēs illā, & faciens vnū cū illa: ita ꝙ illud positiuū nec est materia, nec forma, nec cōpositū: sed est modus omniū, seu vltima realitas materiæ, formæ & compositi: eadem illis realiter: et sic apud eū de principio indiuiduationis ponitur talis conclusio. Principium indiuiduationis non est materia, nec forma, nec quātitas: sed proprietas indiuidualis, scilicet heccheitas.

¶Huius conclusionis probationes, quo ad tres primas partes nunc omitto, postmodū quantū ad propositū spectat adducēdas. Pro quarta arguitur sic: Vnitas sequitur entitatē, proportionaliter loquēdo. eodē em̄ modo res est ens & vna. igitur vnitas simpliciter vltima, scilicet numeralis seu indiuidualis sequitur entitatē indiuidualem. sed clarū est, ꝙ entitas illa indiuidualis nō est aliquod eorū, quæ sunt actu in specie, nec aliquod accidēs: cū omnia accidētia sint pōst. ergo est proprietas indiuidualis, indiuiduorū scilicet constitutiua: & arguatur sic, Illud ad quod primò sequitur vnitas numeralis, est principiū indiuiduationis: proprietas illa seu heccheitas est id, ad quod primò sequitur vnitas numeralis, ergo heccheitas est principiū indiuiduationis. Maior patet: quia vnitas proportionaliter sequitur ens. Minor probatur: quia vnitas numeralis non sequitur quidditatem, vt patet: nec ad aliquod accidens, cùm præcedat totum genus accidentium.

¶Secūdo sic, Omnis differentia differentiū reducitur ad aliqua primò diuersa: alioquin non esset status in differētibus: sed indiuidua propriè differūt, ergo eorū differētia reducitur ad aliqua primò diuersa, hæc non sunt naturæ ipsorum, nec priuationes, nec accidētia aliqua. ergo sunt heccheitates. probatio huius vltimi assumpti quo ad tertiam partē; quia si differētia indiuiduorū reducitur ad aliquod accidens, maximè reducitur ad quantitatē: sed hoc non. Quod sic patet: quæratur enim per quid hæc quantitas & illa quantitas differant, non seipsis: sic em̄ specificè distinguerētur, ergo aliquo alio, puta sitibus. Sed hoc non potest esse: quia aut distinguūtur situ, qui est speciale prędicamentum, & hoc non: quia ille est posterior quantitate aut situ, quia est differentia quātitatis, & hoc non: quia quæratur per quid illi situs distinguuntur: aut seipsis, & hoc nō potest dici: quia seipsis nō sunt hi, aut aliquo alio, & sic in infinitū. Et propterea cū situs, qui est differentia quātitatis integretur ex cōtinuatione & permanētia partium idē est dicere, hæc quantitas differt ab illa propter aliū situ, & ꝙ hæc quātitas differt ab illa q̄titate seipsa.

¶Tertiò sic, Id quod se toto primò cōstituit aliquod singulare in sua entitate singulari, & vnitate cōsequēte talē entitatem, ei se toto primo repugnat diuidi diuisione opposita illi illi vnitati; & consequenter est principiū indiuiduationis, sed sola proprietas indiuidualis seu heccheitas

Universidad de Deusto Biblioteca

tas est huiusmodi.ergo,&c.Maior patet ex terminis:Minor eodem modo probatur:vt suprà.Hæc de secundo.

QVO Ad tertiũ arguitur contra opinionẽ Sco.quadrupliciter:Primò sic,Omnis actus singularis præexigit potentiã singularem,quã actuat:sed heccheitas est actus singularis,ergo præexigit potẽtiã singularẽ, quã actuat: sed illa potẽtia est natura seu in natura ipsius indiuidui, ergo natura indiuidui est singularis ante aduentum heccheitatis:& sic heccheitas non est principiũ indiuiduationis,propositiones assumptæ omnes sunt Scoti in hac materia:etiam maior:quæ tamen probatur ex doctrina Aristo.2.Physi.tex.com.38.vbi docet comparationes causarum,vnde sicut forma particularis præexigit materiam particularem:sic actus potentiam. Si dicatur,ꝙ hoc est verũ,vbi actus & potentia distinguuntur realiter, eo ꝙ tunc potentia realiter recipit actum:hoc non obstat:eo ꝙ secundũ Scot.quando aliqua duo adunantur realiter:eundem ordinem ex natura rei retinent,quẽ haberẽt si essent distincta realiter:cùm ergo actus singularis si distinctus esset realiter,ex natura sua præexigeret potentiam singularem : oportet quòd & nunc hoc idem exigat, cùm ordo idem seruetur.

Contra Scoti existimationem.

¶ Secundò sic, Illa quæ sunt principia indiuiduationis, sunt seipsis primò diuersa:heccheitas Sortis & Platonis non sunt hmõi:ergo.Maior est Scoti, minor probatur, Id qđ cõuenit magis cũ vno,quàm cũ alio:non est primò diuersum ab eo,cũ quo magis conuenit:sed heccheitas Platonis magis conuenit cum heccheitate Sortis,quàm cum heccheitate albedinis:ergo heccheitates Platonis & Sortis non sunt primò diuersæ:Maior prosyllogismi patet ex terminis : primò enim diuersum ab alio non conuenit cũ illo. Minor probatur dupliciter : primò: quia heccheitas Sortis & Platonis conueniunt in specie:heccheitates Sortis & albedinis differunt genere. Secũdò,quia illa magis conueniunt quæ magis assimilantur:magis aũt assimilantur quæ sunt magis comparabilia:heccheitates autẽ Sortis & Platonis sunt comparabiles magis quàm heccheitates Sortis & albedinis : sicut vniuersaliter res eiusdem prædicamenti sunt magis comparabiles,quàm res diuersorum prædicamentorum.

¶ Tertiò sic,Quod conuenit & repugnat alteri indiuiduo eiusdẽ speciei præexigit necessariò ipsorũ distinctionem:proprietas indiuidualis,puta Sorteitas,cõuenit Sorti,& repugnat Platoni eiusdem speciei indiuiduo : ergo proprietas indiuidualis præexigit distinctionem Sortis à Platone.& sic proprietas indiuidualis nõ est id, quo primò Sortes distinguitur à Platone: Conlcusio est falsa secundũ Scot.processus est bonus: ergo altera præmissarũ est falsa:vtraq; aũt est sua:ergo oĩno falsus cõuincitur: & Maior quidẽ habetur à Scoto in quolibet. quæstione 2. Minor autem est sua conclusio quã nunc impugnamus.

t.ca. 45. ¶ Quartò ostendo hanc positionem contradicere Peripateticis, Arist.& Commen.12.enim Metaph.text.cõ.42. sit hæc consequentia, primũ cælũ,id est primũ principiũ est vnum specie & plura numero: ergo habet materiam, quæ consequentia nulla esset, si proprietas indiuidualis poneretur distinguere indiuidua eiusdem speciei.

¶ Glossam autem Sco.intelligentis per materiam indiuidualem proprietatem,destructiuam esse textus, apparet ex Commentatore ibi dicente, Omne quod est vnum in specie & plura in numero,habet materiã:sed iam declaratum est,ꝙ principium cæli non habet materiam.ex quibus verbis apparet,ꝙ de illa materia loquitur, quam declarauit non esse in primo principio. Apparet aũt in tex. commen.30.expressè declarare motorẽ cæli non habere materiam ad vbi & ad esse,& nullam fecisse mẽtionem de proprietate indiuiduali. Apparet quoque fictio illius glossæ ex 3.Metaphy.text.commen.11.vbi dicitur,quòd omnis multitudo,aut est rerum differentium secundũ formam,aut secundum quantitatem, quod idem habes in Commentatore in primo Physi.com.6.

¶ Nec admittenda est glossa Antonij Trombetæ, quòd intelligitur cõcomitanter. Eodem enim modo & vniformiter debet teneri(ly secundũ)in primo mẽbro & in secundo:in primo autem notat causalitatem, ergo & in reliquo. Deprehendi quoq; põt esse puram fictionem nouã hanc de heccheitatibus inuentionem,ex primo cæli text. comment.92.& 93.vbi vnitatem & pluralitatem indiuiduorum in eadem speciẽ,in rebus materialibus non nisi ex materia,assignãt Arist.& Cõmen.Hæc de tertio. *t.ca. 92, & 93.*

CONCLVSIO

Materia signata est per se intrinsecum indiuiduationis principium, non autem quippiam aggregatum ex materia & quantitate.

QVO Ad quartum opinio S.Tho.posita ab eo hîc & in multis alijs locis est ꝙ materia signata est principium indiuiduationis.

¶ Circa hanc conclusionem aduertendum est,quòd Thomistæ inter se differunt & conueniunt.Conueniunt in hoc omnes,quòd ad indiuiduationem duo concurrere debẽt, materia & quantitas. Differunt autem,quia aliqui tenẽt quòd aggregatum ex materia & quantitate sit intrinsecum indiuiduationis principium:materia dante incommunicabilitatem, siue indistinctionem in se, quantitate dante distinctionem ab alijs:& tale aggregatum dicunt esse materiam signatam.Alij verò longè melius sentiunt dicentes,quòd principium intrinsecum indiuiduationis & quo ad incommunicabilitatem,& quo ad distinctionem ab alijs est materia signata non materia quanta:seu aggregatum ex materia & quantitate.Et cum hoc iudicio meo sit doctrina S.Tho.vera vt ostendatur,ideo hanc declarare volumus & tueri.declarando primò quid importet materia signata:secũdò excludendo primã expositionẽ Thomistarũ:tertio probãdo conclusionẽ intentam.

¶ Materia signata nihil aliud est q̃ materia capax huius quantitatis:ita quòd non illius : hæc nãque materia est pars intrinseca Sortis de diffinitione eius si diffiniretur. Imaginãdum est enim quòd agens particulare,puta hoc semen continuè appropriat materiam ad formam inducendam hoc modo,quòd sicut semen humanum appropriat materiam ad animam humanam:ita hoc semen ad hanc animam.vnde cum in primo instanti generationis Sortis,quod est primum esse Sortis,& primum non esse formæ præcedentis & accidentium primo ordine naturæ fiat particulare compositum:deinde naturali ordine sequuntur omnia accidentia(in via nostra)in illo priori secũdum naturam:quò compositum particulare terminat per se primò generationem:materia quæ est pars intrinseca eius,scilicet Sortis,ita est appropriata ipsi Sorti ab agẽte particulari.ꝙ nõ est capax alterius quantitatis q̃ eius quã Sortes sibi determinat : omnium enim natura constãtium determinata est ratio magnitudinis & augmenti, vt dicitur secũdo de anima ex cõ.41 & talis materia vocatur materia signata.Nihil ergo addit materia signata supra materiam,nisi capacitatem huius quãtitatis: ita ꝙ non illius.Capacitas autem materiæ respectu huius q̃titatis nihil aliud est quàm potẽtia receptiua huius quantitatis:ita ꝙ non illius,potentia autẽ receptiua nihil realiter distinctum in recto dicit:sed addit aliquid reale distinctũ secundum rationem tantùm à materia.Sicut materia propria nihil addit supra materiam realiter distinctum ab ipsa:dicit tamen aliquid reale in materia, quod non explicat materia secundum se: materia enim signata non est diffinibilis nisi per hanc quantitatem si diffiniretur:sicut propria potentia non nisi per proprium actum diffinitur, vt dicitur tertio Physicorum, textu commentario.16.Materia autem secundum se hanc quantitatem in sua diffinitione non exigit.vnde materia propria indiuidui,& materia signata,& materia sub certis dimensionibus idem important: & propterea S.Tho.non dixit materiam signatam materiam cum certis dimẽsionibus, scilicet sub certis dimensionibus:& alibi dicit,quòd sicut materia in ordine ad formas generales,puta formam totalem & partialem distinguit genericè corpora cælestia ab inferioribus:ita materia in ordine ad hanc vel illam quantitatem distinguit numeraliter in rebus materialibus.Materia igitur signata non dicit aggregatum ex materia & quãtitate sed materiam in recto significat, quantitatem verò in obliquo, sicut potentia materiæ significat materiam in recto in obliquo verò actum, quẽ respicit,eo quòd non nisi per actum est diffinibilis.Et sic manifestum est quid importet materia signata. *T.c. 41. T.c. 30.*

¶ Quòd autem Thomistæ alij non conuenienter exponant,sic declaratur,Idem est principium distinctiuum indiuidui à specie & ab altero indiuiduo eiusdẽ speciei : sed materia non quanta:sed sic signata modo præexposito est principium intrinsecæ distinctiuum indiuidui à specie:ergo non materia quanta : sed materia signata est principiũ intrinsecum distinctiuũ indiuidui ab altero eiusdẽ speciei indiuiduo.Minor ab eis cõceditur:& est sancti Tho. *Tractatu de principio indiuiduationis.*

exp

expressè in tractatu,qui de principio indiuiduationis vocatur;qui secundũ veritatem & antiquum titulum vocatur de potentijs cognoscitiuis:vt habetur in Bibliotheca summi Pontificis,in qua sola tractatum illum cõpletum vidi:est enim truncatus ille,qui communiter habetur. Maior verò non nisi voce à proteruis negari posse videtur,vniuersaliter nanq; verũ videmus,ꝙ quãdocũq; aliquod cõmune diuiditur in plures partes subiectiuas, per idem differunt inferiora inter se & à superiori : sicut per idem homo differt ab animali & à leone,scilicet differentia propria : vnde & Porphyrius tres actus differentiæ dat, diuidere superius, constituere inferius, & distinguere constitutum à superiori,& alijs cõparibus. Probatur ergo hæc conclusio modo præexposito, scilicet materia signata est intrinsecum indiuiduationis principium illud est intrinsecum principium indiuiduationis:cui primò repugnat communicari pluribus per modũ,quo vniuersale cõmunicatur particulari:sed materia signata est id,cui primò repugnat communicari,vt vniuersale particulari.ergo,&c.Maior ab omnibus conceditur.Minor verò probatur:sed nota quòd Minor duo includit in se.scilicet ꝙ materiæ signatæ repugnat cõmunicari pluribus:et quòd primò ei repugnat:primum horum ex se patet:materiam enim capacem huius quantitatis tantũ,impossibile est plurificari.Secundum autem probatur,Illud competit primò materiæ signatæ,quod circũscripto quocũq; alio sibi conuenit:& ipsa circumscripta nulla alteri cõuenit,(ex primo Posteriorum.)sed non communicari pluribus vt vniuersale particulari circũscripto quocunq; alio existente in substantia sensibili conuenit materiæ signatæ:& ipsa circumscripta nulli alteri conuenit:ergo nõ cõmunicari pluribus primò conuenit materiæ signatæ inter omnia, quæ in substantia sensibili inueniuntur. Probatur minor,quo ad vtranq; sui partem,quo ad primam sic,Id quod materia signata præcisè sumpta sibi vẽdicat, ita quòd sub eius opposito non est intelligibilis,cõuenit sibi circũscripto quocũq; alio : patet ista ex terminis, sed incommunicabilitas conuenit materiæ signatæ præcisè vt sic acceptæ:ita quòd sub eius opposito materia signata non est intelligibilis:non enim potest intelligi materia propria indiuidui communicabilis:ergo incommunicabilitas conuenit materiæ signatæ circumscripto quocũq; alio.Secunda pars Minoris patet exemplariter : quia circumscripta Sortis materia signata, seu materia propria: quod idem est,certum est quod non remanet hic,neq; forma eius remanebit hic,neq; ipsa materia:si enim materiã propriã non habet per quid,exigit ordinẽ communium. *unde differentia. T.ca. 14.*

Secunda ratio. Secundò probatur eadem conclusio sic,Frustra fit per plura,quod põt fieri per pauciora,et æquè bene:sed absq; quibusq; alijs ex materia signata sufficiẽter saluatur indiuiduatio substantiæ cõpositæ:ergo frustra addũtur quæcũq;.Minor ex dicẽdis apparebit:vbi solutis aduersariorum rõnibus,stabilis ac firma remanebit positio nostra.

Et cõfirmatur:quia cũ in substãtia cõposita nõ sint nisi materia & forma & cõpositũ ex his, et accidẽtia quæcũq; indiuiduo accidũt,nullã aliam intrinsecam causam habẽt,nisi aliquid horũ:& sic ad inuestigandã indiuiduationis causam nõ oportet extra hoc vagari.Probatur tertiò eadẽ cõclusio autoritatibus Ari.& cõ.suprà inductis, quas nõ opus est repetere.Apparet quidẽ apud eos euidẽter omnẽ distinctionẽ aut ex formis, aut à quantitate oriri.Est igitur materia signata intrinsecũ indiuiduationis principiũ:quo intrinsecè,(licet particulariter) Sortes est hic.Dico aũt particulariter:quia non arbitror materiã signatã esse ipsam indiuidualẽ proprietatẽ seu differentiã: sed potius differẽtiæ indiuidualis essentiale principium. Opinor eñ ꝙ proportio materiæ signatæ ad proprietatẽ seu differentiã indiuidualẽ sit,sicut proportio animæ humanæ ad differentiã hominis constitutiuam:sicut eñ anima intellectiua no est ipsa differẽtia, puta rationale : sed id vnde sumitur:ita materia signata nõ est ipsa differẽtia indiuidualis:sed id vnde sumitur, & ꝙ causat ipsam intrinsecè.Et sicut homo est homo,& per rationale tanquã per principiũ formale totale,& per animã intellectiuam tãquã per principiũ partiale intrinsecũ formale,à quo rationale mẽdicat & causatur:ita Sortes est hic per differentiam indiuidualẽ, tanq; per totale quoddã denominans: quod nihil aliud est,q̃ gradus indiuidualis:sicut differentia specifica est gradus specificus,& per materiam signatam tanquã per priorem causam intrinsecam, à qua ipsa indiuidualis differentia mẽdicat.Vt sic inter nos & Sco. in hoc stet diuersitas,ꝙ ipsi differẽtias indiuiduales absq; essentiali dependẽtia à materia signata multiplicant:nos autẽ sicut animal cõtrahere nesciremus ad hominem & bouem sine formis partium:a quibus differentiæ contrahẽtes animal causantur:sic speciem,puta hominẽ contrahere ad indiuiduum non nouimus sine materia signata, quæ est causa indiuidualiũ differentiarũ:& consequenter primò principium indiuiduationis intrinsecum. Moueor ad hoc dicendum : quoniam teneo Sortem substãtialiter sumptũ in recta scilicet linea prædicamẽtali sub specie esse vnum numero:nõ vnitate de prædicamento quantitatis:sed substantiali : quã necesse est antecedi,cum sit entis passio ab indiuiduali gradu : quẽ ipsa indiuidualis differentia importat. Et hoc an sit de mente S.Doct. non censeat quisquam,priusquam legerit ipsum:& in compẽdio Theologiæ,capitu.157.vbi vult Sortem eodem numero esse post resurrectionem eius quantitate numerata, & in tractactu supradicto. *cap.157. De principio indiuiduationis. & d.3.q.7.*

QVO Ad quintũ arguitur contra conclusionem & dicta in ea à Sco.vbi supra. Primò sic,Impossibile est aliquid dependens à posteriori naturaliter, esse idem priori naturaliter:quia tunc esset prius,& nõ prius:sed substãtia est prior naturaliter quantitate:igitur nihil causatum à quantitate siue qualitercunq; præexigens naturã quantitatis potest esse idem substantiæ,nõ igitur signatio ista à quantitate causata est eadem substantia. probatio Maioris,vbi est vera & realis identitas, licet non sit formalis,ibi impossibile est hoc esse,& illud non esse:quia tunc idem realiter esset,& non esset:sed possibile est prius naturaliter esse sine posteriori naturaliter:ergo multo magis absque eo quod derelictum est:vel causatum à posteriori naturaliter.

¶ Præterea,Id quod est necessaria conditio causæ in causando,non põt habere esse à causato : quia tunc causa, inquantũ sufficiens ad causandũ,esset causata à causato:& illud causatum esset causa suipsius : sed singularitas siue signatio substantiæ est necessaria conditio in substantia ad causandam quantitatem:quia causatum singulare requirit causam singularem,ergo impossibile est istã signationem seu singularitatem esse à quantitate.

¶ Præterea,Quæro quid est quantitatem causare vel derelinquere talem modum seu significationem in substantia,si nihil ex hoc est, nisi quòd præfuit quantitati, tunc nullo modo signatio est per quãtitatem:quia tunc signatio substantiæ naturaliter præcedit ipsam quantitatem. Si autem aliquid aliud,quęro quomodo causetur à quantitate,& in quo genere causæ.

¶ Præterea,Quare quantitas potius relinquit talem modum in substantia,quam qualitas:nõ videtur ratio:quia sicut qualitas in seipsa informat superficiem, nihil relinquendo in ea:ita quãtitas informat substantiã in seipsa, & non per aliam formam derelictam.

¶ Præterea,Quãtitas ista,quæ ad indiuiduationẽ cõcurrit,aut est quantitas terminata,aut interminata,nõ terminata:quia illa sequitur formã in materiã,& per cõsequẽs singularitatẽ substantiæ: quia sicut substantia est causa eius,vt est terminata,ita hæc substãtia est causa eius, vt est hic terminata.Et cõfirmatur hoc:quia cũ quãtitas terminata varietur sola rarefactione, idẽ indiuiduũ erit multis singularitatibus idem:quod est impossibile.Si aũt interminata,contra:illa manet eadẽ in genito & corrupto.

¶ Præterea, Si quãtitas concurrit ad indiuiduationẽ, vt primò distinguẽs,oportet ꝙ in seipsa sit primò distincta numeraliter ab alia:sed tũc tua propositio nõ est vera:illa scilicet,omnis differẽtia formalis est specifica. quãtitas eñ hæc & illa cũ sint formæ,se differẽt specificè.Quòd si quantitatẽ excipias ab illa proportione fundamẽtali ædificij ruinosi,vñ probabitur,ꝙ differẽtia formalis sit specifica:quæcunq; enim ratio fuerit adducta de forma,habebit locum in quantitate,cùm quantitas forma sit.

¶ Præterea, Tota latitudo prædicamenti substantiæ est prior cæteris prædicamentis,ergo cũ indiuiduũ substãtiæ claudatur in ista latitudine,oportet ꝙ sit intrinsecè completum absq; dependentia à quantitate,quę est posterior.

Et confirmatur : quia nihil reponitur in aliquo genere per aliquid,qđ sit extra illud genus.Multa alia argumenta fiũt à Scoto et alijs:sed quia cõcludũt materiã solã vel quantitatem solam vel aggregatum ex materia & quantitate nõ esse principium indiuiduationis,omisi:nihil eñ

Universidad de Deusto Biblioteca

contra nos. Omisi præterea quæ indirectè contra positionem nostram essent, breuitati studens. Hæc de quinto.

QVO Ad sextum respondendum est argumentis factis: nunc deinde alijs pro opinione contraria inductis.

¶ Ad primum igitur istorum dicitur, quòd falsa est Maior. Ad cuius euidentiam est notandum, quòd proportio materiæ signatæ ad hanc quantitatem est proportio potentiæ ad proprium actum: vnde sicut potentia materiæ est eadem realiter ipsi materiæ: & tamen dependet à forma: ita potētia seu capacitas materiæ respectu huius quātitatis, quæ vocatur eius signatio, dependet à quantitate: & tamen est eadem materiæ. Et quia potentia est prior & posterior, & naturaliter actu, prior est in genere causæ materialis, posterior in ordine causæ formalis: ideo signatio materiæ est prior quantitate ordine causæ materialis: posterior autem in ordine causæ formalis, vnde vtroq; mō Maior est falsa: tam si intelligatur de priori & posteriori secundū genus causæ materialis, q̄ si intelligatur de priori & posteriori in ordine causæ formalis. Aliquid enim dependens à forma est idem realiter materiæ: & aliquid dependens à materia est idem realiter formæ vt patet. Ad probationē primā qua dicitur: quia tūc esset prius & non prius, dico q̄ nō est inconueniens in diuersis generibus causarum. Ad aliam probationem, qua dicitur, Vbi est vera & realis identitas, &c. negatur secunda propositio assumpta: non enim omne prius potest esse sine posteriori: vt alias ostendetur.

¶ Ad secundum negatur Maior, cùm causatum est causa suæ causæ in alio genere causæ, sicut in proposito accidit: materia enim signata est causa quantitatis in genere causæ materialis: quantitas est causa materiæ signatæ in genere causæ formalis, vt actus potētiæ. Et patet falsitas Maioris in exemplo supra posito: potentia enim materiæ est necessaria conditio materiæ ad causandam formam: & tamē dependet à forma in genere causæ formalis. Ad probationem dicitur, q̄ causa materialis secundum causalitatem suā dependet à suo effectu, scilicet forma: sed nō inquantum est effectus eius, sed in eo quod est causa materiæ: causæ enim sunt sibi inuicem causæ, vt dicitur secūdo Physicor. text. com. 30. non ergo incōuenit causam in causando dependere à causato: non vt causato, sed vt causa est secundum aliud genus.

1. c. 5. q. 8. secundum.

¶ Ad tertium dicitur, quòd quantitatem causare talē signationē in materia nihil aliud est, quàm materiam esse sub hoc agente factam capacem adeò huius quantitatis, quòd non illius: & sic quantitas concurrit ad signationem materiæ vt actus: propter quem talis capacitas fit. Agens verò vt efficiens illam: & talis signatio seu capacitas præest ipsi quantitati in genere causæ materialis: & non potest ex hoc inferri, ergo non fit per quātitatem: eo quòd fit quantitate in genere causæ formalis, quæ sicut & finis inter causas posteriores inesse numeratur.

¶ Ad quartum dicitur, quòd non solùm quantitas tali modo signat materiam, sed etiam qualitates propriè. Materia enim Sortis ita est capax harum qualitatum, quòd non aliarum: sed quia sola quantitas immediatè recipitur in substantia, & ex sola quantitate oritur radicaliter distinctio materialis, ideo ad propositum, materiam signatam, materiam sub certis dimensionibus & non sub certis qualitatibus dicimus.

¶ Ad quintum dicitur, quòd quantitas illa quæ ad indiuiduationem vt originalem, non intrinsecum indiuiduationis principium cōcurrit, est quantitas terminata. Nec obstat, quòd sequatur formā: quia etiam forma sequitur potentiam materiæ, à qua tamen causatur: & cōcedimus hanc substantiam esse causam materialem huius quantitatis: sed econuerso in genere causæ formalis hanc quantitatem esse causam huius signationis materiæ modo præexposito. Ad confirmationē Antonij Trombetæ dicitur, quòd quantitas terminata ad indiuiduationem concurrens non stat in diuisibili: sed latitudinem habet. sicut enim quælibet species naturalis determinat sibi quantitatem maximam & minimam infra quandam latitudinem: ita & quodlibet indiuiduum determinat sibi hanc quantitatem infra tales limites, & nō in diuisibili. vnde potest fieri rarefactio sine eius (vt indiuiduatiua est) variatione: non enim hic accipitur quantitas terminata pūctualiter. sed cum certa latitudine.

¶ Ad sextum dicitur concedendo consequentiam primā: sed negando quòd ex hoc sequatur falsitas illius propositionis fundamentalis firmissimi ædificij. Peccauit enim arguens peccato maximo non distinguens inter differentiam formalem & formarum: omnis enim differentia formalis est specifica, non autem omnis differentia formarū, vt dicit S. Tho. secūdo cōtra Gētiles, c. 81. alioquin forma huius ignis & forma illius ignis distiguerent specificè. cū sint formæ, & differant. vnde linea mathematica diuisa in partes, habet duo indiuidua, quælibet ēm pars lineæ est linea, & illa indiuidua sunt formæ, & differunt, sed non differētia formali. Appellatur aūt differētia formalis illa, quæ est per principia quidditatiua. hæc ēm semper orit à forma in eo quòd forma, qualis non est inter hanc lineam & illam, cum sit eadem vtriusque quidditas, verùm arguentis error est valde puerilis, sicut formæ, & differunt: ergo differunt formaliter: est monachus, & est albus, ergo est monachus albus.

¶ Ad vltimum negatur consequentia: licet enim id quod est in prædicamento substantiæ sit prius simpliciter quolibet alio prædicamento: tamen aliqua conditio, (sine qua indiuiduum vt sic non est in prædicamento) potest esse posterior in genere causæ formalis, & alterius prædicamenti, eo quòd causa formalis est posterior in esse.

¶ Ad confirmationem dicitur quòd quodlibet prædicamentum completur per res sui generis, si loquamur de his quæ ponuntur in prędicamentis, & de ratione reponendi ea in illis, non autem si loquamur de conditione rei repositæ in prædicamento. Sortes enim non est nisi substantia, & ratio ponens ipsum in prædicamento est substantia: conditio autem indiuiduationis, sine qua non est ratio reponendi ipsum in prædicamento, non incōuenit quòd coexigat aliquòd accidens, puta quantitatem.

¶ Ad primum verò eorum, quæ pro opposita conclusione adducta sunt, dicitur quòd Minor est falsa, ad materiam nanq; signatam primò sequitur vnitas numeralis.

¶ Ad secundum dicitur, q̄ differentia indiuiduorū reducitur ad quātitates, quātitates aūt differūt sitibus pprijs, qui sunt differentiæ quantitatis. situs autem non solùm integratur ex illis duobus, scilicet permanentia & continuatione partium: sed ex his duobus cum tertio ordine, scilicet partium in toto: vt docet Albertic. in prædicamentis, cap. de quantitate: per hoc enim differt à situ speciali prædicamento qui dicit ordinem partium in loco: vnde situs in proposito distinguuntur suis ordinibus partium in toto, qui sunt de eorum ratione: ordines autem seipsis: in diffinitione enim ordinis cadit distinctio: & sic patet, quòd nō est æquè dubium de his, ad quę facimus reductionem, & de quantitatibus, & quòd non oportet quantitates propter hoc distingui formaliter: talis enim ordo partium in toto vt materiale quid, est in ipsa quantitate quod in nulla alia forma inuenitur.

Cap. tertium.

¶ Ad tertium Antonij Trombetæ dicitur quòd Minor est falsa: materia enim signata, vt probatum est, est id, cui prima repugnat diuidi, vt vniuersale in particularia: ratione enim repugnat esseitati.

CAPVT IX.

Essentiæ generis, speciei, & indiuiduorum quomodo tam absolutè, quàm primæ impositionis nominibus conceptæ distinguantur: quomodo item Genus, Species, Differentia, diffinitio differāt, exponit: deinde quomodo Essentia speciei ipsis indiuiduis comparetur, declarat.

Com. 10. Essentia Generis, speciei et indiuidui distinguuntur absolutè consideratæ per signatum et nō signatum.

PATET Ergo, q̄ essentia hoīs & Socratis nō differūt, nisi secūdū signatū & nō signatū. vnde Cō. dicit super 8. Metaph. q̄ Socrates non aliud est, quā aīalitas & rōnalitas, quæ sunt quidditas eius: Sicut etiā essentia generis & essentia speciei secundum signatū & non signatum differunt, quamuis alius modus designationis sit vtrobique, quia designatio indiuidui respectu speciei est per materiam determinatam dimensionibus, designatio autē speciei respectu generis est per differentiā cōstitutiuam, quæ ex forma rei sequitur.

POSTQVAM Determinatum est quid sit essentia substantiarum compositarum in communi, in hoc tertio capite intendens agere de differentia essentiarū compositarum inter se: cùm essentiæ compositæ sint tres, scilicet generica, specifica, & indiuidualis, quinque facit. Primò loquit de differētia earū absolutè: secūdò determinaturus de differētia earū, vt subsunt primis intētiōibus, & il-

nibus, & illarum nominibus, ostendit quomodo essentia generica differat à specifica: tertiò genus, species, differentia, diffinitio qualiter inter se differant, declarat: quartò excludit quandam dubitationem: quintò assignat differentiam inter essentiam specificam & indiuidualem.

AD EVIDENTIAM Dicendorū prænotandū est q̄ de essentijs possumus tripliciter loqui: primò, de eis absolutè absq; habitudine ad primas vel secundas intentiones: secūdò, de eis, vt subsunt nominibus primę intētionis: tertiò, vt subsunt nominibus secūdæ intentionis: verbi gratia, De natura humana contingit loqui secūdū se: id est, secundū ea, quæ cōueniūt sibi rōne sui: contingit loqui de ipsa, vt stat sub hoc nomine, humanitas: & hoc noīe, homo, & similibus: contingit & tertiò loqui de ipsa vt stat sub hoc noīe species. S. Tho. ergo in prima huius capituli parte loquitur de essentijs rerū primo modo: in toto verò residuo loquitur de eis secūdo modo sumptis: in sequēti aūt capitulo de eis tertio modo acceptis sermonē faciet: & hoc, si nō vis decipi in hoc capitulo diligētissimè notato: ponit igitur assignādo differētiā inter essentiā genericā, specificā, & indiuidualē secundū se sumptas hāc conclusionē: essentiæ pdictæ nō differūt nisi secundū signatū, & nō signatū: hoc sic declaratur, animalis, hominis, & Sortis essentiæ propriè nō differūt nisi per hoc: qa in rōne animalis cadit substantia animata sensibilis absq; determinatiōe eius per rationale: in rōne aūt hominis ponitur substātia animata sensibilis rōnalis: & sic additur in ea designatio per differētiā: ratio verò Sor. ponit substātiā animatā, sensibilē, rationalē in istis carnibus & istis ossibus: & sic in ea additur designatio materiæ, quæ nō ponebatur in rōne hominis: vñ absolutè loquēdo, & secundū suas rōnes proprias apparet, has essentias, non nisi secūdū signatū & nō signatū differre, id est secūdū explicitā inclusionē alicuius designationis siue determinationis: & nō explicitā inclusionē illius, licet talis designatio non vniformiter fit in natura specifica, et in natura indiuidui: determinatio ēm, quā addit natura specifica supra genericā, est formalis essentialiter diuersificās gen̄?: vtpotè à forma in eo, q̄ forma sumpta: determinatio aūt, quā natura indiuidualis supra specificā addit, est materialis, non formaliter, sed materialiter tm̄ diuersitatē in specie faciēs, vtpote sumpta à materialis conditionibus rei. Ex his habes q̄ homo & humanitas, animal & animalitas secūdū se, id est, naturas significatas, nullo modo differūt, eadem omnino est ratio naturæ significatæ per hominē & humanitatē, ita q̄ nulla designatione differunt: sed, vt pcst dicetur, differūt vt subsunt nominibus primæ intētiōis. Quia verò distinctio per signatū & nō signatū non est distinctio realis, ideo dicit cō. 7. Met. cō. 10. q̄ Sortes substantialiter sumptus nīl aliud est q̄ aīalitas & rōnalitas, quę sunt quidditas eius: Sorteitas enim, quæ naturam Sortis nominat, eadem realiter est animalitati & rationalitati.

Com. 10.

Genus cōparatur ad speciē non sicut pars, sed vt totum.

Hæc autem determinatio vel designatio, quæ est in specie respectu generis, non est per aliquid in essentia speciei existens, quòd nullo modo in essentia generis sit: imò quicquid est in specie, est etiam in genere, vt non determinatum, si enim animal non esset totum, quod est homo, sed pars eius, non prædicaretur de eo, cùm nulla pars integralis prædicetur de suo toto.

¶ In hac secunda parte capituli determinatur quomodo essentia generica differt à specifica, secūdū q̄ ambæ stant sub nominibus primæ intētionis, puta quomodo differāt essentia hominis & essentia aialis sub his nominibus, homo & animal, & intēdit q̄ essentia significata per nomē genericū, puta animal, & essentia significata per nomen specificū, puta homo, nō differūt per hoc, q̄ essentia significata per nomen specificum includat aliquam determinationem, quæ omnino sit extra rem significatam per nomen genericum, sed per hoc q̄ essentia per speciei nomen importata includit actu designationē specificam, quæ fit per differentiam eius constitutiuam, sicut homo actu includit rationale: ponitur nanq; in eius diffinitione. Essentia verò nomine generico signata confusè & indeterminatè importat designationem illā: sicut animal in potentia includit rationale, vt dicit Porphyrius: vnde animal & vniuersaliter omnis essentia generico nomine importata vt sic, totū includit quod includit species: licet non eodem modo. Et propterea ad positæ differentiæ declarationē ponit talem conclusionem, Genus dicit totum esse speciei: quā sic probat, Omne prædicatū dicit totum esse eius, de quo prædicatur: genus prædicatur de ipsa specie: ergo natura generica, puta animal, dicit totum esse speciei. Maiorem probat per hoc: quia nulla pars prædicatur de suo toto. Vbi aduertendum est quòd hic sermo verus est de prædicatione in recto & directo, siue essentiali, siue denominatiua, & de parte, in eo quòd pars, & non de parte vt significatur per modum totius: potest enim pars vtrobique modo significari, sicut materia significatur vt pars rei, (per ly materia:) significatur autē vt totum, (per ly materiale,) his enim modificata conditionibus, propositio illa, scilicet nulla pars prædicatur de suo toto, nullam patitur instantiam: cum enim dico, Homo est albus, ly albus, confundit in se totum quod est in homine. & similiter cum dico, Homo est materialis, ly materialis, comprehendit in se implicitè totum quod est homo: & sic cùm dicitur, Homo est animal, ly animal, cōtinet implicitè totum quod est homo, modo qui infrà declarabitur. & sic probandum est, quòd essentia generico nomine importata includit designationem specificam: extra totum enim nihil est.

In cap. de differentia.

Genus cōparatum ad speciē cōcipitur vt pars.

Hoc autem quomodo contingat, videri potest, si inspiciatur corpus secundum quod ponitur pars animalis, & secundum quod ponitur genus: nō enim potest dici eo modo esse genus, quo est pars integralis. hoc igitur nomen, quod est corpus, multipliciter accipi potest: corpus enim secundum quod est in prædicamento substātiæ, dicitur ex eo quòd habet talem naturam, vt in eo designari possint tres dimensiones: ipsæ autem tres dimensiones designatæ sunt corpus, quod est in genere quantitatis. Contingit autem in rebus, quod habet vnam perfectionem, ad vlteriorē perfectionem pertingat, sicut patet in homine, qui naturam sensitiuam habet, & vlterius intellectiuā: similiter etiam & super hanc perfectionem, quæ est habere talem formam: & vt in ea possint tres dimensiones designari, potest alia perfectio adiungi, vt vita vel aliquid huiusmodi. potest ergo hoc nomen corpus, rem quandam designare, quæ habet talem formam, ex qua sequitur in ipsa designabilitas trium dimensionum cum præcisione, vt scilicet ex illa forma nulla vlterius perfectio sequatur, sed si aliquid aliud superadditur, sit præter significationem corporis sic dicti, & hoc modo corpus erit materialis & integralis pars animalis: quia sic anima erit præter id quod significatum est nomine Corporis, & superueniens ipsi corpori, ita quòd ex ipsis duobus, scilicet ex anima & corpore, sicut ex partibus constituitur animal. Potest etiam hoc nomen Corpus hoc modo accipi, vt significet rem quandam, quæ habet talem formam, ex qua possint in ea tres dimensiones designari: quæcunq; forma sit illa, siue ex ea possit prouenire alia vlterior perfectio, siue non: & hoc modo corpus erit genus animalis: quia in animali nihil est accipere, quod in corpore implicitè nō contineatur: non enim anima est alia ab illa forma, per quam in re illa poterant designari tres dimensiones: ideo, quādo dicebam, quòd corpus est, quod habet talem formam, ex qua possunt designari tres dimensiones, in eo intelligebam quæcunque forma esset illa: siue anima esset, siue lapideitas, siue quæcunq; alia forma, & sic forma animalis implicitè in corpore, siue in corporis forma continetur: prout corpus est genus eius.

¶ Quoniam declaratum est, genus comparari ad speciem, non vt eius partem, sed vt totum: aperire intendit hic quomodo res per genericum nomen significata possit vtroque modo accipi, vt pars scilicet & totum: & primò in corpore tanquam notiori: deinde in animali, dicens quòd ex quo nō potest eodem modo sumpta res esse pars rei & genus eiusdē (vt ostensum est) scire

Universidad de Deusto Biblioteca

debes, quòd hoc nomen Corpus accipitur dupliciter: est enim æquiuocum ad corpus quod est res prædicamenti Substantiæ, & ad corpus quod est res prædicamẽti quantitatis. Corpus vt significat rem prædicamenti Substantiæ, importat naturam, ex qua nata est fluere trina dimẽsio. Corpus verò vt significat rem prædicamenti quantitatis, importat ipsam trinam dimensionem.

Immediatè supra.

¶ Iterũ corpus quod significat rem prædicamenti Substantiæ, de quo nunc est sermo, accipitur dupliciter. Vno modo, vt significat naturam illam, ex qua nata est fluere trina dimensio, cum præcisione omnis substantialis perfectionis vlterioris. Alio modo, vt significat illammet naturam absque præcisione vlterioris perfectionis substantialis. Causam huius & similium distinctionum assignat in litera, ex eo quod res habens aliquam perfectionẽ substantialem, non excludit à se aliquam aliam vlteriorem substantialem perfectionem, sicut homo ex eo quòd habet perfectionem sensitiuam, non excludit à se perfectionem intellectiuam: & similiter corpus ex eo, quòd habet perfectionem corpoream, non excludit à se perfectionem vitalem: & sic de alijs: cum enim prior perfectio substantialis non excludat secundam & tertiam, & manifestũ sit etiam, quòd non includit eas in actu: potest prior perfectio concipi & significari, & cum præcisione seu exclusione aliarum, & cum inclusione confusa earum. Ex eo nanque, quòd formaliter non includit alias, potest præcisè concipi & significari. Ex eo verò, quòd coniunctionẽ cum alijs non excludit, potest cum aliarum confusa & potentiali inclusione concipi & significari. Vnde natura significata per hoc nomen Corpus, quia non formaliter includit perfectionem vitalem, nec sensitiuam, nec intellectiuam potest cum præcisione hominum horum concipi & significari: & quia non excludit adunationem essentialem sui cum illis: ideo potest absque eorum præcisione cõcipi & significari, vt confusè & determinatè includens omnia illa: colligitur autem ex textu triplex differentia inter hæc: differunt enim primò in hoc, quia corpus primo modo dicit corporeitatem solam, ex qua nata est fluere trina dimensio, & nulla vlterior perfectio: corpus verò secundo modo dicit formã quancunq;, à qua sit corporeitas: ex qua nata est fluere trina dimensio cum quacũq; alia perfectione. Secũdò differũt, q̃a corpus primo mõ est pars speciei, eo q; significatũ formale est prẹter & extra significatũ eius: sicut anima rõnalis est extra corporeitatẽ: sunt enĩ in homine duo, perfectio scilicet corporalis, q̃ præcisè acceptã patet nõ includere aliquo modo intellectualitatem: & perfectio intellectualis, quæ est altera pars: corpus verò secũdo mõ est totũ respectu speciei, eo quia perfectio seu forma formaliter importata per speciẽ includitur in significato corporis sic accepti: significat enim quãcunque formam, à qua sit perfectio corporea: & sic anima intellectiua includitur in ly quacunq;. Tertiò differũt, quia corpus primo modo nõ est in recta linea predicamentali, sicut nec quæcũq; pars: corpus verò secundo modo est directè in prædicamento Substantiæ, sicut & quodlibet aliud genus.

Ad idem.

Et etiam talis est animalis habitudo ad hominem. Si enim animal nominaret tantùm rem talem, quæ habet quandam perfectionem, vt possit sentire & moueri per principium in ipso existens, cum præcisione alterius perfectionis: tunc quæcunq; alia perfectio vlterius superueniret, haberet se ad animal per modum partis, & non sicut implicitè contenta in ratione animalis: & animal nõ esset genus. sed est genus secundum quòd significat rem quandam: ex cuius forma potest prouenire sensus & motus, quæcunq; sit illa forma, siue sit anima sensibilis tantùm, siue sit anima sensibilis & rationalis simul.

¶ Declarat hoc quoq; in hoc genere, quod est animal: potest enim animal accipi vt significat formam, ex qua præcisè oriantur sensus & motus, quibus animal à non animali discernitur: vt dicitur primo de anima, tex. com. 19. Potest etiam accipi animal, vt dicit formam quancunq;, ex qua oriantur sensus & motus non præcisè: & sic est genus: primo autem modo est pars speciei: vnde homo est compositus ex animali & intellectiuo principio tanquã ex suis partibus essentialibus, accipiendo animal primo modo, sic enim extra significatum eius est intellectiua natura: animal verò secundo modo est totum respectu hominis implicitè includens specificas perfectiones: cum enim sic dico, animal, dico habens naturam sensitiuam indeterminatè relinquendo: per quam formam habeat sensitiuam naturam, & sic implicitè includuntur omnes formæ specificæ: habetur enim natura sensitiua non nisi per formam hominis, leonis vel bouis, &c. Ex his patet differentia inter essentiam genericam & specificam, vt subsunt nominibus generico & specifico primæ intentionis: quia scilicet differunt sicut includens implicitè & includens explicitè illamet.

Si igitur genus significat indeterminatè id totũ, quod est in specie, non enim significat tantùm materiam, similiter etiam differentia significat id totum, quod est in specie, & non tantùm formam: & etiam diffinitio significat totum, & etiã species, sed diuersimodè. Quia genus significat totum, vt quædam denominatio determinans id, quod est materiale in re sine determinatione propriæ formæ: vnde genus sumitur à materia: vnde patet ex hoc, quòd corpus dicitur ex hoc, quòd habet talem perfectionem, vt possint in eo designari tres dimensiones. quæ quidem perfectio est, vt materialis se habens ad vlteriorem perfectionem. Differentia verò econuerso est, sicut quædam determinatio à forma determinata sumpta præter hoc, quòd de intellectu primo sit materia determinata: vt patet cùm dicitur animatum, scilicet illud, quod habet animam, non determinatur quid sit, vtrum corpus, vel aliquid aliud. vnde dicit Auicen. quòd genus non est in differentia, sicut pars essentiæ eius, sed solùm sicut ens extra quidditatem, siue essentiam, sicut etiam subiectum est de intellectu passionum. & ideo genus non prædicatur de differentia per se loquendo, vt dicit Aristot. in tertio de anima, & quarto Topicorum: nisi fortè sicut subiectum prædicatur de passione. Sed diffinitio siue species comprehendit vtrunque, scilicet determinatam materiam, quam designat nomen Generis: & determinatam formam, quam designat nomen Differentiæ.

Vide Auicen. 5. metap. ca. 5. per totum.

Genus, species, differentia, & diffinitio idem & realiter sunt: distinguuntur autem formalibus eorũ significatis.

5. meta. c. 5. circa med.

¶ In hac tertia parte capituli comparat genus, speciem, differentiam & diffinitionem inter se quo ad conuenientiam & differentiam. Conuenire ait hæc omnia in hoc quòd quodlibet eorum significat totum quod est in specie. Quod ex prædictis immediatè sequitur: si enim genus significat totum: quia verè & propriè prædicatur de specie, & confundit in se omnia, ad quæ se extendit: pari ratione differentia cùm verè & propriè prædicetur de specie, & confundit in se omnia, ad quæ se extendit vt prædicabile totum significabit. Differentiam autem duplicem ponit inter ea. Differunt primò quo ad formalia significata eorum: quia formale significatum generis est perfectio materialis: formale autem significatum differentiæ est perfectio formalis: formale verò significatum speciei est aggregatũ ex vtraque perfectione, non distinguendo eas: formale autem significatum diffinitionis est similiter aggregatum ex vtraque perfectione: sed diuidendo in singulas: verbi gratia, formale significatum animalis est natura sensitiua quæ se habet vt materialis ad perfectionem intellectualem, quæ formaliter importatur per rationale: & consequenter perfectio intellectualis se habet vt formalis. similiter formale significatum hominis & animalis rationale est aggregatum ex natura sensitiua & intellectiua: sed animal rationale separatim explicat vtrunque, homo verò non.

PRO Intellectu horũ nota q; significatũ formale nois ad præsens est pfectio seu forma determinatè: & primò explicata p illud nomẽ. Materiale verò est illud quod sub nominis significatione cadit non primò: vnde considerato omni eo quod tam formaliter quàm materialiter importatur per genus, speciem, differentiam & diffinitionem, dicit, quòd idem significant, & quòd conueniunt: consideratis autem formalibus eorum significatis, dicimus, quòd differunt & quòd non significant idem. Sed ne vageris, quærendo differẽtiam inter significatum formale speciei & diffinitionis: quoniam nulla est, sed in modo tantùm exprimendi idem formale significatum differunt: species enim indistinctè actu tamẽ explicat totum: diffinitio verò diuidit in singula, vt dicit 1. Phy. tex. cõ. 5. Genericũ ergo nomen, puta animal formaliter & determinatè explicat materialem hominis perfectionẽ, scilicet sensitiuã: & ideo genus sumitur à materia, 8. Meta. tex. cõ. 9. Differentiæ verò nomen puta rationale, formaliter & determinatè explicat formalẽ rei perfectionem: ideo dicitur ibidẽ sumi à forma. Et sicut in formali significato generis non cadit perfectio per differentiã importata, quia indeterminatè in illo includitur: ita in formali conceptu differentiæ nõ cadit genus eadẽ ratione: quia scilicet perfectio generica indeterminatè cadit in nomine Differentiæ. Sicut enĩ ex eo q; animal significat habens naturam sensitiuã, duo significat, naturam sensitiuã formaliter, & primò, & q; habet illam indeterminatè: non enĩ explicat an id sit homo vel bos: sic rationale, ex eo q; significat habens rationalitatẽ, duo significat, scilicet rationalitatem formaliter & primò, & habens illã secũdariò & indeterminatè. non enĩ determinat quid sit id habens an homo, vel animal, & ideo dicit Aui. q; genus non est in differentia, sicut pars essentiæ eius, id est sicut pars sui formalis significati, sed est extra formale significatũ eius: sicut subiectũ est extra formale significatũ suæ passionis. Album enĩ purã qualitatẽ significat: vt dicitur in prædicamẽtis. Et licet genus nõ sit de intellectu differẽtiæ tali modo, scilicet vt formaliter significatũ per illã: est tamen de intellectu eius alio modo: vt subiectũ scilicet de intellectu passionis. Dupliciter enĩ vt suprà dictum est, aliquid cadit in ratione alicuius. Vno modo vt pars quidditatis. Alio modo vt subiectũ eius: quo subiectũ intrat diffinitionem passionis: vt habes 7. Meta. text. cõ. 19. & ideo dicit Ari. 3. Meta. tex. cõ. 10. & 4. Topi. c. 3. q; genus per se nõ p̃dicatur de differẽtia, nisi fortè subiectũ p̃dicatur de passione. Ratio primi dicti est, quia genus in nullo modo dicendi per se prædicatur de differentia: non quidẽ in quarto, quia differentia non explicat causam generis: nec in secũdo, quia differẽtia nõ ponitur in generis diffinitione, nec etiã in primo propriè, quia prædicata primi modi in recto, quæ propriè prædicãtur, sunt ea quæ intrinsecè in ratione cadũt, & nõ eaq; per additamentũ in ea sunt. homo enĩ nõ prædicatur propriè de risibili in primo modo, qd patet ex eo q; ista Risibile est homo, est per accidens, vt dicitur 1. Poste. ca. 18. Ratio secundi est, quia si genus est de intellectu differentiæ, sicut subiectum est de intellectu passionis: consequẽs est q; genus prædicetur de differẽtia, sicut subiectum de passione. Quod dicit fortè nõ dubitantis est, sed non determinantis. consueuit enim apud ipsum res non decisa sub dubia verborum forma poni.

2. Meta. cap. 6.

Prædicamẽto substantiæ.

Vide Auicen. 5. metaph. c. 5.

¶ Aduerte q; licet in intellectu differentiæ cadat genus determinatè: nomen tamen differentiæ genus illud nõ explicat determinatè. rationale enĩ non explicat animal cũ rationalitate, sed habens rationalitatem, sicut & in diffinitione risibilis cadit homo: & tamen hoc nomen risibile non explicat hominem determinatè, significat enim habens risibilitatem.

Et ex hoc patet ratio, quare genus & species & differentia se habeant proportionaliter ad materiã, formã & compositũ in natura: quãuis non sint idem cum illis. quia neq; genus est materia: sed sumitur à materia vt significans totum: nec differentia est forma, sed sumitur à forma, vt significans totũ. vnde dicimus hominem esse animal rationale, & nõ ex animali & rationali, sicut dicimus eum esse ex corpore & anima. Ex corpore enim & anima dicitur esse homo, sicut ex duabus rebus quædam tertia res constituta, quæ neutra illarum est: homo enim nec est anima neq; corpus: sed si homo aliquo modo ex animali & rationali dicatur esse, non erit sicut res tertia ex duabus rebus, sed sicut intellectus tertius ex duobus intellectibus. Intellectus enim animalis est sine determinatione formæ specialis naturam exprimens rei, ex eo q; est materiale respectu vltimæ perfectionis. Intellectus aũt huius differentiæ rationalis consistit in determinatione formæ specialis, ex quibus duobus intellectibus constituitur intellectus speciei vel diffinitionis: & ideo sicut res constituta ex aliquibus, non recipit prædicationem earũ rerum, ex quibus constituitur: ita nec intellectus recipit prædicationem eorum intellectuum, ex quibus constituitur: non enim dicimus, quòd diffinitio sit genus vel differentia.

Genus sumitur à materia, quã nõ significat: differentia verò à forma, quã non importat: species verò à composito ex vtraque, quẽ tamẽ nõ significat.

¶ Corollariè cõcludit secũdam differentiam inter genus & speciem & differentiam: quia scilicet genus proportionaliter se habet ad materiam, quæ est pars compositi, & non significat ipsam: differentia proportionaliter se habet ad formam, & non significat ipsam species proportionaliter se habet ad compositum ex materia & forma: & vt sic non significat compositum ex materia & forma, sed aliquid complectens genus & differentiam. In assignatione huius differentiæ secundum quodlibet membrum ponuntur duæ particulæ, puta in primo membro prima particula est, quòd genus proportionaliter se habet ad materiã, secũda verò est, q; genus non significat materiã: similiter in secũdo & tertio membris. Prima particula omnũ sequitur ex supradictis. Si enim perfectio generica, quæ formaliter importatur per genus, est materialis respectu perfectionis differentialis, quæ formaliter importatur per differẽtiam, oportet quòd sicut se habet materia respectu formæ in composito naturali, puta Sorte: ita genus respectu differentiæ in composito rationali, scilicet specie, vt sicut materia est potentialis, & perficitur ac specificatur per formam, sic generica perfectio est potentialis perfectibilis & specificabilis per differentiam. Secunda verò particula, licet sequatur etiã ex supradictis quia ex eo quòd genus differentia & species significat totum, sequitur immediatè quòd genus non significet materiam quia materia nõ est totũ & q; differẽtia non significet formã, quia forma non est totum: & q; species vt sic non dicat compositũ ex materia & forma, eo quòd partes eius vt sic nõ sunt materia & forma, sed genus & differentia. Attamen S. Tho. probat eam tali ratione, Materia & forma sunt partes sui totius, sicut duæ res tertiæ rei: genus & differentia non sunt partes sui totius, scilicet speciei, vt duæ res tertiæ rei. ergo genus & differentia non sunt materia & forma speciei. Maior patet ex se, homo enim est alia res à materia sua, & alia à sua forma. Nec est curæ modò vtrum sit res distincta realiter vel secundum rationem ab illis duabus coniunctis. sufficit enim nobis, quòd sit tertia res realiter distincta à qualibet parte. Minor verò declaratur hoc modo, Si genus & differentia componerẽt speciẽ, vt duæ res tertiam, tunc homo esset cõpositus ex animali & rationali: hoc est falsum. ergo à destructione consequentis genus & differentia non componunt speciem, vt duæ res tertiam: quod erat probãdum. Consequentia patet ex se: falsitas verò cõsequentis probatur, ex eo, quòd nulla pars prædicatur de suo toto, vt suprà dictum est. Habetur quarto Topicorum cap. 11. Animal autem prædicatur de homine: similiter rationale. dicimus enim q; homo est animal, & quòd est rationalis.

ADVERTENDVM Est quòd S. Tho. in textu explanando Maiorem exemplariter dicit, quòd homo dicitur esse ex anima & corpore, sicut ex duabus rebus tertia res. Circa quæ verba dubitatur quomodo hoc sit verum, eius doctrinam sustinendo ponentis vnicam formam substantialẽ in composito. quæcunq; enim sunt idem realiter, non constituunt aliquod, vt duæ res tertiam. perfectio autem corporea & anima sunt idẽ realiter, si vnica forma ponitur. quomodo ergo constituent hominem, vt duæ res tertiam?

¶ Hanc dubitationem propter eius magnam difficultatem diuersimodè soluunt. Quidam dicunt, Corpus & anima non sunt secundum rem partes hominis, sed secundum rationem tantùm: licet enim anima sit verè pars, corpus autem secundum rem est totum. dicit enim compositum ex materia & forma, quæ est anima: ideo non est compositus ex anima & corpore tanquam ex duabus partibus secundum rem, sed secundum rationem, sed bene est compositus ex eis tanquam ex duabus rebus: eo modo, quo totum & pars sunt duæ res, vt tertia res secundum rationem distinctam ab altera, scilicet corpore: & secundum rem ab altera, scilicet anima.

¶ Alij dicunt, & in idem redit, quòd homo est composi-

Universidad de Deusto Biblioteca

rus ex anima & corpore, sicut ex causa formali, & eo cuius est causa formalis. Diuersæ enim res sunt secundum Auicen. causa formalis, & id cuius est causa formalis: sicut lucidum est compositum ex luce & lucido. vnde & isti dicũt, ꝙ est cõpositus homo ex duabus rebus, scilicet ex toto & ex parte: sed nõ ex duabus partibus secũdũ rẽ.

¶ Alij dicunt, ꝙ locutio ista est intelligenda per synecdochen, Homo est compositus ex anima & corpore ratione suæ partis, scilicet materiæ. Mihi autẽ pro nũc videtur dicendũ, ꝙ homo est cõpositus ex anima & corpore, non solũm tanquã ex duabus rebus tertia res: sed tanquã ex duabus partibus secundũ rem totũ, accipiẽdo corpus, nõ vt est genus, sed vt significat partẽ: & accipiendo animã præcisè, vt diffinitur secũdo de anima. Significat aũt corpus sic acceptum compositum ex materia & perfectione corporea præcisè. Anima verò perfectionẽ vitalẽ præcisè. Probatur intentũ sic, Corpus differt realiter ab anima, et non vt totum à parte. ergo vt pars à parte. probatur media: quia totum confusè saltem includit partem, corpus autẽ sic acceptũ excludit animã: vnde in diffinitione animæ ponitur corpus, vt subiectũ deferens animã: vt ibi dicit S. Tho. Prima propositio est ex se euidens. & ab omnibus concessa. Consequentia autem ex sufficienti diuisione robur trahit: oportet emi vel vt totũ a parte, vel vt pars à parte, corpus realiter differre ab aia: si realiter differũt, homo igitur est cõpositus ex corpore & aia tanq; ex partibus realiter distinctis: quod erat intentũ. Et aduerte ꝙ corpus, pars cũm importat corporeitatem præcisè extra ipsum, est identitas perfectionis corporeæ ad animã seu perfectionẽ vitalem: accidit emi, accidente extraneo corpori præcisè, ꝙ eius perfectio sit idem cum anima: per se emi præscindit animã: & ideo per se loquẽdo subtiliter dictũ est, hominem componi realiter ex anima & corpore. Vnde secundũ hoc ad obiectionẽ dictã, dic ꝙ licet perfectio corporea seu forma corporeitatis sit eadẽ realiter animæ: corpus tamẽ aliud est realiter ab anima, & ipsa perfectio corporea, per se loquẽdo, non est eadem realiter ipsi animæ, imò ipsam excludit præcisè accepta: & ideo corpus & anima cum præcisione, per se loquẽdo realiter partes ipsius hominis conceditur esse. Huic rationi sanent verba text. vbi assignatur pro causa dicti præcisio animæ à significato corporis. Quod diximus de corpore est anima respectu animalis, dicere poteris de animali & anima intellectiua respectu hominis, de corpore & forma lapidis respectu lapidis: & sic de alijs, semper accipiẽdo terminos præcisè pro partibus, licet non cõsuetũ sic dici inanimata cõponi ex corpore & forma specifica, sicut animata ex anima & corpore, propter latentem differentiam inter corporeitatem & formam inanimatorum; & etiam quia forma animatorum eleuat compositum ad hoc, quòd moueat seipsum, oportuit in ipso distinguere partem mouentem, & partem motam: animam scilicet & corpus: quod non inuenitur in formis inanimatorum.

ADVERTE Secundò, ꝙ S. Th. ad clarificandã Minorẽ dicit, ꝙ homo nõ est ex animali & rationali, sicut ex duabus rebus tertia res: sed sicut intellectus tertius ex duobus intellectibus. Vbi sciendũ, ꝙ genus, species & differẽtia possunt accipi tripliciter. Primo mõ pro re significata per nomẽ genericũ, specificũ, & differentiale primæ intẽtionis. Secundo modo pro cõceptu formali tali nominũ. Tertio modo pro re significata per eorum nomina secundæ intẽtionis: verbi gratia, Animal, homo, & rationale possunt accipi primò pro re significata per hæc nomina: secũdo pro cõceptibus eorũ formalibus: tertiò pro relationibus generis, speciei & differẽtiæ: primo modo nec species nec diffinitio est cõposita ex genere & differentia, eo ꝙ res significata per specie & diffinitionẽ est eadẽ realiter cũ re significata per genus & differẽtiã: idem emi non cõponitur ex seipso. Tertio modo similiter nec species nec diffinitio est cõposita ex genere ꝙ differentia, eo ꝙ relatio speciei relatiuæ apponitur relationi generis, vt dicitur à Porphyrio. Nullũ autẽ correlatiuũ componitur ex suo correlatiuo, & vniuersaliter non apparet quomodo relatio possit cõponi ex alijs relationibus: vnde sicut relatio, quã significat hic nomen Propositio, non est composita ex relatione prædicari ad subiectũ: sed est relatio attributa ab intellectu ipsi complexo ex prædicato & subiecto: ita relatio diffinitionis est relatio attributa tali formato conceptui in prima operatione intellectus explicanti distinctè genus & differentiam.

¶ Secundo verò modo tam species, q̃ diffinitio est cõposita ex genere & differẽtia: conceptus emi formalis speciei integratur ex cõceptu formali generis & cõceptu formali differẽtiæ tãq; ex duabus ptibus: verbi gratia, Cõcept' formalis hois est aggregatũ qd ex cõceptu formali aiãlis, & cõceptu formali rationalis. Quod ex supradictis sic deducitur: ex eo emi ꝙ ostẽdimus, genus & differẽtiã & speciẽ differre in significato formali, liquet ꝙ conceptus formalis aiãlis est cõceptus pfectionis sensitiuę, & cõceptus formalis rationalis est cõceptus perfectionis intellectiuæ, & conceptus formalis hominis est cõceptus vtranq; perfectionẽ cõplectens ex illis tanq; conceptus tertius illorum adunatione formatus: & sic homo est ex animali & rationali tanq; intellectus tertius ex duobus intellectibus: id est tanq; conceptus tertius ex duobus cõceptibus & non tanquam res ex duabus rebus: & quia nulla pars vt pars prædicatur in recto de suo toto: ideo intellectus siue conceptus formalis animalis nõ prædicatur in recto de intellectu, id est conceptu formali hominis. Ista emi est falsa, Conceptus formalis hominis est cõceptus formalis animalis: quia cõceptus formalis hominis aggregatũ ex intellectiua et sensitiua perfectionis cõtunctũ: cõceptus verò formalis animalis non nisi partẽ, scilicet perfectionẽ sensitiuã dicit: licet, vt suprà dictũ est, secundũ cõceptũ seu significatũ materiale & formale simul totum dicat. homo ergo secundũ suũ formalẽ intellectũ seu conceptũ acceptus non est animal, neq; rationale: sed ex animali & rationali. Et sicut dictum est de homine, qui est species, ita dicito de animali quod est diffinitio: animal emi rationale secundũ suũ formalẽ cõceptũ, nõ est animal neq; rationale, sed ex animali & rationali: differt nanque formalis cõceptus animalis rationalis à conceptu formali animalis, & à cõceptu rationalis sicut totũ a partibus.

HOC AVTEM Quod dictũ est, conceptũ formalem, scilicet speciei & diffinitionis cõponi ex cõceptibus formalibus generis & differentiæ, potest dupliciter intelligi, vno modo de conceptu mẽtali, alio modo de cõceptu obiectali formaliter sumpto. Si primo mõ, adhuc dupliciter intelligi põt. Vno modo de conceptu mentali secundum esse subiectiuũ, seu secundum id quod est. Alio modo de illo secundum esse repræsentatiuum: conceptus mentalis speciei, secundũ id quod est, non est compositus ex conceptibus mentalibus generis & differentiæ, secundum id quod sunt, eo ꝙ omnes sunt qualitates simplices, nec possunt distingui in plures partes componentes. Nõ emi est imaginandũ, cũ intellectus format conceptum diffinitiõis hominis, scilicet animal rationale, ꝙ formet plures conceptus, sed vnũ tantũ: qui est quædã simplex qualitas, distinctè singulas repræsentãtẽ, sicut & in re extra, res diffinita est habens rem generis & differentiæ absque cõpositione reali: vnde hoc primo modo dictũ nostrum non est verũ: conceptus verò mentalis speciei secundũ esse repræsentatiuũ formaliter conceptus est cõpositus ex cõceptibus mentalibus generis & differentiæ secundũ esse repræsentatiuũ formaliter acceptis. sicut idolũ repræsentans totũ ex idolis partũ: homo emi in mente repræsentat aggregatũ ex perfectiõe sensitiua & intellectiua: animal verò in mente formaliter nõ repræsentat nisi perfectionẽ sensitiuam, rationale autẽ non nisi intellectiuã: vnde hoc modo verificatur dictũ nostrum. Conceptus aũt obiectalis speciei formaliter sumptus, cũ nihil aliud sit, q̃ significatũ formale, conceptus mentalis eiusdẽ est compositus secundũ rationẽ ex conceptibus obiectalibus generis & differentiæ formaliter acceptis: sicut significatũ formale speciei est compositũ secundũ rationẽ ex significatis formalibus generis & differentiæ, vt suprà ostensum est. vnde homo acceptus vt est obiectus conceptui mentali, suo scilicet specifico non est animal neq; rationale: sed ex animali & rationali, accipiendo etiã animal & rationale, secundũ ꝙ obiecta sunt suis mentalibus conceptibus: vt ostendit falsitas huius propositionis, Obiectum formale specificum est obiectum formale genericum, siue differentiale: dicit enim homo vt sic aggregatum ex perfectione sensitiua & intellectiua: animal verò vt sic non nisi vnã partem aggregati, scilicet sensitiuam naturam, rationale, vt sic non nisi alteram partem, scilicet intellectiuam perfectionem. manifestum est autem quòd aggregatum non est aliquod aggregatorum: vnde & hoc modo dictũ nostrum veritatem cõtinet: & est maximè ad propositum. Et sic animal quo ad rem importatam, nec est pars, nec

totum respectu hominis & animalis rationalis, quo ad significatũ verò materiale & formale simul est totũ: quo ad significatum, formale autẽ est pars tam obiectaliter, q̃ repræsentatiuè sumptum. Vnde cũ dico, Homo est animal rationale, si res ipsa solùm attẽdatur, nec partis, nec totius ratio saluabitur: si verò res ipsa sic significata, scilicet implicitè includens inferiora inspiciatur, totius rationẽ habet: si autẽ res ipsa sic significata attendatur secundũ id, ꝙ explicitè includit vt sic: partis rationẽ sortitur, propter quod animal ponitur in diffinitione hominis, vt res: res enim de re prædicatur vt totũ, quia prædicat in recto, & vt pars, qa addit differẽtia, q̃ aliud explicat, &c.

¶ Quod suprà diximus de specie, dicito de diffinitione, seruato semper eo quod dicitur 1. Physic. tex. cõ. 5. scilicet ꝙ diffinitio diuidit in singula: non autẽ species. Nec falsaris, nostra dicta in hac materia legens, & suprà (qm̃ suprà) nec cõceptum formalem conceptum mentalẽ distinctũ contra obiectalẽ accepimus: in hac materia verò per intellectum seu conceptũ formalẽ tam mentalẽ cõceptũ, quàm obiectalem formaliter sumptũ intelligi volumus.

Tametsi genus significet totam essentiam speciei, plures tamen species essentialiter distinguunt.

Quamuis autem genus significet totam essentiã speciei, non tamen oportet vt diuersarum specierũ, quarum est idem genus, sit vna essentia: quia vnitas generis ex ipsa indeterminatione vel indifferentia procedit: non autem ita quòd id quod significatur per genus, sit vna natura numero in diuersis speciebus, cui superueniat res alia, quæ sit differentia determinans ipsum: sicut forma determinat materiã, quæ est vna numero: sed quia genus significat quandam formam, tamen non determinatè hanc vel illam, quam determinatè differentia exprimit, quæ non est alia quàm illa, quæ indeterminatè significabatur per genus: & ideo dicit Commentator in 11. Metaphysico, quòd materia prima dicitur vna per remotionem omnium formarum, sed genus dicitur vnũ per communitatem formæ significatæ: vnde patet, quòd per additionem differentiæ remota illa indeterminatione, quæ erat causa vnitatis generis, remanent species diuersæ per essentiam.

¶ In quarta parte capituli huius intendit excludere talẽ obiectionem, Quæcunque habent vnum genus, habent vnam essentiam: diuersæ species habent vnum genus: ergo diuersæ species habent vnam essentiam, quod est falsum: quia species differunt essentialiter. Maior probatur ex eo, quòd genus secundum prædicta dicit totam essentiam specierum. Et licet ista obiectio faciliter solui posset, dicendo quòd species habent eandem essentiam genericè, non tamen specificè: quia tamen argumentum altiorem difficultatem petit, ex altiori principio respondere oportuit. Inducta est enim hæc obiectio ad concludendum diuersas species habere eãdem essentiam simpliciter, & nõ genericè: vt patet ex medio assumpto sic arguendo, Ea, quorum tota essentia est vna, habent eandem essentiam simpliciter: diuersarum specierum eiusdem generis, tota essentia est vna: ergo diuersæ species eiusdem generis habent eandem essentiam simpliciter. Minor patet ex eo, ꝙ genus dicit totam essentiã specierum, & est vnum in eis.

¶ Ad hutus obiectionis exclusionem declarat quomodo genus est vnum, & innuit talem distinctionem. Aliquid significat vnum dupliciter: vno modo per positionem vnius determinatè rei significatæ: alio modo per indifferentiam seu indeterminationem plurium rerum importarum. Primo modo genus non significat vnum, sed secundo modo. Illud enim primo modo significat vnum, cuius significatum secundum se acceptum est vna aliqua natura & determinata: sicut homo significat humanitatem, quæ est certa & determinata natura, scilicet humana. Illud autem, quòd significat vnum secũdo modo, habet significatum, non aliquam determinatam naturam, sed plures naturas indeterminatè: sicut animal significans perfectionem seu naturam sensitiuã nõ significat aliquã certã & determinatã naturã siue formã: nulla emi est in vniuerso forma, q̃ sit aia sensitiua, sed quælibet est vel bouina, vel leonina vel humana, &c. vnde dicitur 7. Physi. tex. com. 31. quòd iuxta genus latent multa. & 10. Meta. tex. com. 24. quòd natura generis diuersa est in speciebus. & 1. de Anima. tex. com. quòd ratio animalis secundum vnumquodque animal est altera. est igitur genus vnum secundo modo. vnde ad formam rationis dicitur secundum præmissam distinctionem, quòd quorum est tota essentia vna primo modo, eorum est essentia eadem simpliciter, non autem quorum tota essentia est vna secundo modo: sicut est in proposito. specierũ enim totam essentiã nõ adunat genus nisi vnitate indeterminationis.

ADVERTENDVM Autem est, in litera appositam fuisse differentiam inter vnitatem generis & vnitatem materiæ primæ ad maiorem prædictorum euidentiam: quam etiam differentiam ponit Commen. 12. Metaphy. Commen. 14. vbi nota quòd de materia contingit loqui dupliciter. Vno modo, vt est quoddam totũ vniuersale respiciens hanc materiam vel illam, vt partes subiectiuas: & sic de ipsa modò non est sermo, id enim est iudicium de eius vnitate & de vnitate cuiusque vniuersalis. Alio modo cõtingit loqui de ea solutariè sumpta secundũ se: non prout est vniuersalis, aut particularis, neque prout est in hac specie vel illa: & sic de ea loquitur Commen. ibi, & S. Tho. hîc differunt: ergo vnitas materiæ sic accepta & vnitas generis in hoc, ꝙ vnitas materiæ est vnitas numeralis fundata supra determinatã rem: vnitas verò generica est vnitas non numeralis, sed indeterminationis fundata supra diuersas naturas indeterminatè. Cũm autem audis vnitatem materiæ primæ esse vnitatem numeralem intellige negatiuè non positiuè. Dicitur enim aliquod vnum numero dupliciter: positiuè scilicet & negatiuè. illud est numero positiuè, quod est vnum per positionem proprietatis seu differentiæ numeralis: sicut Sor. & hoc modo materia prima secundũ se non est vna numero: quia nullam proprietatem indiuidualem includit. Illud est vnum numero negatiuè, quod vniuersale cũ non sit, est non plura numero. hoc autem est illud, quòd nullum distinctiuum includit in se: vnde pluralitatem & numerum habere queat: & hoc modo materia prima secundum se est vna numero: & talis vnitas numeralis sundatur supra determinatam entitatem, illam, scilicet quæ est materia, quæ nullum distinctiuum includit cum ab omni denudata sit actu, cuius est distinguere: & ideo dicit Com. ꝙ materia est vna per remotionem omnium formarum: quia vnitatem suam negatiuè habet, ex hoc ꝙ non habet distinctiuas formas. Genus aũt nõ esse vnũ numero neq; positiuè, neq; negatiuè propriè loquẽdo. ex eo patet qa vnitas numeralis tã positiuè, q̃ negatiuè sundatur supra certam & determinatam rem: qd̃ in genere non inuenitur. dicit enim genus plures naturas & res, ex quibus numerari potest. Sed & ꝙ genus sit vnum vnitate indeterminationis, ex eo patet ꝙ naturæ plures per genus importatæ non adunantur in eius significatione, nisi propter hoc, ꝙ indeterminatè significat eas: animal enim ideo adunat in se equum, bouem, leonem &c, quia non determinatè explicat quis eorum sit habens perfectionẽ sensitiuam. & ideo dicit Commen. ibi, ꝙ genus est vnum per communitatem formæ significatæ, id est ex eo ꝙ communiter & non determinatè formas significat. Vnde & patet quomodo proposito S. Tho. deseruit inducta auctoritas. Si enim materia & genus in hoc differunt ꝙ materiæ vnitas est per negationẽ formarũ supra entitate determinata fundata, & genus non est vnum nisi propter hoc ꝙ significat communiter plura consequens est quòd genus nõ sit vnũ nisi ex indeterminatione: qd̃ erat propositũ.

Essentiæ speciei in diuiduis cõparatæ totũ contingit esse, et partẽ, vt autem pars est de illis, minime prædicatur, vt autẽ totũ est, & in concreto nomine significatur de illis prædicatur.

Et quia, vt dictum est, natura speciei est indeterminata respectu indiuiduũ, sicut natura generis respectu speciei, inde est quòd sicut id, quod est genus, prout prædicatur de specie implicitè in sua significatione, quamuis indistinctè: totum id quod determinatè est in spicie, ita id quod est species secundum quòd prædicatur de indiuiduo: oportet quòd significet totum, quod essentialiter est in indiuiduo licet indistinctè: & hoc modo essentia speciei significatur nomine Hominis: vnde homo de Sorte prædicatur. Si autem significatur natura speciei cum præcisione materiæ signatæ, quæ est principium indiuiduationis, sic se habebit per modum partis: & hoc modo significat nomen humanitatis: humanitas enim significat id vnde homo est homo. Materia autẽ signata

Universidad de Deusto Biblioteca

non est illud, vnde homo est homo: & ita nullo modo continetur inter illa, ex quibus homo habet, quòd sit homo. cùm igitur humanitas in suo intellectu includat tantùm ea, ex quibus homo habet, ꝙ sit homo, patet quòd à significatione eius excluditur vel præciditur materia determinata vel signata. Et quia pars non prædicatur de toto, inde est, ꝙ humanitas nec de homine, nec de Sorte prædicatur. vnde dicit Aui. ꝙ quidditas compositi non est ipsum compositũ, cuius est quidditas, quãuis etiã ipsa quidditas sit cõposita, sicut humanitas, licet sit composita, nõ tamẽ est homo, imò oportet quòd sit recepta in aliquo, quod est materia signata. Sed quia, vt dictum est, designatio speciei respectu generis est per formas, designatio autem indiuidui respectu speciei est per materiã: ideo oportet vt nomen significans id, vnde natura generis sumitur, cum præcisione formæ determinatæ perficientis speciem significet partem materialem totius: sicut corpus est pars materialis hominis: nomen aũt significans id, vnde sumitur natura speciei cũ præcisione materiæ designatæ, significat partem formalem: & ideo humanitas significatur vt forma quædam. Et dicitur quòd est forma totius, non quidem quasi superaddita partibus essentialibus materiæ & formæ, sicut forma domus superadditur partibus integralibus eius, sed magis est forma, quæ est totũ, scilicet formã complectẽs & materiã: cũ præcisione tamen eorũ, per quæ materia est nata designari. Sic ergo patet, ꝙ essentia hominis significatur hoc nomine, homo, & hoc nomine, humanitas: sed diuersimodè, vt dictũ est: quia nomen, homo significat eam vt totũ, inquantũ scilicet non prætendit designationẽ materiæ. sed implicitè continet eã: & indistinctè, sicut dictũ est, ꝙ genus continet differentiam: & ideo prædicatur hoc nomen, homo de indiuiduis: sed hoc nomen humanitas significat eã vt partem, nec continet in sua significatione nisi id quod est hominis inquantum homo, & præcedit omnem designationem materiæ, vnde de indiuiduis hominis non prædicatur. & propter hoc quandoq; hoc nomen essentia inuenitur prædicatum de re: dicitur enim Sortis essentia quædam: & quandoque negatur, sicut dicimus quòd essentia Sortis non est Sortes.

¶ In hac quinta & vltima parte huius capituli cõparat essentiam specificam ad indiuiduũ secundum totalitatẽ, partialitatem, prædicabilitatem & formalitatem.

¶ Ad quorum euidentiã aduertendum est, ꝙ sicut suprà de essentia generica dictum est, ꝙ põt significari per modũ totius & per modũ partis, ita nunc dicitur, ꝙ essentia specifica põt accipi vt significata nomine primæ intẽtionis per modũ totius, & per modũ partis. Per modũ quidẽ totius sicut essentia humana significatur p ly homo: per modũ verò partis, sicut illamet significatur per ly humanitas. Differt autẽ ipsa à se altero modo significata in hoc ꝙ significata per modũ totius implicitè includit indiuidua: significata verò per modũ partis excludit illa à sui significatione. Quod sic declaratur exẽplariter, Homo cùm significet habẽs naturã humanã, implicitè includit sub ly habens omnia indiuidua humana: habens enĩ naturã humanã est quodcunq; indiuiduũ humanũ: humanitas aũt cùm significet quo homo est homo, omne aliud ab humanitate excludit à ly quo: nullum enĩ aliud ab humanitate est, quo homo est homo: & ideo cũ principia indiuiduantia sint aliud ab humanitate, vt suprà dictũ est, sequitur ꝙ humanitas excludit principia indiuiduãtia à sui significatione: & cõsequẽter indiuidua, q̃ sine indiuiduatione intelligibilia nõ sunt: sicut nec species absq; differẽtia intelligi põt, & cũ pars vt pars nõ p̃dicetur de suo toto: omne autẽ p̃dicatũ in recto habet rõnem totius, ideo essentia primo modo, id est per modũ totius significata de indiuiduis in recto p̃dicatur: significata verò per modũ partis, nequaquã. & propter hoc illa est vera, Sortes est hõ, illa autem falsa, propriè loquendo. Sortes est humanitas (vt Auic. testatur) & sic iam patet proportio essentiæ specificæ ad indiuiduum secundum tria, scilicet totalitatẽ, partialitatem, & prædicabilitatem.

¶ Quo ad formalitatẽ verò declaratur apposita differentia inter essentiã genericã per modum partis significatã respectu speciei, & essentiã specificã per modum partis significatã respectu indiuidui. Differunt enĩ in hoc, ꝙ illa est pars materialis speciei, ista verò est pars formalis indiuidui. Et ratio est, quia illa, scilicet essentia generica cõparatur ad alterã partẽ speciei, vt materia ad formam & perfectibile ad suã perfectionem, cùm designatio seu determinatio generis ad speciẽ fiat per differentiam, quæ sumitur à specifica forma, quæ perficit & cõplet perfectionem genericã: ista verò, scilicet specifica essentia comparatur ad alteram partem indiuidui, vt forma ad materiã, & perfectio ad perfectibile, cùm designatio seu determinatio speciei ad indiuidua fiat per materiam signatam, quam imperfectiorẽ esse specifica forma, qua essentia specifica sumitur, constat: ideo animalitas est pars materialis hominis, humanitas verò est pars formalis Sortis: & dicitur quòd est forma totius non quasi superaddita, &c.

AD EVIDENTIAM Horum verborum est notandũ, ꝙ forma totius & forma partis, vt in secundo ca. visum fuit, differũt realiter: nõ sicut vna forma differt ab alia forma, puta albedo à dulcedine, sed sicut totum et pars, & ideo dicitur hîc, ꝙ forma totius nõ est quasi superaddita partibus, id est, nõ est forma addita materiæ & formæ, sicut forma domus est, forma addita lignis, lapidibus, cæmento, & cæteris partibus: sed magis est forma, quæ est totũ, id est ipsum cõpositum resultãs ex partibus. Quod cũ p modũ partis formalis significatur, forma totius appellatur, eo ꝙ totius est cõpletè certificatiuũ et distinctiuum & determinatiuũ: hæ enĩ sunt cõditiones formæ. Et residuum sermonis epilogus per se patens est.

CAPVT IIII.

Quanam ratione essentia conueniat esse genus, speciem, vel differentiam, ostendit.

VISO Quid significetur nomine Essentiæ in substantijs compositis, videndum est quomodo se habeat ad rationem generis, speciei, & differentiæ, quia autem cui cõuenit ratio generis, speciei vel differentiæ, prædicatur de hoc singulari signato, impossibile est ꝙ ratio generis vel speciei vel differentiæ cõueniat essentiæ, secundũ qđ per modum partis significatur, vt nomine humanitatis vel animalitatis: & ideo dicit Auic. quòd rationalitas non est differentia, sed differentiæ principium, & eadem ratione humanitas non est species, nec animalitas genus.

Nulla essentia substãtiæ cõpositæ significata per modum partis, est genus, vel species, vel differentia.

5. Metaph. cap. 6. in princip.

IN HOC Quarto ca. intendens determinare qũo essentia substantiarũ cõpositarũ se habeat ad intentiones logicas, scilicet genus, speciem, differentiã, quatuor facit: primò sex conclusionibus determinat intentũ: secundò excludit quendã Auer. errorẽ: tertiò excludit quandã aliam obiectionem: quartò rñdet cuidam tacitæ obiectioni.

¶ Pro intellectu primæ partis notãdæ sunt duæ distinctiones. Prima est ista: Natura seu essentia substãtiæ cõpositæ põt tripliciter accipi: primò, vt significata per modũ partis: secũdò, vt per se existens separata à singularibus: tertiò, vt significata per modũ totius. Secũda distinctio, quæ est subdiuisio tertij mẽbri est ista: Natura substantiæ cõpositæ significata per modum totius potest accipi tripliciter: primò, secundũ se, secundò, secundũ esse quod habet in singularibus: tertiò, secũdũ esse qđ habet in intellectu.

¶ His prælibatis, scias ꝙ secundũ singula mẽbra harum diuisionum ponit singulas cõclusiones: secundum primã quidẽ duo membra vtriusq; diuisionis ponit quatuor negatiuas: secũdũ verò vltima vtriusq; ponit duas affirmatiuas, ita ꝙ secũdũ q̃libet diuisionẽ primò ponit duas negatiuas. deinde tertiã affirmatiuã: et sic fiũt sex cõclones.

¶ Prima ergo cõclusio negatiua est, Essentia substantiæ cõpositæ significata per modum partis, sicut aĩalitas, humanitas, rõnalitas nõ est genus neq; spẽs neq; differẽtia: Quã probat sic, Tã genus, q̃ spẽs, q̃ differẽtia p̃dicatur in recto de hoc particulari supposito, puta Sorte: essentia substãtiæ cõpositæ significata per modũ partis nõ prædicatur in recto, de hoc particulari supposito: ergo essentia

tal

taliter significata non est genus, nec species, nec differẽtia: Omnes propositiones patent ex præcedenti cap. & ideo dicit Auic. ꝙ rationalitas, quæ significat per modũ partis, nõ est differentia, sed principiũ differẽtiæ: & similiter aĩalitas nõ est genus, sed generis principiũ: & humanitas nõ est species, sed speciei principiũ, sicut albedo est principium albi, & pars est principium eius, cuius est pars.

Essentia p se subsistẽs, nõ in singularibus est genus vel species, vel differentia.

Similiter etiam nõ potest dici, ꝙ ratio generis, speciei, differentiæ conueniat esse, secundũ ꝙ est quædã res existens extra singularia, vt Platonici ponebãt: quia sic genus & species non prædicarentur de hoc indiuiduo: non enim potest dici quòd Sortes sit hoc, quod ab eo separatum est. Nec separatum illud proficit in cognitione huius singularis signati.

¶ Hic ponitur secũda cõclusio negatiua, Essentia substãtiæ cõpositæ per se nõ in singularibus existẽs nõ est spẽs siue genus. Et pbat eã duplici rõne. Primò sic, Genus seu spẽs p̃dicatur de hoc particulari: essentia per se subsistens nõ in singularibus nõ prædicatur de hoc particulari: ergo essentia per se subsistẽs nõ in singularibus nõ est genus seu spẽs: Maior patet, Minor probatur sic, Subiectũ est id quod in recto de eo p̃dicatur: Sortes nõ est homo separatus: ergo Sortes nõ est subiectũ respectu hois separati: ergo hõ separatus nõ p̃dicatur de Sorte: quod erat assumptũ in Minore. Secundò sic, Genus seu spẽs est id, quo indiuidua cognoscuntur: essentia per se subsistẽs nõ in singularibus nõ est id, quo indiuidua cognoscũtur: ergo essentia per se subsistẽs nõ est genus neq; spẽs: Maior patet ex eo ꝙ vnũquodq; per suũ genus spẽm, differẽtiã cognoscitur. Minor verò ex eo, ꝙ vnũquodq; cognoscitur quidditatiuè per id qđ est in eo: et nõ per id quod nõ est in eo.

Essentia substantiæ cõpositæ vt per modũ totius significatur, siue noĩe concreto, est genus, species, vel differentia.

Et ideo relinquitur, ꝙ ratio generis, vel speciei, vel differẽtiæ conueniat essentiæ, secundũ quod significat per modum totius, vt nomine Hominis, vel animalis prout implicitè & indistinctè continet totum hoc, quod in indiuiduo est.

¶ Hic ponitur tertia cõclusio affirmatiua: Essentia substãtiæ cõpositæ significata p modũ totius est spẽs, genus vel differẽtia, & c. probatur sic, Genus, spẽs seu differẽtia substãtialiter cõtinet & implicitè totũ, quod est in indiuiduis: essentia substãtiæ cõpositæ nõ nisi significata per modũ totius cõtinet implicitè totũ esse indiuiduorũ: ergo essentia substãtiæ cõpositæ significata p modũ totius est genus vel species vel differẽtia. Propositiões oẽs ex p̃cedenti cap. patent: vbi diximus genus, speciẽ, differẽtiã, cõuenire in hoc ꝙ significãt totũ, qđ est in inferioribus, & sua abstracta excludere ea, q̃ sunt in inferioribus: est igitur animal genus, homo species, rationale differentia.

Essentia, vel natura p se, id est absolutè accepta non nisi prædicata quidditatiua conueniunt, sumpta verò vt habet esse in singularibus, vel in aĩa, cõueniunt prædicata p accidens, & denominatiua, & absolutè sumpta est, quæ prædicatur de indiuiduis.

Natura autem vel essentia sic accepta potest dupliciter considerari. Vno modo secundũ naturam & rationem propriã: & hæc est absoluta consideratio ipsius: & hoc modo nihil est verũ de ea dicere, nisi ꝙ conueniat sibi, secũdũ ꝙ huiusmodi. Vnde quicquid aliorũ sibi attribuitur, falsa est attributio: verbi gratia, Homini in eo, quòd est homo, conuenit rationale & animal, & alia quæ in eius diffinitione cadunt, album verò vel nigrum vel quodcunque huiusmodi, quod non est de ratione humanitatis, non conuenit homini in eo, quòd est homo. Ideo si quæratur vtrũ ista natura possit dici vna vel plures, neutrum concedendum est: quia vtrunque est extra intellectum humanitatis, & vtrunq; potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione eius, nunquam posset esse vna: cũ tamẽ vna sit secundum ꝙ est in Sorte. Similiter si vnitas esset de intellectu & ratione eius, tunc esset vna & eadẽ natura Sortis & Platonis, nec posset in pluribus plurificari. Alio modo consideratur, secũdum ꝙ habet in se in hoc vel in illo: & sic de ipsa prædicatur aliquid per accidens ratione eius in quo est: sicut dicitur ꝙ homo est albus, q̃a Sortes est albus, quamuis homini non conueniat in eo, quòd est homo. Hæc autem natura habet duplex esse, vnum in singularibus, aliud in anima & secundum vtrunque consequuntur accidentia dictam naturam: & sic in singularibus habet multiplex esse secundum diuersitatem singularium: & tamen ipsi naturæ secundum propriam considerationem, scilicet absolutam, nullum istorum esse debet. falsum enim est dicere, quod natura hominis, inquantum huiusmodi, habeat esse in hoc singulari. si enim esse in hoc singulari conueniret homini, inquantum est homo, non esset vnquam extra hoc singulare. similiter si conueniret homini, inquantum est homo, non esse in singulari, nunquam esset in eo. Sed verum est dicere, quod homo, inquantum est homo, non habet quòd sit in hoc singulari vel in illo. patet ergo quòd natura hominis absolutè cõsiderata abstrahit à quolibet esse: ita quòd non fiat præcisio alicuius eorum: & hæc natura sic considerata, est quæ prædicatur de omnibus indiuiduis.

¶ Hîc anteq; ponatur quarta conclusio, inchoatur secũda diuisio suprà posita, cuius terminos oportet prædeclarari ad intellectũ conclusionũ. Natura per modũ totius significata, secundum naturam seu rationem propriam, vel secundum se, idem sunt quod natura considerata secundum eas conditiones, siue ea prædicata, quæ cõueniunt sibi ex sua diffinitione, siue in primo modo dicendi per se.

Natura verò secundũ esse in singularibus idem sonat quod natura considerata secundum eas conditiones: siue secundũ ea prædicata, quæ cõueniũt sibi ex hoc, ꝙ in singulari vel in singularibus esse habet. Natura autẽ secundũ esse in intellectu idẽ sonat quod natura cõsiderata secundũ eas cõditiones, siue illa prædicata, quæ cõueniũt sibi ex hoc, ꝙ habet esse in intellectu. Differũt autẽ quadrupliciter, vt ex textu colligitur, conditiones cõuenientes naturæ secũdũ has diuersas acceptiones, eo ꝙ cõditiones debitæ naturæ secũdũ se sumptæ sunt p̃dicata essentialia: homo enim secundũ se est nisi animal rationale, conditiones verò debitæ naturæ aliquis duobus modis sunt prædicata denominatiua. homo enim nõ est res illa, quæ cõuenit ei ex esse in singularibus, sed ab ea denominatur: non enim homo est albedo quæ cõuenit ei ex hoc, ꝙ est in Sorte, sed ab ea denominatur albus. Similiter homo nõ est res illa, quæ cõuenit ei esse in intellectu, puta relatio vniuersalitatis, aut speciei, sed denominat ab ea vniuersalis, & spẽs. Et licet hæc duo vltĩa mẽbra in hoc cõueniãt, ꝙ attẽduntur penes prædicata denominatiua: differũt tñ quia prædicata denominatiua, quæ cõueniũt naturæ secundum esse in singularibus, aliquid ponunt reale supra ipsam, sicut albũ addit supra hominẽ, naturam albedinis quæ est ens reale: prædicata verò denominatiua, quæ cõueniunt rei secundũ esse in intellectu, nihil ponunt reale supra naturã ipsam: sed denominationẽ negatiuã aut relatiuã secundũ aliquã relationẽ rationis. Cũ enim dico, Homo est species, ly species, nihil reale addit supra hominẽ sed solã relationẽ rationis, qua respecit suũ genus: species enim generis est species.

¶ Secundò differũt istius diuisionis positæ mẽbra in hoc ꝙ natura absolutè sumpta nec est vna numero, nec plures numero. si enim esset vna numero, non posset reperiri in pluribus numero: quod patet esse falsum, eo ꝙ natura humana est in Sorte & Platone. Cõsequentia probatur sic, Natura secundũ se est vna numero: ergo nõ potest esse distincta numero: ergo non potest reperiri in pluribus numero: quod erat intẽtũ. Prima cõsequentia harũ ex eo est clara: quia impossibile est alicui conuenire oppositũ eius quod conuenit ei secundũ se sicut impossibile est homini conuenire irrationale, distinctio autẽ numeralis est opposita vnitati numerali, & ideo si natura secundum se habet vnitatem numeralẽ, nunquã habere potest distinctionẽ numeralẽ. Similiter probatur, ꝙ natura secundũ se nõ sit plures numero: sequeretur enim naturã humanã non esse in Sorte, quia non posset habere vnitatẽ numeralẽ, ex quo vẽdicat sibi secũdũ se distinctionẽ numeralẽ. Natura autẽ secũdũ esse in singularibus vnitatẽ & distinctionẽ numeralẽ sortit: propterea nanq; homo est vnus numero, quia Sortes est vnus numero: & propterea homo est distinctus numero in pluribus: quia Sortes & Plato sunt distincti numero.

¶ Tertiò differunt in hoc, quia natura secundum se sumpta nullum esse sibi vendicat, scilicet nec esse in singulari

Universidad de Deusto Biblioteca

aut singularibus, nec esse in intellectu: nec etiam vendicat sibi non esse in singulari & singularibus, aut nō esse in intellectu, quod patet ex eisdem fundamentis. si enim esse in singulari esset de ratione sua, nunquā extra illud inueniretur: cū nihil inueniatur extra id quod est de eius ratione. similiter si esse in singularibus, esset de eius ratione, modò posset in vno inueniri: quia in vno natura existens nō est in pluribus. similiter si esse in intellectu esset de ratione eius, nunquā posset extra intellectum reperiri. eodem modo si nō esse in singularibus aut singulari esset de eius ratione, nunquā posset habere esse in aliquo singulari: & si non esse in intellectu esset de eius ratione, nunquā posset habere esse in intellectu ex illo fundamento. Nulli pōt conuenire oppositū, qđ est de ratione sui: vnde natura absolutè sumpta ab omni esse et nō esse abstrahit sine præcisione, id est nec includit nec excludit aliquod hmōi esse vel non esse. Natura autem tam secundo, quàm tertio modo accepta, alterum illorum esse includit, & alterum excludit, vt de se patet. homo enim secundū quòd est in singularibus, non est in intellectu, & econtra: secūdum quòd est in intellectu, non est in singularibus.

¶ Quartò differunt: quia natura per modū totius significata secundū se sumpta est ea, quæ prædicatur de indiuiduis, cùm dicitur, Sortes est homo. Natura autem sumpta tam prout est in singularibus, quàm prout in intellectu non prædicatur de indiuiduis: quod declaratur sic, Id prædicatur de indiuiduis, quod attribuitur illis in propositione: sed natura absolutè accepta & non secundum esse in singularibus, neq; secundū esse in intellectu attribuitur indiuiduis in propositione: ergo natura absolutè sumpta & non secundū esse in singulari vel intellectu prædicatur de indiuiduis. Maior est nota ex terminis: Minor declaratur exēplariter, cū dico, Sortes est homo, sensus propositionis est, Sortes est animal rationale: ita quòd in ista propositione nihil attribuitur Sorti nisi esse animal rationale: quæ sunt conditiones naturæ humanæ absolutè acceptæ: vt patet. non enim cùm dico, Sortes est homo, attribuo Sorti aliquod debitum naturæ humanæ ex esse in singularibus, aut ex esse in intellectu: neq; attribuo Sorti habere naturā humanam cum aliquo addito: sed tantùm attribuo Sorti habere naturam humanā, seu esse animal rationale: quæ sunt, vt dictum est, conditiones naturæ humanæ secundum se acceptæ. Natura igitur primo modo sumpta est, quæ prædicatur de indiuiduis, et non natura secundo & tertio modo.

Dubitatio. IN HOC Loco antequā vlterius procedatur, dubia quædā examinanda sunt. Circa prædicta dubiū est. Primò circa primā differentiam asignatam in eo, quod dictum est, quòd naturæ secundū se sumptæ non insunt nisi prædicata quidditatiua, hoc enim patitur difficultatem tum propter transcendentia, tum propter quædam prædicata negatiua. si enim transcendentia, quæ sunt, ens, res, vnum, aliquid, verum, & bonum, conuenire asserantur naturæ absolutè sumptæ erunt prædicata quidditatiua, & si sic ponatur in diffinitione, nulla enim diffinitio est completa, nisi omnia prædicata quiddditatiua includat: transcendentia aūt in diffinitione poni omnes negāt.

¶ Confirmatur consequentia ex dictis S. Tho. in litera, vbi habetur q̄ quæ insunt natura absolutè sunt de diffinitione illius. si aūt transcendentia dicatur nō conuenire naturæ absolutè, tunc homo secundum se sumptus nō est aliquid, nec res, nec vnum quid: quod omnino negatur.

DE PRAEDICATIS Verò negatiuis occurrit difficultas talis: quia negationes naturarū disparatarū si cōueniunt naturæ absolutæ erūt prædicata quidditatiua: & sic negatio erit de diffinitione substantiæ. Si aūt cōueniunt naturæ secundum esse in singularibus vel in intellectu, tunc accipiendo hominem absolutè, ista erit falsa, Homo non est leo: quod videtur irrationabile.

AD HORVM Dissolutionē considerandum est primò, quomodo transcendentia se habeant ad naturas rerum, supra quas cadunt. vt autem supra in quæstione de significatione entis tactum fuit, nullum transcendentium importat alium gradum, seu aliam naturam à gradibus seu naturis eorum, quibus apponuntur. cum enim dico, ens homo, vnus homo, res homo, verus homo, bonus homo, aliquid homo, nullum alium gradum ab humanitate significo, sed ipsam humanitatem diuersis modis. ly em̄ ens, significat humanitatē, prout habet esse: ly vnus, illam prout non est diuisa formaliter: ly res, illam *q.1.q.2.* prout ratitudinem habet. vtpotè non ex intellectu fabricata: ly bonum, ipsam, prout perfectiua est appetitus: ly verum, ipsam, vt perfectiua est intellectus: ly aliquid, ipsam, vt aliud quid est ab alijs. Simili modo est dicendum accepto quocunque gradu generico: vt faciliter exemplo manifestari potest.

CONSIDERANDVM Est secundò, q̄ cùm primum inter transcendentia sit ens (eo quòd eius ratio cæterorum rationes præuenit) & omnia conuertantur cū ente, tanquam eius passiones, cùm declaratum fuerit quomodo ens conueniat naturis rerum, planum erit de cæteris. Scotus ergo primò sent. distin. tertia, quæst. tertia: opinatur ens esse vniuocum & prædicari, inquit, de omnibus inferioribus exceptis vltimis differentijs. Et primum quidem horum tanquam per se notum supponens, secundi duplicem rationem reddit. *Sen. 1. distin. 3. q. 3. in solu. q. 3. vt suprà dictū est. c. 2. & 3. prima ratio.*

¶ Primò, quia si differentiæ includant ens vniuocè dictū de eis, & non sunt omnino idē; oportet quòd sint diuersa aliquid idem entia: & consequenter sequitur, quòd differentiæ vltimæ sint propriè differentes, & sic habent alias differentias, & non sunt vltimæ.

¶ Secundò, quia sicut ens compositum in re est compositum ex actu & potentia: ita conceptus compositus per se vnus est compositus ex conceptu actuali & potentiali determinabili & determinante. Sicut ergo resolutio compositi in re stat ad simpliciter simplicia, scilicet actum vltimum & potentiam vltimam: ita quòd actus nihil potentiæ, & potentia nihil actus includat: ita resolutio conceptus debet stare ad conceptus simpliciter simplices actualem & potentiam determinabilem tantùm, ita quòd nihil determinantis includat, & determinantem tantùm, quòd nihil determinabilis includat. tales sunt conceptus entis & vltimæ differentiæ: ergo vltima differentia non includit formaliter ens.

CONTRA Primum arguitur: quia sequeretur, quòd ens poneretur in diffinitione, contra Aristot. octauo Metaphy. tex. com. 16.

¶ Præterea sequitur, quòd esset negatio in diffinitione, vt suprà in quæst. de vniuocatione entis deduximus. *t.c.16.*

¶ Contra secundum dictum arguo sic, Omne id, de quo formaliter sumpto prædicātur in secundo modo passiones entis includit in se formaliter ens: sed de vltima differentia formaliter sumpta prædicantur in secundo modo passiones entis: ergo vltima differentia includit in se formaliter ens. Minor patet, quia vltima differentia est per se vna & intelligibilis. Maior probatur sic, Omne formaliter includens medium proprium à priori, per quod demonstrātur passiones entis, includit in se formaliter ens, patet ista: quia entis cōceptus est illud mediū. Sed omne id, de quo formaliter sumpto prædicantur in secūdo modo passiones entis, includit in se formaliter mediū, per qđ tales passiones de eo sunt demonstrabiles: ergo omne tale includit formaliter ens. Patet ista Minor, quia implicat oppositum. Si enim formaliter non includit proprium medium concludendi B, quomodo de A formaliter sumpto erit à priori demonstrabili B. Secundò arguo, & in idem redit; Omnis passio conueniens pluribus formaliter sumptis, cōuenit eis ratione alicuius communis in eis formaliter inclusi, cui illa passio primò conuenit: sed vnitas vel intelligibilitas est passio conueniens omnibus vltimis differentijs formaliter sumptis: ergo conuenit eis ratione alicuius communis formaliter inclusi in eis, cui primò conuenit: tale autem est ens: ergo omnes differētiæ vltimæ includunt ens. Minor est per se nota. Maior est Ari. primo Posteriorum. Nec potest dici ad Maiorem, quòd sufficit subiectū denominatiuè includi in eis, quibus formaliter sumptis conuenit passio illius subiecti. Quia cùm tota ratio quare passio alicuius insit alteri, sit participatio illius subiecti primi: si alicui formaliter sumpto inest passio, eidem formaliter sumpto inest & subiectū: & si formaliter sumptum subiecti expers est, quomodo formaliter sumptum illius passionem habere potest? Vt arguatur sic, Id quod formaliter sumptum à se subiectū excludit, etiam à se passionem excludit: sed vltimæ differentiæ formaliter sumptæ non excludunt à se passiones entis in secundo modo: ergo nec excludunt ens in primo modo. Nec patiantur aures tuæ audire responsionem Francisci de Matronis dicētis, regulam adductam Posterioristicam Aristot. non tenere in transcendentibus. Volūtaria em̄ & destructiua totius Metaphisicæ glossa est.

Ad

¶ Ad rationes autem Scoti dicitur, quòd cùm tam prima, quàm secunda supponant ens habere conceptum obiectiuum vnum simpliciter, nihil concludit. Dicitur secundò ad secundam, quòd argumentum à simili claudicat: licet enim sit similitudo quo ad aliquid inter compositum naturale & intellectuale: dissimilitudo tamen est magna in proposito, quia partes compositi naturalis mutuò se excludunt: quia quædam res speciales sunt, partes autem compositi intellectualis non possunt mutuò se excludere: quia altera (puta ens) est adeò vniuersalis, vt nihil possit eam subterfugere. *Prio sen. q. 5. quæ quæritur vtrū à simpliciter simplicibus possit abstrahi aliquis conceptus communis.*

AVICENNA Autem Alpharabius & Algazel, vt testatur Albertus in Postprædicamentis, cap. 9. opinantur, quòd ens non conueniat naturæ absolutè sumptæ. Vnde dicunt hanc consequentiam non valere, Homo est substantia: ergo homo est ens: eo quòd ens significat aliquid additum essentiæ rei: quod non est de eius ratione: quod expresse etiam de Auicenna refert Cōmentator quarto Metaphysicæ comment. 3. & 10. Metaphysicæ commento 8. *Cap. 5. Cap. 3. Cap. 8.*

SANCT. THOM. Autem, cuius est opus, quod exponendum suscipimus super quarto Metaphy. lectu. 2. super textu commen. 3. & super lect. 2. supra tex. comment. 8. expresse in hoc reprehendit Auicen. vnde sententia eius non est censenda eadem opinioni Auicen. licet difficile sit videre in quo differat ab ea, cùm ipse teneat nullum aliud à Deo esse ens per suam essentiam, sed per aliquid additum suæ essentiæ: & expresse dicat in quolibeto secundo, quæstione secunda, articulo primo, ens non esse prædicatum essentiale: & in primo contra Gen. ca. 26. dicat, ens non cadere in conceptu substantiæ: quod est genus generalissimum. *Circa T. com. 5. Circa T. cap. 8. Quolib. 2. q. 2. ar. 1. contra Gen. cap. 26.*

¶ Propter quod à quibusdam dicitur, quòd ens dupliciter sumitur, scilicet nominaliter & participaliter. Et quòd ens nominaliter quidditatiuè & intrinsecè de omnibus prædicatur: sic enim vnumquodque est ens per essentiam suam. Ens verò participaliter, cùm idem sonet quod existens, non est prædicatum quidditatiuum: sic enim nihil aliud à Deo est ens per essentiam suam: vnde secundum istos ens nominaliter conuenit naturæ absolutè, non autem ens participaliter. Addunt quoque, quòd ens nominaliter est diuisum in decē prædicamenta, & est transcendens conuersum cum alijs, propriè loquendo, non ens secundo modo: & ideo reprehensibilis erat Auic. qui hanc distinctionem prætermisit.

¶ Mihi autem aliter dicendum occurrit: Dico enim quòd ens participaliter est id quod est transcendens, diuisum in decem prædicamenta. Quod ex eo patere potest, quòd sanctus Thomas prima parte, quæstione quinta & sexta. & in quæstione de veritate, quæstione vigesimaprima. ostendit bonum, quod etiam diuiditur in decem prædicamenta (vt dicitur primo Ethicorum) conuerti cum ente participaliter non nominaliter, vt clarè patet ex duobus. *Prima parte, q. 5. arti. 1. ad primum de veri. q. 21. ca. 7. Vide co. huius doctri. & poste. ca. 6. i prim. & circa medium.*

¶ Primò ex eo quòd dicit, quòd cùm bonum & ens conuertantur sicut res est ens, ita bona: sed non est ens per essentiam suam: ergo nec bona. In quo processu, vt fallacia æquiuocationis vitetur, non nisi de ente participaliter est sermo. Secundò, ex eo quod dicit, id, quo res formaliter est bona, non esse ens: quod dictum de ente nominaliter falsum est: quia esse actualis existentiæ, quo res est ens & bona, est ens nominaliter. Ens igitur quod conuertitur cum bono, quod est transcendens, diuisum in decem prædicamenta, est ens participaliter.

¶ Sed in Entis nomine duo aspici possunt, scilicet id à quo nomen Entis sumitur, scilicet ipsum esse, quo res est. Et id, ad quod nomen Entis impositum est, scilicet id quod est. Suprà enim, in principio operis dictum est, ens significare id quod est in quolibet prædicamento: & in hoc differre ab essentia, quæ significat id, quo res in prædicamento reponitur. Vnde primo Physicorum, textu commenti decimotertij. Aristot. loco ly ens, ponit ly quod est. Auicen. ergo attendens ad id, quo res est, vnde nomen entis sumptum est, dixit simpliciter, ens esse prædicatum extra essentiam rei: sanctus Thomas verò intuens id quod est, ad quod nomen Entis impositum est, Auicen. non adhæsit. Nanque ipsum quod est, non prædicat aliquid extra essentiam rei. Insuper aduertens, quòd ipsum, quo res est, scilicet actualis essentia, non est extraneæ naturæ ab ipso, quod est, sed per principia propria ipsius, qđ est, construitur inter prædicata accidentalia. ens annumerare noluit: hoc enim non potest asseri de quocunque alio extra essentiam rei. Nihil enim extra essentiam rei per propria principia ipsius rei constituitur, nisi rei existentia. Quodcunque enim aliud per principia propria alterius generis constituitur, scilicet genus proprium, & differentiam propriam, & vniuersaliter propria illius prædicamenti principia. *Duo includuntur in prædicamento Entis c. 1. 1. prim. T.c.13. Discordia inter S.Thom. et D. Auicen.*

Ipsum autem existere, non nisi per genus & differentiam & principia ipsius, quod est constituitur. Et hæc est ratio, qua san. Tho. arguit Auicen. quarto Metaphysi. vbi supra, vnde ens prædicatum de aliquo, puta homine, cùm non trahat hominem extra proprium genus & propriam differentiam: nec ratione ipsius, quod est substātiale, prædicatum esse relinquitur cum Aristotele & Commentatore, vbi suprà, licet non sit omnino eodem modo substātiale, quo prædicata illa, quæ in diffinitione cadūt. His prælibatis, ad dubium dico quòd transcendentia nō sunt prædicata propria naturæ secundum suam absolutā considerationem, neque secundum esse in singularibus, neque secundum esse in intellectu: sed sunt prædicata cōmunia naturæ quomodolibet acceptæ, conuenientia non solùm concomitatiuè, sed & causaliter. Et de natura quidem tam secundo quàm tertio modo accepta, patet: ex hoc enim quòd homo in singularibus inuenitur entis, vnius rei, & reliquorum rationem habet. Similiter ex hoc quòd habet esse in intellectu ens est aliquo modo indiuisum, &c. debetur enim sic sibi aliquod esse, licet rationis. De natura autem primo modo sumpta, ex dictis patere potest: & ex eo q̄ in quocūque inuenitur posterius transcendens, inuenitur & prius. Manifestum est autem de posterioribus transcendentibus, quæ sunt vnum, res, aliquid &c. quòd conueniunt naturæ absolutè. Vnde de homine, absolutè loquendo, ista est vera, Homo est ens. Vnde & S. Tho. dicit super. 10. Meta. vbi supra, quòd ens prædicat naturas decem generum, secundum q̄ sunt actu, vel potētia, & non tantum secundum quòd sunt actu. *Circa T.c.3. T.c.4.3. Ad dubium primum principale. Circa T.c.8.*

¶ Ad rationem in dubio tactam, qua dicebatur, Si sic, ergo transcendentia essent ponenda in diffinitione, dicitur primò, quòd non oportet omnia prædicata essentialia poni in diffinitione, sed ea tantū quæ explicant alium gradum essentialem diffiniti: qualia non sunt transcendentia, de quibus dictum est: q̄ eundem gradum prædicant, quem genus vel differentia importat. Vnde 8. Meta. tex. com. 19. dicit Aristo. q̄ ideo nec ens ponitur in diffinitionibus, nec vnum: quia ens statim est vnumquodque: diffinitio enim completa tunc est, cùm omnes rei gradus explicantur à prima potentia vsque ad vltimum actum intrinsecum, quòd sine transcendentibus, quæ nullum gradum addunt, fit. Dicitur secundò de ente, quòd quia ens importat aliquo modo ipsum esse: quod pertinet ad quæstionem, an est: & non ad quæstionem, Quid est: ideo à prædicatis quidditatiuis aliqualiter declinat. *supra ea. 1. q. 2. fi. T.c.16. Immediatè suprà. T.c.10.*

¶ Ad dictum san. Tho. dicitur, quòd transcendentia duo habent: & quòd in nulla diffinitione ponatur ratio dicta & quòd in quolibet conceptu includantur, vt dicitur de ente 3. Meta. tex. com. 10. quod secundum ideo dictum arbitror: quia trascendentia quemlibet gradum comitantur: & ideo conceptui nulli desunt. Et sic dico, quòd ea quæ naturę absolutè conueniunt, in cuius ratione cadunt conueniūt rei in eo, quòd talis. homo enim in eo q̄ homo, est ens, res, aliquid, &c. Ex his diligens lector, habes vnde diuersa dicta san. Tho. sane intelligere debeas. *Ad secundum dubium de negatiuis prædicatis.*

¶ Quo ad prædicata negatiua verò dicitur breuiter, q̄ negationes illæ possunt dupliciter accipi, formaliter, scilicet & fundamentaliter. Si formaliter falsum est, quod cōueniant naturæ absolutè: per opus enim intellectus attribuuntur ei, cùm negationes entia rationis sint. Si fundamentaliter, cum negatio super affirmatione fundetur, conceditur esse prædicata quidditatiua, sed sic sumptæ nihil aliud sunt, quàm genus & differentia propria. Fundamētum enim negationum naturarū disparatarum de homine nihil aliud est quàm natura hominis: ex hoc nanque q̄ homo est animal rationale, non est leo neque bos, &c.

QVAESTIO VI.

Num natura absolutè sumpta vnitatē vel pluralitatem habeat.

DVBIVM Secundò est circa dictum S. Tho. in litera in asignatione secundæ differētiæ, quo dicitur, q̄ na

Universidad de Deusto Biblioteca

tura absolutè sumpta nec vnitatē, nec pluralitatē habet.

¶ Videtur enim hoc esse impossibile, cū id, quod vnū nō est, diffinibile non sit: vt dicitur 7. Meta. tex. com. 13. imò nec intelligile, vt habetur quarto Meta. cō. 10. Et si vnitatem naturæ absolutè habere concedatur, qualis sit illa vnitas, non est facilè assignare: cùm non numeralis sit, vt declaratum est, nec specifica, nec generica, cùm hæc ex intellectu fiāt, nec analogica, vt de se patet. homo enim nō est vna analogicè. Nec etiam facilè quisquam dicet, an vnitas illa sit realis an non.

T.c.13. T.c.10. In expositione literæ.

¶ Ad euidentiā huius dubitationis quinq; faciēda sunt. Primò videndum est quid sit vnitas quælibet. Secundò, vnde habeat vnitas realitatem. Tertiò, quomodo vnitas quælibet sit extra animam. Quartò, respondendum est dubitatiōi motæ. Quintò, q̄dā obiectiones excludēdæ sunt.

QVO AD Primū sciendum est, ꝙ cùm vnū nihil addat supra ens, nisi priuationem diuisionis: ita quòd vnum nihil aliud est, quàm ens indiuisum: vt dicitur 4. Meta. tex. com. 3. Vnitas quælibet nihil aliud est, quàm rei indiuisio. Et quia quælibet priuatio per suum habitū cognoscitur: ideò vnitas quæ indiuisionem sonat, ex natura diuisionis, quam priuat, cognosci debet: & secundū diuisionis multiplicitatem, multiplicitatem vnitatis accipere oportet.

Vnitas quælibet est diuisio. T.c.3.

¶ Considerandū est igitur ꝙ diuisio est duplex, quędam est materialis per principia indiuiduationis causata, quædam est formalis, quæ per essentialia fit. Et hæc habet latitudinem, quia quædam est per essentialia principia propria. Quædam verò per principia essentialia communia: & hoc iterum habet latitudinem, secundū ꝙ principia essentialia communia sunt magis & minus communia. verbi gratia, Inter Sortem & Platonē est diuisio numeralis & non formalis: quia non causatur distinctio eorum ex essentialibus, sed indiuidualibus principijs. Inter Sortē verò & hunc leonē, dato ꝙ leo & homo essent sub eodē genere ꝓximo, est diuisio formalis per essentialia principia propria, vltimas scilicet differentias per tantùm. Inter Sortem verò & hanc plantam est maior diuisio formalis per principia, scilicet essentialia cōmunia Sorti, & multis alijs speciebus, scilicet sensibile & insensibile. Inter Sortē verò & hunc lapidem est diuisio formalis adhuc maior per communiora principia, scilicet per animatū & inanimatum. Et sic semper ascendendo intenditur diuisio formalis: adeò quòd inter Sortem & hanc albedinem est maxima diuisio formalis: vtpotè per propria & communissima principia essentialia, scilicet substantiuum & dispositiuum modos entis prædicamentorum constitutiuos.

¶ Similiter per omnia de vnitate dicendum est. Vnitas enim est duplex. Quædam numeralis, & quædam formalis. Vnitas numeralis attenditur penes priuationem diuisionis numeralis. Vnitas autē formalis attenditur penes priuationē diuisionis formalis: & hæc habet latitudinē. Quædam enim priuat diuisione formali omnino causabili per principia propria cōmunia: & hæc est vnitas formalis simpliciter. Quædam verò priuat diuisione formali nō simpliciter, sed taliter causabili, scilicet per principia communia: & hęc est vnitas formalis secundū quid, & habet latitudinē secundū ꝙ diuisio priuata causabilis est à magis & minus communibus principijs essentialibus. verbi gratia, Sortes est vnus numero: quia nō est per materiales differētias in se distinctus. Homo est simpliciter vnus formaliter: quia non compatitur secum diuisionem formalem quamcunq;. Animal verò est vnum formaliter, inquantum non compatitur secum diuisionem per sensibile & insensibile: nō tamen habet vnitatē simpliciter, quia cōpatitur secum diuisionē per rationale & irrationale. Corpus verò est minus vnum formaliter: est enī vnū, quia nō est in se diuisum per corporeū & incorporeum. Est autem minus vnū, quia cōpatitur secum diuisionem formalem maiorem, scilicet per animatum & inanimatum. Ens autem minimè est vnum, vnum quidē est pro quanto non est in se diuisum proportionaliter: minimè verò pro quāto tantam diuersitatem formalem cū sua vnitate compatitur. Ex his patet primùm, quid scilicet sit vnitas quælibet: quia scilicet vnitas est indiuisio, & talis vnitas est talis indiuisio, id est diuisionis priuatio: ita ꝙ nihil aliud est dicere, Sortes est vnus numero, id est Sortes est ens carens diuisione numerali. Homo est vnus formaliter, id est homo est ens carens diuisione formaliter. Hæc de primo.

QVO AD Secundū est sciendum, quòd ens reale dupliciter accipitur. Vno modo vt distinguitur contra ens ab intellectu fabricatum. Alio modo vt distinguitur contra non existens actu. Primo modo omnis res prædicamentalis est ens reale siue sit, siue non. Secundo modo id tantùm quod realiter existit extra causas suas, est ens reale. Et quia hoc propriè est ens reale apud sanctum Thomam dicentem in quæstionibus de potentia Dei, q. 3. articul. 5. ad secundum, quòd res antequam existat, est nihil, & est sententia hæc conformis Aristoteli in prædicamentis dicenti, quòd destructis primis substantijs, impossibile est aliquid remanere: ideo vnitas sicut & cætera realitatem habet, propriè loquendo: pro quanto ipsa existit actu extra animam & causas suas.

Vnitas ēns reale prout existit extra suas causas. Potentia q.3.ar.5. 2. in prædicamen. to substantia.

QVO AD Tertium propono tres propositiones. Prima est, Quælibet vnitas supradicta, tam scilicet numeralis, quàm formalis existit extra animam. Secunda est, Nulla vnitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis existit in rerum natura. Tertia est Omnis vnitas formalis existens extra animam multiplicatur realiter ad multiplicationē ipsarum rerū. Prima propositio est adeò manifesta, quòd nullus sanę mētis potest eam negare. In Sorte enim præter omnem intellectus operationem apparet vtraq; vnitas. Caret enim in seipso diuisione numerali et formali causabili per principia propria & communia: & sic indiuisionem numeralem & formalem habet. Vnde in Sorte non est sola vnitas numeralis, sed formalis multiplex secundum multitudinē prædicatorum quidditatiuorum: & sicut non sola indiuidualitas Sortis est extra animam: sed quodlibet eius prædicatum quidditatiuū: ita non sola vnitas numeralis, sed quęlibet eius vnitas formalis extra animam dicenda est esse.

Probatur prima propositio.

AD INTELLIGENTIAM Verò secundę est notandum, quòd res potest intelligi communis extra animam dupliciter. Vno modo positiuè: alio modo negatiuè. Illa res est communis positiuè, quæ indiuisa manēs in pluribus suppositaliter distinctis inuenitur. Illa verò est communis negatiuè, quæ nulli supposito est propria. Primo modo rem communem nullam recolo asserentē dari extra animam nisi essentiam diuinam secundum fidem Christianam. Secundo modo videtur à quibusdam poni res extra animam communis, de quibus sermo erit infrà: & quia hoc alienum à veritate mihi videtur: ideo de tali communitate intelligendo secundam propositionem probo dupliciter.

Probatur secunda propositio.

¶ Primo sic, Nulla res exigens quidditatem solitariè inueniri extra animam existit, in rerum natura: sed vnitas communis extra animam, negatiuè pluribus suppositaliter distinctis est res exigens quidditatem solitariè inueniri extra animam. ergo nulla vnitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis existit in rerū natura. Maior sic probatur: Nullum exigens ad suum existere aliquod impossibile inuenitur: sed quidditatem extra animā solitariè inueniri est impossibile, oportet enī ipsam esse in aliquo supposito. ergo id, quod exigit ipsam solitariè inueniri, nunquam existit in rerum natura. Minor autem probatur sic q̄d, quod exigit quidditatē non propriam alicui supposito extra animam, exigit ipsam solitariè existentem. Sed vnitas hominis extra animam pluribus suppositaliter distinctis exigit quidditatem nō propriam alicui supposito, ergo vnitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis exigit quidditatem solitariè inueniri in rerum natura. Huius prællegati præmissæ notæ sunt ex terminis. Maior quidem: quia quidditas non propriè alicui supposito necessariò est solitariè. si enim non est solitariè, est in aliquo supposito: & si est in aliquo supposito, est propria illi. Minor verò patet: quia commune & proprium sunt opposita: commune enim includit negationem proprij, & econuerso. Statim enim vt res appropriata est alicui communis negatiuè, esse desinit, eo quòd negatione appropriationis caret: & statim vt communis negatiua est appropriata alicui, non est, eo quòd negationem appropriationis habet. Oppositum ergo prædicati infert oppositum subiecti in vtraque præmissa.

In hac quæst.

¶ Præterea secundò probo sic: Omnis res existens in rerum natura est res particularis, Nulla vnitas communis extra animam pluribus suppositaliter distinctis est res particularis. ergo nulla talis vnitas est in rerum natura. Maior est nota ex communi Peripateticorum sententia.

Min

Minor probatur sic: Omnis res particularis est alicui vni supposito propria: aliter non esset particularis. Nulla vnitas cōmunis extra animam pluribus suppositaliter distinctis est alicui vni supposito propria. Hoc patet ex terminis. ergo nulla talis vnitas est particularis.

¶ Tertia propositio probatur sic: Quotiescunque aliqua suo sunt conuertibiliter idem realiter, multiplicato realiter vno, multiplicatur & reliquum: sed res vna & vnum sunt conuertibiliter idem realiter: ergo multiplicata realiter multiplicabitur realiter & eius vnitas. Sed pluralitas numeralis est realis. ergo plurificata re numeraliter plurificabitur, & eius vnitas. vnde in Sorte & Platone sicut sunt duæ corporeitates, animalitates, & humanitates: ita sunt duæ vnitates formales sequētes corporeitates, & duæ sequētes aīalitates, & duæ sequētes humanitates. Oportet enim secundum numerum prædicatorum essentialium esse numerum vnitatū formalium in quolibet indiuiduo. Sicut enim quodlibet prædicatum quidditatiuū dat aliquid esse: ita dare oportet aliquam vnitatem, vnum enim & ens idem sunt, vt dicitur quarto Met. tex. com. 3.

Probatur tertia propositio. T.com.3.

¶ Ex his patet tertiū, quomodo scilicet vnitates habeant esse extra animam: quia sunt non communes, sed particulatæ & multiplicatæ numeraliter iuxta numerum indiuiduorum, quorum sunt. Hæc de tertio.

QVO AD Quartum dico, ꝙ natura absolutè sumpta habet vnitatem quandam: vt efficaciter concludit ratio adducta, quæ est sancti Tho. in tractatu de natura generis.

Natura absolutè sumpta vnitatem formalē [illegible] tam, vel specificā habet, nō quidē formaliter, sed quia talis vnitatis fundamentū est, nullo modo vnitatem vel pluralitatem numeralē habere dicitur.

¶ Et quando quæritur, aut illa vnitas est numeralis, aut specifica, dico ꝙ est vnitas formalis, quæ alia est à numerali: sicut diuisio formalis alia est à materiali. Nec illa vnitas formalis est specifica aut generica formaliter: sed est fundamentum vnitatis specificæ & vnitatis genericæ. Hę enim vnitates formaliter ab intellectu fiunt: illa verò omnem actū intellectus præuenit. Quod autē in litera dicitur, ꝙ natura absolutè sumpta, nec est vna, nec est plures: intelligendum est de vnitate & pluralitate numerali.

¶ Ad id verò, ꝙ dubitationi additur, an ista vnitas sit realis, aut non, dico ꝙ secundum se est realis primo illorū modorum, quos suprà posuimus, accipiendo ens reale sicut & natura ipsa absolutè sumpta: & sicut natura secundum esse in singularibus est ens reale secundo modo, ita vnitas illa, quæ semper naturam comitatur. in particularibus, posita est realis verè & propriè. Idem enim est iudicium de natura & eius vnitate. Hæc de quarto.

QVO AD Quintum duo dubia propria occurrunt. Primum est circa secundam propositionē, in qua dictum est, ꝙ nulla est vnitas communis extra animam.

In hac quæstione.

Secundum est circa id quod nunc dictum est: qua scilicet alietate sit alia vnitas formalis à numerali in Sorte.

¶ Contrà primum enim insistitur sic. Quæcunq; suppositaliter distincta sunt vnum formaliter extra animam habent aliquam vnitatem communem eis extra animam, Sortes & Plato sunt vnum formaliter extra animam: ergo Sortes & Plato habent aliquam vnitatem sibi cōmunem extra animam. Maior ex eo videtur manifesta. quòd si aliqua suppositaliter distincta sunt vnū in eo, quo sunt vnum in eo, quo sunt vnū, non distinguuntur: & sic illud vnū est cōmune vtriq; extra animā, ex quo sic sunt vnū.

¶ Præterea, Humanitas quæ est in Sorte, quantum est ex se, non est determinata ad Sortem vel Platonē: ergo vnitas formalis humanitatis, quæ est in Sorte, quantū est ex se, est communis negatiuè Sorti & Platoni. Cōsequentia est nota: quia etiam vnitas formalis non est determinata quantum est ex se ad Sortem & Platonem. Antecedens autem de se est manifestum: datur ergo extra animam aliqua vnitas communis negatiuè pluribus suppositaliter distinctis.

CIRCA Secundum dubium videtur, ꝙ inter vnitatem formalem & vnitatem numeralē in Sorte existentem sit alietas realis: quia quarumcunque priuationū habitus distinguuntur realiter, ipsæ quoq; distinguūtur: sicut quia visus & auditus distinguuntur realiter, cæcitas etiam & surditas realiter differunt: sed vnitatis formalis & numeralis habitus distinguūtur realiter: ergo, & c. Patet ista: q; diuisio formalis & diuisio numeralis adeò distinguuntur, ꝙ in rebus separatis à materia formalis sine numerali inueniat: & in istis inferioribus indiuidua eiusdem speciei numeralem diuisionē absq; formali habeant.

¶ Ad opposita verò respicienti apparebit, ꝙ sit alietas rationis tantùm: quia sicut se habet natura formalis ad naturam indiuidualem, ita vnitas formalis ad vnitatem numeralem: sed natura formaliter sumpta est eadem naturæ numeraliter sumptæ, & non nisi ratione ab ea distinguitur: ergo vnitas formalis est eadē realiter vnitati numerali, & non nisi ratione ab illa est alia.

PRO Dissolutione primi dubij nota, quòd aliqua duo suppositaliter distincta esse vnum formaliter contingit dupliciter. Vno modo per hoc, ꝙ illa duo adunentur in aliquo extra animam cōmuni vtriq; indiuiso in vtroque illorum. Alio modo per hoc, quòd illa duo habēt mutuam negationem inter se diuisionis formalis. Exemplū primi non inuenio in rerum natura, nisi (vt dictum est) secundum fidem Christianam in Trinitate. Exemplum secundi inuenitur in omnibus indiuiduis eiusdem speciei. Sortes enim nullo intellectu considerante, habet hanc negationem: scilicet ꝙ non est diuisus à Platone formaliter, & Plato similiter non est diuisus à Sorte formaliter. Et quia ad eos esse vnum formaliter, nihil aliud requiritur, quàm esse indistinctos formaliter: ideo simpliciter verum est Sortem & Platonem esse vnum formaliter extra animam. Committitur ergo fallacia Consequentis in argumento à superiori ad suum inferius affirmatiuè. esse enim vnum formaliter est superius ad habentia aliquod commune indiuisum in eis extra animam, & ad habentia duas naturas cum mutua negatione diuisionis formalis. Nō enim est imaginandum Sortem & Platonem esse vnum formaliter: quia conueniant in aliquo, in quo non distinguuntur extra animam: sed ideo, quia vterque negatione diuisionis formalis ab altero gaudet. Vnde enim formaliter nihil aliud est, quàm non diuisum formaliter. Et quod dicimus de vnitate formali simpliciter inter Sortē & Platonem, intellige de vnitate formali secūdum quid inter Sortem & hunc leonem, & hunc lapidem, & hanc intelligentiam, & c. Sicut enim quia Sortes & Plato habent duas naturas, inter quas non cadit diuisio formalis: ideo sint indistincti formaliter simpliciter extra animā: ita quia inter Sortis & huius leonis naturas non cadit diuisio formalis talis qualis nata est causari per sensibile & insensibile, ideo Sortes & hic leo sunt indistincti formaliter secundum quid. Ita etiam quia inter Sortem & hunc lapidem non est diuisio formalis per corporeum & incorporeum, ideo Sortes & hic lapis sunt indistincti formaliter secundum quid: ita quoque quia inter Sortem & Gabrielem non est diuisio formalis, quia nata est causari per modos entis, scilicet per se & in alio: ideo Sortes & Gabriel sunt indistincti formaliter secundum quid: & consequenter sunt vnum formaliter absque omni opere intellectus: iam enim pluries dictum est, vnum idem sonare quod ens indiuisum.

¶ Ad secundum dico, quòd aliud est dicere, natura humana existens extra animam secundum se est cōmunis pluribus negatiuè, seu indifferens negatiuè. Et aliud est dicere, natura humana existens extra animam est communis pluribus seu indifferens negatiuè, prima enim est vera, secunda verò est falsa. Et veritas primæ patet ex supradictis, vbi diximus quòd natura, quæ est extra animā, puta natura Sortis, secundum se, id est solitariè sumpta, non est determinata, neq; appropriata alicui: & consequenter est indifferens seu communis negatiuè. Falsitas autem secundæ patet ex eo, quòd omnis propositio est simpliciter falsa, in quæ prædicatum repugnet subiecto ratione conditionis explicitè importatæ in illo: sicut ista est simpliciter falsa, Ignis non approximatus combustibili comburit: quia comburere repugnat igni non approximato passo.

In hac quæst.

Sed illa propositio secunda, scilicet natura existens extra animam est communis pluribus negatiuè, est huiusmodi: ergo ista est falsa.

AD Euidentiam minoris scito, ꝙ cùm dico natura secundum se, seu natura absolutè, dico duo, scilicet naturā & solitudinem, & eius conditionem. Similiter cùm dico, natura existens extra animam, dico duo, scilicet naturam & particularem existentiā sibi coniunctam, & eius cōditionem. Vnde aliquid cōuenit siue repugnat naturæ absolutè ratione naturæ, & aliquid rōne solitudinis. Similiter aliq̄d cōuenit siue repugnat naturæ existenti extrà, rōne naturæ & aliquid ratione associationis eius ad particulare. Cū igitur communitas negatiuæ, quæ est prędicatū in propositione nostra, non cōueniat naturæ absolutè ratione sui, scilicet naturæ, quia non est eius prędicatum quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditatiuum,sed conueniat ei ratione explicitè conditionis per ly secundũ se,seu ly absolutè,quæ est solitudo (ex hoc enim natura est communis negatiuè,quia solitariè accipitur absq; determinatione ad hoc,vel illud)oporter quòd repugnet naturæ sub opposita conditione sumpta ratione illius oppositæ conditionis.Explicat autem conditionem oppositam solitudini natura existens extrà:eo quòd explicat coniunctionem eius ad particularè existentiam, quæ solitudinem illius tollit.Et ideo communitas negatiuè repugnat naturæ existenti extrà:non ratione naturæ, sed ratione conditionis explicitæ per ly existenti extra animam:& consequenter propositio illa, in qua subiectum erat natura existens extrà,& prædicatum erat communitas negatiuè,est simpliciter falsa.Statim enim, vt natura perdit solitudinem,communitatem quoque perdere cogitur.Amittit autem solitudinem,quàm primũ in alio est.

¶ Vnde apparet respõsio ad argumentũ, quòd licet tam natura quàm vnitas formalis,quantum est ex se,id est solitariè,sit communis negatiuè:ipsa tamen existens extrà, non est communis:sicut ipsa, quantum est ex se, non est cum alio:ipsa tamẽ existens extrà necessariò est cum alio. & sic non licet inferre, ipsa quãtum est ex se non est cum alio,ergo ipsa existens extrà non est cum alio:ita non licet inferre,ipsa quantum est ex se,est communis negatiuè,ergo ipsa existens extrà,est communis negatiuè.Vtrobiq; enim idem peccatum accidit,& est secũdum fallaciam accidentis.Et si hoc intuitus fueris,videbis in quo differt positio Scoti in secũdo sen.di.3.q.1,à positione nostra:& vnde in talem opinionem incidit.Dicit enim ipse naturã specificam,puta humanitatem ratione sui sequi hæc duo, scilicet vnitatem formalem & communitatem negatiuã seu indifferentiam ad plura numero.Dicit nanque in fine illius quæstionis,quòd non oportet quærere causam,quare natura sit communis : quia natura ipsa est causa sufficiens suæ cõmunitatis:sed bene oportet quærere causam, quare sit singularis;quia non ex se est singularis : & ideo sicut extra animam inuenitur natura vna formaliter:ita inuenitur natura communis pluribus.Nos autem in primo non dissentimus,sed in secundo.Dicimus enim naturam ratione sui sequi vnitatem formalem:sed communitatem negatiuam fatemur non sequi eam ratione sui, sed ratione solitudinis suæ:sicut singularitatem sequi eam diximus ratione associationis eius ad existentiam.Et quia conditio solitudinis non conuenit naturæ ratione sui, nec ratione ipsius esse,quod habet extra animam,sed ratione intellectus,qui natus est adunata diuidere:ideo ante oẽm actum intellectus nulla cõmunitas in natura inuenitur. Et sicut quærenda est causa,vnde habeat natura esse solitarium,& esse extrà,quia de se neutrum habet:ita quærenda est causa,vnde habeat natura communitatem & singularitatem:de se enim neutrum habet.

Causa duplex erroris pessimi Scotistarũ.

¶ Causa autem vnde falsitas in hac Scotica processit opinione,videtur duplex. Prima est æquiuocatio illius termini,ex se,seu,de se.Potest enim vtrunque eorum accipi dupliciter.Vno modo poslitue:& sic dicit aliquam habitudinem causæ. Alio modo negatiuè:& sic dicit solitudinem:id est non cum alio,& primo modo intellexit naturam esse cõmunem ex se:ita quòd ipsa est sibi sufficiens causa suæ communitatis,vt ex verbis eius ibi patet:cùm tamen debuisset intelligere secundo modo : natura enim ex se,id est non cum alio,est indifferens & communis : sicut quando dicitur,natura ex se est sola,ly ex se, non dicit aliquam causalitatem,sed tantùm negationẽ coniunctionis cum alio.

Secũda.

¶ Secunda causa est distantia inter propositionem negatiuam & affirmatiuam de prædicato infinito, reduplicatione addita.Licet enim ex affirmatiua de prædicato infinito sequatur negatiua,& econuerso,vt dicitur in secundo Petri hermentas,quando non sunt reduplicatiuæ, cum reduplicatione tamen licet ex affirmatiua de prædicato infinito,sequatur negatiua de prædicato finito : non tamen econtrà.Hãc enim,Homo in eo q; homo nõ est albus,non sequitur ista,Homo in eo,q; homo,est nõ albus. Si enim homo in eo homo esset non albus, nunquàm homini coniungi posset albedo:quia quod conuenit alicui, secundum quòd ipsum,conuenit ei semper necessariò & per se. Apparet autem in hoc defecisse manifestè processum Scoticum:cùm enim commune negatiuè idem sonet quod non proprium.argumentatus est sic, Natura, puta humanitas,inquantum talis,non est propria alicui : ergo humanitas inquantum humanitas,est non propria : vbi expressè patet defectus prædictus. Et q; sic processerit, patet ex suo processu.Cõclusio eiũ sua est affirmatiua de prædicato infinito,cùm concludat,ergo natura ex se est communis,id est non propria.Antecedens verò est negatiuum,scilicet natura non est de se hîc,id est propria alicui.Similiter patet ex alio processu,quem ibi inducit,scilicet humanitati Sortis rõne sui nõ repugnat esse in alio, ergo humanitas Sortis ex se est cõmunis:vbi apertè patet prædictus defectus. Reduplicattonẽ enim in primo processu sonat ly ex se,seu de se,in secundo ly ratione sui,&c. Et hoc est valde notandum in hac materia,& in materia de vniuersalibus:eo quòd hinc omnia pendent.Attentum ergo oportet esse,quòd hæc propositio, Natura ex se est communis,si debet esse vera,oportet quòd tam ly ex se, quàm ly communis,teneatur negatiuè secundum viam nostram,& veritatem:& tunc idem est,ac si dicatur, Natura non cum alio sumpta,est non propria alicui : quod patet esse verum.Secundum verò Sco.ly ex se tenetur positiuè,& malè:& sensus est,Natura ratione sui siue inquãtum talis est nõ propria alicui:quod est manifestè falsum.

¶ Attentior adhuc sis,quòd aliud est dicere,natura, puta humanitas,inquãtum huiusmodi,non est propria alicui. Et aliud est dicere,humanitas,inquantum huiusmodi,est non propria seu communis,quod idem sonat in proposito. Prima enim est vera:quia humanitati in eo, quòd humanitas, non conuenit quòd sit appropriata alicui.

Secundum verò patet esse falsum ex eadem radice : quia humanitati in eo quòd humanitas, non conuenit, quòd sit non appropriata alicui. Abstrahit enim ab vtroque,scilicet ab esse proprio,& ab esse nõ proprio. Si enim humanitas in eo quòd humanitas, esset non appropriata,nunquàm humanitas esset appropriata alicui : quia vt dictum est ex primo Posteriorum,quòd conuenit alicui secundum quòd ipsum præsupponit de omni, necessarium & per se.Quòd autem naturæ ratione sui non conueniat illa communitas,scilicet supra indirectè probatũ fuerit,vbi duabus rationibus deducta est falsitas istius propositionis,Vnitas existens extra animam est cõmunis pluribus suppositaliter distinctis: ad falsitatem enim huius sequitur falsitas illius:quia quod non conuenit rei extrà animam,non conuenit ei ratione sui. Directè tamẽ nunc probo sic,Omne quod sequitur aliquam naturam ratione sui,prædicatur simpliciter,id est sine aliqua additione de supposito illius naturæ:sed communitas sequitur naturam humanam per se ratione sui,ergo communitas prædicatur simpliciter,id est sine aliqua additione de supposito naturæ humanæ.Processus bonus in tertio primo: cõclusio autem est falsa.ergo altera præmissarum:nõ Maior,vt declarabitur:ergo Minor quæ est positio tua.Falsitas cõclusionis patet:quia ista est simpliciter falsa.Sortes est communis pluribus : &c. addatur ly ex se, adhuc est falsum dicere.Sortes ex se est communis pluribus.Veritas Maioris declaratur sic,Quod sequitur naturã rõne sui aut est positio,aut modus aut predicabile per se,aut per accidẽs,aut separabile,aut inseparabile.Modo omnia ista scilicet commitantur naturam ratione sui,ita se habent quòd sicut natura prædicatur essentialiter de indiuiduo,puta homo de Sorte. ita ista prædicatur denominatiuè in suo ordine de ipsomet indiuiduo:vt patet discurrendo.

¶ Et confirmatur hoc,quia in proposito nostro naturam humanam sequũtur vnitas formalis & communitas ratione sui secundum te.Vnde,neutrius est alia causa quærenda nisi natura ipsa.ergo sicut vnitas formalis prædicatur simpliciter de Sorte : ista enim est simpliciter vera,Sortes est vnus formaliter,ita communitas prædicabitur de Sorte simpliciter dicendo, Sortes est communis.Hoc est falsum.ergo &c. Quænam est maior ratio de vnitate quàm de communitate,& quare eorum, quæ sequuntur naturã ratione sui,alia prædicentur de indiuiduis,alia nõ. Non enim erit facilè fingere rationes Scoti,quas ibi facit: quia non cõcludunt communitatem dari extra animam: sed vnitatem:ideo super fluum iudicaui adducere. Si quæ autem ex eis aut expositis ab eodem in septimo Meta. ad communitatem probandam adducerentur, non erit difficile sumere responsionem ex dictis ad duas illarum hic inductas.

AD SECVNDI DVBII Euidentiam sciendum,quòd vnum, cùm dicat ens indiuisum, importat aliquid positiuum,& aliquid priuatiuũ.Si loquamur de vnitate formali & vnitate numerali substãtiali, quod ad propositum quod important, sic sunt idem realiter:& distinguuntur sola ratione.Sic idem realiter sunt Sortes & homo:& ratione distinguuntur:eo q; eadẽ res est quæ est vna formaliter & numeraliter.Si autẽ loquamur de his vnitatibus,quo ad priuationes diuisionũ importatas,sic dico q; distinguũtur realiter:dummodo non fiat vis in hoc,q; distinctio realis sit passio entis realis:eo q; alia priuatio est priuatio diuisionis formalis:& alia est priuatio diuisionis numeralis.Sicut alia est diuisio formalis,& alia est diuisio numeralis. Nec inconuenit in vno esse plures vnitates substantiales realiter distinctas : quo ad priuationes importatas:esset autẽ impossibile in vno esse plures vnitates substantiales realiter distinctas quo ad res positiuas,quas important. Vnde vtriusque rationis adductæ conclusio concedenda est, diuersimodè loquendo:nec aliter respondere est opus.

Q V Æ S T I O

Num Natura absolutè sumpta sit illa, quæ prædicetur de indiuiduis.

Dubium tertium.

DVBIVM EST Tertiò circa assignationem quartæ differentiæ:non enim videtur verũ, q; natura absolutè sit illa quæ prædicatur de indiuiduis : quia natura absolutè sumpta,non est vniuersalis,neque communis.In huiusmodi autẽ propositionibus,Sortes est homo,& Sortes est animal,& similibus prædicatur vniuersale,& superius de particulari & inferiori.Similiter etiam cùm quæritur,an ista prædicatio,Sortes est homo, sit æqualis de æquali,vel inferioris de inferiori,nõ videtur posse responderi,tenendo quòd natura absolutè prædicatur, cùm illa nec æqualis,nec superior sit.

¶ Ad hoc dicendum est,q; sicut in natura extrà est considerate ipsam rationem agendi:& est considerate cõditionẽ eius,sine qua non operatur.Verbi gratia,in colore considerãtur natura eius,ex qua est visibilis:& consideratur particularitas,quæ est cõditio,sine qua non est visibilis. Ita in natura prædicabili est considerate duo, scilicet id quod prædicatur & attribuitur subiecto,& cõditionem sine qua non attribuitur illi. Sicut in hac propositione, Sortes est homo,id quod attribuitur subiecto,est ipsa natura humana:& nihil aliud.Conditio verò, sine qua ly homo,non prædicatur de Sorte, est esse vniuersale superius commune,vel aliud huiusmodi : vt enim infra patebit,& habetur ab Ari.septimo Metaph.tex.cõ.46.Nulla res prædicatur,nisi vt habet esse in intellectu:eo q; prædicatio ab intellectu dependet. Vnde ad dubiũ dico, q; natura secundum suam rationem est id quod prædicatur de ipso indiuiduo.Est enim prædicatio rei de re.Superioritas tamen & vtilitas & cætera huiusmodi,sunt conditiones eius.Et ideo ad interrogationem.an in talis prædicationibus sit prædicatio æqualis vel superioris,dico quòd est prædicatio superioris.

¶ Nec obstat,quòd superior dicas non insit naturæ absolutè quæ prædicatur:quoniam non dicit san.Tho.quòd naturæ absolutè,prout abstrahit ab omni esse, conueniat hæc conditio,scilicet prædicatio de indiuiduis : sed dicit quòd res cui cõuenit illa conditio,est natura absolutè, & non aggregatum ex natura & esse in intellectu,seu in singulari.Nõ enim cùm dico,Sortes est homo,est sensus,Sortes est homo secundum esse in intellectu, aut in singulari: aut superiori,aut æquali:Sortes est habẽs humanitatem.

¶ Vnde valde attendenda est distinctio inter id quod prædicatur & conditionem prædicati : qua non attenta fortè decepti sunt dicentes absolutè ex hoc textu haberi, q; ista, Homo est animal:nec est prædicatio superioris,nec inferioris,nec æqualis.Sensus ergo literæ est,Natura absolutè quæ est prædicatur,id est natura secundum conditiones sibi debitas ratione sui est id quod attribuitur singularibus:& non secundum conditiones sibi debitas ex esse in intellectu vel singulari.cum quo stat,quòd esse in intellectu vniuersalitas & superioritas sint conditiones, sine quibus natura ipsa non prædicatur de singularibus.

Essentia absolutè sumpta in est vniuersalis.

Non tamẽ potest dici,quòd ratio vniuersalis conueniat naturæ sic acceptæ,quia de ratione vniuersalis est vnitas & communitas. Naturæ autem humanæ neutrum eorum conuenit secundum suam absolutam considerationem.Si enim communitas esset de intellectu hominis,tunc in quocũque inueniretur humanitas,inueniretur communitas;& hoc falsum est: quia in Sorte non inueniretur cõmunitas aliqua, sed quicquid est in eo,indiuiduatum est.

¶ Hic tam ponitur quarta conclusio negatiua, Essentia substantiæ compositæ absolutè sumpta non est vniuersalis,vt species,&c.Probatur sic;Vniuersale est vnum commune multis:essentia substantiæ compositæ secundum se non est vna cõmunis multis:ergo essentia substantiæ cõpositæ secundum se non est vniuersalis,&c.Maior est Aristo.secundo Posteriorum.Minor verò probatur ex eo, q; si secundum se essentia substãtiæ compositæ esset vna & communis,in quocũq; inueniretur illa essentia, esset vna & communis multis,quod est impossibile. Et cõsequentia patet ex eo,quòd omne quod conuenit alicui secundũ se,conuenit ei in quocunque ponatur:vt ex primo Posteriorum apparet.Impossibilitas autem consequentis adeò est manifesta,vt Aui. dicat secundo suæ Metaphysicæ,q; nullus sanæ mẽtis potest oppositum illius opinari.Quis enim est adeò fatuus,qui dicat essentiam Sortis sibi communem esse & Platonis.

T.c.27.

T.c.11.

SED HIC Occurrit dubium circa propositionẽ illam, supra quã fundatur totus processus, scilicet,Omne quod conuenit alicui secundum se,conuenit ei, in quocũque ponatur:videtur enim multas habere instantias.Motus enim secundum se est velocitabilis in infinitum:ex sexto Physicorum,tex.com.15.Motus autem in cælo positus,nequaquam,sed est velocitas vt dicitur secundo Cæli,tex.com.28. Similiter continuũ secundum se est diuisibile in infinitum:ex sexto Physicorũ.tex.com.3.Continuum autem in re naturali positum, non cum omnium natura constantium determinata sit ratio magnitudinis: vt dicitur secundo de Anima : text.com.41. Similiter motus secundum se habet contrarium,ex 5.Physicorum, tex.com.8.& 14.Motus autem in cælo positus caret contrario:primo Cæli.tex.com.20.

T.c.15.

T.c.28.

T.c.3.

T.c.41.

T.c.8.& 14.

AD HAEC Et similia dicitur prænotãdo quòd aliud est dicere,A conuenit aliquid secundum se:& aliud est dicere,A non repugnat aliquid secundum se. Ad veritatem enim primi exigitur,q; A vendicet sibi illud in primo,vel secundo,vel quarto modo perfectatis.Ad veritatem secundi sufficit,q; ipsi A vt sic, non repugnet illud.Ad veritatem quoque primi sequitur,illud conuenire sibi in quocunque ponatur:ad veritatẽ secundi,non.Multa enim sunt quæ non repugnant animali in eo q; animal: quæ tamen non inueniuntur in quolibet animali.Quicquid autem conuenit animali in primo, vel secundo, vel quarto modo dicendi, per se inuenitur in omni animali. Vnde in proposito dico,q; nulla instantiarum adductarũ est cõtra propositionem assumptam,eo q; omnia, quæ in illis dicuntur,intelligenda sunt per non repugnantiã & conuenientiam. Cùm enim dicitur, motum esse velocitabilem in infinitũ,intelligimus motui vt sic, non repugnare velocitatem in infinitum. Similiter cùm dicitur, continuum esse diuisibile in infinitum,intelligitur concludo sic,vt non repugnare diuisibilitatem in infinitum.Similiter cùm dicitur,motum habere contrarium,intelligimus motui,vt sic non repugnare habere contrarium.

T.c.20.

¶ Quod si hoc non placet,dico,q; aliud est dicere,A in eo q; A conuenit aliquid:& aliud est dicere, A in eo q; A non conuenit aliquid : vt patet.Et q; quicquid conuenit A,in eo q; A,cõuenit omni A:quicquid autẽ non cõuenit A,in eo quod A,nõ oportet negari ab oi A.Risibile enim non conuenit animali in eo,q; animal:& tamẽ non negatur ab omni animali.Conuenit enim animali in homine. Et subiungito,q; omnes propositiones in instantijs addictæ sunt intelligendæ negatiuè,vt sit sensus:Motus est velocitabilis in infinitum,id est motus vt sic,est determinatæ velocitatis.Similiter continuum est diuisibile in infinitum,id est continuum vt sic,non est determinatæ diuisionis.Similiter motus habet contrarium,id est motus vt sic,non determinat sibi esse absque contrario:& sic secundum vtrunque modum respondendi,remanet propositio assumpta vniuersaliter vera.

Essentia absolutè accepta non est vniuersalis vt habet esse in singularibus.

Posset tamen & aliter dici ad has instantias:sed quia magis ad formam propositionis attendo, quàm ad materiã, ideo impræsentiarum pertranseo.

Similiter etiam non potest dici, quòd ratio generis accidat naturæ humanæ secundum illud esse, quod habet in indiuiduis,quia non inuenitur in indiuiduis natura humana secundum vnitatem, vt sit

Universidad de Deusto Biblioteca

vnum quid conueniens cuilibet, quod ratio vniuersalis exigit.

¶ Hîc ponitur quinta conclusio negatiua, scilicet essentia substantiæ compositæ secundum esse quod habet in singularibus, non est vniuersalis, probatur sic, Vniuersale est in multis: essentia substantiæ compositæ secundũ esse quod habet in indiuiduis, nõ est vna in multis, sed diuersa in multis: ergo essentia substantiæ compositæ secundũ esse, quod habet in indiuiduis, nõ est vniuersalis: & consequenter, nec species, nec genus, nec differentia quæ vniuersalitatem supponunt.

Essentia vt habet esse in intellectu, ẽ vniuersale, vel vt genus vel species, vel differentia.

Relinquitur ergo quòd ratio speciei accidat naturæ humanæ secũdum illud esse, quod habet in intellectu. Ipsa enim natura habet esse in intellectu abstractum ab omnibus indiuidualibus, & habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, quæ sunt extra animam: prout essentialiter est imago omnium: & inducens in cognitionem omnium, inquantum sunt homines, & ex hoc, quòd talem relationem habet ad omnia indiuidua, intellectus adinuenit rationẽ speciei: & attribuit sibi, vnde dicit Comment. primo de anima, quòd intellectus est, qui facit vniuersalitatem in rebus: hoc etiam Aui. in suæ Metaphysicæ octauo dicit.

Cõ. 8. in medio.

¶ Hîc per locum à diuisione concluditur sexta cõclusio affirmatiua determinatiua quæsitæ difficultatis, scilicet essentia secundũ esse in intellectu est vniuersalis, genus, species, differentia, &c. probatur sic. Vnum in multis & de multis est, vniuersale natura secundum esse in intellectu est vna in multis & de multis: ergo est vniuersale. Probatio Minoris, Vniformiter se habens ad multa, vt essentialis eorum imago, est vnum in multis & de multis natura secundum esse in intellectu est huiusmodi: quia habet esse abstractum ab omni difformitate indiuiduorum essentialiter eorum cognitionem gignens: ergo, &c.

AD EVIDENTIAM Huius conclusionis & rationis: quia termini multipliciter dicti secundum Arist. doctrinam distinguendi sunt. Nota primò distinctiones terminorum in conclusione positorum, Esse in intellectu cõtingit dupliciter, subiectiuẽ & obiectiuẽ. Esse in intellectu subiectiuẽ est inhærere ipsi, sicut accidens suo subiecto, vt albedo superficiei. Esse in intellectu obiectiuẽ, est terminare, actum intellectus. Intellectus est duplex in nobis, agens & possibilis, vt dicitur tertio de anima, tex. com. 17. Intellectus agens est ille, qui abstrahit speciem intelligibilem à phantasmatibus, Intellectus possibilis est ille, qui intellectionem recipit in se. Vniuersale duplex, in repræsentando & in prædicãdo. Vniuersale in repræsentando in proposito est quod repræsentat rem, non repræsentando conditiones eius indiuiduales. Vniuersale in prædicando est illud quod prædicatur de multis differentibus secundum esse.

T. c. 17.

¶ His visis, scito conclusionem illam, scilicet natura secundum esse in intellectu est vniuersalis trifariam verificari. Primò sic, Natura secundum esse obiectiuum in intellectu agente est vniuersalis in prædicando. Secundo sic, Natura secundum esse subiectiuum in intellectu possibili est vniuersalis in repræsentando. Tertiò sic, Natura secundum esse obiectiuum in intellectu possibili est vniuersalis in prædicando.

SCIENDVM Est secundò, quòd res extrà, secundum quòd est actu intelligibilis est obiectiuẽ in intellectu agente: sic enim terminat eius actionem, quia ad hoc positus est ab Arist. intellectus agens, vt faciat rem intelligibilem in potentia, intelligibilem in actu, vt Commen. dicit tertio de anima. com. 18. Fit autem actu intelligibilis res extrà ab intellectu agente, non per hoc quòd recipiat, aut perdat aliquid secundum esse per illius actionem, sed ex hoc quòd eius species intelligibilis producitur ab intellectu agente. Per hoc enim res extrà repræsentatur non repræsentatis conditionibus indiuidualibus: cum quibus in potentia intelligibilis erat non in actu. Vnde ipsa productio speciei intelligibilis est factio rei extrà: intelligibilis in actu. Habet enim ratio illa duos terminos. Vnũ intra aĩam, scilicet speciẽ intelligibilẽ, quę realiter pducit de nouo in intellectu possibili. Et aliũ extrà, scilicet rẽ cuius est illa spẽs quæ nihil reale ex hoc acqrit, sed tñ denoiationẽ extrinsecã, scilicet quòd est abstracta ab hoc, & nunc: quod est actu intelligibilis, &c.

Com. 18.

¶ Natura autem extrà, secundum quòd est actu intellecta, est obiectiuẽ in intellectu possibili: sic enim terminat eius actionem, quæ est intelligere. Fit autẽ & est actu intellecta res extra, non per hoc quòd aliquid accipiat, aut amittat per actionem intellectus possibilis, sed ex hoc quòd conceptus eius formatur ab intellectu possibili: tunc enim res intelligitur, quando eius conceptum formamus. Vnde ipsa cõceptus formatio est factio rei extrà actu intellectæ: habet enim & hæc actio duos terminos. Vnum intra animam, scilicet conceptum, qui realiter fit, qui nihil aliud est quàm expressa similitudo rei, rem præsentẽ obiectaliter faciens intellectui possibili. Et alterũ extra, scilicet rem quæ ex producto conceptu extrinsecẽ denominatur actu intellecta.

¶ Ex his patet, quæ sit differẽtia, & quæ sit cõueniẽtia inter rẽ obiectiuẽ in intellectu agẽte & intellectu possibili. Differẽtia siquidẽ est quia ex hoc quòd obiectiuẽ in intellectu agẽte fit, & est actu intelligibilis, non autem intellecta. Ex hoc verò quòd est obiectiuẽ in intellectu possibili quæ iam erat actu intelligibilis, fit actu intellecta. Conuenientia autẽ est, quia tam ex hoc quòd est obiectiuẽ in intellectu agente, quàm ex hoc quòd hoc est obiectiuẽ in intellectu possibili, habet quòd sit repræsentata absque indiuidualibus & cõditionibus: & cõsequenter quòd sit abstracta ab hoc & nũc, &c.

SCIENDVM Est tertiò ex Auic. 5. Met. c. 1. quòd vniuersale in prædicãdo, est id quòd i intellectu nõ est impossibile prædicari de multis. Et hoc tripliciter põt se habere.

cap. 1.

¶ Primò, quòd illa multa sint actu in rerum natura: sicut homo obiectus intellectui est vniuersale respectu Sortis & Platonis.

¶ Secundò, quòd illa multa non sint: possint tamen esse, sicut domus heptãgula obiecta intellectui, est vniuersale respectu plurium heptangularũ, quæ non sunt, possunt tamen esse.

¶ Tertiò, quòd illa multa nec sint esse sicut luna obiecta intellectui est vniuersale respectu plurium lunarum, quas impossibile est esse. Et Gabriel obiectus intellectui est vniuersale respectu pluriũ Gabrielũ, quos implicat contradictionẽ esse. Vniuersale primo modo vocatur à san. Th. prima parte. q. 13. vniuersale secũdũ rẽ & secũdũ rationẽ: quia res illa realiter est in pluribus, & nõ solùm vt obiecta intellectui. Vniuersale tertio modo vocatur ibidem vniuersale seu commune secundum rationẽ tãtum: quia res illa non inuenitur realiter in pluribus, sed vt obiecta intellectui tantùm. Vniuersale secundo modo ibi distinguitur contra vniuersale primo modo, Posset tamen nomine proprio dici vniuersale secundum rationem & secundum rem, in potentia tamen. Nec solùm nomina ibi imponuntur à san. Tho. sed & dictorum ratio assignatur valde subtilis, quę super quatuor propositiones fundatur.

1. p. q. 13. arti. 9.

¶ Prima est, Vniuersalitas & prædicabilitas non cõueniunt rei secundum se: nec secundum esse, quod habẽt extra animam. patet illa ex dictis.

In hoc capitu.

¶ Secunda est, Res materialis, quæ sola per propriã speciẽ cognoscitur à nobis, secundũ quòd est in intellectui nostro, obiectiuẽ repræsentatur absque cõditionibus indiuidualibus. patet illa etiam ex dictis.

¶ Tertia est, Res immaterialis etiam Deus ipse, secundũ quòd est in intellectu nostro, obiectiuẽ repręsentatur per modum rerum materialium, scilicet non repræsentatis proprietatibus indiuidualibus. Patet illa: quia res illæ non cognoscuntur à nobis secundum quòd in seipsis sunt, sed per modum rerum materialium: nec per proprias species, sed per species rerum materialium.

¶ Quarta est, Res omnis vt repræsentata absq; conditionibus indiuidualibus, nõ magis respicit vnũ quàm plura indiuidua. Patet illa: quia vt abstracta est, ęqualiter ad vnũ & multa se habet. Nihil enim fingi põt, vñ abstractũ vt abstractũ vnũ magis respiciat, quàm plura, vel econtra. Vnde & notanter Auic. apposuit in diffinitione vniuersalis illam particulam, secundũ quod est in intellectu. Multa enim sunt vniuersalia, quibus tam secundum esse extrà, quàm secundum propriam rationem repugnat prædicari de pluribus, vt de intelligentijs dicet. Nulli autẽ vniuersali, secũdũ quòd est in itellectu repręsentatũ, absq; ppria & particulari existẽtia seũ proprietate & hypostatica repugnat pdicari de plurib⁹. Ex qb⁹ formaĩ talis rõ: Res quæ habet & sola æqualiť se habẽs ad vnũ & plura indiuidua est vniuersalis in actu prædicãdo res quælibet sola vt repræsentata intellectui nostro, est æqualiter se habens ad vnũ & plura inferiora: ergo res quælibet & sola, vt repræsentata intellectui nostro, est vniuersalis in actu in prædicãdo. Maior patet ex diffinitione vniuersalis assignata ab Ari. primo Peri hermenias. Minor verò quo ad secundam partem patet ex prima propositione: quo ad primam autem partem ex reliquis tribus.

c. 5. q. 9.

1. circa principiũ.

EX HIS Corollariẽ elicio, quòd ad hoc quòd aliquid sit vniuersale in actu in prædicãdo, non exigitur actualis relatio naturæ obiectæ ad particularia: sed sufficit quòd res ipsa sit in ea dispositione, secũdũ quã intellectus ad libitũ possit illam relationem sibi verẽ attribuere, nihil addendo præter ipsam actualem relationem.

¶ Istis prælibatis, iam patere potest conclusio intenta secundum omnes tres sensus assignatos.

Primus sensus.

¶ Et pro primo quidem sensu argui potest sic, Id quod in intellectu non est impossibile prædicari de multis, seu (vt Aris. verbis vtar) aptum natum est prædicari de multis, est vniuersale in prædicando: sed res secundũ esse obiectum in intellectu agente est huiusmodi, ergo res secundum esse obiectiuum in intellectu agente est vniuersalis in prędicãdo, Maior patet ex Auic. & Arist. Minor verò probatur sic, Res abstracta à conditionibus indiuidualibus vt sic, est apta nata prædicari de pluribus: res secundum esse obiectiuum in intellectu agente, est abstracta à conditionibus indiuidualibus: ergo, &c. Præmissæ omnes ex dictis sunt manifestæ.

2. dist. 3. q. 1.

EX HIS Habes quàm malẽ dixerit Sco. secundo sen. distin. 3. q. 1. in rñsione ad primũ, dicẽdo, quòd natura ante actum intellectus possibilis nihil habet, nisi quòd conuenit sibi extra animam. Patet enim iam quòd secundum sententiam Arist. est actu intelligibilis abstracta ab hoc & nunc: & consequenter vniuersalis in actu ante actum intellectus possibilis.

¶ Pro tertio sensu arguere aliter non est opus: eo quòd eodem modo procedendum esset.

Secundus sensus.

¶ Secundus autem sensus intelligentibus terminos ex rationibus terminorum clarus est. Natura nanque secundũ esse subiectiuum in intellectu possibili, nihil aliud est quàm similitudo immaterialis sui repræsentatiua in illo existẽs. Similitudo autẽ immaterialis à singularibus abstracta, rem vniuersaliter necesse est repræsentet: eoipso quòd abstracta est. Si enim rem vniuersaliter non repræsentet: sed particularibus conditionibus immixtam: & non à materialibus condicionibus abstractam, non esset vniuersalis: ergo in repræsentando ipsam est vniuersalis res, secundum quod est subiectiua i intellectu possibili, id est species seu similitudo ipsius naturæ pro quanto repræsentat naturã ipsam non repræsentatis conditionibus indiuidualibus.

¶ Et nota quòd quia natura ipsa habet duas similitudines in aĩa, scilicet speciẽ intelligibilẽ & cõceptus: siue speciẽ impræssam & speciẽ expressam: ideo secundũ vtranq; speciem est vniuersalis in repræsentando. Quare autem oporteat duas species ponere, & quomodo, si Deus cõcesserit nobis vitam, alibi dicetur. Quamuis autem conclusio secunda possit omnibus modis dictis verificari: attamen primus & tertius sunt ad propositum literæ. Intendimus enim hîc de vniuersali in prædicando, quòd intentionẽ logicam sonat, & non de vniuersali in repræsentando quòd nulla intentione secunda logica dicitur vniuersale, sed ex esse proprio, quod secundum rem sortitur.

¶ Literã sic glossare potes. Ipsa enim natura habet esse in intellectu agente vel possibili tam obiectiuẽ, quàm subiectiuẽ abstractũ ab omnibus indiuidualibus condicionibus. Et habet rationẽ vniformẽ obiectiuẽ in prædicando, subiectiuẽ in repræsentãdo, ad omnia indiuidua quæ sunt extrà, prout essentialiter est similitudo omnium obiectiuẽ in essendo: subiectiuẽ in repræsentãdo, inducens cognitionem omnium, inquantum sunt homines: quia vt sic assimilantur. Et ex hoc quòd talem relationẽ, scilicet vniformitatis & similitudinis essentialis vel repræsentatiuæ habet natura ad omnia indiuidua intellectus, adinuenit rationem speciei, id est, secundam intentionem, quæ est species, & attribuit ipsi naturæ vniformiter se habenti ad indiuidua ex hoc, quòd repræsentatur absque omni indiuiduantium difformitate.

QVAESTIO VII.

Num Vniuersalia in actu sint extra animam.

CIRCA Dicta est quæstio non modica, An vniuersalia in actu sint extra animam, an fiant per opus intellectus, quemadmodum dictum est. In hac quæstione primò declarabitur titulus. Secũdò ponetur opinio Scoti. Tertiò ponetur opinio S. Tho. Quartò respondebitur ad argumenta in oppositum.

QVO AD Primũ: quia hæc quæstio diuersimodẽ intellecta, diuersis modis à philosophis determinata est, impræsentiarum Peripateticam sententiam supponendo, scilicet quòd vniuersalia non subsistant extra singularia, declaranda est quomodo intelligatur.

¶ In nomine Vniuersalis tria intelligimus. Primò vniuersalitatem, quæ est relatio rationis. Secundo rem, quæ denominaĩ vniuersalis ab illa vniuersalitate. Tertio, aptitudinem ad essendum in multis, quæ est quid mediũ inter illa duo, & est fundamentum proximum, quare res suscipiat illam relatiuã denominationem: ideo enim rei intellectus attribuit relationẽ vniuersalitatis, quia res illa apta nata est esse in pluribus: nõ vertitur in dubiũ, an illa relatio, quæ vocatur vniuersale formaliter sit extra animam: eã enim omnes ab intellectu fieri dicũt. Nec quæritur an illa res, quæ denominatur vniuersalis, quæ vocaĩ vniuersale obiectiuẽ in potẽtia, sit extra animã. Cõmunis enim sentẽtia est, quòd quãq; res illa est extra animã, quandoque non. Si enim res illa est res realis, puta homo, bos & huiusmodi, ponitur extra animã. Si autem res illa sit ens rationis, non ponitur extrà, vt subiectũ, prędicatũ, propositio, syllogismus, & similia. Sed dubitatio est, an aptitudo ad essendum in multis sit extra animam: ita quòd absque omni tẽpore intellectus inueniatur res apta nata esse in multis, quæ vocatur vniuersale in actu obiectiuẽ: an solũ extra animã sit res. Aptitudo autẽ ad essendũ in multis inest rei per opus intellectus. Et quia aptitudo illa cõplet rationẽ vniuersalis in actu obiectiuẽ sumẽdo vniuersale, licet nõ formaliter: ideo quærere an extra animã inueniaĩ totum hoc, scilicet res apta nata esse in pluribus, est quærere, an sit extra animã vniuersale in actu obiectiuẽ.

Vniuersale dupliciter sequitur.

ET DEBES Scire ad euidẽtiam terminorũ, quòd sicut albũ accipitur dupliciter, scilicet formaliter & subiectiuẽ: ita vniuersale accipitur dupliciter, scilicet formaliter & subiectiuẽ. Subiectiuẽ enim accipi non potest, eo quòd vniuersalitas in nullo est subiectiuẽ cùm sit ens rationis. Vniuersale formaliter est ipsa vniuersalitas, quæ relationis est. Vniuersale obiectiuẽ subdiuiditur in vniuersale obiectiuẽ in actu, & vniuersale obiectiuẽ in potẽtia. Vniuersale obiectiuẽ in actu est totũ hoc, scilicet res vna apta nata esse in pluribus. Vniuersale obiectiuẽ in potentia est res ipsa vna formaliter. non adiũgẽdo sibi aptitudinẽ ad essendũ in pluribus. Ex his patet, in quo stat difficultas: & patet in quo quid nominis terminorũ in titulo quæstionis positorũ. Intẽdimus enim non de vniuersali formaliter, nec de vniuersali obiectiuẽ in potentia: quia in his cõuenimus, sed de vniuersali obiectiuẽ in actu Propterea cũ loquimur de vniuersali in actu absque additione obiectiuẽ intelligi volumus ne in æquiuoco laboremus. Hæc de primo.

Sco. 7. meta. q. 16. & 2. di. 3. q. 1.

QVO AD Secũdũ Sco. supra 7. Met. q. 16. sequẽdo fundamẽta sua: quòd scilicet naturã extra animã sequaĩ vnitas formalis & communitas, opinatur rem vnã aptã natam esse in pluribus dari extra animam: ac hoc dicit vniuersale in actu esse in rerũ natura absque omni opere intellectus. Adducit quoq; ad hoc multas rationes, quas in medium afferre esset limites intẽtionis nostræ excedere: propterea eas afferam, ex quarum solutione reliquarum debilitas innotescit.

¶ Arguit primò per locũ à diffinitione ad diffinitum sic: Circunscripto quocũque actu intellectus res est apta nata esse in plurib⁹: ergo daĩ vniuersale in actu extra animã. Tenet cõsequentia, quia vniuersale obiectiuẽ in actu, vt distinguitur contra singulare & prædicabile diffinitur, primo Peri hermenias, Vniuersale est quod aptũ natũ est esse in pluribus. Antecedẽs probatur: quia si nõ, ergo aptitudo ad essendũ in pluribus repugnat sibi, nec cõferri sibi posset saltem ab intellectu: quia tũc pari ratione posset dare Sorti talem aptitudinem.

cap. 5. lect. 10.

¶ Preterea, Vniuersale in actu est propriũ obiectũ intellectus: igitur præcedit actũ intellectus. Tenet cõsequẽtia ex secũdo de anima, vbi dicitur quòd obiectũ est prius actu.

T. c. 33

¶ Præterea, Obiectũ scientiæ realis est ens extra animã, vniuersale in actu est obiectum scientiæ realis, igitur vniuersale in actu est ens extra animam,

Universidad de Deusto Biblioteca

¶ Præterea, Relatio mensuræ est realis, quinto Meta. sed illa fundatur in aliquo vniuersali. Probatur: quia oportet esse aliquod vnum mensuram aliarum specierum: sed nō vnum numero secundum Arist. ergo vniuersale.

¶ Præterea, Operatio seu passio realis primò & adæquatè inest vniuersali: vt intelligere homini ex primo posteriorum. igitur datur vniuersale extra animam.

¶ Præterea, Contrarietas est oppositio realis: & eius extrema sunt vniuersalia non singularia, ergo dantur vniuersalia extra animam.

¶ Præterea, Si vniuersale fit ab intellectu, quomodo res prædicatur de re? & quomodo vniuersale est vbique & semper incorruptibile & æternum? & quomodo materia & forma pertinent ad quidditatem vniuersalis Physici? & quomodo vniuersalium tantùm est diffinitio? & quomodo genera & species, & vniuersaliter prædicamenta sunt entia extra animam?

¶ Præterea, Si nihil esset in re nisi singulari, nulla esset vnitas realis, nisi numeralis, quæ est propria singulari: consequens est falsum: ergo, &c. Hæc de secundo.

Opinio sancti Tho. QVO AD Tertium scito nos sequentes S. Tho. ac per hoc communem Peripateticorum doctrinam oppositam in hac re proferre sententiam. Dicimus namque, quod illorum trium, quæ in Vniuersalis nomine intelliguntur, vnum tantùm quandoque est extra animam, scilicet res ipsa vna formaliter reliquis duobus opus intellectus consequētibus: quod & probatur simili modo arguēdo, quo supra argutum est, Quicquid sequitur naturam ratione sui, simpliciter prædicatur de indiuiduo illius naturæ: sed aptitudo ad essendū in pluribus apertè sequit naturā: puta humanitatē rōne sui. ergo aptitudo ad essendū in pluribus prædicatur simpliciter de indiuiduo humanæ naturæ: igitur ista erit vera, Sortes est aptus natus esse in pluribus: quod est impossibile. Maior manifesta fuit supra, ex eo quod omnia, quæ comitantur naturam ratione sui, non separantur ab ea posita in indiuiduo: & consequenter prædicantur de eo; quia, esse in, fundat dici de.

¶ Præterea, Omnis aptitudo fluens ab aliqua natura, inuenitur in qualibet singulari natura inferiori ad illā: sed aptitudo ista, scilicet ad essendum in pluribus, fluit ab aliqua natura: puta ab humanitate, ergo aptitudo ad essendum in pluribus inuenitur in qualibet natura humana. processus bonus, & conclusio falsa; ergo altera præmissarum, non Maior, quæ ex terminis patet; ergo Minor, quæ est conclusio aduersariorum. Falsitas conclusionis probatur sic, Illa aptitudo attribuenda non est cuilibet humanitati, quæ in qualibet humanitate impossibilis est reduci ad actum. Patet ista: quia aliter ociosè data esset talis aptitudo. Aptitudo enim est propter actum: sed aptitudo ad essendum in pluribus est huiusmodi, scilicet quod in qualibet humanitate posita impossibilis est reduci ad actum: quia impossibile est, vt humanitas Sortis actu sit in Sorte & Platone, aut migret de Sorte in Platonem: ergo aptitudo ad essendum in pluribus non est attribuenda cuilibet singulariter humanitati. Dicamus igitur rem vnam esse extra animam. Aptitudinem autem ad essendum in pluribus conuenire rei secundum esse, quod habet in intellectu; quia conuenit ei sub solitudinis conditione positè. Solitariè enim accepta natura apta nata est in multis, saltem secundum rationem esse. Solitudo autem cùm importet separationem naturæ à proprietatibus indiuidualibus, non conuenit rei nisi in intellectu agente vel possibili obiectè.

hoc eo. c. 5., circa fi. ET ADVERTAS Ad Maiorem nostræ positionis euidentiam quod hîc accidit similis defectus Scoto illi, qui positus est suprà. Cùm enim aptitudo ad essendum in pluribus sit idem, quod non repugnantia ad essendū in pluribus, arguit sic, Naturæ, puta humanitati inquantū humanitas nō repugnat esse in pluribus: ergo humanitati, inquantum humanitas, cōuenit aptitudo, seu non repugnātia ad essendū in pluribus: & cōsequēter humanitas est vniuersalis absque opere intellectus. Apparet autē manifestè peccatū in hoc processu, cū ex negatiua infertur affirmatiua de prædicato infinito reduplicatione addita. Prima enim propositio, quæ est negatiua veritatē habet. Secunda verò quæ affirmatiua est, est impossibilis: quod patet ex eo, quod humanitas inquantum humanitas abstrahit à repugnātia ad essendum in pluribus, & non à repugnantia ad essendum in pluribus sicut abstrahit ab albo & non albo. Si enim humanitas vindicaret sibi inquantum humanitas, non repugnantiam ad essendum in pluribus, nullo pacto humanitati posset cōuenire repugnātia ad essendū in pluribus: et sic nec per se, nec per accidēs posset repugnare humanitati esse in pluribus: quod est manifestè falsum. Humanitati enim Sortis ratione adiunctæ hæccheitatis repugnat esse in pluribus: Consequētia tenet: quia oppositum eius quod conuenit alicui, secundū quod ipsum nullo modo potest inueniri in illo: vt habes ex primo Posteriorum. *T. t. 16.* Quamuis igitur naturæ ratione sui non repugnet esse in pluribus: non tamen vendicat sibi ratione sui non repugnantiam ad essendum in pluribus: & cùm eam non vendicet sibi secundum esse, quod habet in singularibus, relinquitur quod vendicabit eam sibi secundū esse quod in intellectu sortitur. Et quia ad hoc quod aliquid fit vniuersale in actu, exigitur quod vendicet sibi non repugnantiam ad essendum in pluribus cùm in diffinitione eius ponatur: quod enim ponitur in diffinitione per se cōpetit diffinito: ideo res ratione sui non potest esse vniuersalis in actu, sed quamprimum est obiecta intellectui agenti vel possibili, fit vniuersalis in actu, quæ vniuersalis erat in potentia. Quomodo autem fiat huiusmodi reductio potentiæ ad actum, iam dictum est, scilicet quod ab intellectu agente fit per productionem speciei intelligibilis, ab intellectu verò possibili per formationem conceptus.

In hoc eo capit. ¶ Quod si aliquis finxerit, vniuersale in actu constitui per negationem repugnantiæ ad essendum in pluribus: & non exigere affirmationem non repugnantiæ aduertat se errare propter tria.

¶ Primò, propter hoc, quod in diffinitione vniuersalis affirmatiuæ cadit ipsa aptitudo seu non repugnantia ad essendum in pluribus.

¶ Secundo, quia si ad vniuersalē sufficit negatio repugnātiæ ad essendū in pluribus, ad singulare quoque sufficiet negatio repugnantiæ ad essendum in vno solo. Sicut enim vniuersale se habet ad multa: ita singulare ad vnum tantùm: & si sic est tunc humanitas, inquantum humanitas, erit vniuersalis & singularis: de ea enim vt sic negatur vtraque repugnantia.

¶ Tertiò, quia cùm vniuersale in actu distinguatur contra singulare: sicut singulari repugnat esse in pluribus, ita vniuersali in vno tantùm: humanitati autem, de qua negatur repugnantia ad essendū in pluribus, non repugnat esse in vno tantùm: ergo negatio talis repugnantiæ non sufficit ad constituendum vniuersale in actu. *2. di. art. 10. cō. 31.* Et potest hæc ratio formari cōtra principale sic: Vniuersale in actu repugnat esse in vno tm̄: humanitati inquantū humanitas non repugnat esse in vno tātū, aliter non posset saluari in vniuoco tantùm indiuiduo: ergo humanitas vt sic, non est vniuersalis in actu. Similiter dicas de quacunque alia natura. Hæc de tertio.

QVO AD Quartum respondendum est argumētis in oppositū. Et primū quidem negatur antecedēs, ad cuius probationē dicitur negādo cōsequētiā. Nō enim valet res circūscripto actu intellectus, nō est genus: ergo sibi repugnat esse genus. Stat enim quod abstrahat ab vtroque: sic autē est in proposito. Natura enim ipsa circūscripto actu intellectus abstrahit ab aptitudine ad essendum in pluribus, & à repugnantia ad essendum in pluribus: vt ex dictis patet.

¶ Ad secundum dupliciter respondetur, & vtroque modo bene. Primò negatur consequentia, si sermo sit de intellectu agente: quia potentia actiua non præsupponit obiectum suum, sed facit illud. Si autē sermo sit de intellectu possibili, concessa consequentia prima, non sequetur, ergo vniuersale in actu est extra animā: quia fit per actū intellectus agētis. Secūdò dicitur, quod cū vniuersale in actu nominet duo, scilicet rem & aptitudinem, &c. res ipsa est obiectum, aptitudo autem est modus obiecti seu conditio, sine qua res nō est obiecta. *2. d. art. 10. cō. 33.* Sufficit autem, quod res ipsa, quæ est obiectum, præcedat actum intellectus: & non oportet quod modus eius præcedat. Obiectum enim, ait Aristot. est prius actu, non modus obiecti. Vnde ad formam argumēti negetur consequentia: quia & si posterioritati antecedētis non obstet aptitudinem esse medium obiecti: obstat tamen illationi consequentis ex eo, prioritas enim modi non potest inferri ex posterioritate obiecti.

¶ Per hoc idem respōdetur ad tertium, quòd scilicet res obiecta scientiæ reali est extra animā, nō modus rei obiectæ: vniuersale autem in actu nominat vtrumque, scilicet rem & modum: & ideo vniuersale in actu non sequitur esse extra animam, ex eo quod res, de qua est sciētia est extra.

¶ Ad formam argumenti dicitur, quòd vera existente maiore committitur fallacia figuræ dictionis: mutatur enim res obiecta in modum rei, seu in rem cum modo.

SED CONTRA Istas respōsiones instat Scotus ibi: & primò contra primam sic, Quicquid est per intellectum agentem est prima intentio: ergo nullum vniuersale est in genere substantiæ: consequenter nulla est prædicatio in quid superiorum de inferioribus.

¶ Præterea, Vniuersale præcedit sensum, vt alias probatum est, ergo præcedit intellectum agentem.

¶ Præterea, Intellectus agens & possibilis sunt vna potentia: alias quilibet homo haberet duos intellectus: sed vnius potentiæ est vnum obiectum: quare si præcedit actum vnius, præcedit actum alterius.

¶ Præterea, Secundum hoc non esset generatio vniuoca sine actione intellectus agentis. Dicetur fortè quòd non habeat aliquam vnitatem realem generans & genitum, sed similitudinem. Contrà, quia proximū fundamentum similitudinis est vnum. quinto Metaphysicæ: sed nō generans neque genitum, ergo aliquid commune vtrique.

T. c. 20. CONTRA SECVNDAM Verò responsionem arguit: quia nullo intellectu considerante non erit vniuersale in actu: & ita scientia habitualis non esset obiecti vniuersalis in actu.

¶ Præterea, Obiectum, inquantum est prius actu, non intelligitur sub hoc modo: ergo vel sub nullo, vel sub opposito modo: sed non sub nullo: ergo, &c.

¶ Præterea, Aut ille modus est factus ab intellectu, aut non: si non, habetur intentum: si sic, ergo non est necessarius in obiecto: quia prius obiectum est intellectum sine illo modo causato per intellectionem obiecti.

AD HAS Instantias respondetur, præsupponendo sæpe iam dictum, quòd vniuersale duo dicit, rem & aptitudinem, seu vniuersalitatem. Vniuersale pro re posita in prædicamento est prædicabile, scibile est obiectum intellectus, diffinibile, & huiusmodi. Vniuersale autē pro aptitudine est modus seu conditio rei prædicamentalis prædicabilis, scibilis, diffinibilis, &c. neque intellectus agens, aut possibilis facit rem, sed modum tantùm.

¶ Ad primam ergo cōceditur, quod vniuersale pro eo quod fit ab intellectu agente, nō est in prædicamēto substātiæ, vlterior autem consequentia nullam habet apparentiam.

¶ Ad secundam negatur antecedens, visus enim etsi sit coloris vniuersaliter, vt habes, à S. Tho. Prima secūdæ, q. 26. ar. 6. non tamen est coloris vniuersalis.

¶ Ad tertiam similiter negatur antecedens, necessarium enim est vt dicitur tertio de anima, tex. com. 17. in anima nostra esse duos intellectus, scilicet agentem & possibilē: qui non possunt esse eadem potētia, cùm potentia actiua & potentia passiua non sint eadem apud Arist.

¶ Ad quartā negatur consequentia, & dicitur quod responsio illa ibi data est optima sanè intellecta. Ad improbationem eius dicitur, quod similitudo fundatur supra res ipsas, puta duas albedines, vel humanitates, tanquā fundamentum: & quod vnitas non est fundamētum similitudinis, sed conditio fundamenti: fundatur enim similitudo propriè dicta supra duas res habentes illam conditionem, scilicet mutuam negationem distinctionis formalis, puta duas albedines: & hoc modo intelligēdus est Arist. 5. Meta. *T. c. 20.* Et dato quod vnitas esset fundamentum, adhuc nō sequeretur dari aliquid commune vnum vtrique: dicam enim quòd similitudo non fundatur supra vnum, quod est generans, neque supra vnum, quod est genitum, sed supra vnum, quod sunt generans & genitum. Iam autem declaratum est suprà committi fallaciam consequentis, si sic procedatur, Generans & genitum sunt vnum formaliter, ergo habent aliquid vnum commune vtrique.

AD PRIMVM Eorum, quæ contra secūdam responsionem adducuntur, dicitur quod præcisè loquendo, de intellectu possibili, sequatur vniuersale, quemadmodū scientia: ita quod scientia in actu est vniuersalis in actu: scientia in potentia est vniuersalis in potentia, & sciētia in habitu est vniuersalis in habitu, quod tunc accidit, quando cùm volumus ipsum, in actu facimus. Egrediendo autē ad intellectum agentem, dicitur quod nullo intellectu considerante, dummodo producta sit species intelligibilis, datur vniuersale in actu: eo quod Philosopho dormiente, rosa, cuius species intelligibilis in illius intellectu conseruatur, denominatur repræsentata absque hoc, & nunc actu intelligibilis, &c.

¶ Ad secundum dicitur, quod obiectum vt prius actu nullum sibi vendicat modum. abstrahit enim ab omni esse & modo quidditas.

¶ Ad tertium dicitur, quod modus ille fit ab intellectu agēte: & cùm infertur, ergo non est necessarium, negatur consequentia: quia potentia actiua non præsupponit conditionem sui obiecti. sed facit. Dicitur secūdò, quod dato quod non fieret ab intellectu agente, fit ab intellectu possibili: & similiter negatur illa consequentia. Ad probationem dicitur, quod falsum assumit, scilicet quod prius intellectus intelligit rem, deinde facit eius modum: simul enim vtrunque fit: intellectus enim formando conceptam rem absque hoc & nunc apud se facit: neque potest imaginari, quòd prius faciat rem: deinde absque hoc, & nunc, sicut Sortes simul generat hominem nunc, & non prius hominem: deinde hunc.

¶ Ad quartum negatur, quod relatio mensuræ fundetur in aliquo vniuersali: fundatur enim neque in vniuersali, neque in singulari, vt sic: sed in natura vna formaliter quę in singulari reperitur: & sic non est vnum numero: vt sic mensura aliorum, sed vnum formaliter.

¶ Ad quintum dicitur, quod nihil aliud concludit, nisi quod vniuersale pro re est extra animam: sic enim accepto vniuersali inest primò passio seu realis operatio. homo enim est cui primò conuenit ridere: non homo vniuersalis. alioquin risibile non inueniretur in homine non vniuersali, puta Sorte.

¶ Ad sextum dicitur similiter, quod extrema contrarietatis sunt res, ipsæ non res particulares vt sic, neque vniuersales: aliter res non vniuersales scilicet hæc albedo & hæc nigredo, non essent contrariæ.

¶ Ad septimum dicitur, quod stant ista duo simul, Vniuersale prædicatur de rebus: &, Vniuersale fit ab intellectu: eo quòd vniuersale pro re est id quod prædicatur: & quo ad hoc non fit ab intellectu. Vniuersale autem pro aptitudine est conditio rei, quæ prædicatur: & talis fit ab intellectu: prædicatio enim non debetur rebus nisi habētibus conditionem aliquam intentionalem. Vnde & Aristo. 7. Met. tex. com. 46. ait, quod substantia non dicitur de subiecto: quia loquebatur de ea secundum suam naturam. In prædicamentis verò vbi de substantia induta accidentia intentionalia loquebatur, dixit substātiā dici de subiecto.

¶ Ad id verò, quod ibi additur, dicitur quod omnia illa verificantur de vniuersali pro re: sed exponenda est affirmatiua propositio negatiuè, vt sit sensus, Vniuersalia sunt vbique, &c. id est, naturæ ipsæ denominatæ vniuersales non terminant sibi locum neque tempus. Similiter dicitur ad id, quod subiungitur, quod forma & materia pertinent ad quantitatem vniuersalis, id est rei physicæ, quæ denominatur vniuersalis. Similiter vniuersaliū tātū est diffinitio, id est rerū quę denoīatæ sunt vniuersales. Similiter res denoīatæ genera, species, & differentiæ sunt extra animā: conditiones autem earum sunt per opus intellectus.

¶ Ad octauū dicitur, quod per ly singulare, duo intelligere possumus: quandoque intelligitur ipsa singularitas, quādoque totū, scilicet res singularis. Primo modo accipiendo singulare, cōceditur cōsequētia: sed antecedēs nō est verū. Secundo modo antecedens Peripateticū est: sed cōsequētia nihil valet: suprà enim iam diximus, in singulari multas vnitates existere, & non tantùm numeralem.

hoc c. q. 5. Et quāuis hæc natura intellecta habeat rōnem vniuersalis, secūdū quod cōparatur ad res, quæ sunt extra animā, quia est vna similitudo omniū: tamē secūdum quod habet esse in hoc intellectu vel in illo, est species quædā intellecta particularis: & ideo patet defectus Cōmentatoris in tertio de anima: qui voluit, ex vniuersalitate formæ intellectæ vnitatē intellectus *Com. 5.* cōcludere, quia nō est vniuersalitas illius formæ secū dum hoc esse, quod habet intellectū, sed secūdū quod ad res refertur, vt similitudo rerū. Sicut etiā, si esset vna statua corporea repræsentans multos homines, constat quod illa imago vel species statuæ haberet esse singulare & proprium, secundum quod esset in hac materia, sed haberet rationem communitatis, secundū quod esset commune repræsentatiuum plurium.

¶ In hac secunda parte capituli huius Auer. errorem remouere intendit, qui in tertio de aīa, cō. 5. ex vniuersalitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

formæ intellectæ voluit declarare vnitatem intellectus hoc modo. Quod est vniuersale, suam vniuersalitatem retinens est indistinctum numero: forma intellecta, id est natura secundũ esse in intellectu subiectiuè est vniuersalis suam vniuersalitatem retinens: ergo est indistincta numero. igitur subiectum eius quod est intellectus possibilis non est distinctum numero: & sic vnus intellectus in omnibus hominibus concluditur. Maior videtur ex se nota, quia vniuersalitati opponitur distinctio numeralis. Minor verò ex eo patet quod species intelligibilis repræsentat vniuersale. Hæc ratio etsi alterius principium exigat pro sui dissolutione, & pro sui probatione: attũ quantum præsentis intentionis est ex dictis sic destruitur, Vniuersale est aliquod duplex, scilicet in essendo & in repræsentãdo. Vniuersale in essendo esset, si daretur natura hominis separata, vt idea Platonis: & de tali vniuersali vera est Maior: sed falsa Minor. Vera quidem Maior, quia tali vniuersali cùm secundum esse vniuersalitatem sortiatur, secundum esse quoque repugnabit distinctio numeralis: vnde impossibile est imaginari plures homines vniuersales. Falsa aũt est Minor, q̃ species intelligibilis nõ est vniuersalis in essẽdo, cũ sit in singulari subiecto, scilicet intellectu possibili, q̃ indiuiduũ quoddã est, licet immateriale. Vniuersale verò in repræsentãdo (vt dictũ fuit est qd̃ rem vniuersalẽ repræsentat: & de tali vniuersali falsa est maior licet Minor sit vera & Maioris qdẽ falsitas ex eo cognosci põt, q̃ tale vniuersale vniuersalitatẽ nõ habet secundũ suum esse, quo respicit subiectum, vnde vnitas vel pluralitas numeralis in accidentibus oritur: sed habet vniuersalitatem secundum repræsentationem, quã respicit obiectum: vnde non repræsentat obiecta distincta numero: sed vnũ & idem obiectum omniũ repræsentant omnes species cuiusdem rei. puta species humanitatis in te & in me: sicut eadẽ Sortis facies à pluribus per plures species idem omnino repræsentantes videtur. Minoris autem sic intellectæ veritas ex supradictis liquet: species enim intelligibilis repræsentat naturam, non repræsentando conditiones particulares eius vt dictũ est. hæc est sententia litteræ in hac parte.

Et quia naturæ humanæ secundum suam absolutam considerationem conuenit, quòd prædicetur de Sorte: & ratio speciei non conuenit sibi secũdum suam absolutam, scilicet humanæ naturæ considerationem, sed est de accidentibus, quæ consequuntur eam, secundum quoddam esse, quod habet in intellectu: ideo nomen Speciei non prædicatur de Sorte, vt dicatur, Sor. est species, quod de necessitate accideret, si ratio speciei conueniret homini secundum esse, quod habet in Sorte, vel secundum suam absolutam considerationem, scilicet inquantum est homo, quicquid enim conuenit homini, inquantum est homo, prædicatur de Sorte.

¶ In hac parte tertia capituli huius talem obiectionem ex supradictis excludere intendit: quia quod prædicatur de prædicato prædicatur & de subiecto: sed species prædicatur de homine, quod est prædicatum respectu Sortis, ergo species prædicatur de Sorte: & sic Sortes erit species. Conclusio est falsa: Maior vera ex Anteprædicamentis habetur. Huius obiectionis peccatum vnde oriatur ex supraposita distinctione eorum quæ conueniunt naturæ: manifestat simul ex hoc insinuans quàm conueniens tradita fuerit doctrina, cũ ex ea difficultates accidentales dissoluuntur. Cùm enim dictũ sit, q̃ triplicia sunt quę de natura prædicantur, quædam scilicet absolutè, & quædã secũdũ esse in intellectu, & quędã secũdũ esse in singlari, ea quæ cõueniunt naturæ secundũ esse in intellectu, non cõueniunt ei absolutè, neq; secundũ esse in singulari cùm opposita sint: & ideo in prædicto processu error accidit: quia denominatio specifica homini secundum esse in intellectu conuenit: & concluditur de homine secundum esse in singulari: dum infertur, ergo Sortes est species. Vt autem ad formam argumenti dici posit, innuit talem distinctionem: Prædicari de prædicato cõtingit dupliciter. Vno modo vt prædicato, id est secundum quod illud prædicatur de altero, sicut animal prædicatur de prædicato Sortis, scilicet homine: secundum id secundum quod homo prædicatur de Sorte: secundum idem enim homo recipit prædicationem animalis & prædicatur de Sorte, secundum suam naturam: & hoc modo Maior est vera: Minor autem falsa. Alio modo contingit prædicari de prædicato, non vt prædicato: id est non secundum illam rationem, qua illud prædicatum de suo subiecto prædicatur, sicut in proposito species non prædicatur de homine inquantum homo est prædicatum Sortis, id est non prædicatur de homine secundum illud esse, quo homo prædicatur de Sorte: eo quòd homo prædicatur de Sorte secundũ suum esse quidditatiuum absolutè: species autem prædicatur de homine non secundum eius esse quidditatiuum, sed secundum esse quod in intellectu habet: & hoc modo Maior est falsa: Minor autẽ vera semper: ergo altera præmissarum est falsa. Et hoc est quod in litera dicitur, quòd ratio speciei non conuenit homini secundum suam absolutam considerationem, secundum quam conuenit sibi prædicari de Sorte: quia sic oportet etiam conuenire Sorti (vt supra dictum fuit) sed conuenit ei secũdum esse in intellectu secundum quod esse prædicatur de Sorte.

Et tamen prædicari conuenit generi per se, cùm in eius diffinitione ponatur. Prædicatio enim est quoddam, quod completur per actionem intellectus componentis & diuidentis: habens tamen fundamẽtum in re, ipsam vnitatem eorum, quorum vnum de altero dicitur. Vnde ratio prædicabilitatis potest claudi in ratione huius intẽtionis: quæ est genus, quæ similiter per actionem intellectus completur, nihilominus id, cui intellectus intentionem prædicabilitatis attribuit, componens id cum altero, non est ipsa intentio generis, sed potius id, cui intellectus intentionem generis attribuit, licut quod significatur hoc nomine Animal. sic ergo patet qualiter essentia vel natura se habet ratione speciei, quia ratio speciei nõ est de illis, quæ conueniunt ei secundum suam absolutam considerationem: neque de accidentibus, quæ consequuntur ipsam secundum esse, quod habet extra animam, vt albedo vel nigredo: sed est de accidẽtibus, quæ consequuntur eam secundum esse, quod habet in intellectu: & per hunc modum conuenit sibi ratio generis vel differentiæ.

¶ In hac quinta parte capituli huius respondere intendit cuidam tacitæ obiectioni, quæ talis est. Quod per se prædicatur de speciebus, conuenit ipsis speciebus: sed ly genus, per se prædicatur de speciebus, puta homine & boue: ergo ly genus, conuenit ipsis speciebus: & sic homo erit genus & similiter bos. Maior est ex terminis notarum plicat enim quòd aliquid per se prædicetur de aliquo in quocunque modo perfectatis & non conueniat illi. Minor probatur sic, Illud, in cuius diffinitione ponitur prædicari de speciebus, per se prædicatur de illis: sed ly genus est, in cuius diffinitione ponitur prædicari de speciebus: ergo genus per se prædicatur de speciebus. Maior (ylogismi huius patet ex eo, quòd quælibet pars diffinitionis in recto in primo modo perfectatis cõuenit diffinito. Minor autem ex Porphyrio patet sic dicente, Genus est prædicabile de pluribus specie differentibus.

¶ Similiter omnino potest argui de specie respectu indiuidui, cùm etiam in diffinitione species ponatur prædicari de indiuiduis, & sic videtur quòd malè dictum sit, Sortem non esse speciem. Huius obiectionis in litera motiuũ tantum tangit, cùm dicitur, Et tamen prædicari per se conuenit generi, cùm in eius diffinitione ponatur.

¶ Responsio autem in residuo ponitur: in quo ad plenam materiæ huius discussionem duas distinctiones innuit. Prima est, prædicari dupliciter capitur, scilicet formaliter, & fundamentaliter, seu materialiter. Secunda est, genus dupliciter accipitur, scilicet formaliter, & fundamentaliter, seu materialiter. Et debes scire, vt terminos intelligas, q̃ in hac propositiõe, Homo est aial, sunt tria. scilicet ly homo, ly est, & ly animal: quæ extra animã nihil aliud sunt, q̃ natura humana importata per ly homo, & natura sensitiua importata per ly animal, & vnitas seu cõstrictio earum inter se importata per ly est, hæc enim tria intellectus apprehendens in secunda sua operatione format hanc propositionem, Homo est animal: qua formata reflectendo se super illa tria, vt terminant actum sui compon

Hoc eo. capitulo.

capitulo de genere.

ponẽtis adinuenit & attribuit eis quasdam relationes: & ly homo, attribuit relationem subiecti: & ly animal, relationem prædicati: & ly est, relationem prædicationis. Vnde prædicatio formaliter est illa relatio adinuenta ab intellectu: fundamentaliter verò seu materialiter est cõiunctio rei prædicatæ cum re subiecta. Similiter cùm intellectus apprehendit naturam sensitiuam, & reflexerit se super illam, vt stat sub actu eius, videritque eam vt sic indifferenter se habere ad species in quibus primò inspexerat naturam illam saluari, attribuit naturæ sensitiuę seu animali obiecto relationem generis: & sic genus formaliter est illa relatio: genus autem fundamentaliter seu materialiter est natura ipsa, puta sensitiua: & sic patent termini distinctionum.

EX HIS Tria deducuntur. Primum est, quòd cùm genus fundamentaliter, puta animal, non includat in diffinitione sua prædicationem fundamentalem, quia in diffinitione animalis non ponitur cõiunctio eius cum homine vel boue, neque prædicationem formalem, quia in diffinitione rei non ponitur res secundæ intentionis: cõsequens est quòd genus formaliter sumatur, quando diffinitur à Porphyrio.

Capitulo de genere.

SECVNDVM Est, quòd cùm in diffinitione generis formaliter non cadat prædicatio fundamenlis de specie, puta homine, quia relatio generica non est coniuncta realiter rei, quæ denominatur species: consequẽs est, quòd prædicari de pluribus positũ in diffinitione generis, sit accipiendum formaliter, scilicet pro relatione prædicationis, vna enim relatio põt cadere in diffinitione alterius: ita vt conceptus relationis, quæ est prædicatio de pluribus, &c. cadat in conceptu relationis, quæ est genus. Et hinc habes, quàm conformiter sanct. Thom. dicant asserentes genus & speciem diffiniti pro secundis intentionibus in concreto.

De hoc vide cõ. huimodoc. super Porphy. in c. de genere in princi.

TERTIVM Deducendum est, quòd aliquid dicitur prædicari de specie dupliciter. Vno modo, vt res denominata prædicabilis de speciebus: & sic animal prædicatur de homine & boue. Alio modo, vt id, quo res denominatur prædicabilis de speciebus: & sic genus, in cuius diffinitione ponitur prædicari de speciebus, prædicatur de ipsius speciebus. Sicut aliquid dicitur disgregatiuum visus dupliciter. Vno modo vt res denominata disgregatiua visus, hoc enim modo nix dicit disgregatiua visus. Alio modo, vt id, quo res denominatur disgregatiua visus quẽadmodum albedo dicitur disgregatiua visus, cùm in diffinitiõe eius ponatur, disgregare visum. Et sicut stãt ista duo simul, scilicet quòd res diffinita per disgregare visum est albedo, & non nix, res autem denominata disgregatiua visus est nix & nõ albedo: ita præcisè in proposito stant ista duo simul, scilicet quòd res diffinita per prædicari de speciebus est relatio generica: res autem denominata prædicabilis de speciebus est natura, quæ subest illi relationi, puta animal: ita quòd res diffinita per prædicari, &c. est genus formaliter non materialiter: res autem de nominata prædicabilis est genus materialiter, non formaliter. Vnde in litera dicitur, quòd ratio prædicabilitatis clauditur in hac intentione, quæ est genus: id tamen, cui intellectus intentionem prædicabilitatis attribuit nõ est ipsa intentio generis, sed res: cui etiam ipsa intentio generis attribuitur.

¶ Ex quibus patet responsio ad obiectionem: quia loquẽdo de eo, quod per se prædicatur de speciebus, vt res denominata prædicari, vera est Maior, sed falsa Minor, loquẽdo autem de eo quod per se prædicatur, vt ratio denominandi falsa est Maior: licet Minor sit vera. Vnde cùm sem per altera præmissarum sit falsa nihil conclu tur. Hac distinctione nũc assignata in terminis simplicibus sic vti poteritis, prædicabile de speciebus dupliciter: formaliter & denominatiuè: quod prædicatur de homine & boue denominatiuè est animal: quod autem prædicatur formaliter de homine & boue, est genus, de prædicabili nominatiuè falsa est Minor, de p̃dicabili formaliter falsa est Maior. Hæc dicta cùm applicaueris ad speciem respectu indiuiduorum ad differentiam, proprium, & accidens, & reliqua huiusmodi, solues multas obiectiones, & illucescet tibi veritas multarum propositionum, quæ obscurę apparent. Residuum capituli est Epilogus: per se patent, &c.

CAPVT V.

Quòd simpliciam substantiarum essentia minime sit ex materia & forma quid compositum, sed tantum forma, non item comparetur cõpositorum essentiæ, & quod ex esse & essentia sit composita. Quòd denique intelligentiæ effectiuæ sint à Deo ex actu & potentia compositæ, multipliciter ostendit.

NVNC Restat videre secundum quem modum essentia sit in substantijs separatis, scilicet in anima, intelligentijs, & causa prima. Quamuis autem causæ primæ simplicitatem omnes Philosophi concedant, tamen compositionem materiæ & formæ in intelligentijs & animabus quidam nituntur ponere, cuius positionis fuisse dicitur Auicebron Autor libri Fontis vitæ. Hoc autẽ dictis philosophorũ reperitur quid esse contrarium, quia eas substantias à materia separatas nominant, & absque omni materia esse probant, cuius demonstratio potissima est ex virtute intelligendi, quæ in eis est. Videmus enim formas non esse intelligibiles in actu, nisi secundum quòd separãtur à materia, & à conditionibus eius: nec efficiuntur intelligibiles in actu, nisi per virtutem substantiæ intelligentis, secundum quòd recipiuntur in ea, & secundum quòd aguntur per eam: vnde oportet, quòd in qualibet substantia intelligente sit omnimoda immunitas à materia, ita quòd nec habeat materiam partem rei, neque etiam sit sicut forma impressa materiæ, vt est de formis materialibus.

Substantiæ simplicitatem essentiæ materiales sunt.

¶ Hic incipit tractatus secundus huius operis, intendens in duobus capitulis tradere notitiam de essentijs substantiarum simplicium, quemadmodum tradita est de essentijs substantiarum compositarum. Facit autẽ sex in præsenti capitulo. Primò declarat, quòd essentia in simplicibus non significat compositum quid ex materia & forma, sed formam tantùm. Secũdò comparat illas essentias essentijs substantiarum compositarum. Tertiò ostendit tales substãtias esse compositas ex esse & essentia. Quartò declarat intelligentias habere esse effectiuè à Deo. Quintò ostendit eas esse compositas ex actu & potentia. Sextò de multitudine eorum agit. Præmissa igitur primò concordi sententia Philosophorum de simplicitate omnimoda primæ causæ: & quibusdam dissentientibus circa immaterialitatem intelligentiarum adductis. Contra hostalem conclusionem ponit, Omnis substantia intellectualis est immaterialis, id est cõposita ex materia & forma, & independens à materia: quam sic probat, Omne patiens, vel agens, vel recipiens, vel habens in se intelligibile in actu est immateriale: omnis substantia intellectualis est patiens, vel agens, vel recipiens, vel habens in se intelligibile in actu: ergo omnis substantia intellectualis est immaterialis. Maior quo ad tres sui partes ex eodem medio probatur, scilicet ex hoc q̃ intelligibile in actu oportet esse immateriale, tertio de anima. tex. com. 11. & 15. agens autem rem immaterialem oportet esse immateriale, eo q̃ agens non potest esse ignobilius suo effectu, vt dicitur 3. de anima. tex. com. 18. & tex. com. 40. recipere quoq; immateriale non potest res immaterialis, vt patet 3. de anima, com. 5. vnumquodque recipitur per modum recipientis: & per idem innotescit, quòd habere non potest res immaterialis immateriale cognoscibile in seipsa. Minor autem ab omnibus conceditur. Frustrà enim esset substantia intellectualis nisi alij, id intelligeret: cũ vnumquodq̃ que sit propter suam operationem, vt dicitur 2. Cæli. tex. commenta. 17.

T.c.11. T.c.15.

T.c.5.

Nec potest dicere aliquis quòd intelligibilitatẽ non impediat materia quælibet, sed materia corporalis tantùm: Si enim hoc esset ratione materiæ corporalis tantùm, cùm materia non dicatur corporalis, nisi secundum quòd stat sub forma corporea, tunc oporteret, quòd hoc haberet materia à forma corporali, scilicet impedire intelligibilitatem. Et hoc non potest esse, quia & ipsa forma corporalis actu. intelligibilis est, sicut & aliæ formę, sed quòd à materia abstrahuntur. Vnde in anima intellectiua & intelligentia nullo modo est compositio ex materia & forma: vt hoc modo accipiatur materia in eis sicut in sub-

Intelligẽtia simplex immunis est non modò à corporali, sed ab omni materia, & forma tantùm est.

Universidad de Deusto Biblioteca

stantijs corporalibus: sed est ibi compositio formæ & esse. Vnde in commento nonæ propositionis libri de causis dicitur, quòd intelligentia est habens formam & esse, & accipitur ibi forma pro ipsa quidditate, vel essentia simplici.

¶ Quia posset aliquis credere rationem factam recipere responsionem: ideo intendit hîc excludere responsionem, quæ posset imaginari sufficiens. Ad hoc posset aliquis distinguere de materia corporali & materia simpliciter: & dicere quòd maior est vera de materia corporali, non autē de materia simpliciter: & consequenter concedere, quòd omnis substātia intellectualis est immunis a materia corporali: non autem à materia, quia non materia, sed materia corporalis impedit intelligibilitatem in actu.

¶ Contra hanc fugā instatur ratione ducente ad impossibile sic, Materia corporalis impedit intelligibilitatem per te: ergo forma corporalis est id vnde materia habet, quòd impediat intelligibilitatem: hoc est impossibile: ergo à destructione consequentis, &c. consequentia est nota ex terminis. Cùm enim materia corporalis duo dicat, scilicet ly materia, & ly corporalis, & ex ly materia secundum aduersarium non impeditur intelligibilitas in actu, restat quòd hoc impedimētum sit ex ly corporali: sed ly corporalis nihil addit supra materiam, nisi formam corpoream: ergo ex forma corporali seu corporea oritur, ꝙ materia impediat intelligibilitatem in actu. Falsitas autē consequentis probatur sic, Omnis forma non concepta cum materia est actu intelligibilis: patet ista 3. de anima. text. com. 11. Forma corporea est forma secundum se non concepta cum materia: accipitur enim distincta contra materiam: ergo forma corporea secundum se est actu intelligibilis. Tunc vltra, Nihil secundum se actu intelligibile ex se impedimentum præstat intelligibilitati: forma corporea est homini: ergo forma corporalis non est id vnde materia impedimentum intelligibilitatis sumat: quod erat probandum. Est igitur tam anima intellectiua, quàm intelligentia quælibet non composita ex materia & forma. Si accipiamus compositionē ex materia & forma vniuocè, prout scilicet, materia & forma nominant partes essentiales rei, quemadmodum dictum est, substantias aliquas esse compositas, in præcedentibus, sed est in eis aliud genus compositionis, scilicet ex forma esse: de quo infrà erit sermo: & sic habetur prima pars intenti, scilicet quòd essentia in substantijs intellectualibus nō significat compositum quid ex materia & forma, Remanet ergo modò declarandum, quomodo significet formam tantùm: propterea subiungit,

T. c. 11.

In cap. 2. huius. c. c. Dubio seq. post q. 10.

Essentia simplicium tantū forma est.

Et quomodo hoc sit, planum est videre. Quæcunque enim ita se habent adinuicem, quòd vnū est causa esse alterius, illud quod habet rationem causæ, potest habere esse sine altero, sed non conuertitur. Talis autem inuenitur habitudo materiæ & formæ, ꝙ forma dat esse materiæ: & ideo impossibile est esse aliquam materiam sine forma: tamen non est impossibile esse aliquam formā sine materia. forma enim non habet in eo, quòd forma dependentiam ad materiam, sed si inueniantur aliquæ formæ, quæ non possunt esse nisi in materia, hoc accidit eis secundum quòd sunt distātes à primo principio, quod est actus primus & purus. Vnde illæ formæ, quæ sunt propinquissimæ primo principio, sunt formę per se sine materia subsistentes: non enim forma secundum totum genus suum materia indiget, vt dictum est, & huiusmodi formæ sunt intelligentiæ: & ideo non oportet vt essentiæ, vel quidditates harum substātiarum sint aliud, quàm ipsa forma.

¶ Intēdens in his verbis declarare, quomodo essentia in substantijs simplicibus significet formam tantùm, tali ratione hoc probat: Quæcunque ita se habent, quòd vnum est causa esse alterius, & non econuerso: illud quod habet rationem causæ, potest esse sine altero: sed forma & materia ita se habent, quòd forma causat esse materiæ, & non econuerso: ergo forma potest esse sine materia, & materia non sine forma. Tunc vltrà, Essentia intelligētiarum non est composita ex materia & forma, & nō potest esse materia tantùm, ergo est forma tantùm,

Alterius causa existens potest secūdum aliquid sui ordinis esse sine illo.

ET NOTA Quòd maior propositio potest dupliciter intelligi. Vno modo sic, quòd id quod est causa alterius, & eadem numero possit esse sine altero: & sic nō assumitur à nobis, quia est falsa & extra propositū. Falsa quidem: quia subiectum causat esse propriæ passionis, & non econtra: & tamen subiectum nō potest esse sine propria passione. Extra propositum verò, quia nolumus concludere, quòd forma, quæ est in materia, sit sine materia: sed quòd aliqua forma non exigit materiam. Alio modo intelligitur Maior, quòd id quod habet rationem causæ secundum suum ordinem, potest esse sine altero, id est secundum aliquod sui ordinis potest reperiri sine altero, & sic est vera, & ad propositum. Vera quidem, quia causa cùm independens sit à causato, consequens est, vt aliquod pertinens ad suum ordinem possit habere esse extra causatum. Ad propositum verò, quia intendimus cōcludere, quòd forma secundum suum genus non dependet à materia, ita quod aliqua forma potest inueniri separata. Vnde & in minori notanter non assumitur forma materialis seu habens esse in materia: sed forma sine additione aliqua ad insinuandum, quòd loquimur de forma, vt forma est, non vt talis vel talis. Patet autem Minor illa ex nono Metaphysi. tex. com. 13. & 15. vbi habetur ꝙ actus est prior potentia simpliciter & independens ab ea. Ex eo enim quòd forma essentialiter est actus, materia autē essentialiter potentia, si actus secundum totam suam latitudinem non dependet à potentia, consequens est quòd forma secundum totum suum ordinem non dependeat à materia. Materiam autem cùm essentialiter sit potentia, necesse est dependere à forma, sine qua actualitas non inuenitur: & sic patet Minor, quia à forma absolutè in eo quòd forma, dependet à materia in suo esse, sicut potentia ab actu, & non econuerso. Quòd verò alicui actui conueniat, quòd non inueniatur nisi receptus in aliqua potentia, hoc est ex eius imperfectione, & non habet hoc in eo, quòd actus: & similiter quòd aliquæ formæ non sint nisi in materia, hoc habent ex sua imperfectione, quæ attenditur penes distantiam à primo principio Deo glorioso, & propinquitatem ad primam materiam: vnde tales formæ non solùm causant esse materiæ, sed & ipsæ causatæ sunt quodammodo à materia. Causæ enim sunt sibijnuicē causæ, vt dicitur secundo Physi. tex. cō. 30. Essentia igitur substantiarū intellectualium est immaterialis & forma tātū.

T. c. 13. & 15.

QVAESTIO VIII.

Num materia possit esse sine forma.

CIRCA Hanc partem occurrit quæstio, & hæc est octaua: an materia possit esse sine forma. In hac quæstiōe tria facienda sunt, primò ponetur Scoti opinio: secundò ponetur opinio san. Tho. tertiò respondebitur rationibus in oppositum. *T. c. 30.*

QVO AD Primum Scotus in 2. sen. dist. 12. q. 2. opinatur posse materiam esse sine forma: arguitque ad hoc probandum multipliciter. *Sco. 2. di. 12. q. 2.*

¶ Primò sic, Non minus dependet accidens à substantia quàm materia a forma: sed accidens pōt esse sine substantia, vt patet in Sacramento altaris. Ergo materia potest esse sine forma. *Secundò.*

¶ Præterea, Absolutè distinctum & prius alio absoluto potest esse sine illo absque contradictione: materia respectu formæ est huiusmodi, ergo potest esse sine forma: minor est euidens, maior probatur, quia prius in eo quod prius, non dependet à posteriori, & accipitur hoc ex quinto Metaphy. tex. com. 16. priora sunt, quæ possunt esse sine alijs, alia non sine ipsis. *T. c. 16.* *Tertiò.*

¶ Præterea, Quicquid absolutū facit Deus in creaturis mediante causa secunda, quæ non est de essentia causati, potest facere sine illa: sed materiā Deus facit mediāte forma, quæ nō est de essentia eius, ergo potest facere sine illa. *Quartò.*

¶ Præterea, Quicquid Deus immediatè creat, immediatè conseruat vel conseruare potest: sed materiam Deus immediatè creat, ergo immediatè conseruare potest, ergo sine omni forma. *Quintò.*

¶ Præterea, Cùm nihil Deus extra se necessariò velit ex hoc quòd vult materiam esse, non est necesse quòd velit materiam esse, nisi propter necessariam cōnexionem vtriusque: sed inter materiam & formam non est talis necessaria connexio: ergo, &c. Quòd autem non sit talis necessaria connexio inter materiam & formam, probatur: quia tunc sequeretur, quòd materia determinaret sibi necessariò aliquam determinatam formam, Probatio consequentiæ,

tiæ, Quod determinat sibi genus formæ determinat sibi aliquā speciē in genere illo: & quod determinat sibi speciē: determinat sibi esse in aliquo indiuiduo illius speciei, omne enim quod de necessitate est homo, necessariò est hic vel ille homo: consequens autem est falsum, materia enim nullam sibi determinat formam: ergo relinquitur, quòd materia non determinat sibi genus formæ ad hoc quòd sit. Confirmatur, Quicquid contingenter se habet ad quodlibet generis absoluti, contingenter se habet ad id genus absolutum: sed materia contingenter se habet ad quamlibet formam: ergo materia contingenter se habet ad genus formæ. Probatur adhuc, quòd si materia sibi determinat de necessitate genus formæ, quod etiam de necessitate determinat sibi vnum indiuiduū solum illius generis: quia vnum essentiale & vnum singulare est impossibile dependere à pluribus essentialiter eiusdem generis: materia autem est vna essentialis & singularis: ergo impossibile est, quòd dependeat à pluribus formis eiusdem generis: & sic si necessariò determinat sibi genus formæ necessariò quoque determinabit sibi aliquam vnam formam, quod falsum est. Hæc de primo.

1. q. 66. a. 1. &c. p°. q°. 4. ar. 1. quo li. q. 3.

QVO AD Secundum S. Tho. in prima parte. q. 66. ar. primo, & in quæstionibus de potentia dei, q. 4. ar. primo, & in quoli. q. 3. ar. 1. cōfirmat id ꝙ hîc dicit, scilicet materiā non posse esse sine forma duabus rationibus.

¶ Prima est ducens ad impossibile sic, Si materia existeret absque oī forma, materia simul non esset: & nō esset hoc implicat cōtradictionem. ergo: probatur consequētia quo ad secundā partem, quia quo ad primam ab aduersarijs conceditur. Impossibile est effectum formalem separari à forma: sed existere est effectus formalis formæ. sic enim diffinitur, Forma est quæ dat esse rei, ergo impossibile est ponere existentiā siue forma. Sicut enim impossibile est esse album sine albedine, ita esse in actu sine actu: actus autem primus, cuius est dare esse, idē est quod forma. Ex illa ergo propositione, Materia existit absque omni forma, sequuntur duo contradictoria simul vera: ex eo enim quòd materia existit, sequitur quòd sit in actu: ex eo autē quòd est absque omni forma, sequitur quòd non sit in actu. Huic rationi dat Sco. quandam responsionem: quæ quia non nisi chimerica, & tanquam indigna, de qua verba fiant, omittatur, quolibet enim proferente contraria solicitum esse stultū est: ait Arist. à quo didicimus in libro nono Metaph. quid sit actus & quotuplex.

1. Topic. cap. 9. T. c. 11.

¶ Secunda ratio S. Tho. ad hoc idem est ista, Omne indiuiduū determinatum ad genus completum vel incōpletum in rerum natura per se existens est in aliqua certa specie per se vel reductiuè: materia sola neque per se neque reductiuè est in aliqua certa specie: ergo materia sola non potest esse indiuiduum quodcunque in rerum natura. Minor est ex se clara. non enim facile esset fingere, in qua determinata specie esset materia sola. Maior probatur ex eo quòd indiuiduum omne tam completum, quàm incompletum, si per se existit in rerum natura separatum (quod dico propter indiuiduum generis, vt hæc substantia, hoc animal &c.) non continetur sub genere per se vel reductiuè immediatè, sed mediante specie. inter genera enim & indiuidua mediat species, & inter principia generis & principia indiuidui mediant principia speciei pariformiter. Insuper hæc Maior potest probari ad hominem assumendo dicta Sco. 5. argu. ibi enim ipse expressè assumit, quòd quicquid determinat sibi genus aliquod, determinat sibi aliquam certam speciē illius generis. Et potes etiam ex dictis Sco. ib. arguere ad hominem, & probare oppositum intenti sui sic, Quicquid determinat aliquod genus, determinat sibi aliquam certam speciem illius generis: materia sola determinat sibi genus substantiæ: ergo determinat sibi aliquam certam speciem substantiæ saltem reductiuè. ergo materia sola esset in aliqua certa specie. hoc est falsum: Minor est omnium, & processus bonus: ergo, &c.

2. dist. 3. q. 2.

¶ Hanc veritatem approbat Ari. (vt ipse Sco. confitetur) loco allegato. Sed quia dicit ex falso fundamento Aristo. hanc conclusionem tenuisse. scilicet ex hoc, quòd Deus non potest agere sine causis secundis: ostendo in hoc, Scotum errare ex dictis Commen. secundo enim Physi. Commen. 12. Auer. ex eodem præcisè fundamēto quòd sanctus Tho. adduxit in prima ratione, tenet istam cōclusionem. Vbi nullam fieri mentionem de connexione causalitatis primæ causæ apparet, sed tantùm de actu & potentia: ita quòd ex natura actu & natura primæ materiæ, quæ est pura potentia, concludit Auer. quòd duo contradictoria essent simul vera. vt deductum est &c. Auicenna quoque in secundo Metaphysicæ suæ, capitulo tertio tenet conclusionem Scoti esse impossibilem: & tamen posuit expressè materiam esse creatam. Vnde hæc tanquam destructiua Metaphysicalium principiorum vitanda est. Hæc de secundo.

Com. 12. 1. Phy. c. 56. & septuagesimo.

QVO AD Tertium respondeo. Ad primum negatur antecedens. plus enim dependet potentia pura ab actu, quàm actus imperfectus ab actu perfecto. *Ad primum.*

¶ Sed contra hoc instat Antonius Trombeta sic, Magis dependet posterius à priori, quàm prius à posteriori: sed accidens est posterius substantia: materia autem est prior forma: ergo magis dependet accidens à subiecto, quàm materia à forma. Fortè diceretur (ait) quòd materia nō est prior sed posterior forma. Cōtrà: nā licet materia sit posterior forma ordine perfectionis: est tamen prior ordine generationis: & consequenter prior simpliciter: vt arguatur sic, Quandocūque sunt aliqui duo ordines: quorum vnus simpliciter est prior altero, quicquid est in ordine priori est simpliciter prius quocunque existente in ordine posteriore: sed ordo originis & ordo perfectionis ita se habent, quòd ordo originis est simpliciter prior ordine perfectionis (& hoc in natura limitata) ergo quicquid est prius origine, est prius simpliciter quocunque priore ordine perfectionis: sed ita est, quòd materia est prior origine forma, licet forma sit prior perfectione, ergo materia est simpliciter prior forma. Processus bonus: et Maior probatur: quòd scilicet ordo originis est simpliciter prior ordine perfectionis. nam priora generatione sunt posteriora perfectione. natura enim semper procedit de imperfecto ad perfectum. ergo quicquid est imperfectius, est simpliciter prius quocunque perfectiori: sed materia prima est imperfectior forma: ergo materia prima est simpliciter prior forma. Tunc vltrà, Est simpliciter prior forma. & omne prius in suo priori potest esse sine posteriori: ergo, &c.

¶ Ad hæc respondetur triplici responsione, ad insinuandū argumenti multiplicem defectum.

¶ Primò dicitur, quòd forma, licet sit posterior materia ordine generationis: est tamen prior etiam ordine generationis materia existente. Magni enim refert dicere materiam, & materiam existētem: sicut superficies est prior albedine, albedo tamen est prior superficie habente esse album. vnde in proposito cùm sermo sit de materia existente (si enim poneretur materia sola in rerū natura oportet ipsam existere) patet falsum assumi.

¶ Secundò, dicitur quòd aliud falsum ibi assumitur, scilicet quòd ordo generationis sit simpliciter prior ordine perfectionis, stādo infra limites naturæ finitæ. cùm enim actus sit prior potentia simpliciter, tam si ponatur Deus finitus, quàm infinitus: vt patet ex nono Meta. tex. Commen. 15. & 12. & textu Commē. 30. & prioritas actus sit prioritas perfectonis. cōsequēs est quòd secūdum Aristot. & veritatem ordo perfectionis sit simpliciter prior ordine generationis. Amplius, Id quod est prius natura ratione & tempore, est simpliciter prius. ordo perfectionis prior natura ratione & tempore ordine impefectionis, qualis est ordo generationis, qui se tenet ex parte causæ materialis: ordo igitur perfectionis est prior simpliciter. media quoque propositio est Aristote. octauo Physi. tex. com. 75. vbi expressè loquitur in natura finita ad probandum, scilicet motum circularem esse primum. Vnde ad probationem: concesso, quòd priora generatione sunt imperfectiora, & quòd natura procedit de imperfecto ad perfectum, negatur consequentia, ergo ordo generationis est simpliciter prior: licet enim agēs naturale prius attingat imperfectum, oportet tamen prius agens in se perfectum esse: vt dicitur in 12. Meta. tex. Com. 40. Hic aduerte tu, quòd oportet mendacem esse memorem: in quæstione de primo cognito Anto. Trōbeta, quas impugnat propositiones, has nunc assumit, &c.

T. c. 15. T. c. 30.

t. cō. 75.

¶ Tertiò dicitur, quòd dato toto processu, vltima consequētia nihil valet, falsum est enim, quòd omne prius possit secundum rem absolui à posteriori quolibet (vt ad secundum dicetur.) *t. c. 40. q. 1. vide.*

¶ Sed contra primam responsionem, quæ ponit materiā non habere propriam existentiam: sed eam mendicare à froma, instatur sic: Cuicunque conuenit actu causare pro

Universidad de Deusto Biblioteca

aliquo signo cōuenit & existere pro eodem signo: sed materiæ primæ in primo signo, quo recipit formam, conuenit causare, ergo pro tunc sibi conuenit existere: sed pro illo signo non habet existentiam formæ, ergo propriam.

Et confirmatur, quia materia aut causat compositū, & recipit formam, quando existit, aut quando non existit: non quando non existit, ergo quando existit, ergo pro tunc conuenit sibi propria existentia: quia existentia formæ sequitur totum compositum. Et confirmatur secundò, quia causa non mendicat à suo effectu, materia autem causat existentiam cōpositi & formæ: ergo non mendicat existentiam ab eis, &c.

¶ Ad hæc dicitur, ꝙ sufficit causæ pro quolibet instanti temporis quo actu causat habere existentiam: nec apparet necessarium, quòd pro quolibet signo naturæ insit existētia sibi, quo inest causalitas: ordo enim naturæ talis est in eodem instanti temporis, quòd scilicet materia recipit formam: ex quibus resultat compositum, cui iam esse actualis existentiæ aduenit: quo ipsum compositum primo, forma secundo, & materia tertio existunt. Ad formam autem primæ instantiæ negatur Maior. Ad primam confirmationē dicitur, quòd materia causat, quando existit: quia pro omni instanti quo causat, existit: quando enim est terminus temporalis. Ad secundam *T.c.2.2. d.3.q.3.* confirmationem dicitur, quòd licet causa vt causa non mendicet à suo effectu: tamen causa materialis mendicat à suo effectu, qui est eius causa in altero genere causæ: eo quòd causæ sunt sibijnuicem causæ, quinto Metaph. tex com. 2. Oportet autem has responsiones à Scotistis admitti: quia cùm Sco. ponat secundo sent. distin. 3. q. 3. existentiam esse vltimum actum posteriorem tota coordinatione prædicamentali, licet non distinctum realiter à re cuius est, oportet essentiam materiæ ex natura rei habere habitudinem ad suam euidētiam, vt potentiam ad actū. Et tunc potest argui sic, Essentia materiæ, vt distincta contra suam existentiam, causat ex natura rei in genere causæ materialis suam existentiam, recipiendo eam: ergo sibi pro illo signo conuenit existentia: & sic habet existentiam antequam recipiat eam. similiter stādo in illo signo: aut essentia materiæ recipit ex natura rei suam existentiā, quando est, aut quando non est, &c.

¶ Ad secundum principale negatur Maior. Ad eius pro- *Ad secundum. T.c.6.* bationem dicitur, quòd non sola dependentia, sed necessaria connexio aliquorum potest esse causa inseparabilitatis eorum. Ad id, quod adducitur ex quinto Meta. dicitur quòd vniuersalis affirmatiua non cōuertitur simpliciter: ista enim est vera, Quæcunque possunt esse sine alijs & alia, non sine ipsis sunt priora: sed non conuertitur. quæcūque sunt priora, possunt esse sine alijs, & alia sine ipsis.

¶ Et nota quòd maxima illa Scotica, Omne prius absolutum, &c. non potest saluari, etiam sequendo viam Sco. quod pro nunc ex duobus manifestatur. Primo ex eo, ꝙ partes essentiales simul sumptæ sunt priores toto: & tamen apud Sco. non possunt esse sine toto.

¶ Secundo ex eo, quòd prædicamentum quantitatis est absolutum prius prædicamento Qualitatis, præsertim quo ad quartam speciem eius: & tamen non potest fieri quantitas continua sine figura. Si enim quantitas sine figura fieri dicatur aut finita aut infinita: non infinita, quia illa non dabilis: & si forte imaginetur dari adhuc, cùm oporteat esse lineatam, aut ergo linea recta aut curua, & sic esset figura: si finita, ergo figurata: figura enim est quæ termino vel terminis clauditur, & similiter aut habet lineas rectas, aut curuas, aut circulares, &c.

Ad tertium. ¶ Ad tertium quicquid sit de Maiori, negatur Minor: forma enim etsi non sit de essentia materiæ, est tamen de essentia materiæ existentis.

¶ Ad quartum dicitur, quòd cùm mediū sit duplex effe- *Ad quartum.* ctiuum & formale, quicquid immediatè Deus causat effectiuè, potest absque media causa effectiua conseruare: non autem absque media causa formali, quale mediū est forma respectu materiæ.

¶ Ad quintum negatur, quòd inter materiam & formā *Ad quintum.* non sit necessaria connexio. Ad cuius probationem negatur consequentia, cuius probationis falsa est Maior: per id autem quod additur, scilicet secūdum ꝙ necessariò est homo. necessariò est hic vel ille homo, nihil aliud habetur, nisi ꝙ quia materia necessariò determinat sibi genus formæ: ideo materia non potest esse sine hac vel illa forma: quod est intentum nostrum. Non enim valet consequentia, A necessariò est homo: ergo A necessariò est hic vel ille determinatè, sed vagè: & sic conceditur, materia necessariò determinat sibi formā: ergo necessariò determinat sibi hanc vel illam formam non determinatè, sed vagè.

¶ Ad confirmationem, cùm dicitur, Quicquid contingenter se habet ad quodlibet generis absoluti, contingenter se habet ad genus ipsum: eodem modo respondetur: distinguendo contingenter se habere ad quodlibet determinatè vel vagè. Primo enim modo falsa est Maior. Secundò verò falsa est Minor: materia enim non contingenter, sed necessariò se habet ad quamlibet formam indeterminatè, & vagè.

¶ Ad aliam probationem dicitur, quòd vnum essentialiter vnum & singulare negatiuè, sicut est materia prima, potest essentialiter dependere in esse à pluribus eiusdem generis indeterminatè & vagè, secundum quod illa plura habent vnam rationem communem, sicut in proposito omnes formæ conueniunt in hoc, quòd dant esse actuale. Reflecte hoc argumentum contra Sco. de quantitate & figura, & fortè persuadebis infirmitatem eius: quantitas enim continua determinat sibi genus figuræ, nullam tamen sibi figuram vendicat. Hæc de quarto.

In hoc ergo differt essentia substantiæ compositæ & substantiæ simplicis, quòd essentia substantiæ compositæ non tantùm formam, nec tantùm materiam, sed complectitur formam & materiam: essentia verò substantiæ simplicis est forma tantùm. Et ex hoc causantur duæ aliæ differentiæ, & vna est, ꝙ essentia substantiæ compositæ potest significari vt totum, vel vt pars: quod accidit propter materiæ designationem, vt dictum est. & ideo non quomodolibet prædicatur essentia rei compositæ de ipsa re cō- *5. Meta. ca. 5. post medium.* posita. Non enim potest dici, quòd homo sit quidditas sua. Sed essentia rei simplicis, quæ est sua forma, non potest significari nisi vt totum, cùm nihil sit ibi præter formam quasi formā recipiens. Et ideo quocunque modo sumatur essentia substantiæ simplicis, de ea prædicatur. Vnde Auicenna dicit, quòd quidditas substātiæ simplicis est ipsummet simplex: quia non est aliquod recipiens ipsam.

¶ In hac secunda parte capituli comparat essentias substantiarum simplicium essentijs substantiarum compositarum, tripliciter differentiam inter eas assignando. Prima differentia est, ꝙ essentia substantiæ simplicis significat formam tantùm, essentia autem substantiæ compositæ significat cōpositum quid ex materia & forma: vtraque pars differentiæ patet ex supra dictis. Secunda differentia est, quòd essentia substantiæ compositæ potest significari vt totum & pars, non autem essentia substantiæ simplicis. Vnde oritur, quòd quia prædicatum nō debet habere rationem partis, quòd essentia substantiæ cōpositæ quandoque prædicatur de ea: & quandoque non, cùm scilicet significatur vt pars. Essentia autem substantiæ simplicis, quia vt pars denotabilis nō est: semper prædicatur de eo, cuius est.

AD EVIDENTIAM Huius differentiæ notandum: quia primo aspectu apparet falsa ex eo, ꝙ patet, ꝙ in positis nominibus substantijs separatis, possunt significari earum essentiæ in abstracto & in concreto, & consequenter vt totum & pars: possum enim dicere, Gabriel & Gabrielitas, Deus & Deitas, &c. Sed licet ita appareat, diligenter tamen inspicienti oppositum illucescit.

Considerandum enim, ꝙ loquimur de essentijs rerum & conditionibus earum, quæ eas sequuntur, & non de illis, quæ ex solo opere intellectus fiunt. essentiæ enim substantiarum compositarum ex eo, ꝙ duas partes realiter habent, seu ex eo, quòd sunt formę in materia, ex se habēt: vnde intellectus fundet in eis significationem per modū partis & per modum totius. Cùm enim significat formā illam in habente seu deferente, significatur vt totum & concretum, vt homo: cùm autem significat illam, non vt in habente seu differente, sed per se significat in abstracto & per modum partis, vt humanitas. Essentiæ autem substantiarum immaterialium, quia dicunt formas non receptas in materia: ideo ex se non habent quòd significentur in concreto & in abstracto, vt totū & pars, &c. nō enim est

est sibi deferens nec delatum. Sed quia intellectus noster intelligit res simplices & altissimas per modum rerū compositarum: ideo, vt dicunt Commentato. 12. Meta- *Ca.39.1. q.13.4.* physic. com. 39. & san. Thomas, prima parte, q. 13. fuit necesse, vt in illis formaret abstractum & cōcretum, & intelligeret eas per modum totius & partis. Differētia ergo posita hîc est cū additione intelligēda: sic ꝙ essentia substantiarum compositarum ex se habet, ꝙ significabilis sit per modum totius & partis, essentia autem simpliciū ex se non habet ꝙ significetur per modum totius & partis, sed ab intellectu tantùm: & ideo diuersitas, quæ inter abstractum & concretum in substātijs compositis est ex parte rei, & reducitur ad distinctionem, quæ est inter subiectum deferens & formam delatam. Diuersitas autem, quæ est inter abstractum & concretum in substantijs se- *capit.39. 5. meta. ca.5.* paratis, non est id ex parte intellectus: vt Commen. ibi dicit. Et propter hoc dicit Auicen. quòd quidditas simplicis est ipsum simplex, & quidditas compositi non est ipsum compositum.

CIRCA Hanc particulam est vnum dubium, An verum sit, ꝙ in substantijs separatis idem sit quidditas, & id, cuius est, id est natura & suppositum. Est autem ra- *quolib. 2. q.2. ar.2. T.c.10. & 21. T.c.9.* tio dubitandi: quia S. Tho. in quolib. 2. q. 2. arti. 2. dicit ꝙ cùm apud Arist. 7. Meta. tex. com. 20. & 21. in his, quibus admiscetur aliquod accidens, natura & suppositū distinguuntur, & intelligentijs alijs a prima aliquod accidens sit in omnibus excepta prima: natura & suppositum distinguuntur siue quidditas, & id cuius est. Ex alia parte, 3. de anima, Commen. 9. dicit in separatis à materia idē *1.q.9.ar.3.* est, quòd quid est & id, cuius est. Et in prima parte, sanc. Tho. q. 3. artic. 3. expressè hoc dicit: quod & apparet hîc autoritate Auicennæ.

AD Intellectum huius difficultatis est notandum, quòd cum nomine Naturæ intelligatur id quod per diffinitionem significatur: nomine autem Suppositi indiuiduum habens illam quidditatem secundum triplicē gradum substantiarum, in vniuerso tripliciter inuenitur differentia suppositi à natura.

¶ In substantijs siquidem materialibus suppositum differt à natura dupliciter secundum rem, & vltra hoc secundum rationem. Differt primo modo intrinsecè, quia aliquod reale suppositum sibi intrinsecū includit, quod non includit natura, scilicet principia indiuiduatiōis. Si enim Sortes diffiniretur, in eius diffinitione poneretur hæc materia, quæ non ponitur in diffinitione naturæ humanæ. Differt secundò extrinsecè: quia aliquid reale extrinsecum sibi includit suppositum, scilicet esse actuale existentiæ: quod non includit natura. existētia enim primò est actus suppositi, cuius est fieri: quæ tamen caderet in diffinitione Sortis, si diffiniretur. Differt tertiò secundum rationem, vt patet.

¶ In substantijs autem separatis alijs à prima suppositū differt à natura duobus modis tantùm, scilicet extrinsecè secundum rem, & secundum rationem, nihil enim reale intrinsecum sibi includit suppositum in eis, quod non includat natura: quia non indiuiduatur per aliquod positiuum contrahens naturam specificam, quod sit velut differētia indiuidualis suppositio intrinseca, sicut est in substā- *In eo. ca.* tijs materialibus. Sed quia in eis, vt patebit, existētia differt realiter a natura, quæ primò, vt dictum est, est actus suppositi: ideo suppositum in eis differt extrinsecè à natura: addit enim extrinsecè realitatem existentiæ. Differt secunda secundum rationem, vt patet. In Deo verò glorioso suppositum vno modo tantùm differt, scilicet secundū rationem, quia nec natura diuina indiuiduatur per additum: nec existentia sua distincta est realiter ab eius essentia: vnde patet, quòd vtraque pars dubij est vera aliquo modo: & ꝙ in substantijs separatis differunt secundum rem quod quid est, & id cuius est, quia extrinseca differētia differunt secundum rem, & quòd sint idem: quia non differunt per aliquam intrinsecam differentiam realem: hanc autem esse mentem san. Tho. diligenter intuenti dicta eius in locis allegatis facilè innotescere potest.

Essentiæ simpliciū non plurificantur in eadem specie, sicut cōpositorum. Secunda differentia est: quia essentiæ rerum compositarum ex eo quod recipiuntur in materia designata, vel multiplicantur secūdum diuisionem eius, contingit quòd aliqua sint idē specie, & diuersa numero. Sed cùm essentia simplicium non sit recepta in materia, nō potest ibi esse talis multiplicatio. Et ideo non oportet ꝙ inueniātur plura indiuidua vnius speciei in illis substantijs. Sed quotquot sunt indiuidua, tot sunt species, vt Auicenna dicit expressè.

¶ Hîc ponitur tertia differentia in ordine vocata secūda inter eas quæ oriuntur ex prima. & dicitur quòd differt etiam in hoc essentia substantiæ compositæ & essentia substantiæ simplicis, quòd essentia substantiæ compositæ est plurificabilis numero in eadem specie, sicut essentia humana distinguit numero in Socrate & Platone. Essentia autem substantiæ simplicis, id est separatæ à materia non est plurificabilis in plura indiuidua eiusdem speciei, sed quodlibet indiuiduum cōstituit vnam speciem, & distinguitur specificè ab alio. Et fundamentum eius est in duabus propositionibus: quarum prima est, Cùm actus sit, quod diuidit & separat. 7. Meta. tex. com. 46. omnis diui- *Ca. 49.* sio aut est formalis aut quantitatiua: vt Arist. inquit. 3. *T.ca. 11.* Meta. text. Com. 11. & Commentator primo Physicorū, *Com. 6.* com. 6. Secunda est, Formæ specificæ sunt indiuisibiles formaliter. Ex his enim deducitur quòd formæ specificæ, quæ recipiuntur in materia, diuidūtur ad diuisionē materiæ per quantitatem, & sic fiunt multa indiuidua eiusdē speciei. Forma autē specifica nō recepta in materia omni diuisione caret: & formali quidem ex eo, quòd species specialissima est: quantitatiua autem ex eo, quòd non est recepta in materia, quam sequitur quantitas & ideo non potest esse multa indiuidua in eadem specie: multitudo enim diuisionem sequitur.

QVAESTIO IX.

Num quælibet species substantiarum separatarum, vnum tantum habeat indiuiduum.

CIRCA HANC Partem occurrit quæstio, An quælibet species substantiarum separatarum vnum tantum habeat indiuiduum. In hac quæstione tria sunt facienda. Primò ponetur opinio Scoti cum fundamentis: secun- *Scoti. 3. d.3.q.7. prima.* dò ponetur veritas Peripatetica: tertiò respondebitur argumentis in oppositum.

QVO AD Primum, Scotus secundo sententiarū di. 3. q. 7. opinatur plures esse intelligentias eiusdem speciei talibus medijs.

¶ Primò sic, Omnis quidditas quantum est de se est communicabilis: intelligentia est aliqua quidditas: ergo quidditas intelligentiæ est de se cōmunicabilis. ergo potest inueniri in pluribus. Maior probatur: qa si quidditas omnis non esset communicabilis, vel communicabilitas repugnaret ei ratione perfectionis quidditatiuæ aut imperfectionis: non ratione perfectionis, quia communicabilitas, secūdum fidem catholicam, cōuenit quidditati diuinæ quæ summè perfecta est. Nec ratione imperfectionis: quia communicabilitas conuenit quidditatibus substantiarū cōpositarum: quæ sunt imperfectæ. Cùm ergo ratione neutrius repugnet sibi, restat Maior vera.

¶ Præterea, Omnis quidditas intelligibilis sub ratione vniuersalis, absq; contradictione est plurificabilis nume- *Secunda.* ro: quidditas separata est intelligibilis sub ratione vniuersalis absque cōtradictione. ergo est plurificabilis numero. Maior probatur ex eo, quòd implicat intelligi sub ratione vniuersalis, & esse de se hoc: est enim vniuersalitas opposita hæcceitati: sicut implicat intelligere essentiam diuinam sub ratione vniuersalis, quia est de se hoc.

¶ Præterea, Deus potest hunc Angelum in hac specie an- *Tertia.* nichilare: isto annichilato, Deus potest speciem hanc reparare in aliquo alio indiuiduo, non in eodem, secūdum istā opinionem: quia secundum istos homo non posset resurgere idem numero nisi anima intellectiua remanente eadem numero. ergo in eadem specie erunt plura indiuidua saltem successiuè.

¶ Præterea, Animæ intellectiuæ distinguūtur numero in *Quarta.* eadem specie: & tamen sunt immateriales. ergo &c.

¶ Præterea, Aug. in Enchiridio. ca. 29. dicit, quòd quia to- *Quinta.* ta natura seu species humana ruerat, ideo misertus Deus ad eam saluandam venit: non autem venit ad saluandā naturam angelicam: quia tota non ruit. Ecce, quòd Aug. dicit totam naturam angelicam non lapsam esse per peccatū, quod nō potest esse verū, si tot sunt species, quot sunt indiuidua: sic eīn multæ naturæ angelicæ lapsæ totaliter essent. humana autē tantū vna, cū humana nō sit nisi vna.

¶ Præterea Damascenus in Elementario, cap. 12. dicit, *Sexta.* quòd secundū vnāquamque speciem fecit Deus angelos.

¶ Præterea, Arguit ad idem in quolibet q. 2. quòd præ- *quoli. q. 2. suprà parif.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Quolib. q. 2. ar. parisi. dicta opinio est damnata Parisijs in pluribus articulis. Primus est, Si quis dixerit Deum non posse multiplicare formas sine materia, error. Secundus, Si quis dixerit formam non recipere diuisionem sine materia, error. Tertius Quòd quia intelligentiæ non habent materiã, Deus non posit eiusdem speciei facere plures, error.

¶ Quod si dicatur, inquit Ant. Trombeta quòd ista sententia non est damnata vbique, dato quòd Parisijs sic sit: contrà, nam sententia damnata in aliquã Vniuersitate famosa vbique est damnata, aut suspecta de hæresi, non solùm autoritate diœcesani, sed etiam autoritate domini Papæ, vt patet extrà de hæreticis. capitulo ad abolẽdam. Hæc de primo.

CONCLVSIO.

Quæuis intelligentia constituit vnam speciem.

QVO Ad Secundum, veritas Peripatetica ab Aris. Commen. & S. Tho. accepta est, ꝙ quælibet intelligentia constituat vnam speciem: ita quòd non posint ibi inueniri plura indiuidua eiusdem speciei. Et san. Tho. quidem in quæstionibus disputatis de spiritualibus creaturis. arti. 8. *S. Tho. 1. q. 50. arti. 4.* & in secundo contra Genti. c. 93. & in prima parte. q. 50. arti. 4. & alibi probat hoc multis rationibus, quarũ duabus nunc vtendum est.

¶ Prima ex earum immaterialitate sumitur. vnde omni principio distinctiuo numeraliter carent: & formatur ratio sic, Omnis species habens plura indiuidua, habet in se distinctiuum numerale: intelligentia non habet tale principium distinctiuum. ergo Minoris probationem habes suprà immediatè ante quæstionem. Et nota, ꝙ hæc ratio *text. cõ. 49.* est sumpta ex 12. Metap. tex. Com. 49. vbi fit hæc consequentia, Cælum, id est primum principium est vnũ specie & plura numero, ergo est materiale: vnde expresè datur intelligi, quòd immaterialitas est sufficiens causa non plurificationis numeralis. Sed quia Sco. expresè dicit loco præallegato, quòd opinio sua est contra Aristotel. ideo omittam autoritates.

T. co. 25. ¶ Secũda ratio S. Tho. est sumpta ex ordine vniuersi fundata super tres propositiones: quarum prima est, Vniuersum habẽs tres partes, scilicet sphærã generabiliũ & corruptibiliũ, corpora cælestia, & substãtias ĩmateriales, habet pro bono intrinseco ordinẽ. hęc habet. 12. Meta. tex. cõ. 52.

T. c. 10. & c. 11. ¶ Secunda propositio est, ꝙ ordo est duplex, scilicet per se & per accidens. Ordo per se inter essentialiter ordinata, vt species quæ sunt sicut numeri 8. Meta. tex. cõ. 10. Ordo per accidens est inter indiuidua eiusdem speciei: vt dicitur tertio Meta. tex commen. 11.

¶ Tertia propositio est, quòd ea pars vniuersi, in qua est ordo per se purus, est potior ea, in qua est ordo per se admixtus ordini per accidens, ex 12. Meta. tex. com. 52. vbi comparatur prima pars vniuersi filij familias, quibus nihil ordinatum per accidens inest. Super his propositionibus fundatur talis ratio, Id quod caret ordine per accidẽs nõ habet plura indiuidua eiusdem speciei: suprema pars vniuersi caret ordine per accidens, ergo non habet plura indiuidua eiusdẽ speciei. Maior ex terminis patet: Minor licet ex Arist. habeatur loco allegato: quia isti tamen negãt Aris. in hac parte. sicut & alibi, rõne probatur sic. Nõ min' excludit ordinẽ per accidẽs suprema, pars vniuersi, ꝙ media pars: cũ suprema sit perfectior & bonitas vniuersi in ordine cõsistat, & ordo per accidẽs sit imperfectũ quid & deficiens ab ordine per se, imò ordinatum per accidens est inordinatum, eo quòd per accidens est conditio diminuens ratione ordinis, sed media pars excludit ordinem per accidens, vt patet: corpora enim cælestia non habent plura indiuidua eiusdem speciei, non enim est nisi vnus sol, vna luna, &c. ergo suprema pars vniuersi à fortiori excludit ordinem per accidens. Hæc de secundo.

Respondetur ad argu. Ad primum. QVO AD Tertium respondetur argumẽtis Sco. Et ad primum quidem, vt terminos Theologicos admisceamus, quia argumentũ theologicum est, dicitur quòd communicabilitas est triplex. Quædam cum diuisione essentiæ, sicut vniuersale communicabile est particularibus. Quædam verò absque diuisione aliqua essentiæ & esse per idẽtitatem, sicut essentia diuina communis est tribus suppositis. Quædam per assumptibilitatẽ ad hypostaticam vnionẽ, sicut natura humana communicabilis est omnibus suppositis diuinis. Si in præmissis Sco. assumit communicabile primo modo, falsa est Maior, patet in essentia diuina. Si secũdo modo, falsa etiam est Maior: nulla enim essentia creata est illo modo communicabilis, Si tertio modo falsa quoque est Maior, vt patet de essentia diuina. Si autem accipiatur communicabile neutro illorum modorum; sed pro communicabili in cõmuni non descendendo determinatè ad hoc vel illud cõmunicabile, concesso toto argumento, non concluditur quòd quidditas angelica sit communicabilis, sicut vniuersale particularibus. Committitur enim fallacia consequentis à superiori ad inferius affirmatiuè. Vnde probatio adducta nihil contra nos facit. Communicabilitas primo modo repugnat intelligentijs propter earum perfectionem. Communicabilitas secundo modo repugnat intelligẽtijs propter earum imperfectionem. Cõmunicabilitas tertio modo conuenit eis ex earum imperfectione: quia esse distinguitur realiter ab earum essentia.

Ad secundum. 1. q. 13. pra. 9. c. ¶ Ad secundũ dicitur distinguẽdo maiorẽ. Aliquid enim esse intellibile sub ratione vniuersalis conuenit dupliciter. Vno modo ex parte rei & intellectus, vt verbis S. Tho. vtar. Alio modo ex parte intellectus tantùm. Primo modo Maior est vera, & Minor falsa. Secundo modo Maior est falsa, licet Minor sit vera: cũ enim vniuersalitatis fundamentum ex parte rei sit, inuentio illius quidditatis in pluribus indiuiduis simul vel succesiuè. Fundamentum verò ex parte intellectus sit præsentatio illius quidditatis non repræsentatis cũditionibus indiuiduationis, vt sic, illud est vniuersale vtroque modo, scilicet ex parte rei & intellectus: quod vtroque fulcitur fundamento, sicut humana essentia est intelligibilis sub ratione vniuersalis ex parte rei: quia ipsa est realiter diuisa & inuenta in multis & ex parte intellectus: quia repræsentatur absque hîc & nunc. Illud autem est vniuersale ex parte intellectus tantùm, quod altero tantùm fulcitur fundamento, scilicet repræsentatione, &c. ita quòd eius vniuersalitas ex hoc solo habetur, quòd obiectiuè in intellectu ponitur: cui obijcitur res secundũ conditiones quidditatiuas non indiuiduales vt sic: & hoc modo quidditas intelligentiæ est vniuersalis. Licet enim indiuiduale & specificum esse ibi idem habeat principiũ: quia tamen repræsentatur vt talis res non vt hoc: quia non repræsentatur secundum quod in se est, sed secundum modum rerum compositarum, in quibus aliud est natura, & aliud est indiuiduũ illius naturæ: ideo est vniuersalis, vt obiecta est tantùm. Ex hoc eodem modo est prædicabilis quidditas intelligẽtiæ de pluribus, scilicet nec actu nec aptitudine, sed vt obiecta est intellectui. *Cap. 1.* vt ab Auicen. habes 5. Metaphy. quinimo ipsa quidditas diuina hoc modo communis & vniuersalis secundũ rationem est, vnde & numerum pluralem apud Grammaticos habet. Ad probationem autem Maioris sic negatæ patet responsio: cùm enim dicitur, ꝙ implicat quidditatem esse de se hanc & vniuersalem & prædicabilem de pluribus: hoc est verum, accipiendo vniuersale ex parte rei: & similiter predicabile. Vniuersale enim secundum rationem tantùm est vnum in multis, & de multis vt obiectum est tantum. Vniuersale tantùm ex parte rei est in multis secundum rem, licet vnitatem habeat, vt obiectum est. Hæc si vis plenè intelligere, memento eorũ, quæ dicta sunt in q. de Vniuersalibus. *Suprà. q. 4. 5. 7.*

Ad tertium. ¶ Ad tertium dicitur, quòd in casu illo repararetur necessariò idem numero Angelus: ex eodem enim Gabriel est hic & Gabriel. Nec est verum quòd apud nos Deus non posit idem numero reparare, licet dicamus quòd si in resurrectione non resumeretur eadem anima numero, quæ non annichilata esse debet: si resurrectionis ratio saluãda est, non esset idem homo numero, cum quo stat idem numero posse reparari a Deo. *Vide. S. Th. quodl. 5. q. 5.*

Ad quartum. ¶ Ad quartum dicitur, quòd non est simile de intelligentijs & animabus intellectiuis quo ad hoc, qa animæ sunt partes speciei corporibus vnibiles: non autem intelligentiæ: sed de his infra erit amplior sermo.

Ad quintum. ¶ Ad quintum respondet san. Tho. quòd natura humana & angelica possunt dupliciter accipi. Vno modo secũdum esse naturæ: & sic natura humana est vna: angelica verò plures. Alio modo accipiuntur secundum esse viæ, scilicet vt viatrices ad beatitudinem supernaturalem: & sic sicut natura humana est vna, ita nota latitudo angelicarum specierum est vna natura, eo quòd sicut omnes homines vno modo tendunt ad patriam, scilicet per liberũ arbitrium flexibile remediabiliter: sic omnes Angeli vno modo tendunt ad beatitudinem, scilicet per liberum arbitrium flexibile irremediabiliter. semel enim flexum reuerti amplius nõ potest: apprehẽdunt enim immobiliter. Et

Et propterea Aug. vt Theologus loquens ad quem pertinet consideratio de homine & Angelis in esse viæ & patriæ vocauit omnes angelos vnius naturæ.

Ad sextũ. ¶ Ad sextum dicitur, quòd Damasc. fortè opinionem illorum quos in hoc nõ sequimur imitans dixit illa verba. Vel per speciem intellexit speciem subalternam non specialissimam: & hoc mihi placet magis, cùm non constet ipsum contrariæ opinionis esse: & nunc largè Speciei nomen accipiendum est, si veritatem habere debet.

Ad septimum. ¶ Ad septimum dicitur primò, quòd argumentum procedit ex malo intellectu articulorum Parisiensium. illi enim sunt contra Auerroystas, qui animam intellectiuã, *De artic. Parisiensibus.* non multiplicabilem numero dicunt: quia est forma immaterialis: vnde sensus primi articuli est, Si quis dixerit Deum non posse multiplicare formas sine materia, id est sine dependentia à materia, error. Similiter secũdi, Si quis dixerit formas non recipere diuisionem sine materia. id est sine depẽdẽtia à materia, error. Similiter tertij, quòd quia intelligentiæ non habent materiam, Deus non posset eiusdem speciei facere plures, error. non habent materiam, id est dependentiam a materia, vel non posset, id est ex impotentia Dei procederet.

Reuocati sunt art. Parisiens. si, vt tã gũt doct. S. Th. Vide de is sit arti. Capreo. 2. d. 2. q. 1. ad. 8. cõtra primam cõclusionẽ. ¶ Vel dicatur secundò, quòd articuli Parisienses, in quãtum tangunt vel tangere videntur doctrinã sancti Tho. reuocati sunt per dominum Stephanum episcopum Parisiensem apud Bertliacum, anno Domini. 1325. dei Iouis ante sacras Cineres, vt patet in literis, quæ incipiunt, Magistra rerũ experiẽtia certis indicijs euidenter demõstrat.

¶ Dicitur tertiò, quòd cùm sanctissimus Vrbanus papa doctrinam S. Th. approbauerit in Extrauaganti quæ incipit Laudabilis Deus in Sanctis suis & in sui maiestate mirabilis: mirum est quomodo isti audeãt contra Romanæ ecclesiæ approbationem reducere articulos Parisienses. Sunt autem verba domini Papæ in calce Extrauagantis ad Vniuersitatem Tholosanã, ista, Volumus insuper, & tenore præsentium vobis iniungimus, vti dicti beati Thomæ doctrinam tanquam veridicam & catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare. Datum apud Montem Flasconem, &c. Hæc verba attẽdant aduersarij, & videant quanta temeritate cõtra mandatũ summi Pontificis catholicam sancti Thomæ doctrinam impugnare nituntur.

Essentiæ simpliciũ cõposita sunt ex esse & essentia. Huiusmodi ergo substantiæ quamuis sint formæ sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiæ: & hoc sic patet, Quicquid enim non est de intellectu essentiæ vel quidditatis, hoc est adueniens extrà, & faciens compositionem cum essentia: quia nulla essentia sine his quæ sunt partes essentiæ intelligi potest. Omnis autem essentia vel quidditas intelligi potest sine hoc, quòd aliquid intelligatur de suo facto, Possum enim intelligere quid est homo vel phœnix. & tamen ignorare an esse habeant in rerũ natura, ergo patet quòd esse est aliud ab essentia vel quidditate.

¶ In hac tertia parte capituli huius probatur substantias separatas esse compositas ex esse & essentia. Sed antequàm ad probationem accedatur, prænotandum est in substantijs materialibus inueniri quatuor realiter distincta, scilicet materiam, formam, essentiam compositã ex eis, & essentiam. In homine enim est considerare materiã, in qua recipitur eius forma: & formam ipsam, quæ est illius materiæ, actus: & essentiam humanam, quæ nec est materia nec forma, & esse actualis existentiæ, quo homo *Conueniẽtia et differentia inter cõpositionẽ ex materia et forma, & cõpositionẽ ex essentia & esse.* formaliter existit in rerum natura: vnde fit, vt in istis substantijs duæ compositiones pertinentes ad genus substantiæ reperiantur. Quarum prima est ex materia & forma, secunda est ex, essentia & existentia quæ vocatur compositio ex esse & essentia.

¶ Conueniunt autem inter se & differunt hæ compositiones. Conueniunt quidem in duobus. Primò in hoc, quòd vtraque cõstat ex actu & potẽtia: materiam enim & formam clarum est se habere, vt potẽtiam & actum: essentia autẽ & esse ex eo liquet, ꝙ se habent vt potentia & actus quia quidditas quælibet ex hoc ponitur in rerum natura quòd existentiam acquirit.

Differũt primò. ¶ Secundò conueniunt in hoc, quòd vtriusque extrema sunt in eodem genere, tam enim materia & forma hominis, quàm essentia & esse eius in genere substantiæ & specie humanæ reponuntur.

¶ Differunt autem quo ad decem. Primò, quia extrema primæ compositionis sunt partes substantiæ, & nõ sunt substantia, propriè loquendo, vt patet. Materia enim & forma non sunt in genere substantiæ nisi reductiuè: vnde prædicationem substantiæ, quæ est genus generalissimũ non nisi in obliquo suscipiunt. Extremorum verò secundæ compositionis neutrum est pars substantiæ: sed alterũ est substantia, essentia scilicet quæ est in recta linea prædicamentali, alterũ verò extra substantiã scilicet existentia.

¶ Secundò differunt, quia extremum illud quod se habet vt potentia in prima compositione, est ens purè potẽtiale materia scilicet. Extremum verò illud quòd se habet in potẽtia, in secunda compositione non est pura potẽtia, sed ens in aliqua specie quidditatiuè cõpletũ essentia scilicet. *Secundò.*

¶ Tertiò differunt, quia extremum illud, quod se habet vt potentia in prima compositione, non est id quod est, nec quod fit, propriè loquendo. Materia enim non fit, vt dicitur 7. Metaphy. tex. commen. 27. eiusdem autem est esse, cuius est fieri, cũ fieri ad esse terminetur. Extremũ verò id quod in secunda compositione se habet, vt potentia est id quod est, & fit: cum omnis factio ad compositum terminetur, vt ibidem dicitur. *Tertiò. T. co. 26. & 12. me. text. com. 12.*

¶ Quartò differunt, quia extremum illud quod in prima compositione se habet, vt actus non est vltima actualitas rei: sed causat alium vlteriorem actum: forma enim hominis, quæ eius materiam informat, causando totum compositum, complet proprium receptiuum ipsius existentiæ: & sic eam causat, quæ est vlterior actus. Extremum verò illud quod in secunda compositione se habet, vt actus est vltima actualitas illius generis, post existentiam enim Sortis nihil sibi substantiale amplius aduenit. *Quartò. 7. met. T. c. 27.*

¶ Quintò differũt, quia extremum illud, quod in prima compositione se habet vt actus est ita actus quòd tamen comparatur ad aliud, vt potentia. Extremum verò illud quod in secunda compositione se habet vt actus est ita actus, quòd quod nihil ipsius rei comparatur vt potentia. *Quintò.* Quod patere potest aduertendo proportionem, quæ est inter formam & existentiam. Est enim proportio formæ ad esse actuale, sicut proportio diaphaneitatis ad lumen, forma siquidem recipit existentiam & causat eam, sicut diaphaneitas lumen. *No. optimè hanc subtilissi. doctri* Sicut nanque aër in eo, quòd aër nõ est capax luminis, sed oportet ipsum diaphaneitate informari, vt proprium receptiuum luminis fiat: ideòque neque aër nec diaphaneitas, sed aër diaphanus est qui primò luminosus est, licet secũdariò tam aër quã diaphaneitas lumine careat. ita in pposito materia sola nõ est capax existentiæ, quia actus in propria suscipi debet potentia: sed oportet in ipsa formam recipi, vt proprium exceptiuum existentia fiat, non materia nec forma, sed compositum ex eis. Id enim quod primò existit, est compositum cuius primò etiam est fieri: tamen tam materia, quàm forma secundariò actuatur illamet existentia: Vnde sicut diaphneitas est causa formalis aëri diaphano, & eius cõplementum formale ad hoc vt proprium susceptiuum luminis fit, & cum hoc comparatur ad lumen adueniens vt potentia recipiens, licet secundariò ad actũ: ita forma est causa formalis composito & complementum eius formale ad hoc, vt proprium receptiuum existentiæ sit, ac per hoc, comparatur ad ipsam existentiam subsequentem vt potentia recipiens: secundariò tamen ad actum receptum, vnde fit, vt ipsum esse actualis existentiæ ad nihil aliud comparetur, vt potentia ad actum: sed sit vltima actualitas omnis rei etiam ipsius formæ.

¶ Sextò differunt, quia extremum illud, quod in prima cõpositione se habet vt actus est de intellectu seu diffinitione rei extrinsecè: forma enim secundũ oẽs intrinsecè in diffinitione cõcipitur. Extremũ verò illud ꝙ in sc͞da cõpositiõe se habet vt actus, est extra quidditatẽ rei diffinitio enim non significat esse, vel non esse, vt dicit primo Poste. *Sextò. T. c. 21.*

¶ Septimò differunt, quia ex extremis primæ cõpositionis fit vnum tertiũ per se vnum. Ex extremis verò secũdæ compositionis non fit vnum tertium per se vnum neque per accidens, propriè loquendo. Et colligitur ratio huius differentiæ ex supradictis: vnum enim per se non fit nisi ex duobus, quorum vtrumq; est pars substãtiæ: nulla enim substantia completa facit vnum per se cũ quocũq; alio, & quorum alterũ est pura potẽtia: ex duobus enim *Septimò.*

Universidad de Deusto Biblioteca

actibus non fit tertium per se vnum,& quorum alterum est ita actus,vt possit comparari ad aliquid aliud,vt potentia,partes enim sunt materia totius,quinto Metaphy.

T.cō. 3. tex.com.3. Cùm autem in prima cōpositione omnes istæ compositiones saluentur,in secunda verò nulla: sequitur quòd in secunda compositione non fiat vnum tertiū per se,neque etiam vnum per accidens fit:quia vnum per accidens aggregat res diuersorum generum:cum his tamen stat quòd essentia per se adunetur cum esse.

Octauò. ¶ Octauò differunt,quia prima compositio est compositio ex his:& ideo fit ibi vnum tertium.Secūda verò est compositio cum his.Nulla enim res datur, quæ cōstet ex essentia, & existentia, propriè loquendo, sicut datur res constans ex materia & forma.sed essentia componit cum existentia & econuerso:& ideo dictum est,quòd adunantur per se,non tamen componendo tertium.

Nonò. ¶ Nonò differunt,quia prima compositio ad pauciora se extendit, quàm secunda.Extrema enim primæ compositionis non inueniuntur nisi in rebus sensibilibus:eā namque solam ex materia & forma constare,suprà cōclusum est.Extrema verò secundæ compositionis reperiuntur & in rebus sensibilibus,& in rebus immaterialibus,habēt enim intelligentiæ quidditatem & existentiam.Vnde prima compositio infert secundam, & non econuerso:omne enim compositum ex materia & forma est compositum ex essentia & esse:sed non conuertitur. *t.2.ca.5. in princi.*

Decimò. ¶ Decimò differunt quo ad passiones suas:compositionē enim primam quantitas,accidentia sensibilia,& trāsmutatio saltem localis sequuntur.Compositionem autem secundam neque generatio,neque corruptio,neq; transmutatio aliqua physica sequitur:sed tantùm recipere & recipi,perficere & perfici:quia hæc sequuntur actum & potentiam,illa verò materiam & formam. In litera igitur hanc secundam compositionem in omni ente citra primū inueniri probatur tali conclusione proposita, Omne ens aliud à primo est cōpositum ex esse & essentia.Ratio talis est,Omne habens aliquid realiter suæ quidditati coniunctum,quod est extra essentiam eius, est compositū ex quidditate & illo additamento,id est essentia & esse: omne ens aliud a Deo habet aliquid reale suæ quidditati realiter coniunctum extra essentiam eius, scilicet esse: ergo omne ens aliud à Deo est compositum ex esse & essentia.Maior relinquitur à sancto Tho.pro manifesta.Et est modificanda ita,quòd illud additum sit extra essentiam rei particulariter sumptam (quod dico propter inferius, cùm sit extra essentiam superioris: non tamen componit cum illo) & etiā deseruit sic modificata propositio, quia esse est extra essentiam Sortis,non enim poneretur in eius diffinitione si diffiniretur. Relinquitur igitur manifesta Maior, quia duo adunata, quorum neutrum est contrahens alterum:& alterum se habet vt actus,& alterum vt potentia, non nisi per compositionem realiter sunt coniuncta. Minor autem patet ex sexta differentia.& Aristotel,primo Posteriorum dicente, quòd nulla diffinitio significat esse. *Formæ rationē literæ in tex.positam.* *T.ca.25.*

Nisi fortè sit aliqua res,cuius quidditas sit suum esse:& hæc res non potest esse nisi vna & prima,quia impossibile est vt fiat plurificatio alicuius nisi per additionem alicuius differentiæ,sicut multiplicatur natura generis in speciebus.Vel per hoc, quòd forma recipitur in diuersis materijs,sicut multiplicatur natura speciei in diuersis indiuiduis. Vel per hoc, q̄ vnum est abstractum, & aliud in aliquo receptum: sicut si esset quidam color separatus,esset alius à colore non separato,ex ipsa sua separatione.Si autem ponatur aliqua res,quæ sit esse tantùm, ita vt ipsum esse sit subsistens, hoc esse non recipiet additionem differentiæ,quia iam non esset esse tantùm, sed esse, & præter hoc forma aliqua. Et multominus recipiet additionem materiæ,quia iam esset esse non subsistens,sed materiale.vnde relinquitur, quòd talis res, quæ sit suum esse,non potest esse nisi vna: vnde oportet,quòd in qualibet alia re præter eam sit aliud esse suum: & aliud quidditas vel natura , seu forma sua.Vnde in intelligentijs oportet,quòd sit esse præter formam,& ideo dictum est,quòd intelligentia est forma & esse.

¶ Hìc ponitur secunda ratio ad idem quæ inducitur per modum exclusionis tacitæ responsionis,quia aliquis posset dicere ad rationem factam,quòd aliqua res, est cuius quidditas est suum esse & illius diffinitio non abstrahit ab existere.Contra hoc inquam inducitur secunda ratio probans,quòd in vno solo ente,scilicet primo,essentia est idem quod existentia:& consequenter in quolibet alio, esse & essentia distinguuntur realiter.Ratiocinatur ergo sic,Omne plurificabile seu plurificatū altero trium modorum multiplicatur vel per additionē differētiæ formalis,vel per receptionē vtriusq; in materia,vel per receptionē vnius in materia & alterius separatione:sed quidditas quæ est suū existere,nullo istorū modorū est multiplicabilis:ergo quidditas,quæ est suū esse, nec esse plurificabilis nec plurificata:ergo est vna tm̄:& sic omne aliud ab ea non est sua existentia.Processus clarus.Maior verò declaratur,quoniam cùm pluralitas sequatur diuisionem:diuisio alicuius fit per differentias formales:sicut natura generica animalis multiplicatur in homine & leone.Vel per differentias indiuiduales, sicut natura specifica multiplicatur in Sorte & Platone propter hoc,q̄ humanitas Sortis est in alia materia signata ab illa, in qua est humanitas Platonis.Vel tertio modo potest imaginari diuisio inter aliqua duo eiusdem naturę,propter hoc,q̄ alterum est omnino separatum,à materialibus conditionibus, alterū verò concretum est illis sicut homo separatus apud Platonē,distinguitur ab homine particulariter propter hoc, quòd homo separatus est immaterialis : natura verò Sortis est recepta in hac materia.Nec apparebit discurrenti per omnia Prædicamēta aliquis alius modus realis multiplicationis in vniuerso.Nec aliquis mihi obijciat quòd quantitas & substantia distinguuntur realiter:& tamen non per differentias formales:nec,&c. Quoniam siue modis siue differentijs fiat diuisio,non refert,dummodo contrahēs ad aliquam limitatam naturam trahat contractū. Minor autem declaratur quo ad omnes eius particulas. Primò,quòd non sit multiplicabilis per modum generis, patet ex eo,quòd genus recipit additionem differētię,per quam trahitur natura generis ad determinatā naturam specificam:& sic perdit genus puritatem propriam : animal enim contractum ad humanam speciem non est purum animal,sed animal humanum:quidditas verò, quæ est sua existentia, est ipsum esse purum, & non coartatū: statim enim quòd contraheretur,perderet puritatem, & essent ibi duo esse,scilicet & quidditas, ad quam contractum esset. Secūda pars Minoris clarius patet:quod enim recipitur in alio,non est esse purum,& per se subsistēs,sed sustentatur in alio:quidditas autem,quæ est suum esse,est pura : & consequenter per se subsistens, & non alteri admixta,in quo sustentetur. Per idem quoque patet tertia pars Minoris:si enim vna quidditas, quæ est suū esse, est separata,altera quæ est recepta ex hoc, q̄ est recepta, non poterit esse eadem suæ existentiæ:vt enim dictum est, esse receptum non potest esse idem quidditati : & sic concluditur,quòd quidditas,quæ est suum esse, est vna tantùm, quæ est prima causa omnium, ac per hoc cætera habent esse distinctum à suis essentijs.

Omne autem quod conuenit alicui,vel est causatum ex principijs naturæ suæ,sicut risibile in homine,vel aduenit ab aliquo principio extrinseco, sicut lumen in aëre ex influentia solis.Non autem potest esse;quòd ipsum esse sit causatum ab ipsa forma, vel quidditate rei.dico sicut à causa efficiente : quia sic aliqua res esset causa suijpsius, & aliqua res seipsam in esse produceret,quod est impossibile:ergo oportet,quòd omnis talis res,cuius esse est aliud à natura sua,quòd habeat esse ab alio. *Intelligētiæ sunt effectiuè productæ à Deo.*

¶ In hac parte quarta huius capituli declaratur, intelligētias habere esse à Deo effectiuè,in quo oīno idē est esse cū essentia:primū horū in sua vniuersali conclusione hoc, scilicet omne aliud à prima causa est productū ab ipsa, probatur sic,Omne habēs esse distinctū à sua quidditate, est pductū effectiuè à prima causa:omne ens aliud à causa prima habet esse distinctū à sua quidditate:ergo omne ens aliud à prima est effectiuè pductū à prima cā.Minor supponitur ex dictis & dicendis. Maior probatur sic, Om

Omne illud,cui cōuenit aliquod distinctum à sua quidditate, ita se habet quòd vel ipsum est causa effectiua illius,aut habet illud ab alio,effectiuè, non enī potest imaginari tertiū:risibilitas siquidem & albedo, & quicquid aliud conuenit homini,aut causatur ab ipso homine effectiuè,aut ab aliquo alio,quod non est hominis quidditas sed impossibile est,vt aliquod ens efficiat suam propriam existentiam.vt dicitur 2.de anima tex.comen.47.ergo oportet quòd illam habeat ab alio effectiuè. Quòd autē sit impossibile,vt aliquid ens efficiat suam propriam existentiam,patet ex eo,quòd sequeretur,quòd illud esset antequam esset,ex eo enim quòd efficeret, esset:omne enim efficiens existit,3.Physi.text.Commen.17.ex eo verò q̄ suum proprium esse causaret suum existere, eius causalitatem sequeretur:& sic esset antequam esset. *T.c.47.* *T.c.17.*

Essentia primæ causæ est suū existere. Et,quia omne,quod est per aliud,reducitur ad id, quod est per se,sicut ad causam primam: ideo oportet quod sit aliqua res,quę sit causa essendi omnibus rebus,eo quòd ipsa est esse tantùm,aliàs iretur in infinitum in causis,cùm omnis res, quæ non est esse tantùm habeat causam sui esse, vt dictum est. Patet ergo,quòd intelligētia est forma & esse,& quòd esse habeat à primo esse,quod est esse tantùm: & hoc est prima causa,quæ Deus est. *immediatè supr.*

¶ Hìc declaratur secundum propositorum, hæc conclusio,scilicet essentia primæ causæ est suum existere. tali ratione,Omne quod est per aliud tale,præceditur ab eo qd̄ est per se tale:omne ens aliud à prima causa est per aliud tale,id est ens,ergo præceditur ab eo quod est per se ens, causa est omnibus vt entia sint:vt dicitur 2. Metaphysi. text.Commen.4.prima ergo causa est ex se ens, seu per se ens, & consequēter sua quidditas est ipsum esse, aliter non esset per se:sed per aliud à sua quidditate ens:& consequenter dependeret ab alio,vt antè posita ratione deductum est. Maior propositio etsi habeatur secundo Physi. text.Commen.66.& 8 text.Commen.39. tamen in litera probatur ex eo,quòd aliter sequeretur processus in infinitum in causis:si enim non esset deuenire ad vnū per se tale,sed omnia essent per aliud talia:qua ratione aut vnū est aliud,eadem ratione ante illud erit aliud:et sic in infinitum.Minor verò est cōclusio præcedentis rationis. *T.c.4.*

QVAESTIO X.

Num intelligentiæ sint à Deo effectiuæ productæ.

CIRCA Hanc partem dubitatur,an intelligentiæ effectiuæ sint productæ à Deo.

¶ Et pro parte quidē negatiua arguitur sic, Omne agēs aliquid, agit illud per motum:nulla causa substātiarum immaterialium agit eas per motum:ergo nulla causa earum est agens eas.Maior est Aristo.1.de Generatione.tex commen.45. Et confirmatur:quia apud Arist.12.Metaphy. text. Commen.12.omnis productio exigit tria,à quo,ex quo,& ad quod.quæ in substantijs immaterialibus saluari non possunt.

¶ Præterea,In primo Physic. textu Commenti trigesimitertij,communis conceptio Philosophorum est, quòd ex nihilo nihil fit,sed si intelligentię sunt effectiuæ à Deo, sunt ex nihilo, &c.

¶ Præterea,Quarto Cæli, com.1.nullum æternum, inquit Auer.habet efficiens verè,nisi per modum formæ & finis.Similiter 12. Met.cō.44.reprehēdit modernorum morē,dicēs,q̄ in separatis à materia non est verè agere. *T.c.4. T.c.12. T.c.33.*

¶ Præterea,Nullū possibile ex se est necessarium ex alio, apud Commentatorē 12.Met.com.41.nisi motus:sed intelligentiæ, si sunt effectiuæ à Deo, sunt possibiles ex se, ergo non sunt necessariæ ex alio,ergo corruptibiles. *Auer.ca. 1.ca.44. post mo. secunda ratio.cō. 41.*

IN HAC Dubitatione, quoniam nostra ætate in hoc Patauino studio non vertitur in dubiū, an ita sit, q̄ Deus creauerit intelligentias, sed an hoc sit secundū mentem Aristo.& Commentatoris:ideo breuiter & incidenter persuadere volumus,quòd omnes intelligentiæ sunt à Deo effectiuæ secundū Commentatorem:& consequenter Aristo.omnes enim admittunt in hac re consequentiā istam. Deinde quoniā multi in hac re quærunt modum, quo apud Com. productio ista fit, declarabitur & modus productionis.

¶ Primū declarabitur sic,Id quod est maximè ens & verū est causa entitatis & veritatis in cæteris,2.Meta.text. com.4.Deus est maximè ens & verū:ergo Deus est causa entitatis in cæteris. Si dicatur q; est causa finalis & non effectiua,contra 12.Metaph.com.36.& 44. qualibet res separata à materia,cuiuscunq; est principiū finale,est principiū efficiens:ergo si Deus est principium finale intelligentiarū,erit & principium efficiens earū. Dicitur fortè,q̄ Com.non ponit illam propositionē vniuersaliter,sicut assumpta est,sed indefinitā:contra,Cōmentator ex separatione à materia seu immaterialitate rei ponit causalitatem effectiuam concomitari causalitatem finalem respectu eiusdē effectus: vt patet ibi.ergo vbicunq; reperitur immaterialitas cum causalitate finali respectu alicuius,oportet etiam reperiri causalitatem effectiuā respectu eiusdem. Confirmatur ex verbis Commentatoris in de substantia orbis,capitulo secundo : vbi expressè dicit cælum egere intelligentia non solùm mouente, sed largiente in sua substantia permanentiam æternam. par autem est ratio de intelligētijs.Quòd si dicatur, quòd loquitur de causa finali & formali exēplari, replica facta est: & adde q̄ ibi dicit Commentator,q̄ finis significat agens significatione necessaria:& sunt verba valde notāda.Confirmatur adhuc,quia Auerrois in 12.Metaph.& nuncnunc declarabitur, non solùm ponit ipsas produci, sed etiam modum quo à prima causa omnes producuntur,assignat. Modus autē productionis ab ipsomet ponitur,44.Commento 12.Metaphysi.reprehendit Auic. non quia ponebat intelligentias produci à Deo : sed quia ponebat,quòd Deus causaret eas per modum naturæ,scilicet quòd ab vno vnum tantùm procedat. Posuit enim Auicenna Deum gloriosum,qui pura actualitas est,intelligendo se,producere primam intelligētiam,quæ producta intelligendo Deum,producebat secundam intelligentiam:intelligendo autem se secundum id, quod habet de actualitate,producebat animam primi orbis:intelligendo autem se secundum id quod habet de potentialitate, producebat orbem primum,& similiter secunda intelligentia faciebat vsque ad vltimam, quæ præsidet sphæræ actiuorum & passiuorum.Reprehenditur ergo Auicen. de hoc,quòd vnum tantùm procedere à Deo immediatè dicebat. Vnde dicit,Non enī est illic prouētus, neq; consecutio neque actio:ita q̄ dicamus, q̄ vna actio sequitur vnum agentē. Vbi apparet quòd propterea apposuit ly. Ita quòd vna actio, vt declararet modum productionis se impugnare. Vnde & verè productionis modū subiungit in verbis sequentibus dicens, Tantùm enim est illic causa & causatum, secundū quod dicimus, intellectū est causa intelligentis.Vbi scito ex Alberto 12.Metaph.quòd contemplatio intelligentiarum,si veritatem inuenire quærit,in eas,vt operatiuas non speculatiuas tendat.sunt enī essentialiter opifices,vt earum instrumenta corpora,scilicet & cælestia præ se ferunt. Inter artes enim talis inuenitur processus,q̄ ars cōmunis & principalis speciales artes subseruientes causat exemplariter & effectiua (partialiter saltem)prout diuersis modis est imitabilis:Verbi gratia,ars militaris causat equestrem & frænefactiuam, & alias hmōi,vt sic,& sic & aliter imitabilis.omnes enī inferiores artifices intuendo artem principalē,& communē,ad eius imitationē formāt operationes suas proportionatas illi, Deus aūt gloriosus est ars prima & cōmunissima imitabilis ab omnibus artificibus specialibus,quales sunt omnes intelligentiæ. Vnde ipsa ars diuina vt sic imitabilis,puta per modum talem, qualis est motus Saturni causat artem intelligentiæ Saturni:& vt alio modo imitabilis, puta per operationes tales, quales sunt Iouis, causat artem intelligētiæ Iouis,& sic de alijs.causat dico nō solū exēplariter,sed effectiuè,& totaliter.Ars enī vniuersalis in humanis ideo nō causat,nisi partialiter & exēplariter artes speciales:quia non potest nisi concurrente lumine intellectus agentis in alterius intellectus fieri. Si nanq; ars vniuersalis esset separata à materia per se subsistens ex se,nō prohiberetur quin posset artes speciales sui imitatiuas effectiuè producere. Vnde cùm ars diuina sit per se subsistens,& summè efficax,non requirit coagens: sed sola intelligendo se vt pluribus mobis imitabilem artes speciales orbium motiuas tanquam propriorū instrumentorū produxit:& quia artes illæ non sunt receptæ in aliquo,oportet q̄ sint subsistētes.& q̄ sint nō solū formę intelligibiles,sed intelligētes.Omnis enī res immaterialis si est subsistens,est intelligēs secundū doctrinam Ari.3.de

T.c.24. *t.36.circa med. & 44. Ibidē de forma habui &c.* *Cap.2.* *Ca.44.* *Vbi supra cap.44.parū post principium.* *Nota hic diuinam declarationem.*

Universidad de Deusto Biblioteca

T.c.16. & 15. anima text.Com.16.Vnde cùm Deus immediatè producat plures artes speciales subsistētes, sequitur q immediatè producat plures intelligentias. ipsæ enim sunt essentialiter artes: & sic ibi est tantum causa & causatum, sicut intellectū, id est, ars communis intellecta, est causa intelligentis artificis subseruientis.

In eodē Commē. ¶ Confirmāt hunc sensum verba sequentia, quibus ait, non est impossibile, vt id quod est per se intelligentia & intellectum, sit causa plurium entium, secūdum quod ex eo intelliguntur multi modi. Ars enim diuina, quæ est pura intelligētia & purum intellectū, secundū quod intelligitur à se practicè pluribus modis imitabilis, plures artes producit. Quarum cuilibet, quia quod concipit de arte communi, est ratio operādi, cùm sumat principia sua ab illa: ideo subdit, quòd aliud est quod cōcipit de primo motore motor orbis Iouis, & aliud quod concipit motor orbis Saturni: & est causa in anima, eius scilicet, quòd operetur.

¶ Confirmat quoque hoc idem proportio inter intelligentias assignata ab ipso Comment. ait enim in Comment.44. quòd habitudo intelligentiarum aliarum ad primam est habitudo artium specialium ad communē: ita quòd sicut artes speciales perficiuntur & causantur à communi in humanis: ita proportionabiliter intelligentiæ aliæ perficiuntur & causantur à prima.

Ad primum. AD PRIMVM In oppositum dicitur, q agens dupliciter sumitur. Quandoq; propriè pro illo, quod ex sua actione infert passionem, quæ magis facta abijcit à substantia: & sic sumitur ibi ab Aristote. agens, sic enim opponuntur agens & patiens. Alio modo pro omni eo, quod in genere causæ efficientis causat: & sic agens communius est mouente, vt patet ex septimo Metaphysicorū Commento 31.

Ad confirmationē Com. 31. ¶ Ad confirmationem primam dicitur, quòd & illud & similia intelligenda sunt de productione Physic. scilicet per motum & mutationem. Similiter dicitur ad secundum.

Ad primam rationem. ¶ Ad autoritates Commentatoris adductas & similes sibi dicitur, quòd loquuntur de agente proprio dicto & productione Physica: vel contra positionem Aui. quòd vnum ab vno emanat.

Ad secundam rationem. ¶ Ad rationem secundam concessa Maiore, negatur Minor. stat enim apud Aristot. Comment. & sanct. Thom. & veritatem aliquid esse ab alio effectiuè, & tamen esse necessarium ex se.

AD CVIVS EVIDENTIAM Notandæ sunt quatuor propositiones. Prima est, Possibile ex se est id, quod habet in seipso potentiam ad non esse. Patet ista ex extremis. ideo enim aliquid est in ordine possibilium & non in ordine necessariorum: quia habet in seipso potentiam ad non esse. Si enim careret potentia ad non esse, impossibile est ipsum non esse: & sic necessarium esse illud esse.

SECVNDA PROPOSITIO Est, Id solùm habet in seipso potentiam ad non esse: cuius aliquid habet potentiam ad aliud esse. Patet ista ex eo, quòd nulla potentia per se primò appetit non esse: omnis enim appetitus per se tendit ad aliquod esse, sed quia cum illo ad quod tendit, non potest stare esse quod habet: ideò ex consequenti appetit non esse, quod est priuatio formæ, quam habet. Sicut materia aquæ per se primò appetit formam ignis: sed quia cum forma ignis non potest simul stare aquæ forma, ideo ex consequenti appetit priuationem formæ aquæ, quam habet. Potentia ergo omnis appetens non esse prius natura appetit aliquod aliud esse. Notanter autem dixit in hac propositione, cuius aliquid habet potentiam: quoniam non totum appetit aliud esse, sed pars potentialis, non enim tota aqua appetit esse ignis, sed eius materia.

T.c. 6. TERTIA PROPOSITIO Est, Necessarium ex se est illud, quod caret potentia ad esse & non esse. Patet ista ex terminis quinto Metaphysicæ. textu Commenti sexti. Necessarium enim est quod impossibile est aliter se habere. quod autem caret potentia ad esse, & non esse, impossibile est aliter se habere. omnis enim successio, quæ dicitur sic ad aliter se habere, fit per posse hoc esse perdere, & aliud acquirere.

QVARTA PROPOSITIO Est, q nec intelligentiæ, nec corpora cælestia habent aliquid sui, quod sit in potentia ad aliud esse. Ista quo ad intelligentias est per se nota: quia sunt simplices formæ: quo ad corpora cęlestia verò secundum Auerroim similiter dicendum est, quia sunt substantiæ simplices apud ipsum: secūdum autem sanctum Thomam ex eo est vera, quòd materia cuiusque eorum nō est capax nisi formæ quā habet.

¶ Ex quibus quatuor propositionibus succinctè declaratis patere potest, quòd secundum veritatem intelligentiæ & corpora cælestia sunt necessaria ex se arguendo sic, Oē carens potētia ad esse & non esse est necessarium ex se: intelligentiæ & corpora cælestia carent potentia ad esse & nō esse. ergo, &c. Cum hoc tamē stat, quòd sint effectiuè ab alio: potest enim vnum necessarium esse effectiuè ab alio necessario. vt dicitur octauo Physico. tex. Com. 15. *T.c.15.* & quinto Meta. tex. Comment. 9. *T.c.6.* Vnde intelligentiæ & corpora cælestia dupliciter sunt necessaria & ex se & ab alio. ex se quidē formaliter & extrinsecè: ab alio verò effectiuè & extrinsecè. Vnde Commētator 12. Metaphysi. Commen. 41. *Com.41. Nota ratio hæc est optima.* dicit, quòd non potest esse aliquid possibile ex se, necessarium verò ex alio nisi motus: & nō dixit impossibile est aliquid esse necessarium esse ex se & ex alio. Et cùm hoc inspexeris fugabuntur omnes dubitationes inter dicta eius in de Substantia orbis, & hîc, reputauit enim impossibile nisi in motu aliquid esse necessarium ex alio præcisè. pro nunc sufficiant hæc.

Intelligētia sunt compositæ ex actu et potentia, quo est, & quod est. Omne autem, quod recipit aliquid ab alio, est in potentia respectu illius: & hoc quod receptum est in eo, est actus eius, ergo oportet, quòd ipsa forma vel quidditas, quæ est intelligentia, sit in potentia respectu esse, quod à Deo recipit. & illud esse receptum est per modum actus, & ita inuenitur actus & potentia in intelligentijs: non tamen forma & materia, nisi æquiuocè. vnde etiam pati, recipere, subiectum esse, & omnia huiusmodi, quæ videntur rebus ratione materiæ conuenire, æquiuocè conueniunt substantijs intellectualibus & corporalibus, vt in tertio de anima Commentator dicit.

Cap. 14. circa principio capi. magno: circa princip. ¶ In hac quinta particula declaratur talis conclusio, Intelligentiæ sunt compositæ ex actu & potentia, quo est & quod est: sic omne quod recipit aliquid ab alio effectiuè, est compositum ex recipiente potētia & actu recepto: intelligentiæ recipiunt aliquid ab alio, scilicet esse à deo: ergo intelligentiæ sunt cōpositæ ex potentia & actu. Maior ex eo patet, quòd nihil est in seipso. Minor autē ex prætedentibus nota est. Et quamuis sic sit, quòd in intelligentijs inueniatur actus & potentia: nō tamē habent formā & materiam. In plus enim se habent actus & potentia, quā forma & materia. Vnde pati, recipere, & subijci, & similia, quæ sunt passiones materiæ æquiuocè in inferioribus, & superioribus reperiuntur. Alia enim est ratio recipiendi, ibi & hîc: ibi absque omni motu & materiali cōditione, in istis verò non nisi cū motu & indiuidualibus conditionibus, vt & Commentator testatur 3. de anima comment. 14.

Ca. præd. 14. i pri. In lib. de Hebdomad. ca. 1. Et quia, vt dictum est, intelligentiæ quidditas est ipsamet intelligentia, ideo quidditas vel essentia eius est ipsum quod est ipsa, & esse suum receptum à Deo est id, quo subsistit in rerum natura, & propter hoc à quibusdam huiusmodi substantiæ dicuntur cōponi ex quo est, & quod est, vel ex quo est, & essentia, vt Boëtius dicit.

Sco. 3. d. 6. q. 1. ¶ Assignat rationem, quare intelligentiæ dicuntur compositæ ex quo est: & quod est, Omne cōpositum ex quidditate, quæ est ipsum suppositum & esse est compositum ex quo est, & quod est: intelligentiæ sunt compositæ ex quidditate, que est ipsa intelligentia, & esse quo subsistūt. ergo sunt cōpositæ ex quo est & quod est. Omnia assumpta ex prædictis sunt manifesta.

QVAESTIO X.

Num esse actualis existentiæ & essentia distinguantur realiter.

CIRCA Supradicta duæ dubitationes sunt. Prima est, an esse actualis existentiæ & essentia distinguantur realiter. Secunda est, an intelligentiæ sint compositæ ex actu & potentia.

¶ Circa primam tria agēda sunt: primò ponetur opinio Scoti. Secundò ponetur opinio Sancti Thomæ. Tertiò respondebitur argumentis in oppositum.

QVO AD Primum Scotus in tertio sententiarum, distinctione sexta, quæstione prima, opinatur esse actualis existentiæ & essentiam rei esse idē realiter: licet distinguātur ex natura rei, sicut modus intrinsecus & quidditas cuius est: sicut nec albedo distinguitur à suo modo intrinseco gradu scilicet, vt tria vel quatuor. Ad probādum autem hoc licet adduci possent rationes Scoti: quia tamen vnionem naturæ humanæ cum supposito diuino concernunt, decem rationes inductas ab Antonio Trombeta in Quolibeto suo nunc recitandas primò censui. *Antonius Trōbeta in Quolib. mediali.*

¶ Primò arguit, vt ipse dicit, contra fundamentum Thomæ sic, Manente eadem ratione, manet idem effectus: sed tota ratio quare ponitur ab istis, essentiam differre ab esse est propter indifferentiam essentiæ ad esse & non esse: nam, vt dicunt, hæc est in potentia, vt sit & non sit. ergo vbi talis indifferentia inuenitur, ibi ponenda est talis distinctio: sed ita est, quòd est consimilis indifferentia esse ad esse & non esse (esse enim rosæ in hyeme non est, in vere autem est) consimilis etiam indifferentia est essentiæ ad essentiam & non essentiam, essentia nanque creaturæ ab æterno non est, ergo esse differt realiter ab esse, & essentia differt ab essentia, quod est ridiculum.

Secundò. ¶ Præterea, Quandocunq; sunt aliqua duo essentialiter ordinata & realiter distincta, prius potest sine contradictione fieri absq; posteriori: sed essentia non potest fieri sine existentia. ergo Minor patet: quia essentia particularis, quæ sola fit, necessariò est existens.

Tertiò. ¶ Præterea, Quæcunq; distinguuntur, realiter se habent sicut res & res: sed essentia & existentia non se habent sicut res & res: ergo, &c. Patet ista: quia res, propriè loquēdo, conuertitur cum ente in actu actualitate existentiæ.

Quartò. ¶ Præterea, Nulla res componit cū sua realitate, ergo nulla quidditas differt realiter à sua existentia. Tenet consequentia: quia existentia est ipsa realitas rei, nihil enim aliud est dicere rem esse realiter, quàm existere, & econuerso. Antecedens est de se notum, ridiculum est enim dicere quòd aliquid componat cum sua realitate.

Quintò. ¶ Præterea, Homo verus nō componit cum sua veritate: nec homo affirmans cum sua affirmatione: ergo quidditas non componit cum sua existentia. Consequentia patet ex eo, quòd rei existentia nihil aliud est, quàm positio veritatis & affirmatio huius. Antecedens autem oppositum non videtur bene intelligibile.

Sextò. ¶ Præterea, Existentia & essentia habent idē contradictorium, ergo non distinguuntur realiter, Consequentia est nota: antecedens verò manifestatur ex eo, quòd nihil est quod priuet esse, quin priuet essentiam: nec est aliud nihil priuans esse: & aliud nihil priuans essentia.

Septimò. ¶ Præterea, Homo in potentia non componit cum homine in actu: ergo essentia & existentia non componunt: et consequenter non realiter distinguuntur. Consequentia relinquitur per se nota: quia essentia est in potentia, existētia verò est actualitas eius. Antecedens verò patet ex eo, quòd actus & potentia diuidunt ens, vt conditio diminuens, & perficiens: sicut verum & pictum diuidūt animal, vt Commentator dicit nono Metaphy. commento *Com. 7.* septimo. homo ergo in potentia cùm non sit homo simpliciter, cùm sit homo in actu, solam conditionem distrahentem perdit positum sub conditione perficiente: & sic nullam compositionem habet cum homine in actu.

Octauò. ¶ Præterea, Esse existentiæ si est distinctū realiter à quidditate, non est substantia, nec accidens. ergo probatur antecedens: quod enim non sit accidens vt concessum ponatur. Quòd autem non sit substātia, probatur. Quia aut est materia, aut forma, aut compositum: nullum illorum est apud Thomam: ergo, &c.

Nonò. ¶ Præterea, Existentia & essentia distinguūtur realiter: ergo in qualibet generatione substantiali sunt duo termini totales, & duo termini formales. Consequens est impossibile: ergo, &c. Consequētia probatur quo ad vtrāq; partem, supponendo duo. Primum est, quòd compositū per se vnum fit ex per se actu, & per se potentia, ex octauo Metaphysicæ, vbi nullam causam nouit Aristoteles quare compositum substantiale est per se vnum, nisi quia *T.c.15.* materia est per se potentia, forma verò per se actus. Secundò supponitur, quòd essentia est per se potētia: existentia verò per se actus. Ex quibus concluditur, quòd id quod resultat ex esse & essentia, est per se vnum, quo dato, sequitur quòd erunt duo composita per se vnitatem habētia: quorum alterum erit compositum ex materia & forma, alterum ex esse & essentia: & cùm vnumquodq; per se vnum natum sit terminare generationem, ergo in generatione erūt duo termini totales: & sic patet prima pars. Erunt etiam duo termini formales, scilicet existentia, & forma substātialis. quod etiam probatur sic, Terminus formalis generationis est id, quo aliquid generatur: sed tam existentia, quàm forma est id, quo aliquid generatur, ergo, &c. probatur Minor sic, Eo modo, quo aliquid est ratio essendi, est ratio generādi: sed existentia est ratio essendi, ergo est ratio generandi. Vel formetur sic ratio. Eo modo quo aliquid generatur, eo modo est: sed per ipsum cōpositum non generatur per esse sic, quòd esse sit terminus generationis, ergo non habet esse per ipsum esse. Consequens est falsum, ergo altera præmissarum: non maior, ergo minor.

Decimò. ¶ Præterea, Ex existentia & essentia fit per se vnum: ergo datur processus in infinitum in essentijs. Consequens est impossibile: ergo, &c. Antecedens patet ex præcedenti ratione: & probatur sic, Nam sicut ex materia & forma resultat tertium per se vnum: quia illa est per se potentia, hæc per se actus: ita ex existentia & essentia, cū etiam existentia sit per se actus, & essentia per se potentia, eadē enim ratio est. Consequentia autem probatur: quia si ex esse & essentia fit tertium per se vnum, cùm illud iterum distinguatur à sua existentia, componet cum ea: & ex eis fiet aliquod per se vnum: & iterum arguitur eodem modo de illo: & sic in infinitum. Hæc de primo.

Opi. sanc. Tho. 12. contra Gen. ca. 52. QVO AD Secundum, opinio sancti Thomæ ab eo posita in secundo contra Gentiles, cap. 52. est quòd in omni creatura quidditas & eius esse actualis existentiæ distinguuntur realiter: & licet hæc conclusio nunc in textu probata sit, attamen ad pleniorem declarationem deducam tres probationes ex sancto Thoma ibi.

Prima ratio. ¶ Prima est, Omnis essentia creata habet aliquid sibi realiter coniunctum, præter suum esse: nullum esse receptum habet aliquid sibi annexum præter se: ergo nullū esse irreceptum est essentia creaturæ, & consequenter esse & essentia non sunt idem. esset enim ipsum esse irreceptū, si esset idem essentiæ, sicut & ipsa essentia irrecepta est, de substantijs loquendo. Maior est nota per se: Sortes enim præter suum esse habet quantitatem, albedinem & similia: similiter substantiæ separatæ, vt nunc supponimus, habent aliquod accidens. puta actum intelligendi saltem. Minor verò declaratur ex eo, quòd si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis: sed præcisa causa, quare esse habeat aliquid præter se annexum, est, quia esse est receptum in alio, in quo potest recipi aliud: quod patet ex hoc, quòd esse substantiale Sortis & esse album eiusdem nulla alia ratione adunatur, nisi quia vtrunque recipitur in Sorte: sunt enim tantùm vnum subiecto. Cùm ergo esse non erit receptum, non remanebit aliquis modus, quo potest habere aliquid sibi annexum.

¶ Confirmatur hoc: quia esse substantiale Sortis, aut adunatur cum alijs præter se identicè, & hoc est manifestè falsum esse: esse enim substantiale Sortis, non est esse album. Aut sicut potentia & actus: ita quòd esse substantiale sit potentia & accidentale actus eius: & hoc non, quia nullum esse actualis existentiæ potest poni subiectum alterius, cùm sit vltima actualitas. Remanet igitur, quòd ea ratione adunentur, quia ambo recipiuntur in tertio: & ideo sublato hoc ab ipso esse actualis existentiæ, quòd sit, scilicet receptum, aufertur etiam quòd possit habere aliquid sibi annexum. & hoc est quod Boetius dicit in Hebdomadibus, quòd ipsum quod est aliquid, habet sibi præter se coniunctum: ipsum verò esse nihil. *Capi. 1. propositione. 4.*

Secunda ratio. ¶ Secunda ratio ad idem est, Omne esse irreceptum est infinitum simpliciter: nullum esse creaturæ est infinitū simpliciter, ergo nullum esse creaturæ est esse irreceptum: ergo distinguitur ab essentia, &c. Minor est per se nota. Maior probatur sic, Omne purum esse est infinitum simpliciter: Omne esse irreceptum est purum esse: ergo omne esse irreceptum est infinitum simpliciter. Maior est nota ex terminis (esse enim ideo est limitatū, quia non est purū sed prædicamentis mixtum) esse enim limitatur per natu-

Universidad de Deusto Biblioteca

ras prædicamentales: à quibus si deputetur, omni finitate carens infinitum omnino restabit. Minor verò etiam patet ex præcedenti ratione, & ex ratione facta suprà in textu. Et adhuc exēplariter declaratur, Albedo si ponatur nō recepta in aliquo, est pura albedo: & nihil haberet nisi se tantū, & esset infinita in specie albedinis, vt de se clarū est: non enī potest à sano intellectu imaginari albedo separata definita ad aliquē modū albedinis: omne enī quod est per se tale, habet omnem perfectionē possibilem illi naturæ: sicut homo separatus apud Platonem, habet omnem perfectionem possibilem naturæ humanæ.

3. di. 3. q. 4.

Nec valet id quod Antonius Trombeta contra hoc dicit sumptū ex Scoto, secundo sententiarum, distin. 3. q. vlt. quòd si albedo esset separata, & haberet omnem perfectionē possibilem tali speciei, sequeretur quòd albedo esset infinita simpliciter: quia haberet perfectionem infinitorum indiuiduorum possibilium esse sub specie albedinis. Hoc inquam nihil valet: quoniam sicut infinita indiuidua albedinis, etiam simul posita non sunt perfectionis infinitæ simpliciter, cū sint limitata ad speciē albedinis: ita nec albedo separata eorum perfectiones habens erit infinita simpliciter, sed in tali specie.

Tertia ratio.

¶ Tertia ratio est ista, Id quod conuenit naturæ specificę absq; omni causa effectiua, distinguitur realiter ab eo, qđ cōuenit illi, non nisi per aliquam causam effectiuam: sed prædicata quidditatiua conueniunt rei absque omni causa effectiua: existentia autem non conuenit rei nisi per aliquod efficiens: ergo prædicata quidditatiua & existentia rei distinguūtur realiter: Maior est per se nota. Minor etiā quo ad secundā partem est clarissima: quo ad primam verò declaratur sic, Seclusa omni causalitate effectiua respectu rosæ, quæro an ista sit vera, Rosa est substantia corporea: si sic, habeo intentū: si non, ergo sola absolutè sumpta nō est in prato: & prædicata primi modi possunt intelligi non ad esse rei, & diffinitio separatur à diffinito: q omnia non sunt imaginabilia, &c. Videtur etiam hæc opinio ab antiquis deriuata, Platone scilicet, Alpharabio, Auicenna, Algazele, Boëtio, Hilario, Alberto, & eorum sequacibus: licet ab Aristot. nihil manifesti in hac re habeamus. Hæc de secundo.

Videas huius do. cōmentū 2. post. ca. 6. circa princip. 2. contra Ge. c. 52.

QVO AD TERTIVM Respōdetur argumentis in oppositum. Et ad primum dicitur præmittēdo, quòd arguens non vidit sanctum Thomam in fonte: vt enim apparet ex secundo contra Gentiles, vbi ex intentione septē rationibus fundat suam opinionem seu positionem: ratio assumpta ab arguente non nominatur inter illas: vnde peccauit imponendo nobis hoc esse totum fundamentū positionis nostræ, licet illa ratio ex dictis sancti Thomæ primo sententiarum, distinctione octaua, quæstione quarta, articulo secundo, elici possit (vbi tamē de hac re nō tractat) & est formāda, sic ratio illa, Essentia particulariter sumpta est indifferens ad esse & non esse: ergo distinguitur realiter à suo esse. Nec valet responsio sua dicens, q in antecedēte oportet addere, quòd essentia habeat propriam realitatem aliam à realitate existentiæ, quia hoc est voluntarium. Distinctio enim realis est inter materiam & formam: quas Philosophi non dubitant habere eandem realitatem existentiæ, cùm ex eis ponant vnum per se fieri.

1. di. 8. q. 4. art. 2.

¶ Ad argumentū ergo contra hāc rationē factū dicitur, q falsum est, q esse sit indifferens ad esse & non esse, & essentia ad essentiā & non essentiā: nihil enī est indifferēs ad aliqua duo: quorū alterū sibi determinat in sua diffinitione: cōstat aūt q esse est de intellectu esse, & essentia de intellectu essentiæ. Quòd autē esse rosæ in hyeme nō sit, sed in vere: hoc ideo est, quia essentia rosæ, cui semper sua prædicata quidditatiua adsunt, ad actū essendi non peruenit, & nō ideo, quia ipsum esse sit indifferens. Cùm aūt addit, q essentia est indifferens ad essentiā, & non essentiā, quia nō est ab æterno, non videtur intelligere vocem propriam: ex negatione enim actus essendi ab æterno, bene sequitur, q rosa sit indifferens ad esse & nō esse: sed nō q sit indifferens ad rosam & nō rosam: vt enī dicunt Alpharabius, Auicenna, Algazel, & Albertus, siue rosa sit, siue non sit, semper est rosa, & semper est substātia corporea, &c. si in aliquo termino mensuræ in his vti licet.

Ad secundum.

¶ Ad secundū negatur vtraq; præmissa: & Maior quidē supposita ostēsa est esse falsa. Minor verò ostēdit in Christo in quo humanitas absq; creata existentia actuali est.

Ad tertium.

¶ Ad tertium negatur Maior ad intellectum arguentis: non enim requiritur ad distinctionē realem, quòd vtrumque eorum habeat propriam existentiam.

Ad quartum.

¶ Ad quartum dicitur, quòd sicut esse est duplex, scilicet existentiæ & essentiæ, ita duplex est realitas essentiæ & existentiæ: & licet nulla res componat cum sua realitate, tamen cum hoc stat, quòd componat cum realitate existētię: vnde essentia hominis absolutè in reali prædicamento, substantiæ scilicet, reponitur: posita autem in rerum natura fit realis realitate existentiæ.

Ad quintum.

¶ Ad quintum dicitur eodem modo: quia etiam verum conuertitur cum ente & re: vnde simpliciter homo dupliciter est verus, scilicet veritate essentiæ & existentiæ. homo verus veritate essentiæ non componit cum tali veritate, quæ nihil aliud est, quàm fundamentalis conformitas ad sua prædicata quidditatiuè: componit autem cum sua veritate existentiæ: id est cum esse, quòd fundat hanc veritatem, homo est. similiter dicitur de affirmatione.

Ad sextū Capi. 11.

¶ Ad sextum negatur antecedēs: cuius probationis vtrūque assumptum est falsum. Cùm enim quot modis vnū oppositorum dicitur, tot dicatur & reliquum (in primo Topicorum) sicut ens dupliciter dicitur, scilicet ens quidditatiuum & existentiæ: ita non ens, seu nihil dicitur dupliciter: scilicet nihil quidditatiuè, & nihil existenter: homo enim absolutè sumptus cùm sit in prædicamento substantiæ, est ens quidditatiuè, non tamen extra nihil oppositum actuali existentiæ: & ideo aliud est nihil oppositum enti prædicamentali seu essentiæ, & aliud, quod opponitur existētiæ actuali, &c. & similiter alia est negatio essentiæ, & alia est negatio existentiæ.

Ad septimum.

¶ Ad septimum negatur consequentia: non enim idem est dicere, homo in potentia componit cū homine in actu & essentia componit cum existentia. prima enim est falsa quia idem non componit cum seipso: secunda autem est vera, quia extrema realiter distinguuntur, vnde non est eadem proportio existentiæ ad essentiam, & hominis in actu ad hominem in potentia. Inter prima enim est proportio potētiæ receptiuè ad actū: & distinctio realis vtroque extremo posito extra causas suas: inter secunda verò non, sed est proportio eiusdem ad seipsum secundum diuersas sui dispositiones simul incompossibiles, scilicet esse in potentia & esse in actu.

Ad octauum. In hoc eodem cap.

¶ Ad octauum negatur antecedens: existentia enim substantiæ est substantia, & existentia accidentis est accidens & (vt suprà patet) existentia substantiæ non est materia, nec forma, nec compositum, sed actualitas omnium eorū & sic est reductiuè in genere substātiæ. Sed contra hoc instat arguens sic, Omne quod est reductiuè in genere, reponitur vt principium ipsius: sed esse nō est principium substantiæ, ergo non est in genere substantiæ reductiuè.

Ad hoc dicitur, quòd cùm esse sit vltima actualitas rei: & vltimum in generatione sit primum in intentione esse in genere substātiæ vt principium formale vltimatū ipsius substātiæ: per hoc enim res reponitur in genere substantiæ, quia est capax esse substantialis: etenim differentiæ in omnibus generibus (vt infrà declarabitur) sumuntur ab ordine ad ipsum esse.

Capit. 6. par. 3.

Ad nonum T. ca. 15.

¶ Ad nonum negatur consequentia. Ad cuius probationem dicitur, quòd primum suppositum malè intellectum adducitur, eo quòd Aris[illegible].53. Metaphy. textu cōmen. 15. quem arguens adducit, non dicit quòd ex per se potentia & per se actu resultet vnum tertium, sed quòd ideo res habens partes est vna: quia altera est actus, altera verò potentia, & intelligendum est (sicut suprà declaratum fuit) si ad compositionē realem referatur, scilicet q altera pars est pura potentia, eo quòd ex duobus actibus non fit tertium per se vnum: modo quidditas rei & existentia eius non se habent sicut pura potentia & actus, nec sunt partes, vt patet: vnde autoritas illa non est ad propositum.

In hoc eodē capitulo.

Relinquitur ergo falsum esse q essentia fiat tertium per se vnum & consequenter probatio consequentiæ quo ad primam partem nihil valet, quia non sunt ibi duo composita. Ad probationem vero consequentiæ quo ad secundam partem dicitur, quòd non inconuenit generationem habere duos terminos formales difformiter, vnum primò, alterum secundariò: terminus formalis generationis primus est forma, secundarius autem esse, sicut per oppositum creationis terminus formalis primò est esse: secundarius verò forma, & hoc modo conceduntur argumēta.

¶ Quòd si intendat probare, quòd esse sit terminus generat

sumit, scilicet eo modo, quo aliquid est ratio essendi, est ratio generādi, falsum est: licet enim sit verum, q id quod est ratio essendi, sit ratio rei, quòd generetur: non tamen est verum, q eo modo quo est ratio essendi, sit ratio generandi, & ratio est: quia res per generationē non exit de nō esse omnino ad esse, sed de priuatione ad formam, vt dicitur 1. Physicorum, creationis enim est proprium, vt res transferat de nō esse omnino ad esse, quo fit vt esse, quod est primò ratio essendi, meritò sit & primò ratio primæ productionis, quæ est creatio: & forma, quæ est secundariò ratio essendi, sit prima ratio secundæ productionis, generationis scilicet. vnde & primo Physicorum principia generationis ponuntur forma & priuatio. Per idem patet ad aliam formam eiusdem rationis. falsa enim est Maior, alius nanque est modus quo res generatur: & alius quo est, est enim per formam secūdariò, per se autem primò: generatur verò econuerso.

T. ca. 75.

T. c. 66. & 67.

¶ Ad decimum patet responsio ex dictis, falsum enim est antecedens.

Ad decimumsecundum dubiū. S. an intelligētiæ sint cōpositæ ex actu & potentia. op. Sco. 1. di. 8. q. 2.

CIRCA SECVNDVM Dubium sciēdum est, communem Philosophorum sententiam esse intelligentias alias à prima nō esse actus omnino puros: sed admixtionem in se potentia habentes: verùm diuersitas inter eos magna est de modo, quo hæc duo, actus scilicet, & potentia eis insunt.

¶ Et vt reliquos omittamus, ne limites intētionis nostræ egrediamur. Sco. in primo sententiarum, distinct. 8. q. secunda, opinatur omnem creaturam esse compositam ex actu & potentia hoc homo, quia quælibet creatura cùm non sit nihil oportet quod habeat aliquam actualitatem: & cùm sit definita ad tale genus vel speciem seu gradum perfectionis, oportet quòd habeat in se negationem alterius perfectionis possibilis reperiri in latitudine entis: & sic sit possibilis, quicquid enī est ens, & caret aliqua perfectione in ente possibili, est simpliciter possibile. & sic quælibet res est composita ex actu & potētia obiectiua: ex eo enim, quòd est, habet in se actum: ex eo verò, quòd est ens possibile, habet in se potentiam, possibile nanque à potentia dicitur. Cùm autem solus Deus sit actus non possibilis, id est non potens terminare actionem alicuius agentis sui factiui: intelligentiæ apud ipsum erunt compositæ ex actu & potentia obiectiua tantùm: quia nullā in earum substantia receptiuam formam ponit.

SANCTVS THOMAS Aūt ex fundamētis in dubitatione præcedenti positis opinatur intelligentias & quamlibet creaturam esse compositas ex actu & potentia: sicut ex duabus rebus distinctis realiter, esse scilicet & essentia: nec oportet repetere probationes, sed soluere rationem Sco. quā ibidem facit contra hoc. Arguit enim sic, Si in qualibet creatura est compositio ex duabus rebus, accipio alteram illarum rerum componentiū, & quæro, an sit simplex, an composita. Si simplex, ergo non quælibet res creata est composita. Si composita, iterum quæretur de partibus eius: & sic in infinitum.

Rō. Scot. vbi suprà.

Respondetur.

¶ Ad hoc facillimè respondetur: procedit enim argumentum ex malo intellectu positionis nostræ, cùm nanq; dicitur, q quodlibet aliud à Deo est cōpositū, (ly Quodlibet.) distribuit non nisi pro his, quæ verè sunt, & propriè esse habent: quæ apud Aristot. & veritatem sunt sola subsistentia: omne ergo suppositum tam substantiale, q; accidentale (si sic loqui licet) est compositum ex actu & potentia realiter distinctis, quidditate scilicet & esse: Sortis enim quidditas, vt declarauimus, distinguitur realiter, à suo esse: & huius albi, albedo distinguitur realiter, à sua propria existentia, vt ex dictis patere potest. Non enim sumus adeò insensati, vt dicamus omnem entitatē qualitercūq; esse cōpositā. Cōponentia enī vltima in resolutione quis dubitat oportere esse simplicia? Dicimus igitur in proposito intelligentias cùm subsistant habere in se quidditatē, et existentiam adunatas vt potētiam & actū: & sic compositas esse ex duabus rebus realiter distinctis. Scot. autem sententiam tenere potest suam absque alterius læsione: sed linguam coërcere debet.

Septimo Metaph. T. c. 27. 1. q. pced.

Facile est numerū intelligētiarū inuenire cū sint compositæ ex actu & potentia. c. 5.

Et quia in intelligentijs ponitur potentia & actus, non erit difficile inueniri multitudinem intelligentiarum: quod esset impossibile, si nulla potentia in eis esset. Vnde dicit Commen. in tertio de anima, quòd si natura intellectus possibilis esset ignorata, non possemus inuenire multitudinem in substantijs separatis. Est ergo distinctio earum adinuicem secūdum gradum potentiæ & actus: ita quòd intelligentia superior: quæ plus propinqua est primo, habet plus de actu, & minus de potentia, & sic de alijs: & hoc completur in anima humana, quæ tenet vltimū gradum in intellectualibus substantijs. vnde intellectus potentialis eius se habet ad formas intelligibiles sicut materia prima, quæ tenet vltimum gradum in esse sensibili ad formas sensibiles, vt Commentator tertio de anima dicit: & ideo Philosophus comparat eam tabulæ rasæ, in qua nihil est depictum. Et propter hoc, quia inter alias substantias intelligibiles plus habet de potentia: ideo efficitur intantum propinqua rebus materialibus, vt res materialis trahatur ad participandum esse suum. ita quòd ex anima & corpore resultat vnū esse in vno cōposito, quāuis illud esse, prout est animæ, non sit dependens à corpore, & ideo post istam formam, quæ est anima, inueniuntur aliæ formæ plus de potentia habentes, & magis propinquæ materiæ, intantum, quòd esse earum sine materia non est: in quibus etiam inuenitur ordo & gradus vsque ad primas formas elementorū, quæ sunt propinquissimæ materiæ, vnde nec aliquam operationem habent nisi secundum exigentiam qualitatum actiuarum & passiuarum, & aliorum, quibus materia ad formam disponitur.

c. magistro circa c. fin. c. 5.

Tertio de anima. T. c. 14.

¶ In hac sexta & vltima parte huius capituli de multitudine intelligentiarum agens primò proponit duas cōclusiones: quarum prima est, quòd secundum fundamenta prædicta non est difficile inuenire pluralitatem intelligentiarum. Secunda est, quòd absque talibus fundamentis impossibile est inuenire in eis pluralitatem: & hoc quidem non nisi autoritate comment. 3. de anima. cōmē. 14. Probatio verò primæ conclusionis est: quia quandocunque est aliquod mediū per participationem vtriusque extremi plurificatur penes maiorem participationē vnius & minorem alterius. verbi gratia, Imponatur nomen coloribus medijs, & vocentur A: tunc A quia est inter albedinem & nigredinem medium, per participationem multiplicatur in plures species: puta pallidum, croceum, citrinum, propter maiorem appropinquationem ad albedinem et recessum à nigredine, & econuerso: sed intelligentia est quid medium secundum præhabita inter duo extrema, scilicet actum purum & puram potentiam, participans naturam vtriusq;: quia habet actū coniunctum potentiæ: ergo intelligentias plures esse, ex hoc fundamēto facile perpendi potest, scilicet ex eo quòd sunt compositæ ex actu & potentia.

AD HORVM Euidentiam est sciendum, quòd in latitudine entis sunt duo extrema, scilicet Deus gloriosus actus purus omnino, & materia prima pura potentia omnino: reliqua omnia sunt inter media, vtpotè habentia actum & potentiam: & attenditur eorum essentialis seu specifica multitudo penes appropinquationem & elongationem ab extremis: quia enim aliquid magis sapit naturam actus, quàm aliud, & illud, quàm aliud, ideo plura sunt & dignitas in eis est penes maiorem appropinquationem ad extremum nobile, scilicet actum purum: quantò enim res est actualior & minus potentialis, tantò nobilior: omnes igitur formæ intermediæ participant actum & potentiam. Sed inter eas quædam tantùm actualitatis sortitæ sunt, vt adeò propinquæ sint actui puro, quòd per se absque materia subsistant, vtpotè ab ea valde elongatæ: non tamen sine admixtione potentiæ, cuius puritas est ratio materiæ quod sit extremū: & inter has tāta latitudo est secundū maiorē & minorē participationē actus & potētiæ, vt vltima earū tm̄ potētialitatis habeat, qđ materiā informet. (anima scilicet intellectiua.) Hæc enī inter omnes formas subsistētes elōgata est maximè ab actu puro: propter qđ cōtingit, q adeò appropinquat alteri extremo, vt materiā ipsam recipiat et ad eius esse trahat. Alię aūt formę tm̄ potētialitatis habēt, q à materia depēdēt ī esse et fieri: inter quas ēt magna latitudo inuenit, dū qdā quibusdā actualiores sunt. Qđ ex operibus cognoscere potes (operatio enim facit cogno

Universidad de Deusto Biblioteca

ſcere formam) vnde formæ elementorum, quæ ſunt maximè potentiam habentes, vtpote materiæ propinquiſsimæ, nullius ſunt principia operationis, niſi per materiales qualitates, ſcilicet caliditatem, frigiditatem. Formæ verò mixtorum, vtpotè eleuatiores, à materia altiori modo operantur: ſicut adamas trahit ferrum non ratione caliditatis, aut frigiditatis, ſed ex naturæ proprietate. Formæ autem animaliū longè actualiores dignoſcuntur, cū ſeipſa mouere & alia diſcernere intuemur.

EX HIS Non ſolùm percipitur, quàm facilis ſit aditus ad pluralitatem intelligentiarū cognoſcēdam, ſed etiā quòd impoſsibile eſt fingere illam abſq; hoc fundamento. Quomodo enim latitudo poteſt inueniri in eo, quòd actu & potentia caret? Commune eſt nanque omnibus extremis, ſi extrema ſunt, latitudinem in ſeipſis non compati: eſſent enim vltima, & non vltima, vt de ſe patet: & ideo oportet media eſſe illa, in quibus latitudo quæritur, quæ vtriuſque extremi naturam ſapiant. Et quia intellectualem naturam, quàm ex hoc, quòd intellectualis eſt, ſcimus actualitatem habere, non cognoſceremus habere potentiam admixtam, niſi videremus animam noſtram illam habere, cùm potentia æquiuocè dicatur de potentia rerum intellectualium, & de potentia rerum ſenſibilium: & ſine potentia non poteſt intelligi multitudo ſubſtantiarum intellectualium. ideo Commentator ait, quòd ſi non eſſet nota natura intellectus poſsibilis, non poſſemus intelligere pluralitatem in ſubſtantijs abſtractis.

Tertio de anima. c.5.6.

NOTANDA Sunt in hac litera tria. Primum eſt, hoc ex dictis Commentatoris adducitur, quòd ſi non eſſet nota natura intellectus poſsibilis, nō poſſumus ſcire pluralitatem in ſubſtantijs immaterialibus.

¶ Secundum eſt, quòd ſanct. Thom. non dicit animam intellectiuam eſſe adeò potentiæ participem, vt forma materialis ſit: ſed vt materia trahatur ad participandum eſſe ipſius animæ.

¶ Tertium eſt: quia dicit animæ & corporis eſſe vnum & idem eſſe: quod eſt independens à corpore.

T.c.43.

PRIMO Dicto videtur obuiare proceſſus Ariſto. 12. Metaphyſicæ, tex. comment. 43. vbi ex pluralitate motuum pluralitatem intelligētiarum concludit, & nullo modo meminit actus & potentiæ. Sed hoc rectè intelligentibus non obſtat. Aliud eſt enim concludere numerum motorum, & aliud eſt concludere pluralitatem ſubſtantiarum intellectualium: licet enim idem ſubiecto ſint motores orbium & ſubſtantiæ immateriales: differunt tamen ratione, adeò vt ad diuerſas ſcientias pertineat, ſecundum Commentatorem 12. Metaphyſic. commēt. 6. & ideo ex pluralitate motuū quamuis pluralitas motorum vt ſic concludi poſsit: non tamen pluralitas ſubſtantiarum intellectualium vt ſic. *Com.6.* Intendunt igitur Auerrois & ſanctus Thomas, quòd intelligentiarum, inquantum intelligentiæ ſunt, multitudo non niſi per notam naturam intellectus poſsibilis diſcernitur à nobis: licet earum, inquantum motrices ſunt orbium, ex ſuorum effectuum numero pluralitas inferatur. Vel dicito, quòd venatio illa ſuppoſita notitia habita in libro de anima: vbi radicaliter innotuit pluralitas ſubſtantiarum intellectualium poſsibilis quærit ex numero motuum, quot ſunt. Quòd autem ibi ſupponatur, motores proprios orbium habere potentiam admixtam, poteſt perſuaderi ex eo, quòd ſupponitur ibi, ſcilicet motores proprios orbium eſſe proportionatos ſuis orbibus: ita vt vnus vnum tantùm moueat orbem. Et ſi ſtella adderetur, vel non moueret, vel tardius (vt dicitur ſecundo cæli) textu commenti ſeptuageſimiprimi. *T.c.71.* Talis enim proportionis ſeu commenſurationis, cùm alterum extremum ſit res materialis, ſcilicet orbis, reliquum extremū à potentia omnino denudatum putandum non eſt: imò à ſano intellectu non eſt intelligibile.

PROPTER Secundum intelligendum eſt inueniri duplicem rerum ordinem in vniuerſo, intelligibilium ſcilicet, & ſenſibilium. Ordo ſenſibilium materialis eſt materiam ſibi neceſſariò vēdicans: omnes enim ſubſtantiæ ſenſibiles materiā habent, licet diuerſimodè: vt dicitur 8. Met. tex. com. 3. & 12. Ordo intelligibiliū immaterialis eſt, & à materia non dependens. *T.c.3. & 12. et 14. T.c.4.11.* Intelligibile enim eſt vnumquodque per ſeparationē à materia. vbi dicitur 3. de anima text. comment. 11. Cùm ergo materia ſit ſub aliqua forma ſenſibilis ordinis, cuiuſmodi eſt omnis forma habens omnes vires ſuas ſenſibilibus organis affixas, nō egreditur limites proprios: ipſa enim ad illud genus pertinet. Cū verò ſit ſub forma intelligibilis ordinis, extra limites ſuos aſcendit & trahi dicitur ad id, quod capacitatem eius tranſcendit, ſcilicet eſſe rei à ſe non depēdentis: & quia ſupremum infimi attingit infimum ſupremi ſecundū doctrinā Dioniſij in libro de cæleſti hiera. ca. ideo ſupremum inter ſenſibilia: homo ſcilicet ſeu materia eius coniūgitur infimæ formæ intelligibilis ordinis: ſcilicet animæ intellectiuæ, & eius eſſe participat: & propter hoc dicitur quòd materia trahitur ad eſſe eius, eleuatur enim materia ad ſuperius.

Num eſſe animæ ſit ipſius corporis. ſco. quol. q. 9. 4. di. 43. q. prima.

AD EVIDENTIAM Tertij adducendæ ſunt rationes Scoti contra hoc dictum ſancti Thomæ, vt magis veritas eluceſcat. Scot. in quolib. q. 9. & 4. ſenten. diſtin. 43. quæſt. prima, ſex motiua contra hoc facit: quorum aliqua recitantur ab Antonio Trombeta, in quæſt. vtrùm corruptum per potentiam diuinam poſsit idem numero redire in quātū ipſe, quàm Sco. vbi ſupra ſanc. Tho. opinionem non ſuam attribuunt de eo, quod ibi quærit: & hoc quia locuti ſunt non tota lege perſpecta & iuxta Ariſtot. ad pauca reſpicientes de facili enunciant.

Primò.

¶ Arguit ergo primò in propoſito ſic, Eſſe animæ & hominis eſt idem: ergo anima coniuncta corpori non eſt perfectior ſeipſa extra corpus: Conſequens eſt contra ſanctū Thomam prima parte quæſtione. 89. vbi dicit, animam habere perfectiorem ſtatum in corpore, quàm extra. Conſequentia autem probatur: quia nihil habens idem eſſe, ex hoc ſolo eſt perfectius, quòd aliquid communicat alteri, licet alterum perficiatur ex hoc: communicare enim licet ſupponat perfectionem in communicante, non tamē dat illam ei: modò anima in corpore ſit ſemper retinet idem eſſe: nihil in corpore plus habet, niſi quod communicat eſſe ſuum corpori: ergo ex hoc non eſt perfectior ſeipſa ſeparata. *Cōfirmatio.* Et confirmatur: quia ex hoc ſolo quòd cauſa non communicat aliquid, nullam imperfectionem acquirit: ergo anima non eſt imperfectior ſeparata, ſi idem eſſe retinet: nihil enim amiſit niſi ſui communicationem corpori.

Secundò.

¶ Præterea, Anima habet idem eſſe cum homine: ergo homo non eſt perfectior in eſſendo ipſa anima in eſſendo. Antecedens eſt falſum: conſequentia verò probatur quia quæcunque habēt omnino idem eſſe ſunt æquè perfecta in eſſendo, vel ſaltem id, cui communicatur illud eſſe non eſt perfectius in eſſendo communicante.

Tertiò.

¶ Preterea, Homo, vt homo, eſt tertium ens realiter diſtinctum ab vtraque ſui parte, ſcilicet anima & corpore; ergo habet proprium eſſe aliquid ab eſſe partium: & conſequēter non eſt idem eſſe animæ & hominis. Tenet conſequentia, quia diſtinctum ens debet habere diſtinctum eſſe.

Quartò.

¶ Præterea, Eſſe hominis in morte corrumpitur, eſſe aūt animæ non corrumpitur: ergo eſſe animæ & hominis nō ſunt idem. Conſequentia plana eſt, & antecedens probatur: quia ſicut generatio terminatur ad eſſe compoſiti, ſcilicet hominis: ita corruptio ad eſſe ipſius.

Quintò.

¶ Præterea, Homo poſt mortem non manet: ergo nec eſſe eius. Tunc vltra, Eſſe hominis non manet poſt mortem: ergo eſſe animæ & hominis nō eſt idem: cùm eſſe animæ remaneat. Proceſſus totus clarus eſt excepta prima conſequentia: quæ probatur ex eo quòd nullius actuale eſſe inuenitur, cùm illud cuius eſt, non inuenitur.

Sextò.

¶ Præterea, In homine eſt alia forma præter animam: ergo in ea eſt aliud eſſe præter eſſe animæ. Conſequentia eſt nota: quia quælibet forma habet proprium eſſe: antecedens verò aliàs probatum eſt.

1. par. q. 76. a. 4. q. de a. q. 9. quo. 11. q. 5. 1. p. q. 76. 5. & 4. 3. Potentia Dei q. 3. & 4. 9. 1. q. 76. 4. 6. Differentia.

ANTEQVAM AD ARGVMENTA Hæc rndeatur, aduertas primò, fundamētum S. Tho. vniuerſaliter eſſe, in omni compoſito non inueniri niſi vnum eſſe ſubſtantiale actualis exiſtētiæ, de quo nunc ſermo eſt eo quòd vnam tantùm formam ſubſtantialem in cōpoſito tenet, ab vna enim forma non eſt niſi vnum eſſe ſubſtātiale. Sed inter eſſe hominis & eſſe aliorū diuerſitas eſt, quòd licet tam eſſe hominis, quàm aliorum primò ſit actus ſuppoſiti, vt quod in homine: tamen totum compoſitum mendicat illud eſſe à forma: cuius eſt primò actus, vt proprij & completi principij: in alijs verò compoſitis forma mendicat illud à compoſito. Et eſt ratio diſparitatis: quia in ſolo homine, qui ſupremum tenet locum inter ſenſibilia, ordo inferior, ſenſibilis ſcilicet, trahitur ad ordinē ſuperiorē intelligibilē & immaterialē. Vnde eſſe hominis

nis

Inter hominis & aliorum compoſita materialium.

nis, cum ab anima intellectiua fluat, immateriale & altioris ordinis, quàm homo, ſicut & ipſa anima: & ideo homo mēdicat illud ab anima: cui eſt proprium: vtpotè ad ſuum pertinens genus: & inde eſt quòd poſt mortem hominis anima remanet, eſſe etenim proprium independens erat à compoſito corrupto: & ſic illud retrahendo ad ſe ſubſiſtit. Cæterorū verò eſſe, cùm ſint eiuſdem ordinis cum compoſitis, quibus attribuūtur, ſicut & formæ à quibus fluunt, formæ ipſæ mendicant à compoſitis, ſicut & fieri: ita quòd tandiu illo gaudent, quandiu in cōpoſitis ſunt. vnde corruptis compoſitis ipſæ (cùm ſine exiſtentia remanere non poſsint) deſinunt ſtatim.

ADVERTE Secundò pro reſolutione argumentorū tres propoſitiones. Prima eſt, ꝙ cùm duplex ſit perfectio rei, prima ſcilicet & ſecunda, res creata potens cauſare, etſi non efficiatur perfectior ſecundum defectionem primam, ex hoc quòd actu cauſat, efficitur tamen perfectior ſecundū perfectionem ſecundā. Patet hoc ex tribus. Primò ex eo quòd eſt magis in actu res actu cauſans re in potētia cauſante. operatio enim eſt actus ſecūdus cauſæ, perfectio autem actualitatem ſequitur, ſicut imperfectio potentialitatem. Secundò patet ex eo quòd vnūquodque eſt perfectius coniunctum ſuo fini, quàm ſeparatum ab illo: res autē actu operans coniuncta eſt ſuo fini intraneo, qui eſt operatio: iuxta illud ſecundi de cęlo & mūdo *T.c.17.* tex. com. 17. Vnumquodq; eſt propter ſuā operationem. Tertia patet idem, quòd vnumquodq; quantò eſt ſimilius Deo, tantò perfectius eſt: res autē actu cauſans eſt ſimilior Deo, quàm non actu cauſans: quia non ſolùm aſsimilatur Deo ſecundum hoc, quòd eſt, ſed etiam ſecūdum hoc, quòd eſt communicare ſe alijs.

Libro de Hebdomadibus. 1. q. 8. artic. 1. Ad primum. 1. q. 6. art. 1. ca.

¶ Secunda propoſitio eſt, Res eſt perfecta ſimpliciter nō propter perfectionem primam ſed propter vltimam. Hoc traditur à Boëtio in libro de Hebdomadibus dicente, Intueor in rebus aliud eſſe, quòd ſunt, & aliud eſſe, ꝙ bona ſunt: & declaratur à ſanct. Thom. prima parte, qō. quinta arti. primo ad primum.

Triplex perfectio rei.

¶ Ad cuius intellectū nota, quòd, vt idem dicit prima parte, q. 6. art. tertio, triplex eſt perfectio, rei, ſcilicet prima, ſecundū quā res conſtituitur in ſuo eſſe, ſicut prima perfectio hominis eſſe ſuum ſubſtantiale. Secunda verò eſt, ſecundū quam eſt potens proximè ad ſuas perfectas operationes: ſicut vires animæ & habitus eas informantes, quibus homo in perfectam operationem poteſt exire. Tertia autem perfectio eſt, ſecundū quam coniūgitur ſuo fini: ſicut ſpeculatio, quæ hominem ſubſtantijs ſeparatis vnit. Manifeſtum eſt autem, non eſſe hominem ſimpliciter perfectum, qui ſola naturæ bonitate gaudet: aut qui à proprio fine procul eſt, vnde ordo entis ſimpliciter ad ens, *Oppoſito modo dicitur ordo entis ſimpliciter, & ordo perfectionis ſimpliciter.* ſecundū quid oppoſitus eſt ordini perfecti ſimpliciter ad perfectum ſecundum quid: ſecundū nanq; eſſe ſubſtantiale homo ens ſimpliciter dicitur, perfectus autē ſecundū quid: ideo enim qui nullam aliam perfectionem habet, niſi quia eſt homo perfectus, non aſſeritur ſimpliciter, ſed cū additione dicimus, quòd eſt perfectus ſecundū eſſe ſubſtantiale. Secundū verò eſſe accidentale, quale eſt habituū & operationum, ens ſecundum quid homo dicitur, perfectus autem ſimpliciter. nihil enim tunc ſibi deficit eorum, quæ ad perficiendum hominem exigūtur. Patet ergo intenta propoſitio, quòd ſcilicet res eſt perfecta ſimpliciter ex vltima perfectione.

¶ Tertia propoſitio eſt iſta, Realis pars eſſentiæ perfectior eſt in toto exiſtens, quā ſeparata: & declaratur ſic, Vnumquodq; eſt perfectius, cùm eſt in complemēto ſui eſſe ſpecifici, quàm cùm deficit ab illo: pars aūt eſſentialis, quando eſt in toto, eſt in complemento ſuæ ſpeciei, ad cuius integritatem eſſentialiter ordinatur: cùm autē eſt ſeparata ab eo, iam cum eſſe completo ſpeciei non eſt naturæ ſpecifica materiam & formam aggregante: perfectior igitur eſt in toto pars eſſentialis, quàm ſeparata.

¶ Ex quibus ad propoſitum deſcendendo, dicimus perfectiorem ſtatum habere animam intellectiuam in compoſito, quàm extra: eo quòd quando eſt coniuncta corpori, habet non ſolùm perfectionem primā, quæ eſt eſſe, ſed etiam perfectionem ſecundam, influendo vires ſuas corpori, & communicando ſe: & ſic ſimilior eſt Deo, quàm ſeparata: licet Deus omnino immaterialis & incomponibilis ſit: ſicut cor motum ſimilius eſt Deo, quàm nō motum, licet Deus ſit omnino immobilis, perfectio enim eorum conſiſtit in hoc.

¶ Eſt præterea perfectior in corpore: quia in eo habet cōpletum eſſe ſpecificum, quod non niſi partialiter obtinet ſeparata, quamuis enim integrum eſſe exiſtentiæ retineat ſeparata, quod in compoſito habebat: non tamen habet tunc integrum eſſe eſſentiæ completum in ſpecie eo modo, quo nata eſt habere, ſcilicet vt pars in toto: ad quod *q. de a. q. 1. 16.* tamen habendū non accidentaliter, ſed eſſentialiter ordinatur: vnde falſum eſt, animam ſeparatam retinentem, idem eſſe actualis exiſtentiæ, & nihil niſi ſui communicationem ex ſeparatione perdidiſſe: amiſit enī eſſe quidditatiui ſpecifici integritatem, quandoquidem in ſua ſpecie integra non manet: vnde & beatus Thom. in quæſtionibus de anima, q. 1. ad 16. ait principia eſſentialia alicuius ſpeciei ordinari, non ad eſſe tantùm, ſed ad eſſe huius ſpeciei. Licet igitur animal poſsit per ſe eſſe, non tamen in complemento ſuæ ſpeciei eſſe ſine corpore.

Ad primum.

AD PRIMVM ERGO Argumentorum negatur conſequentia. Cuius probationem patet ex prima propoſitione aſſumere falſum: licet enim communicare ſupponat primam perfectionem, in communicante, tamen perficit ipſam perfectionem ſecunda, qua res perfectior ſimpliciter dicitur: imò apud Dyoniſium ſupremum, quod participant creaturæ, de Deo eſt, quòd communicatiuæ ſunt.

¶ Dicitur ſecundò, quòd etiā minor probationis eſt falſa, ſcilicet ꝙ anima ſeparata hoc ſolo careat, ſcilicet communicatione ſui, vt patet ex tertia propoſitione: caret enī integritate ſpecifici ſui eſſe: & hoc eſt primum & principale quod reddit imperfectiorem animam ſeparatā: ideo nanq; caret perfectionibus ſecūdis, quia caret integritate ſpecifica, & non econuerſo. *Ad confirmationē.* Ad confirmationem patet ex prima propoſitione: quia cauſa creata ex hoc, ꝙ cauſat, habet perfectionem ſecundam, cuius priuatio imperfectio magna eſt: & in propoſito aliquid plus eſt: quia anima ſeparata non ſolùm deſinit communicare ſe, & vires ſuas: ſed eſt in ſtatu tali, in quo impeditur à ſui & virium ſuarum communicatione, & hoc eſt ſignum imperfectionis non modicæ: & eſt ea, quā diximus, ſcilicet ſeparatio à completo eſſe quidditatiuæ ſuæ ſpeciei: vt expreſsè habetur à ſanc. Tho. in quæſtione de ſpiritualibus creatu. ſecunda, ad quintum. *q. de ſpiritualibus crea. q°. 3.5.*

Ad ſecundum.

¶ Ad ſecundū negatur cōſequentia. Ad probationē dicitur, quòd cùm eſſe ſit duplex, quidditatiuum & exiſtentiæ actualis: primum non remanet in anima niſi partialiter. homo verò habet illud integraliter: & ſecundū tale eſſe homo eſt perfectior in eſſendo. Quo ad eſſe autem exiſtentiæ poteſt dici homo perfectior, quo ad modum habendi hunc, ſcilicet quia habet illud vt ſuppoſitū. anima autem ſecundum alium modum perfectior dici poteſt: inquantum ſcilicet tale eſſe eſt ſibi, & non homini proprium, modo ſuprà declarato: vnde ſe habent in hoc homo & anima ſicut excedens & exceſſum.

Ad tertium.

¶ Ad tertium negatur conſequentia, de eſſe actualis exiſtentiæ loquendo: non enim res diſtincta realiter ab alia habet aliā exiſtentiam ab illa: iam enim dictum eſt, partes & totum habere idem eſſe. Conceditur autem conſequentia de eſſe eſſentiæ: ſed hoc noſtro fauet propoſito.

Ad quartum.

¶ Ad quartum dicitur ſicut antè, quòd ſi in antecedente ſit ſermo de eſſe eſſentiæ, verum aſſumitur in prima eius parte, ſed non in ſecūda: liquet enim ex ſupradictis, quòd eſſe ſpecificum completum animæ corrumpitur.

¶ Si autem ſit ſermo de eſſe exiſtentiæ, poteſt dupliciter intelligi. Primò, quòd eſſe actualis exiſtentiæ hominis deſinat ſimpliciter. & ſic eſt falſum: retrahit enim anima illud ad ſe. Alio modo poteſt intelligi, ꝙ eſſe hominis in morte deſinat eſſe hominis, id eſt deſinat informare hominem. & hoc modo conceditur: ſicut enim de generatione hominis ſpecialem ſermonem facimus, & non ſic de cæterorum propagatione animalium, dicente Ariſtotele, *Cap. 3.* in ſecundo de generatione animaliū, cap. 3. ꝙ intellectus tantùm venit ex intrinſeco, & ipſe ſolus eſt diuinus, eo ꝙ operatio ſua non habet communicationem cum operatione corporali omnino: ita de corruptione eiuſdem ſpecialis ſermo eſſe debet, dicente eodem 12. Metaphyſicæ textu comment. 17. *T.c.17.* quòd in quibuſdam nihil prohibet formam remanere pòſt, vt ſi eſt anima talis, non omnis forſan, ſed intellectus.

Ad quintum.

¶ Ad quintum negatur prima conſequentia. Et ad probationem vtendo diſtinctione facta dicitur, ꝙ cùm eſſe actuale hominis dupliciter ſumatur, ſcilicet ſecūdū ſe, ſeu

Universidad de Deusto Biblioteca

simpliciter. Alio modo prout est huius. primo modo remanere non est impossibile corrupto homine. secūdo modo non est intelligibile, ꝙ remaneat. nullius ergo rei esse actuale manet, vt eius est, quando id, cuius est, nō inuenitur: potest tamen simpliciter inueniri. & ratio est in proposito sæpè iam dicta: quia id esse non est proprium homini, sed animæ: ideo oportet quòd inueniatur semper quando est id, cuius est proprium: etsi desinat id, cuius erat vt communicatum.

Ad 6.

¶ Ad sextum negatur antecedens. Ad probationes verò aliàs factas sunt respōsiones aliàs datæ. relinquitur igitur verum esse de esse actualis existentiæ, ꝙ vnum omnino est esse animæ intellectiuæ & hominis, quod secundū se independens est à corpore, vtpotè non causatum ab illo: quia nō est eductū de potentia materiæ, licet prout est huius, scilicet hominis, non nisi in corpore inueniri possit.

CAPVT VI.

Qualisnam sit Essentia Dei: quaenam item ratione in simplicibus substantijs separatis, & à quo genus & differentia sumendum sit, & quomodo multiplicari eas contingat, exponit.

Essentia diuina ē ipsum eius esse.

HIS VISIS, patet quomodo essentia inuenitur in diuersis. Inuenitur autē triplex modus habendi essentiam in substantijs: aliquid enim est sicut Deus, cuius essentia est ipsum suum esse: & ideo inueniuntur aliqui Philosophi dicentes, quòd Deus habet essentiam: quia essentia eius non est aliud, quàm esse eius.

¶ Hoc est principiū capituli sexti, quod diuiditur in quatuor partes In prima agitur de essentia Dei. In secūda de essentia intelligentiarū & animæ. In tertia ostēditur, quo modo ista se habeant ad intentiones logicas. In quarta replicatur de essentijs compositis. De essentia ergo Dei positurus duas conclusiones, & exclusurus duos errores ponit primam conclusionem affirmatiuam talem, Essentia in Deo significat ipsum esse eius: Hanc conclusionem non aliter, quàm ex supradictis deducēdo ponit. fuit nanq; suprà probata, & ab omnibus est cōcessa. Est autem intellectus conclusionis, ꝙ esse actualis existentiæ diuinum est ipsa quidditas eius: ita ꝙ prædicatur de Deo sicut prędicatum primi modi dicendi per se: ita ꝙ ista, Deus est, est in primo modo perseitatis: quod de nullo alio à Deo communis via fatetur. dato etiam, quòd esse & essentia in creaturis teneatur esse idem realiter, & quia ipsum existere est essentia Dei: ideo à quibusdam Platonicis, scilicet, dicitur, quòd Deus non habet essentiam, quasi pura existentia sit.

Cap. 5. in princ. & circa medium.

Deus nō est in genere.

Et ex hoc sequitur, ꝙ ipse nō sit in genere: quia omne quod est in genere, oportet ꝙ habeat quidditatem præter esse suum: cùm quidditas aut natura generis aut speciei non distinguatur secundum rationem naturæ in illis, quorū est genus vel species: sed esse est in diuersis diuersimodè.

¶ Hic ponitur secūda cōclusio & negatiua, Deus nō est in genere: Probatur in litera ex antedictis sic, Omne qđ est in genere, habet quidditatē præter suū esse: Deus non habet quidditatē præter suū esse: ergo Deus non est in genere. Minor est conclusio præcedens: Maior probatur sic, Omnia, quæ sunt in genere, indistincta sunt in essentia generis vel speciei: distincta autē per diuersimodè habere esse illius naturæ genericæ vel specificæ: ergo esse naturæ genericæ vel specificæ est præter naturam ipsam genericam vel specificam: & sic omne quod est in genere, habet naturā præter suum esse. Antecedens huius consequentiæ est de se notum: homo enim & leo sunt indistincti in natura animalis: distinguuntur aūt inter se per hoc, ꝙ diuersimodè habent esse animatum, genus enim diuersum habet esse in speciebus: similiter Sortes & Plato indistincti sunt in natura humana: distinguūtur autem inter se quia habent diuersum esse humanum: non enim est intelligibile, quòd homo habeat idem esse in Sorte & Platone. Consequentia verò patet ex eo, quòd videtur imaginabile, ꝙ id, quod aliqua distinguuntur, non sit præter id, quo aliqua conueniunt.

¶ Et nota, ꝙ ad intentū huius rationis sufficit, ꝙ esse sit præter essentiā, id est præter conceptum quidditatiuū: sic enī sufficit differre principiū conueniētiæ à principio differētiæ, vt patet de genere et differētijs, quorū altero cōueniunt, alteris differunt spēs: & quia in solo Deo esse est de cōceptu qdditatiuo, ideo solus Deus extra genus ponitur.

Sed quoniam esse ideo est præter conceptum quidditatiuum, quia est distinctum realiter ab essentia: & ideo est de conceptu quidditatiuo, quia est idem realiter essentiæ: ideo ex hac radice, scilicet, quòd esse & essentia sunt idem realiter, in Deo procedere dicitur, quòd Deus non sit in genere. Nec te moueat, quòd ratio ista digredi videtur ab esse actualis existentiæ ad esse quidditatiuum: quandoquidem in Minore est sermo de esse actualis existentiæ & postmodum in probatione Maioris: quam oportet de eodem esse loqui, transitur ad esse quidditatiuum, cùm dicitur, Species conueniunt in genere, & differunt in esse diuerso: hoc enim verificatur de esse quidditatiuo specificè accepto. homo nanque & bos conueniunt in animali, & distinguuntur differentijs specificis, quibus animal in eis diuersum esse specificum acquirit. Propter hoc, inquam, nō oportet turbari: quoniam (vt in hoc patebit capitulo) differentiæ naturam genericam non diuersificant nisi in ordine ad diuersum esse actualis existentiæ: & ideo mira subtilitate sanctus Tho. digressus non est primam rationem distinctionis naturæ genericæ in inferioribus attendēs: hoc autē infrà melius intelligetur cū communissima regula assignabitur, vnde sumātur genus & differentia.

In hoc ca.

Quomodo verū sit, quod in Deo esse, sit de conceptu quidditatiuo ipsius: vide contra Gen. ca. 25.

AD EVIDENTIAM Eius, quod hîc supponitur, scilicet, quòd in Deo esse est de conceptu quidditatiuo: quia est idem essentiæ, nota tres propositiones. Prima est, Quidditas, quæ est sua existentia actualis, non est ad aliquod genus determināte. Hoc declaratur breuiter vnico medio sumpto ex secundo contra Gentiles, ca. 25. sic, Omnis quidditas in genere limitata est essentialiter designabilis per differentiā, à qua mendicat esse in actu: nulla quidditas eadē suæ actuali existentiæ esse essentialiter designabilis per differētiā, à qua mēdicat esse in actu: ergo nulla quidditas eadē suæ actuali existētiæ est ad aliquod genus determinata. Maior notificatur inducendo: animal enim est essentialiter determinabile per differentias, rationale, scilicet & irrationale, & ab eis mēdicat esse in actu, cū impossibile sit esse aīal in actuali existētia, nisi sit rōnale vel irrationale: similiter color essentialiter est determinabilis per suas differentias, per quas existētiā actualem sortitur: non enim potest inueniri color nisi albus vel niger, &c. minor autem intelligentibus terminos patet ex se. quomodo nanque existentia actualis mendicabit esse in actu ab aliquo alio formaliter? Si enim mendicat esse in actu ab aliqua differentia formaliter cùm esse in actu nihil aliud sit, quàm habere existentiam actualem: sequetur quòd existentia actualis habebit existētiā actualem formaliter, per aliquid aliud à se: sicut animal per rationale formaliter acquirit existentiam actualem: hoc autem non videtur intelligibile. ergo, &c.

SECVNDA PROPOSITIO Est ista, Existentia actualis ad nullum genus determinata, est purum esse: ista patet ex similibus: si nanque anima non sit determinatum ad aliquam speciem, purū animal erit: & albedo si nō sit coartata in aliquo subiecto, pura albedo erit: ita & esse ad nullius naturæ prædicamētalis capacitatē determinatū, purū esse necesse est: & si abstractio huiusmodi est per opus intellectus, etiā puritas ipsa est secūdum rationem. Si autem fuerit secundum rem, & puritas ipsa est secundum rem, vt de se patet.

TERTIA PROPOSITIO Est ista, esse est de cōceptu quidditatiuo puri esse tantùm. Patet ista quo ad vtranq; expositionē, & quo ad primam quidem: quia non est intelligibile quòd de puro esse non prædicetur quidditatiuè ipsum esse. Si enim de eo aliquis prædicari potest quidditatiuè, illud oportet esse, ipsum esse, cū purum esse ponatur. Quòd autem cætera non recipiant esse in suis quidditatiuis conceptibus ex eo patet, quòd cùm esse nō habeāt in sua puritate, sed suis quidditatibus coarctatum possunt secundum suas quidditates absque esse, & non esse diffiniri. Ex his deducitur intentum sic, ideo existentia est de conceptu quidditatis rei, quia res illa est purum esse: ideo autem res illa est purum esse: quia non est ad genus aliquod limitata: ideo autē res illa non est ad genus limitata, quia est idem cū sua existentia: igitur de primo ad vltimum: ideo existentia est de conceptu quidditatiuo rei: quia res illa est eadem suæ existentiæ.

¶ Et quoniam si affirmatio est præcisè causa affirmationis, negatio est causa negationis ex hoc, quòd res creata non est eadem suæ existentiæ esse non est de eius cōceptu quidditatiuo. Vnde cùm Deus gloriosus sit suū esse, ipse nihil est aliud, quàm ipsum esse secundū rem separatum à naturis prædicamentalibus à sua puritate subsistens.

Deus nō est ipsum esse oīm quo res formaliter sunt.

Nec oportet, si dicimus quòd Deus est esse tantū, vt in errorem eorum incidamus, qui Deum dixerūt esse illud esse vniuersale, quo quælibet res formaliter est. Hoc enim esse, ꝙ Deus est huius conditionis, est vt nulla sibi additio fieri possit. Vnde per ipsam suam puritatem est esse distinctū ab omni esse: propter quod in commento nonæ propositionis libri de Causis dicitur, ꝙ indiuiduatio primæ causæ, quæ est esse tantùm est per puram bonitatem eius. Esse autē commune sicut in intellectu suo, non includit aliquā additionem, ita nec includit in intellectu suo aliquā præcisionē additionis: quia si hoc esset, nihil posset intelligi esse, in quo superesse aliquid adderetur.

¶ Hîc excluditur primus quorundā error talis: scilicet, Deus est cōmune esse omnium: imaginati sunt isti, ꝙ cū omnia cōueniant in hoc, ꝙ habent esse ipsum esse omniū, quo res formaliter sunt in communi, seu in vniuersali sit ipse Deus gloriosus. Moti sunt autē tali ratione, Esse nulla additione specificatum est esse cōmune: Deus est esse nulla additione specificatum: ergo Deus est esse cōmune. Sed peccat ratio illa propter multiplicem Maioris intellectū: dupliciter enī intelligi potest esse à nulla additione specificari. Vno modo secundū rem extrà animam subsistendo: alio modo secundū intellectus cogitationē tantū. primo modo Maior est falsa: Minor autem vera: Secundo modo Maior est vera: Minor autem falsa: esse nanq; cōmune per intellectum à sua abstractione acceptum, nullam contradictionem includit: secundū verò ꝙ est extra intellectum, sine contradictione nō inuenitur: omne nanq; esse est contractum ad substantiā vel accidens: esse autē, quod est quidditas diuina, est purum absq; omni additione secundum rem, & ex ipsa sua puritate, secundum rem est distinctum ab aliorum esse & hoc: & nullo modo commune sicut albedo separata ex hoc ipso, ꝙ esset pura albedo, esset distincta albedo ab alijs albedinibus cū substantijs mixtis, & non esset albedo in communi. Peccat secundò Maior illa: quia contingit adhuc dupliciter esse nulla additione specificari seu contrahi. Vno modo actu tantùm: alio modo actu & potentia. primo modo Maior est vera: Minor verò falsa. Secūdo modo Maior est falsa, Minor autem vera. Esse nanq; in communi, licet nulla sit additione contractum, est tamen contrahibile: aliter nulla res haberet esse, quæ aliquid addit supra ipsum esse: & sic homo non haberet esse, cùm vltima esse habeat humanitatem, quantitatem, &c. Vnde esse cōmune actu tantùm. specificatione caret: esse verò diuinū nullā specificationē habet actu, nec aliquā habere potest: & ideo actu & potentia additione caret. Et hæc est solutio, quā in litera san. Tho. ponit sub alijs verbis, dicēs ꝙ omne commune nec includit, nec excludit additionē, id est non includit actu: potest tamen habere illam. Esse verò diuinum non solùm non includit illam: imò excludit, id est non solùm non includit actu, imò nec potentia: & sic excludit illam: quod enim impossibile est conuenire alicui, excluditur omnino ab illa. De his diffusè habes in primo contra Gentiles, capite vigesimoseptimo.

Vide primo cōtra Gētiles, c. 27.

Deus tametsi est ipsum esse, omnes tamen in ipso perfectiones habet.

Similiter etiam quamuis sit esse tantùm, non oportet quòd deficiant ei reliquæ perfectiones vel nobilitates: imò habet omnes perfectiones, quæ sunt in omnibus generibus propter quod perfectum simpliciter dicitur: vt Philosophus & Commentator in quinto Metaphysicæ dicunt. Sed habet eas modo excellētiori omnibus rebus, quia in eo omnes vnum sunt. Sed in alijs diuersitatem habent: & hoc est, quia omnes illæ perfectiones cōueniunt sibi secundū suum esse simplex. Sicut si aliquis per vnam qualitatem posset efficere operationes omnium qualitatum, in illa vna qualitate omnes qualitates haberet, ita Deus in ipso esse suo omnes perfectiones habet.

Excluditur secundus error.

¶ Hîc excluditur secundus error talis, scilicet Deus non est simpliciter perfectus. Ratio aūt huius erroris in proposito est ista, Id, quod habet esse tantùm, est imperfectum respectu eius quod habet esse viuere, & intelligere: sed Deus habet esse tantùm. ergo Deus est imperfectior alijs. Maior est ex se nota. Minor verò ex dictis deducitur sic, Quod est purum esse non est admixtum alijs, puta viuere & intelligere, aliter esset purum & non purum. Deus est purum esse. ergo non est admixtus alijs, scilicet viuere & intelligere. & consequenter Deus non habet nisi esse: quod erat probandum. Defectus huius rationis in litera non explicatur: sed in primo contra Gentiles capitulo 26. vbi declaratur quòd ex hac propositione, Deus est purū esse subsistens, sequitur, Deum esse vniuersaliter perfectissimum. Et propterea notanter in textu dicitur, Imo habet omnes perfectiones, &c. acsi dicat quòd ex hoc nō sequitur, Deum aliqua perfectione carere: sed oppositū potius ex hoc concluditur. Est autem modus ex illo fundamento intentum deducendi talis, Id cui conuenit esse secundum totam virtutem seu potestatem ipsius esse, nulla perfectione seu nobilitate essendi caret, sed esse purum subsistens est id, cui conuenit esse secundum totam virtutem seu potestatem ipsius esse. ergo esse purum subsistens nulla perfectione seu nobilitate essendi caret. Maior declaratur ex eo, quod omnis perfectio cuiuscunque generis non nisi secundum aliquod esse est. Non enim sapientia perficit hominem, nisi ea homo sapiens sit: nec iustitia perfectio hominis dici potest, nisi ea homo iustus sit. Si igitur omnis perfectio attenditur secundum aliquod esse: id in quo tota plenitudo essendi reperitur, omnem perfectionem patet habere. & sic repugnat, quod id habeat esse secundum totam amplitudinem suam, & aliqua perfectione essendi careat. Minor verò exemplariter notificatur. sicut enim si albedo separata inueniretur, nihil ei de virtute albedinis deesse posset. Vt enim supradictum est, ratio quare albedini huic nō inest tota perfectio possibilis reperiri in specie albedinis est, quia coaptata est receptiuo, quòd secundum totum posse eius non recipit eam: ita esse ipsum si receptum est in alio, coartatum est ad naturæ illius recipientis limites, substantiam, scilicet, vel accidens & consequenter limitatum ad illius generis nobilitatem. Si verò purum & non receptum in aliqua sit natura, illimitatum & infinitum simpliciter est, & omnes perfectiones possibiles in ente reperiri simpliciter præhabet. Cùm autē audis, quòd albedo si separata sit, omnem perfectionem possibilē suæ speciei habet, nō intelligas, vt veritatis æmuli obijciūt, ꝙ negatio, scilicet receptionis eius in alio daret sibi illā perfectionē: sed sicut receptio albedinis est cōditio ad suam requisita imperfectionem, ita negatio receptionis est conditio suæ illimitatæ perfectionis comes. Vnde efficax argumētū, ex receptiōe & separatione eius sumitur tanquàm à conditionibus necessarijs & inseparabilibus.

capi. 29.

Nota optimè.

¶ Et quoniam habere perfectiones, omnium generum potest intelligi dupliciter: Vno modo in seipsis, Alio modo in aliquo superioris ordinis: ideo ad declarandū, quo modo ipse Deus, qui est ipsum esse essentialiter, habeat oēs perfectiones: dicit ꝙ Deus nō habet oēs perfectiones in seipsis, id est distinctas abinuicem in proprijs naturis: sicut homo habet sapientiam, iustitiam, prudentiam, &c. Sic enim in Deo oporteret esse maximam compositionē sed habet eas indistinctè vnitas in suo esse simplicissimo. Illud quippe esse diuinum æquiualet omnibus perfectionibus omnium generum, & excedit singulas, & omnes simul vtpote res superioris & inaccessibilis ordinis. Cuius exemplū in luce solis habes, qua sola sol potest quicquid possunt omnia inferiora per tot varias qualitates, propterea à Philosopho & Com. quinto Met. capitulo de perfecto, dicitur quòd Deus solus est ens simpliciter perfectum, vniuersitatem perfectionum in se habens.

QVAESTIO XII.

Num perfectiones existentes in Deo, sint aliquo modo distinctæ præter omne opus intellectus.

HIC QVERITVR An perfectiones existētes in ipso Deo sint aliquo modo distinctæ absque omni opere intellectus.

¶ In hac quæstione quinque agenda sunt, primò declarabitur titulus quæstionis. Secundò recitabitur opinio Sco. cū fundamentis. Tertiò declarabitur opinio sancti Tho. Quartò impugnabitur opinio Sco. Quintò respondebitur argumentis in oppositum.

Universidad de Deusto Biblioteca

Perfectio simpliciter quid sit.

QVO AD PRIMVM Scito primò perfectionem esse duplicem: quędam est perfectio simpliciter: & quædam est perfectio in hoc vel illo. Perfectio simpliciter est illa, quæ in suo proprio, ac formali conceptu dicit perfectionem cum nulla imperfectione, vt sapientia, bonitas, & similia. Perfectio verò in hoc vel illo est, quæ in suo proprio ac formali cõceptu dicit perfectionem imperfectioni mixtam, vt humanitas, æquitas, & his similia. Dixi, (in proprio ac formali conceptu.) quia includere aliquam imperfectionem in conceptu communi sibi & alijs, aut materiali, non derogat suæ perfectioni simpliciter. Sapientia enim licet in generis conceptu, puta habitu, seu qualitate imperfectionem dicat, potentialitatẽ scilicet aut dependentiam, &c. quia tamen in suo differẽtiali conceptu hoc formaliter non includit, non prohibetur quin perfectio simpliciter sit. Dixi dici perfectionem propter relationem, quæ in suo proprio ac formali conceptu, cũ nulla imperfectione nullam perfectionem sonat.

¶ Scito secundò, quòd perfectiones esse in aliquo contingit dupliciter. Vno modo formaliter, alio modo virtualiter. Esse formaliter in aliquo est esse in eo, vt forma est in habente ipsam: sicut humanitas, albedo, quãtitas, & alia huiusmodi in homine sunt. Esse aũt in aliquo virtualiter est esse in eo, vt effectus est in sua causa effectiua, quemadmodum calor est in sole. Poteris autem comprehendere multùm distare inter hos modos essendi in aliquo ex hoc vno eorum effectu pro nunc, quòd ea quæ primo modo insunt, intrinsecè denominant suppositum tale. Ea autem quæ secundo modo insunt, non determinant suppositum tale, vt patet in sole, qui luce dicitur lucidus, calor autem non dicitur calidus.

In quo stat difficultas.

¶ Amplius, Perfectiones esse in aliquo formaliter, contingit dupliciter. Vno modo in suis proprijs naturis distinctas & limitatas: sicut in homine est esse intelligere & velle, &c. Alio modo contingit eas esse formaliter in aliquo superioris ordinis vnitas & illimitatas: sicut in solis luce sunt virtus calefactiua, & desiccatiua, & alia huiusmodi. Nec parum distant isti duo modi inter se. Longè nanque excellentius est esse in aliquo secundo modo, vt in exemplo dato apparet. Quamuis igitur perfectiones omnium generum excellentiori modo sint in Deo, quàm in creaturis: quia tamen perfectiones non simpliciter sunt ipso virtualiter tantùm (eis enim non denominatur talis) perfectiones autem simpliciter sunt in eo formaliter, & non in proprijs naturis limitatæ, sed vt in re superioris ordinis realiter indistinctæ & illimitatæ: ideo vertitur in dubium, an perfectiones simpliciter existentes formaliter in Deo cum reali identitate sint aliquo modo absque omni opere intellectus distinctæ. Hæc de primo.

Sco. 1. di. 8. q. 3. per totum.

QVO AD Secundum Sco. in primo sen. distinct. 8. qõ. 3. opinatur perfectiones has esse distinctas præciso omni opere intellectus distinctione ex natura rei formaliter. Appellat autem distinctionem ex natura rei quæ innascitur ex ipsarum rerum natura: ita quòd absq; omni intellectus operatione est. Formalem verò addit: quia non omnis distinctio ex natura rei est formalis, sed ea tantùm, quæ ex quidditatibus seu rationibus formalibus fit. Probat autem intentum suum multis rationibus, quarum eas adducendas censui, quæ ex puris naturalibus procedunt: qm̃ Theologiã nunc tradere non intendimus, &c.

Prima ratio.

¶ Arguit ergo primò sic, Sapientia & bonitas absolutè distinguuntur formaliter ex natura rei: ergo sapientia infinita & bonitas infinita distinguuntur formaliter ex natura rei: Antecedens est euidens. Consequentia autẽ probatur: quia infinitas non variat rationem formalem eius, cui additur. In quocunq; enim gradu perfectionis suæ latitudinis intelligatur, perfectio aliqua semper retinet eandem rationem formalem, vt patet in omnibus. Si igitur sapientiæ & sapientiæ infinitæ est eadem ratio formalis. & ratio formalis sapientiæ distinguitur ex natura rei à ratione formali bonitatis: necessariò sequitur ꝙ ratio formalis sapientiæ infinitæ non includat ex natura rei rationem formalem bonitatis.

Secunda.

¶ Præterea, Distinctio præcedens rationem primi distinctiui non est per tale distinctiuum: sed distinctio naturæ & intellectus præcedit intellectionem, quæ est primum distinctiuum secundum rationem. ergo, &c. probatur Minor: quia si nulla distinctio eorum præcederet, non magis distinguerentur intellectione, vt intellectio est, quã ea, vt natura est. Quicquid enim distinguitur intellectione, vt est omnino indistincta à natura, distinguitur etiã natura.

Tertia.

¶ Præterea, Illa quæ formaliter distincta intelliguntur intellectu intuitiuo, habent distinctionem, vt existentem: sed perfectiones diuinæ intelliguntur formaliter distinctæ ab ipso Deo intellectu intuitiuo: ergo habent distinctionem vt existentem in eis. Talis non potest esse distinctio rationis: oporteret enim intellectum diuinũ sua intuitione causare aliquam relationem rationis in sua essentia, vt existentem: quod est absurdum, igitur talis distinctio est ex natura rei. Maior patet ex differentia inter intellectum intuitiuum & abstractiuum. Minor verò est clarà de se.

Quarta.

¶ Præterea, Deus intelligit essentiam suam vt veram: vult autem vt bonam: ergo veritas & bonitas distinguũtur ante omnem actum intellectus. Tenet consequentia: quia distinctio obiectorum præuenit distinctionem actuum, sicut causa effectum.

Quinta.

¶ Præterea, Bonitas & veritas in Deo non distinguuntur ex natura rei: ergo sunt formaliter synonyma. Consequens est contra te: consequentia autem probatur: quia bonitas & veritas non significant nisi ipsas puras perfectiones in re nullo modo distinctas in ea.

Sexta. *Ca. 3.*

¶ Præterea, Inter perfectiones diuinas est ordo demonstratiuus: quo doctores vnam ex alia demonstrant: est etiam distinctio inter prædicationes formales, & nõ formales. Dicitur enim quòd sapientia non prædicatur formaliter de bonitate: est & æqualitas secundum August. 15. de Trinitate: igitur distinguuntur ex natura rei. Vt quid em̃ Doctores implent tot quinternos, si omnia sunt idem formaliter? Præterea inter perfectiones diuinas ante omnem actum intellectus inuenitur contradictio: ita quòd Deus intellectu intelligit & non vult: voluntatem autem vult & non intelligit: ergo inter perfectiones diuinas est distinctio ex natura rei.

Septima.

¶ Præterea, Ad complemẽtum doctrinæ, distinctio fundans distinctionem realem non dependet ab opere intellectus: sed distinctio perfectionũ diuinarum fundat distinctionẽ realem emanationũ diuinarũ: igitur est ex natura rei: & non ex intellectus operatione, &c. Hæc de secũdo.

CONCLVSIO.

Perfectiones existentes in Deo secundum se, distinguuntur, virtualiter tamen siue fundamentaliter: in eodem verò vt terminat actum intellectus, distinguuntur ratione, sed actualiter.

QVO AD Tertium prætermissa Trinitate personarum declarãdæ sunt tres propositiones, in quibus cõsistit sententia S. Tho. & veritas. Prima est, In Deo secundũ se nulla est distinctio actualiter. Secunda est, In Deo secundũ se est distinctio rationis virtualiter seu fundamentaliter. Tertia est, In Deo, vt terminat actum intellectus nostri, est distinctio rationis actualiter.

¶ Ad euidentiam primæ propositionis sciendum est, ꝙ aliud est iudicium de rationibus formalibus rerũ in proprijs naturis, & aliud est iudicium de rationibus formalibus earũdẽ in re aliqua superioris ordinis formaliter existentibus. Res enim in proprijs naturis ideo secluso omni opere intellectus distinguuntur formaliter: quia se mutuò non includunt in suis formalibus rationibus. Ideo aũt ratio formalis vnius non est alterius: quia quælibet earum ita est ipsa, ꝙ non altera: Verbi gratia, Ideo virtus calefactiua & virtus desiccatiua in proprijs naturis distinguũtur formaliter ex natura rei: quia virtus calefactiua ita est calefaciendi principium, ꝙ non desiccandi & econuerso. Res autem adunatæ in aliquo superioris ordinis, sicut in vna simplici realitiori inueniuntur: ita in illius vnica ratione formaliter adunantur: sicq; distinctione formali ex natura rei necessè est careãt, cùm desit ibi talis distinctionis radix iam dicta, limitatio scilicet illa, qua quælibet earum ita est ipsa, ꝙ non altera: neutra nanq; earum, cùm sunt taliter vnitę, est magis ipsa quàm alia. Verbi gratia, prosequẽdo exemplum datum, Virtus calefactiua & desiccatiua in luce solis formaliter inuentæ sicut in vna lucis natura adunantur: ita in lucis ratione formali indistinctè formaliter sunt: ita ꝙ assignata completa solaris lucis diffinitione, non sit opus vltra earum quærere diffinitiones. Cõpleta enim diffinitione solaris lucis, eam in sua celsitudine, qua inferiora indistinctè in seipsa præaccipit, cũ declaret propter adæquationem, quæ debet esse inter diffinitionem et rem diffinitam, virtutem eius calefactiuam

& desic

& desiccatiuam manifestat, quandoquidem virtus eius calefactiua non magis est ipsamet, quàm sit lux & virtus desiccatiua, & econuerso. Cùm autem secundũ Dionysiũ quinto capitulo de Diuinis nominibus, perfectiones simpliciter sint in Deo non ad proprias naturas definitè, sed ad ipsius esse illimitationem eleuatè: consequens est, vt sicut oẽs in vna simplicissima re formaliter adunãtur, ita in illis simplicissima ratione formali indistinctè formaliter sint. Et sicut sapientia diuina non magis est sapientia, quàm bonitas & veritas & ipsum esse diuinũ, & econtra: ita ratio formalis ipsius esse diuini nõ magis includit ipsum esse, quàm sapientiam et bonitatem. Si em̃ adæquata diffinitio illius rei simplicissimæ, quę Deus est daretur, in illa vnica ratione formali quicquid est Deus, includeretur formaliter: aliter diffinitio celsitudinem diffiniti non adæquaret: vnde & ipse Deus gloriosus, qui seipsum per modum sui intelligitur, vnicam tantum rationem formalem format, Verbum scilicet.

¶ Potes ergo super hæc arguere sic, Quæcunq; formaliter adunantur in vnica & adæquata rõne formali ipsius Dei, non distinguuntur formaliter ex natura rei: sed perfectiones diuinæ secluso omni opere intellectus, adunantur in vnica & adæquata ratione formali ipsius: ergo, &c. Probatur Minor: quia nõ magis adunantur virtutes qualitatum inferiorum in luce solari, quàm perfectiones simpliciter in Deo: sed illæ adunantur formaliter, vt ex se patet, & ab aduersarijs conceditur: ergo, &c. Probatur Maior: quia aliter diffinitio non adæquaretur diffinito.

Secunda ratio.

¶ Secundò principaliter pro prima propositione arguitur sic, Omnis actualis distinctio ex natura rei fundatur super actuali oppositione ex natura rei, sed inter perfectiones nulla est actualis oppositio ex natura rei: ergo. Maior habetur ex 10. Metaphysi. text. commen. 24. Minor probatur inductione, quòd enim ibi non sit oppositio cõtradictoria, neq; priuatiua formaliter, ex eo quòd patet, ꝙ vtriusq; oppositionis alterum membrum est formaliter negatio, quã ponere in Deo formaliter nefas est. Nec sufficit, ꝙ sit ibi negatio fundamentaliter: quoniam distinctio actualiter exigit actualiter oppositionẽ: opposito autẽ actualiter exigit extrema actualiter, vt patet regulariter de omni oppositione. Quòd autem non sit oppositio inter eas contrariè, patet ex eo, ꝙ alterum contrariorum semper est defectiuum 10. Metaphysic. tex. commen. 16. Quòd verò non sit oppositio relatiua inter illas, ex se manifestum est. Nec obstat, ꝙ ex hoc sequi videtur, quòd in Deo non sint multæ perfectiones, sed vna tantùm, puta deitas: verissimum enim est quòd Deus ipse non est nisi vna perfectio illimitata, omnino præhabens in se multiplicatas & multiplicabiles in alijs perfectiones omnes.

T. c. 24. *T. c. 16.*

Cap. 1. q. 2. conclusione prima.

¶ Ad euidentiam tam secundæ, quàm tertiæ propositionis nota ꝙ (vt in quadam quæstione suprà diximus) sicut res illa simplicissima, quã Deum dicimus, est id, cui assimilantur omnes perfectiones simpliciter in proprijs naturis existentes, ita est id, cui assimilantur omnes conceptus formales earum, cùm nihil aliud sint, quàm ipsæ perfectiones in esse intentionali. Ex hoc autem, quòd Deus terminat conceptiones has vt obiectum in eis intellectũ necessè est Deum ipsum omnium earum correlatiuũ intelligi pluribus relationibus rationis secundũ earum numerum: sicq; distinctionem in se rationis actualiter habere: ita vt Deus obiectus pluribus conceptionibus seu rationibus formalibus dicatur habere in se distinctionem rationis formalem actualiter, obiectiuè tamẽ, & propter pluralitatem conceptuum formalium, quibus obijcitur, & propter pluralitatem relationum rationis, quibus refertur seu referri intelligitur ad perfectiones prædictas: tam in esse naturali, quàm in esse intentionali. Ex eo autẽ ꝙ in Deo, secluso omni opere intellectus est, vnde causare & terminare possit conceptus prædictos, dicitur habere in se distinctionem rationis virtualiter seu fundamentaliter. Habet autem hæc Deus ipse ex summa illimitata sui perfectione, cuius, sicut nulla creatura est capax in esse naturali, ita nullus intellectus creatus in esse intẽtionali: quicunq; enim intellectus creatus (etiam videns Deũ per essentiam) impotens est ad formandũ conceptũ vnũ diuinæ adæquatum perfectioni, Vnde pro secunda propositione argue sic, Omne habens in se, vnde causare & terminare ac verificare obiectaliter possit, distinctas rõnes seu conceptiones formales, habet in se distinctionem rationis virtualiter, secluso omni opere intellectus: Deus gloriosus est homini: ergo.

Probatur secunda propositio.

Pro tertia verò propositione argue sic, Omne terminans plures conceptus formales, habet in se actualiter distinctionem rationis, Deus est homini: ergo, &c. Hæc de tertio.

Probat secunda propositio.

Contra arg. pri.

QVO AD Quartum arguitur contra Scotum tripliciter. Et primò sic, Distinctio formalis ex natura rei est maior distinctio distinctione reali: ergo perfectiones diuinæ non distinguuntur formaliter ex natura rei. Consequẽtia tenet: & antecedens probatur sic, Distinctio per intimiora est maior illa, quæ fit per ea quæ sunt extra intima rei: distinctio formalis ex natura rei est per maximè intima rei, distinctio autem realis per ea quæ sunt extra intima rei: ergo, &c. Minor patet ex Sco. in 1. sen. dist. 2. dicente quòd distinctio formalis ex natura rei fit per prædicata primi modi quæ insunt rei in primo signo: distinctio autem realis fit per ea quæ insunt pòst. Maior probatur, Distinctio per aliqualiter intima est aliqualiter distinctio: distinctio per magis intima est maior distinctio: ergo distinctio per maximè intima est maxima distinctio. Si enim simpliciter sequitur ad simpliciter & magis ad magis, maximum necessariò sequitur ad maximum, &c.

1. di. 2. q. 4. In solutione 1. qõ. ibi proposui circa med.

Secundo. *Scot. 1. d. 8. q. 3. primũ principale.*

¶ Secundò arguitur sic, Perfectiones diuinæ abstractæ abstractione præcisissima, sunt formaliter infinitæ: Ergo sunt idem formaliter ex natura rei. Antecedens est Sco. in 1. senten. distinctio. 8. quæst. 3. in responsione ad argumentum principale. Consequentia probatur, supponẽdo secundùm duplicẽ infinitatem (in responsione ad primum declaranda) dupliciter posse intelligi illud antecedens, scilicet de infinitate infra propriam rationem, & de infinitate infra entis latitudinem: tunc sic aut intelligis illud antecedens verificari de infinitate prima, & hoc nõ quia nullum prius includit formaliter suũ posterius: perfectio autem diuina, puta sapiẽtia, est prior infinitate illa quia modus eius intrinsecus est, &c. Aut intelligitur de secunda infinitate, & tunc sequitur intentum: quia si sapientia diuina præcisè & formaliter sumpta est ita infinita quòd ad nullam entis perfectionem simpliciter est formaliter terminata, oportet ꝙ infra suæ rationis formalis ambitũ omnẽ perfectionẽ simpliciter cõtineat, & ꝙ nullam à ratione sua perfectionem formaliter excludat: & consequenter, quòd à nulla formaliter distinguatur ex natura sua: statim enim quòd ab alijs perfectionibus distingui ponitur, coartata formaliter infra entis ponitur latitudinem: quod ad oppositum antecedentis sic intellecti, ponitur enim talem & tantam entis perfectionem formaliter importare, ita quòd non omnem. Verbi gratia, ponitur quòd sapientia formaliter ex natura sua eam perfectionẽ ponit, quam enti sapientia addit: ita quòd non eam quam iustitia sua bonitas enti addit. &c.

Tertiò.

¶ Tertiò sic, Perfectiones diuinæ distinguuntur formaliter ex natura rei: ergo inter eas est realatio. Tenet consequantia, quia distinctio illa cùm si relatio existens in rerum natura necesse est quòd sit realis: sicut nõ quodlibet aliud existens in rerum natura reale est, consequens autem est contra Auicen. dicentem quòd eiusdem ad seipsum non est relatio realis.

3. metap. t. 10. no. optĩe duplex infinita.

QVO AD Quintum pro responsione ad primũ & destructionem Scoti fundamẽti nota, quòd aliud esse infinitum cõtingit dupliciter. Vno modo secundum propriam rationem, alio modo, secundum quod ens seu simpliciter. Illud est infinitum secundum propriam rationem quod nullis suæ propriæ latitudinis clauditur terminis, licet sit ad talem entis gradum definitũ quod non omnẽ essendi perfectionem habeat. Illud verò est infinitum secũdum quòd ens seu simpliciter, quod nullis infra totius entis latitudinem terminis limitatur, sed omnem habet perfectionem essendi. Exemplũ in quantitate molis: Quãtitas si daretur infinita, esset secundum quãtitatis rationem infinita: esset enim infinita quantitas, non tamen esset secundum esse infinita: esset nanque ens finitum & limitatum ad quantitatis genus. Similiter in quantitate virtutis: Albedo si esset infinita intensiuè esset infinita secundum propriam rationem, esset enim infinita albedo: non tamen esset infinitum ens, quia ad speciem esset definita. Non parui autem refert qua quis infinitate dicat esse aliquid infinitum. Prima em̃ infinitas, cũ attendatur penes ea, quæ infra rei illius latitudinem sunt, rationem rei formalem in ea, qua inuenit formali limitatione relinquit: vt patet in exemplis datis. Secũda autem infinitas, quia attenditur penes ea, ad quæ totius entis latitudo se

Universidad de Deusto Biblioteca

extendit: rem & eius rationem formalem illimitat, & eleuat ad hoc vt ipsa omnis sit perfectio in ente possibili: & non magis sit ipsa, quam quæcunq; alia perfectio simpliciter, ac per hoc distinctionem & formalem limitationem, qua ab alijs formaliter ex natura rei absolutè sumpta distinguebatur, eam comitari non sinit.

¶ Ad propositum ergo descendendo dico, quòd licet sapientiæ & sapientiæ infinitæ prima infinitate sit eadem omnino ratio formalis: tamen sapientiæ infinitæ secunda infinitate est longè altior ratio formalis. Concludit enim in sua ratione formali omnem perfectionem simpliciter, & sic cū in Deo sint perfectiones omnes infinitate, oportet omnium vnam esse simplicem rationem formalem.

Optimè soluitur Achilles Sco.

¶ Ad argumentum, sub quacunq; forma fiat, respondeatur, attendendo æquiuocationem infinitatis: quoniam vt dictum est, infinitas prima est illa, quæ non variat rationem formalē, & quæ attenditur penes gradus perfectionales propriæ latitudinis rei, non autem secunda. Vnde si perfectiones diuinæ non essent infinitæ nisi prima infinitate, argumentum concluderet: quia habent secundā ante omnem actum intellectus, ideo nihil concludit. Nec obstat, quòd fortè infinitas prima cuiuscunque perfectionis simpliciter inferat secundā. Sufficit em̄ quòd ratione distinguantur, vt aliquid secunda fiat, quod nō prima. Similiter non obstat, si quis perfectiones communissimas, puta esse bonitatem, & similes, &c. vtranq; infinitatem habere negaret: nesciens in eis imaginari primam: propterea quod propria latitudine careant. Hoc enim magis nostro fauet proposito: quoniam si vtranq; infinitatē habent, quòd alibi discutiendum est, distinctione suprà dicta opus est. Si autem secundam tantùm absq; distinctione aliqua negandum est esse, & esse infinitum habere omnino eandem rationem formalem: & sic ruit totum Scoticum ædificium.

Ad secundum.

¶ Ad secundum loquendo de distinctione actuali quacunq; negatur Minor. Et ad eius probationem dicitur negādo omnia assumpta. Sufficit enim ad hoc, quòd aliqua distinguantur intellectione, vt intellectio est, & non natura, distinctio rationis fundamētaliter inter naturam & intellectionē. Vnde quando dicitur, Quicquid distinguitur intellectione, vt omnino indistincta est à natura, distinguitur etiam natura, distingue ly indistincta actualiter vel fundamentaliter. Et primo modo dic esse falsum, secundo modo verum: sed tunc negato Minorē, subsumēdā, scilicet sed intellectio & natura sunt indistinctè fundamentaliter ante omnem actum intellectus, habēt enim distinctionem rationis fundamentaliter, vt declarauimus.

Ad tertium.

¶ Ad tertiū negat Minor, licet em̄ Deus intueat perfectiones suas ab æterno distinctas, nō tñ ab æterno distinctas actualiter. Licet ponere distinctionē rōnis actualiter causari per actū intellectus diuini nō sit à Philosophia alienū.

Ad quartum.

¶ Ad quartum negatur consequentia. Sufficit em̄ quòd obiecta intellectus & voluntatis prædistinguantur fundamentaliter: nec est opus distinctione actuali pro tunc, sicut nec intellectus & voluntas Dei pro tunc distinguūtur, nisi fundamentali distinctione rationis.

Ad quintum.

¶ Ad quintum negatur consequentia, Synonymeitas em̄ cùm sit passio nominum, non attenditur penes identitatē rationis formalis rei secundū se, sed penes identitatem cōceptus formalis seu mentalis: voces em̄ sunt notæ earum quæ sunt in anima passionū: vnde cū veritas & bonitas Dei habeāt diuersos conceptus, in nobis nō sunt synonyma. Ad probationē ergo dicitur, q̄ licet significēt eandē rem formaliter secundū se, & solū illam vt rē significatā: tñ significāt etiā distinctè cōceptus mētales, vt rōnes significandi, & hoc destruit synonymeitatē, vt dictū est.

Ad sextum.

¶ Ad sextū dicitur, q̄ ex parte rei sufficit ad omnia illa distinctio rationis virtualiter seu fundamentaliter cū distinctione rationis actuali ex parte nostri. Loquimur em̄, vt concepimus. Formamus aūt distinctiones conceptus, quorū vnus ex alio oritur, & de alio non prædicatur, & habet aliquam habitudinē, quā alius non habet. Et ideo demonstrationes prædicationésq; formales & identitas facimus: negamúsq; de Deo sub vno conceptu quod affirmamus de ipso sub alio. Implēt ergo libros doctores balbutiendo, vt possunt, excelsa Dei humano more resonantes simplicissimam illam rationem formalē, Omne quod in Deo est formaliter complectentē, non nisi particularibus conceptibus inspicere, traderéq; potentes, & nō propter distinctionem, quæ ibi sit ex nature rei. Aequalitas autem inter perfectiones diuinas ante omnem actū intellectus non est nisi fundamentalis non excessus inter se, qui inter eas virtualiter tantùm distinctas saluatur.

Ad septimum.

¶ Ad septimum dicitur, quòd quia ante omnem actum intellectus non inuenitur contradictio formaliter, sed fundamentaliter tantùm: quia alterū contradictoriū est formaliter negatio. quæ nō est nisi per opus intellectus: ideo sufficit pro tunc inquiri distinctionem rationis fundamētaliter. quod cōcedimus: nec aliud exigitur, vt patet per se.

Ad vltimum.

¶ Ad vltimum dicitur, quod emanationes distinguūtur & realiter & formaliter. & licet distinctionis formalis earum fundamentum sit distinctio intellectus & voluntatis: non tamen distinctionis realis earum: non enim ideo processiones diuinæ distinguuntur realiter, quia altera est ab intellectu, altera à voluntate: sed quia habent realē oppositionem relatiuam (vt Boëtius tradit.) Falsum ergo assumitur, quòd scilicet distinctio perfectionum diuinarū fundet distinctionem realem emanationum diuinarum. Ad fundādam autem distinctionem formalem inter eas sufficit distinctio formalis fundamentalis inter intellectum & voluntatem: sicut etiam ipse processiones diuinæ non distinguuntur formaliter ex natura rei, seclusa distinctione reali, sed distinctione rationis virtualiter tantùm ante omne opus intellectus: ita quòd absque reali oppositione relatiua non magis distinguuntur ex natura rei quàm intellectus & voluntas.

De Trinitate.c.12.

Alia solutio breuis & optima.

¶ Potest autem breuius ad hoc & similia argumenta dici, q̄ in diuinis est ante omnem actum intellectus distinctio formalis non formaliter, sed virtualiter, id est eminēter contenta hoc modo: quia quodlibet diuinum propria exequitur, ac si esset distinctum formaliter ab alio. Intellectus enim ita intelligit & nō vult: & voluntas ita vult, & non intelligit: ac si esset distinctio formalis formaliter inter intellectum & voluntatem: & sic de alijs. Fundatur autem talis modus habendi distinctionem formalem supra deitatis eminentem vnitatem formalem formaliter: & sufficit ad omnia saluanda, quæ per distinctionem formaliter saluanda inducūtur: quia illi eminēter equiualet.

Substantiarū intellectualiū esse diuersum ab essentia: & nulla in eis materia, & earum esse finitū, essentia aūt infinita, est: in quo dicitur tantum vltima secundū numerū multiplicabilis est. In ca.5.

Secundo modo inuenitur essentia in substantijs creatis intellectualibus, in quibus est aliud esse, quā essentia ipsorum, quamuis essentia sit sine materia, vnde esse earum non est absolutum, sed receptum: & ideo limitatum & finitum ad capacitatem naturæ recipientis. Sed natura vel quidditas earum est absoluta non recepta in aliqua materia: & ideo dicitur in libro de causis, q̄ intelligentiæ sunt finitæ superius, & infinitæ inferius. Sunt enim finitæ quantum ad esse suum, quod à superiori recipiunt: non tamen finiuntur inferius, quia earum formæ non limitantur ad capacitatem alicuius materiæ recipientis eas: & in talibus substantijs non inuenitur multitudo indiuiduorum in vna specie, vt dictum est, nisi in anima humana propter corpus, cui vnitur.

¶ In hac secunda parte capituli huius de essentijs substātiarum intellectualium creatarum, quæ in secundo ordine collocantur, quatuor propositiones colligit. Prima est, In substantijs intellectualibus creatis esse est aliud ab essentia. Secunda, In eis non inuenitur materia. Tertia, Esse earū est finitum: essentia autem infinita. Quarta, Nulla earum multiplicabilis est numeraliter nisi vltima, anima scilicet humana. Prima & secunda (tanquā declaratis omissis) tertiam explanat ratione & autoritate.

AD RATIONIS Autem euidentiam est notandum, quòd actus finitur per potentiam, in qua recipitur & potentia finitur per actum, quem recipit, diuersimodè tamen. quod enim est in potentia, non est determinatum: sed determinabile per actum, ad quem est in potentia: cùm autem ipsum receperit ab eo, formaliter finitur. Similiter actus secundum essentiam suam receptibilis est in hoc vel illo: & consequenter determinabilis ad hoc vel illud subiectum. Cùm verò receptus est in hoc, iā non remanet in eo amplitudo & indefinitio ad hoc vel illud. est enim ad hoc determinatus. Est ergo duplex finitas & duplex infinitas. altera scilicet ex parte actus: altera ex parte potentiæ. Sed infinitas ex parte potentiæ imperfectionem sonat, cùm sit per carentiam actus potentiam finientis. Infinitas autem actus perfectionem maximam dicit,

Actus finit potentiā: potentia finit actum.

cit, cùm sit per carentiam potentiæ actum finientis. In cuius signū formæ secundū rem nō receptæ in aliquo longè perfectiores sunt formis receptis, vt patet. Cùm ergo esse substantiarum intellectualium sit receptum in earum essentia: consequēs est quòd sit finitum eo modo, quo actus finitur per potentiam. vnde & contractum & limitatum est ad genus sui receptiui, naturæ scilicet cuius est. Quia verò essentia earum non est recepta in aliquo, cùm sit forma non recepta in materia: consequens quoq; est, quòd sit infinita infinitate se tenente ex parte actus: non est em̄ determinata ad capacitatem alicuius materiæ ipsam recipientis, sicut sunt formæ rerum materialium.

Probatur tertia propositio.

¶ His prælibatis formetur ratio sic, Id, cuius esse est receptum, forma autem irrecepta, habet esse finitum, essentiā autem infinitam: intelligentiæ sunt huiusmodi. ergo. Et nota quòd in ratione hac sermo est semper tam de finitate, quam de infinitate se tenente ex parte actus. Tali enim finitate esse intelligentiarum finitum est: & tali infinitate earum essentia est infinita. Si enim loqui volumus de finitate se tenēte ex parte potētiæ, earū essentia finita inuenitur, eo q̄ potentia in eis est terminata per actū essendi.

¶ Cōfirmatur autem hoc autoritate libri de Causis, vbi dicitur, q̄ intelligentiæ sunt finitæ superius & infinitæ inferius. quia esse earum, quod est supremum in eis, est receptum: essentia verò, quod infimum est, non est recepta: & quia essentia earum vt respicit id, quod est supra se formaliter, ipsum scilicet actum essendi, & finita, recipiendo ipsum. vt autem respicit id quod est infra se, materiam scilicet, est infinita, vtpotè non recepta in ipsa, &c.

ADVERTE Hoc ad multorum supradictorum intelligentiam, & vt euites errorem eorum. qui horū fundamentum non intelligentes, dicunt, quòd si esse ideo est infinitum simpliciter, vt suprà diximus, quia in nullo receptum est, cum essentia tam substantiarum immaterialium, quàm compositarū in nullo penitus recepta sit: erit infinita simpliciter, quod est ridiculum. vnde ex irreceptione infinitatem arguere, valde leue videtur.

¶ Scito igitur positionē hanc fundari super hac propositione, Omnis res secundū suum ordinem receptibilis in alio, taliter irrecepta est infinita infinitate opposita finitati: quā res sui ordinis recepta cōtrahit. Dixi, secundum suum ordinem receptibilis in alio, propter composita & materiā, quæ in tota sua latitudine irreceptibilia sunt. Dixi, est infinita infinitate opposita, &c, quia sicut nō quodlibet receptibile est in quolibet, sed quilibet actus habet proprium receptiuum (vt habetur in secundo de anima textu Com. 24. & 26.) ita non ex qualibet receptione sequitur quælibet finitas: sed determinata ex determinata, & per oppositum ex tali irreceptione talis infinitas opposita, scilicet finitati: quàm (si recepta esset) res illa contraheret. Verbi gratia, albedo, cùm sit receptibilis in subiecto, si ponatur irrecepta, erit infinita, nō quacūq; infinitate, sed ea, quæ opponitur finitati, quā in subiecto habet. In proposito ergo tam esse q̄ forma secūdum suū ordinē receptibilis rationem habet (neutri em̄ recipi repugnat) sed in alio & alio receptiuo. receptiuū em̄ proprium ipsius esse, est quidditas seu suppositū, formæ verò est materia. Et ideo sicut alterius rationis est receptio formæ in materia a receptione esse in essentia, vt suprà ostendimus: ita alterius rationis est finitas formæ per materiā a finitate esse per essentiam: licet cōueniant in hoc, q̄ vtraq; est per modum, quo actus finitur per potentiam: & similiter diuersarū rationū oportet esse infinitatem, quam forma sortitur ex hoc, qđ est irrecepta in materia: & infinitatē, quā esse sortitur ex hoc, q̄ in quidditate nulli est receptū. Forma nanq; ex hoc, q̄ recepta in materia infrà ipsam clauditur, amplitudinem suam, qua ad hoc vel illud particulare est indefinita, amittit. & ideo ex hoc, q̄ separata à materia est, nō aliter est infinita, nisi quia ad nullius materiæ capacitatem coartata eius terminis caret. Esse autē, quia ex hoc, q̄ recipitur in aliqua quidditate, ad illius genus & speciem coartatur: si irreceptum ponatur, ad nullum genus diffinitum erit: & consequenter cuiuslibet generis terminis carens simpliciter infinitum.

T.c.24. & 26.

Ca.5. in 3. parte eiusdem c. primū hoc immediatè suprà.

¶ Habes ergo dubij solutionē ex hoc, quòd nō dicimus, omne irreceptum infinitum: sed rem secundum ordinem receptibilem irreceptam & ex hoc, quòd non dicimus, omnem rem secundum suum ordinem receptibilem irreceptam esse eodem modo infinitū, sed diuersimodè. ex primo enim patet, q̄ substātia composita nullam infinitatē ex sua irreceptione habet. ex secūdo verò, q̄ essentia intelligentiæ, quæ clauditur in ordine formæ cùm sit pura forma separata à materia, & non sit ipsum esse. ex sua irreceptione in materia est infinita: sed nō simpliciter, &c. & q̄ esse diuinū q̄ sub ipsius esse ordine concluditur ex sua irreceptione in quidditate seu essentia est infinitū simpliciter.

HABES Et hinc vnde Scotistarum & Scoti, eorū iudicio, peccatum deprehendas in primo Sententiarum dist. 2. quæst. 2. vbi ab eis imponitur san. Tho. ratio vltimò ibi inducta ad concludendam Dei infinitatem, quæ est talis. Forma finitur per materiam: ergo forma, quæ nō est nata esse in materia est infinita. Iam enim nosti qualem infinitatem ratio hic concludat, & quòd infinitas Dei altiores negat terminos secundum sanc. Thomam.

¶ Vnde aduertas triplex ibi peccatum. Primū est, quòd ratio prædicta ad concludendam infinitatem simpliciter assumpta à nobis dicitur: cùm apud nos non concludat nisi infinitatem secundùm quid. Secundum est, quòd ratio prædicta secundum fallaciam consequentis sophisma asseritur, quia forma prius natura est finita in se, quā finiatur per materiam: sicut illud, tertij Physicorum, corpus finitur ad aliud corpus: ergo si non est finitū ad aliud corpus, est infinitum. Manifestè enim patet error: quia cùm dicitur, Forma finitur per materiam, ly per, denotat causam præcisam finitatis secundum quid supradictæ: non enim forma secundum se est tali modo finita: cùm secundum se sit indeterminata ad hāc vel illam materiam: & ideo bene sequitur, ergo forma, quæ non est nata recipi in materia, est infinita secundum quid. Si enim affirmatio est cā præcisa affirmationis, negatio erit causa negationis, non est autem talis processus tertij Physicorum: quia corpus non finitur per aliud corpus causaliter & præcisè.

T.c.31.

Tertium est, quod inficiari conatur aliud supradictū: scilicet quòd essentia intelligentiæ est finita superius per suum esse. Contrà, inquit, esse est posterius essentia, & accidens eius, apud vos: ergo essentia intelligentiæ in primo signo naturæ videtur infinita intensiuè: & consequenter non finibilis per esse in secundo signo.

Vbi suprà.

¶ Ad hoc quidem dicitur, quòd licet esse sit posterius essentia ordine generationis & accidens eius, id est extra cōceptum formalem: tamen essentia in illo priori est finita simpliciter, & per hoc quòd est receptiua ipsius esse, & nō est ipsum suum esse, &c. sicut enim per hoc, quòd essentia est ipsum esse est infinita simpliciter (vt patet in Deo ex dictis) ita per hoc quòd essentia non est suum esse, non est infinita simpliciter, iuxta maximam illam, Si affirmatio est causa affirmationis, &c. Quia ergo in omni priori essentia intelligentiæ est fundamētaliter receptibilis ipsius esse, & ab hoc abstrahi non potest, licet non in omni priori habeat illud: sequitur quòd sit simpliciter finita per suū esse, id est per hoc nō est suum esse, sed illa actuabilis vel actuata est, &c. Sic enim intelligitur, cùm dicitur quòd essentia intelligentiæ finitur per suum esse. Quarta propositio quo ad primam partē superius discussa relinquatur. Quo ad secundam verò, quòd scilicet anima intellectiua, quæ est vltima inter substantias intellectuales sit multiplicata numeraliter, eget magna consideratione. In textu autem assignatur pro causa huius vnio eius ad corpus: omnis enim forma sic vnita corpori, quòd dat ei esse formaliter, necessariò multiplicatur secundum multiplicationem illius: alioquin plura corpora haberent idem esse numero, ab vna enim forma non prouenit nisi vnum numero esse substātiale, & meritò ex vnione ad corpus anima multiplicari numeraliter dicitur: quia distinctio numeraliter, cùm non sit formalis oportet quòd sit secundū quantitatem (vt supra declaratum fuit) secundum quantitatem autem esse non posset talis distinctio in anima, si forma non esset rei quantæ (vt intelligentiæ ostendunt.) Efficax ergo ratio ad concludendam pluralitatem numeralem animarum est coniunctio ipsius animæ ad corpus numeraliter multiplicatum

1. Poste. T.c.30.

c.5. q°.9.

Probatur quarta.

c.3. q°.5. c.5. q.9.

Et licet indiuiduatio eius ex corpore occasionaliter dependeat, quantum ad sui inchoationem: quia non acquiritur sibi esse indiuiduatum, nisi in corpore cuius est actus: nō tamen oportet, vt destructo corpore, indiuiduatio pereat: quia cùm habeat esse absolutum ex quo acquisitum est sibi esse indiuiduatum, ex hoc quòd facta est forma huius corporis illud esse

Anima humana cū ex occasione multiplicētur ad corporū multiplicationē, permanent destructis corporibus.

Universidad de Deusto Biblioteca

ſemper remanet indiuiduatum & ideo dicit Auicenna, quod indiuiduatio animarum & multiplicatio dependet ex corpore, quantum ad ſui principium, ſed non quantum ad ſui finem.

¶ Hic obiectio quędã contra quartã propoſitionem excluditur, quæ talis eſt, Forma multiplicata ad multiplicationẽ corporis deſtructis corporibus, non remanet in ſua multitudine: anima humana eſt multiplicata ad multiplicationẽ corporis: ergo non poſſunt remanere multæ animę humanę deſtructis corporibus, &c. Proceſſus bonus, concluſio autẽ falſa eſt: ergo altera præmiſſarũ, non Maior, vt probatur: ergo Minor, quæ fuit quarta propoſitio. Maior probatur ex eo, ꝙ remota cauſa, remouetur effectus. Si ergo cauſa multitudinis animarũ eſt ipſa multitudo corporũ, remota multitudine corporũ remouebitur etiã multitudo animarũ. Excluditur aũt hic obiectio in litera, declarando, formas dupliciter plurificari ad plurificationem corporum: ſcilicet cum depẽdentia à materia, & ſine dependentia ab illa: & primæ quidẽ deſtruuntur deſtructis corporibus, ſecundæ verò remanent, eo ꝙ non niſi occaſionaliter eorum indiuiduatio à corporibus eſt: de harum autem numero eſt anima intellectiua.

AD HORVM Euidentiã nota primò, ꝙ idem eſt iudiciũ de eſſe & vnitate & multitudine rei, quo ad dependentiam & independentiã: ita ſcilicet ꝙ cuius eſſe à materia non dependet, nec eius vnitas: nec multitudo à materia dependet. Cuius autem eſſe à materia dependet, tam vnitas, quàm pluralitas eius etiam ab illa depẽdens eſt, vnum enim & multa entis paſsiones ſunt.

2. de generatione animaliũ ca. 3.

NOTA Secundò, ꝙ formæ ſunt in triplici differentia. Quædã fiunt in materia & educũtur de potentia materiæ, vt formæ materiales. Quædã fiunt in materia, ſed non educuntur de potentia materiæ: vt anima intellectiua, quæ venit de foris. Quædam nec fiunt à materia, nec educũtur de potentia materiæ vt formæ ſeparatæ à materia, inteligentiæ ſcilicet. Non poteſt aũt dari quartum genus earum, quæ æducantur de potentia materiæ, & non fiant in materia: quia implicat, vt de ſe patet.

c. 5. q. 9. cõueniũt inter ſe. T. c. 24. & 26.

¶ Et illæ quidẽ, quæ nec educũtur de potentia materia, nec fiunt in ea, omnino indepẽdentes & ſeparatæ ſunt à materia & immultiplicabiles numeraliter, vt ſuprà probatũ fuit. Primæ verò & ſecundæ, quia conueniunt in hoc, ꝙ fiũt in materia, habent et hoc cõmune, ꝙ oportet vtraſque eſſe coaptatas & proportionatas ſuis receptiuis materijs, in quibus fiũt: proprios eñ actus oportet in proprijs fieri materijs, vt dicitur 2. de anima. text. cõ. 24. & 26. Forma nanq; leonis debet eſſe commenſurata corpori leonino, ita ꝙ non equino: & huius leonis forma oportet ꝙ ſit cõmẽſurata huic corpori leonino, ita ꝙ nõ illi, &c. Et ex hoc cõſequẽter cõueniũt ita in hoc, ꝙ vtraſq; oportet ſimul multiplicari in proprijs corporibus. Quæcunq; eñ oportet eſſe inuicẽ coaptata & proportionata ſimul, recipiunt multitudinẽ & vnitatẽ, vt patet in diſcurrendo in ſingulis: ſemper eñ multiplicationẽ formarum in vna ſpecie comitatur multiplicatio corporũ in illamet ſpecie, & econuerſo: aliter vel vna forma eſſet in diuerſis materijs, vel diuerſæ materiæ ſub vna forma, quorum vtrũq; eſt impoſsibile. Ex eo verò ꝙ primæ formæ educũtur de potẽtia materiæ, & non ſecũdæ, differũt inter ſe in hoc ꝙ primæ habent eſſe dependens à materia, ſicut à cauſa materiali earũ eſſe cauſante & ſuſtentãte. Secũdæ autẽ habent eſſe excedens totã materiæ capacitatem & independens ab ea, vtpotẽ nõ cauſatæ ex illa. Et ex hoc cõſequenter differunt ſecundò, ꝙ primarũ tam vnitas, quàm multitudo à materia dependens eſt, ſicut & eſſe: & ideo ſicut deſtructis corporibus ipſe deſtruuntur: ita vnitas & pluralitas earũ. Secundarum verò tam vnitas, quã multitudo independẽs eſt à materia, ſicut & eſſe: & ideo ſicut deſtructis corporibus earum eſſe remanet, ita vnitas & pluralitas. Et hoc eſt quod hic intendit S. Tho. dicens, diuiduationẽ animæ, id eſt vnitatem eius. Et ſimiliter intelligendũ eſt de pluralitate occaſionaliter ex corpore dependere. Dependet enim hoc modo: quia fit in corpore, non autẽ ita, quòd educatur de potentia corporalis materiæ: & hoc eſt quod ſubdit, quia non acquirit illud in corpore, & rationem addit, quia cũ habeat eſſe abſolutũ, id eſt independens à corpore, corrupto corpore, abſq; illo remanere poteſt. & ideo Auic. dicit indiuiduationẽ animæ ex corpore in ſui initio dependere: non autẽ in fine, quia ſcilicet non fit niſi in corpore. Poteſt autẽ eſſe & de facto eſt poſt mortem ſine corpore. & ſic ſoluta eſt obiectio facta, quia Maior eſt falſa de ſecundo ordine formarum, qualis eſt anima humana.

Differũt inter ſe.

¶ Ad probationem eius iam patet quid dicendum, quia corporum multiplicatio non eſt propriè cauſa, ſed occaſio & non niſi in fieri multitudinis animarum, ceſſante autem cauſa in fieri, non ceſſat effectus quo ad eſſe.

QVAESTIO XIII.

De indiuiduatione animæ intellectiuæ, Scot. di. 2. q. 3. 7. in 4. q. quolib. q. 2. parum poſt principium.

HIC CIRCA Indiuiduationem animæ intellectiuæ, per quod ſcilicet indiuiduetur, dubitatur. In hac quæſtione faciẽda ſunt tria. Primò recitabitur opinio Scoti. Secundò declarabitur opinio ſancti Thomæ. Tertiò reſpondebitur argumentis in oppoſitum.

QVO AD Primum Sco. in ſecundo ſen. diſt. in. 3. quæſt. vlt. & in quolib. q. 2. ſequens poſitionẽ ſuã de hecceitatibus tenet animam, ſua propria hecceitate, indiuiduari: arguitq; ſic contra S. Tho. Eo primo, quo aliquid eſt in actu extra cauſam & intellectũ, eo primo eſt hoc: ſed anima ſicut & quælibet entitas præcipuè abſoluta ſeipſa primò eſt in actu extra cauſam & intellectũ. ergo anima ſeipſa prima eſt hæc. Maior probatur: quia vniuerſalitas ſiue eſſe non hoc non conuenit rei niſi in intellectu. Minor patet ex eo, ꝙ res ſeipſa primò recedit à non eſſe.

Prima ratio.

¶ Præterea, Omnis diſtinctio formalis ſeu nõ per materiã eſt ſpecificata: per te animæ intellectiuæ diſtinguũtur formaliter, ſeu non per materiam. ergo diſtinguũtur ſpecificẽ, cõcluſio eſt falſa, ergo altera præmiſſa: non Minor. quia animæ intellectiuæ ſeparatæ carent materia. ergo Maior: quæ eſt fundamentũ poſitionis tuæ. Quòd ſi dicas, ꝙ animæ habent inclinationes ad diuerſa corpora, & per has diſtinguuntur: contrà, Anima prius natura eſt terminus creationis, qui vt talis formaliter eſt hoc, ꝗ̃ vniatur materiæ. ergo prius natura anima eſt hæc, ꝗ̃ vniatur materiæ: ergo anima indiuiduatur, & nõ per vnionẽ ad corpus: Antecedens probatur ſic, Prius eſt quod põt eſſe ſine alio, & aliud non ſine illo ex 5. Meta. tex. com. 16. de anima non ſolũ ſecundum eſſentiam, ſed etiam ſecundũ exiſtentiam poteſt eſſe ſine vnione ad materiã, non autẽ abſq; hoc ſit terminus creationis & hic: ergo anima eſt prius natura terminus creatiõis & hæc, ꝗ̃ ſit in materia.

Secunda ratio. T. c. 16.

¶ Si dicatur ꝙ anima non eſt hæc per actualem vnionẽ ſeu exiſtentiã in materia, ſed per aptitudinem eſſendi in illa: contrà, Hoc nõ euadit difficultatẽ, quia natura abſoluta eſt prius natura ipſa ſua aptitudine, quia enim anima eſt hæc: ideo habet hanc aptitudinem ad hoc. & illi repugnat, &c. vt arguatur ſic, Quod cõuenit vni, & repugnat alteri eiuſdem ſpeciei, nõ conuenit per ſe huic, ſecundũ id ꝙ commune eſt iſtis: vel ſaltem præexigit eorum neceſſariò diſtinctionẽ, ſcilicet huius ab illo: ſed hæc aptitudo cõuenit huic animæ, & repugnat illi: ergo neceſſariò præexigit diſtinctionem huius ab illa: igitur non indiuiduantur aptitudinibus.

¶ Confirmatur, Ratio aptitudinis formaliter loquẽdo, non eſt ad ſe, nec eſt ratio entis in actu: ergo non põt eſſe indiuiduatiuum principium animæ. Antecedens probatur pro prima parte: quia ſi eſſet ad ſe, poſſet intelligi nõ ad aliud, vt ad terminũ, quod eſt falſum. Pro ſecũda quoque parte probatur, quia quod neceſſariò exigit aliquid non exiſtens, ipſum eſt non exiſtens in actu: aptitudo autem eſt ad terminum non exiſtentem: ergo eius ratio non eſt ratio entis in actu. Conſequentia patet, quia diſtinctio relatiua præſupponit diſtinctionem abſolutam: quia eñ anima eſt hæc: ideo habet hanc aptitudinem, & non ecõtrà. & quia hæc anima eſt ſingularis ſingularitate actuali ſiue in actu, non eſt hæc aptitudine ad hoc corpus. Hæc ſunt quæ iſti in hac re ſentiunt.

c. 3. q. 5. c. 5. q. 9.

Quõ commenſuratio indiuiduet animam intellectiuam.

NOS AVTEM Peripatetica fundamenta ſequentes, animam indiuiduari commenſurationem ſubſtantiali ad hoc corpus dicimus, & hanc animam, & illam diſtingui commenſurationibus ſuis ad hoc & illud corpus: probationes autem huius, ſuprà adductæ fuerũt, cùm deductum fuit diſtinctionem numeralem non niſi à quantitate originari poſſe. Vnde nunc ſufficiet declarare quomodo ſit hoc quod dicimus. Commenſuratio dupliciter ſumitur. Vno modo pro relatione commenſurationis: alio modo pro ipſa ſubſtantiali coaptatione rei. primo modo commenſuratio eſt res reſpectiua eſſentialiter: & in genere relationis: ſecundo modo eſt res abſoluta, & de prædicamẽto rei commenſuratæ: eſt enim idem eſſentialiter quod ipſa, ſed differens ab ipſa ſola ratione, et ſimiliter dico de indeclinatione, aptitudine, coaptatione, ſigillatione, & ſimilibus, quæ ad exprimendum propoſitum aſſumuntur.

¶ Abſolutum quoq; pro nunc ſumitur dupliciter. Vno modo à termino: & ſic dicimus ſubſtantiam, quantitatẽ & qualitatem eſſe entia abſoluta. Alio modo à receptiuo ſeu ſubiecto: & ſic nullum prædicamentorum accidentium eſt abſolutũ: ſunt eñ eſſentialiter receptibilia in ſubſtantia. Cùm ergo dicitur, ꝙ animæ ſuis commenſurationibus indiuiduantur, intelligendum eſt commenſurationibus ſubſtantialibus, quæ ſunt res abſolutæ à terminis: & ſi non à receptiuis, & non commenſurationibus, quæ ſunt relationes, &c. Sicut nanq; de eſſentia animæ in cõmuni eſt, ꝙ eſſentialiter ſit proportionata corpori philoſophico organico, quod in eius diffinitione ponitur: ita de eſſentia aiæ humanæ eſt, cõmẽſurari corpori humano: eſt nãq; ita perfectiua corporis humani, ꝗ nõ bouini: ſic quoque de eſſentia huius aiæ eſt cõmẽſuratio ad hoc corpus. et ſic cõmẽſuratio ad corpus humanũ nõ ſequitur animã iã humanã, ſed cõſtituit ipſam humanã. Per hoc eñ primò differt anima hominis ab aia bouis: quia illa eſt prius actus corporis humani, iſta verò bouini. Conſtat autem, quòd idem eſt eſſe actum propriũ corporis humani, & eſſe ſubſtantialem ſubſtantialiter commenſuratam perfectionem eius. Ita ſubſtantialis commenſuratio huius animę ad hoc corpus, nõ ſequitur animam hanc, ſed conſtituit ipſam hanc, eſt eñ hæc anima ſubſtantialiter prius actus huius corporis: vnde hæc anima ab illa primò differt: quia illa eſt proprius actus huius corporis, illa verò proprius actus alterius. & hoc eſt quod S. Tho. in 2. contra Gẽ. cap. 81. tradit, & in quæſtionibus de anima, & vbicunq; de hac re loquitur. Eſt autem conueniẽs propoſitio iſta principijs Ari. docet eñ in primo libro de partibus animaliũ, ꝙ propriæ differentiæ alicuius diuiſi debent eſſe per ſe diſtinguentes illud in eo quòd tale. verbi gratia, propriæ differentiæ animalis non debent eſſe album & nigrum, quæ non diuidunt animal in eo, quòd animal. Stat enim identitas animalis, cũ illarũ diuerſitate: nec debent eſſe nauigatiuum & volatiuum: quia non diuerſificant hæc per ſe naturam ſenſitiuam, ſed debẽt eſſe tale ſenſitiuum vel tale. Animal eñ in eo, quòd animal, cum ſenſitiuo cõſtet, non diuerſificatur per ſe niſi per differentias ſentiendi. Vnde cum anima in eo quòd talis eſſentialiter ſit actus corporis philoſophici proprijs differentijs diuiditur per hoc, quòd actus talis corporis vel talis: & iterum actus talis corporis, puta humani proprijs differentijs diuiditur (materialibus tamen) per hoc quod eſt huius corporis vel illius. Indiuiduantur ergo ipſæ animæ cõmenſurationibus ſubſtãtialibus nõ abſolutis à receptiuis: ſicut & ipſæ animæ eſſentialiter ſunt non abſolutæ à perfectibilibus corporibus earum receptiuis. Et non conſiderare hoc, eſt cauſa erroris eorum, qui de omnibus volunt eodem modo iudicare (vt ſunt Scotiſtæ) quibus dũ non conſiderant proprias rerum naturas, & res ſuis conceptibus adæquare volunt: accidit vt de omnium indiuiduatione eandem proferant ſententiam, & in eorum numero ſint, de quibus dicitur ſecũdo Cæli text. com. 80. ꝙ quærunt vſq; quo non habeant contradicere ſibijpſis.

2. di. art. 1. c. 6. — 2. contra Ge. c. 81. q. 3. ad. 15. — 2. contra Ge. cap. 74. & 79. c. 3. de parti. anima.

HIS VISIS Ad ſolutionem argumentorum procedendum eſt.

Ad primum.

¶ Ad primum dicitur, quòd falſa eſt Maior, licet enim quælibet res poſita extra intellectum & cauſam ſit hæc, non tamen eodem primò eſt, & hæc. Eſt enim ipſo eſſe primò: Hæc autem hecceitate primò: multa enim inſeparabiliter ſeſe comitantur, quæ non eodem principio habentur primò: ſicut quodlibet ens aliud à Deo extra intellectum & cauſam eſt, & eſt dependens, non tamen eodem primò eſt & depẽdet. Minor quoq; eſt falſa: res enim non ſeipſa primò, ſed per exiſtentiam actualem diſtinctam realiter à ſe extra nihil ponitur, vt ſuprà declaratum fuit, &c.

c. 5. p. 2. Ad ſecundum.

¶ Ad ſecũdum negatur Minor. Duæ enim animę humanæ ſeparatæ non diſtinguuntur formaliter, ſeu per materiam: licet ſint puræ formæ à materia abſtractæ. Aliud enim eſt dicere, omnis diſtinctio formalis eſt ſpecifica: aliud, omnis diſtinctio formarũ. Diſtinctio eñ formalis, cũ ſit illa, quæ ex principijs diffinitiuis cõſtat, ſpecifica eſt: Quæcunq; enim habent diuerſas diffinitiones ſpecie differũt, cũ ſaltẽ differentias vltimas habeant non eaſdẽ, quarum diuerſitas ſufficit ad diuerſitatem ſpecificam: ſed talis non eſt inter animam Sortis & Platonis: habent ſiquidem eandem diffinitionem. Diſtinctio autem formarum cùm ſit, vndecunque inter formas diuiſio accidat in duabus animabus ſeparat, id eſt, inuenitur ex hoc ꝙ diuerſis corporibus coaptatæ ſunt. Vnde non eſt ſimilis ratio de eis & de alijs ſubſtantijs ſeparatis, quæ corporibus vnibiles non ſunt. Et ſic reſponſio ibi data eſt bona ſi ſanè intelligatur modo ſcilicet expoſito, quòd animæ inclinationibus ſubſtãtialibus ad diuerſa diſtinguuntur.

Diſtinc. formaliter quæ ſit. — Diſtinc. formarũ quæ ſit.

¶ Ad id quod primò obijcitur, contrà dicitur quòd non concludit intentum. Concludit enim, ergo anima prius natura eſt hæc quàm habeat actualem vnionem ad corpus: cùm debeat concludere, ergo anima prius natura eſt hæc quàm ſit coaptata ſeu inclinata ad hæc corpus. Non enim dicimus animam indiuiduari formaliter per actualem vnionem ad corpus, ſed per coaptationem ſubſtantialem ad hoc corpus, quàm prius natura debere animæ quàm ipſam actualem vnionem, patet ex eo quòd omnia hic per ſe terminat creationem, & non anima hoc exiſtẽs: & ex eo quòd ineſſe præſupponit eſſe: eſſe autem particulari tam immediatior eſt, quã ineſſe. Vnde reſponſio ibi recitata eſt bona, cùm grano tamẽ ſalis. Dicimus enim animas indiuiduari per aptitudinum ſubſtantialem ſeu commenſurationem formaliter: per vnionem verò actualem ad corpus conditionaliter, id eſt tanquam per conditionẽ ſine qua non: & quia prius natura ineſt rei ratio formalis quàm conditio, ſine qua non, ideo, &c.

¶ Ad argumentum contra hoc patet reſponſio ex dictis. Aſſumit enim hoc falſum, ſcilicet quòd natura huius animæ ſit prior aptitudine ſua ſubſtantiali. Vnde Maior argumenti ibi formati pro ſecũda parte diſiunctiuæ eſt falſa, ſcilicet quòd quodlibet conueniens vni & repugnans alteri eiuſdem ſpeciei præexigat diſtinctionem ipſorũ. Stat enim quòd non præexigat, ſed faciat diſtinctionem ipſorum, ſicut quod conuenit vni ſpeciei, & repugnat alteri eiuſdem generis, non opus eſt, quòd præexigat illarum ſpecierum diſtinctionem: ſed ſtat quod faciat earum diſtinctionem. Verbi gratia, rationale conuenit homini, & repugnat leoni, & irrationale cõuenit leoni, & repugnat homini, & tamen rationale & irrationale non præexigũt diſtinctionem hominis & leonis, ſed faciunt. Vnde ſubſumas ſub illa Maiore, Sed hæccheitas animæ Sortis conuenit ſibi, & repugnat animæ Platonis: ergo hæccheitates ſupponunt ipſas diſtinctas: & ſic ſuadebis Sco. vim argumenti ſui &c.

¶ Ad confirmationem, cùm dicitur, Ratio aptitudinis non eſt ad ſe, dico, quòd ratio aptitudinis ſubſtãtialis, de qua loquimur, eſt ad aliud, ſed non vt ad terminum, ſed vt receptiuum. Probatio autem contra hoc nihil facit: cõcedo enim ꝙ poteſt intelligi nõ ad aliud, vt ad terminũ, non autem non ad aliud vt receptiuum, ſicut quãtitas & qualitas abſolutẽ ſunt à termino, & non à ſubiecto.

¶ Ad id quod ſecundo loco in antecedente ponitur, ſcilicet, quòd ratio aptitudinis non eſt ratio entis in actu, dico primò, quod falſum eſt: Aptitudo enim ad ridendum, ſcilicet riſibilitas habet rationem entis in actu primo, licet potentiam ad actum ſecundum. Probationis verò, vtraque propoſitio eſt falſa: & Maior quidem, ſcilicet quòd neceſſariò exigit aliquid non exiſtens, ipſum eſt nõ exiſtens in actu: quælibet enim potẽtia actiua in actu primo tantùm exigit operationem ſuam non exiſtere: & tamen ipſa eſt exiſtens in actu. Minor verò, quia aptitudo ſubſtantialis animæ ad corpus non excludit corpus, ſed compoſitio ex contrarijs eſt: quæ facit aptitudinem animæ eſſe abſque actuali vnione

¶ Dico ſecundò, quòd æquiuocamus de aptitudine. Aptitudo enim iſta, quam in anima intelligimus, non eſt niſi commenſuratio ſeu ſubſtãtialis ſigillatio ipſius animæ ad hoc corpus: quam conſtat eſſe in actu, & dum eſt corpori vnita & dum eſt ſeparata ab eo, ſicut in exemplo ſuprà poſito de cera liquet. Argumentum autem procedit, acſi aptitudo iſta eſſet quid potẽtiale expectans aliquid quod reducat ipſam in actu, &c. Ad conſequentiam patet quid dicendum ſit, quia non eſt talis diſtinctio relatiua, ſed abſoluta relatiuẽ ad receptum. &c.

Intelligẽtiæ ſunt ĩ prædicamento, quanquã illarũ differentiæ lateant.

Et quia in iſtis ſubſtantijs quidditas non eſt idem quod eſſe, ideo ſunt ordinabiles in prædicamento, & propter hoc inuenitur in eis genus, ſpecies, & differẽ

Universidad de Deusto Biblioteca

tia, quamuis earum differentiæ propriè nobis occultæ sint. In rebus enim sensibilibus etiam ipsæ differētiæ essentiales nobis ignotæ sunt: vnde significantur per differentias accidentales, quæ ex essentialibus oriuntur: sicut causa significatur per suum effectum sicut bipes ponitur differentia hominis. Accidentia autem propria substantiarum immaterialium nobis ignota sunt: vnde differentiæ earum nec per se, nec per accidētales differētias nobis significari possunt.

a. 5. p. 3. in princ.

¶ In hac tertia parte capituli huius declaraturus S. Tho. quomodo quidditates substantiarū separatarū se habeāt ad intentiones logicas, scilicet genus, speciē, et differentiā, &c. quatuor notatis se absoluit excludendo post duas obiectiones. Proponit ergo primò conclusionē talem, Intelligentiæ sunt in prædicamento: probátq; eam sic, Omne id, in quo differt ab essentia, est in prædicamento, intelligentiæ sunt huiusmoci: ergo, &c. Minor suprà probata est. Maior verò probari potest sic, Omne habens esse limitatum, est in genere, si enim limitatū esse habet, ad aliquod genus definitum est. Quod eñ ad nullū genus definitum est, ac per se subsistit, vnde aut quomodo esse limitatū habet: omne aūt ens, in quo esse distinguitur à sua essentia, habet esse limitatū, vt suprà declaratū fuit: ergo omne tale est in prædicamēto. Ex quo corolariè concluditur, ꝙ habent genus, speciē, & differentiā. Addit aūt, quāuis occultæ sint nobis earū differentiæ: & vt responderet dubitationi, qua quis dicere posset, Quomodo scis in eis esse differētias, si illas ignoramus? stat eñ scire de eis quæstionē an est, & ignorare quæstionē quid est: nouimus inquā differentiā esse in illis, sed quæ sint illæ, latet. latent aūt intelligentiarū differētiæ secundū se: quia cōmune est oībus substantijs habere occultas differentias proprias secundū se: & in hoc conueniūt cū substantijs inferioribus. latent secundū accidentales proprietates, quæ sunt earū passiones, quia excedunt facultatē naturalē intellectus humani, qui se habet ad manifestissima in natura: sicut oculus noctuæ ad lumen solis, & in hoc differunt à sensibilibus substantijs, quarū propriæ differentiæ nominibus suarū proprietatum significantur: sicut causæ nominibus suorum effectuum: vnde omnino immanifestæ sunt nobis intelligentiarum differentiæ quo ad quid sunt, &c.

Hæc eo. ca. pte. 2. in princ.

2. Meta. tex. c. 1.

QVAESTIO XIIII.

Nū intelligentiæ sint à nobis quidditatiuè cognoscibiles in hac vita.

CIRCA Hanc particulā dubitatur, an intelligētiæ sint à nobis quidditatiuè cognoscibiles in hac vita, &c. ¶ In hac q. septē agenda sunt: primò declarabo titulū & intentionem quæstionis, secundò adducetur opinio Auerrois: tertiò impugnabitur: quartò respondebitur suis rationibus: quintò declarabitur opinio sanct. Thom. sextò adducentur rationes Ioannis de Gaudauo contra san. Tho. septimò eis satisfiet, &c.

Differt cognitio quidditatis à cognitione quidditatiua.

QVO AD Primū nota, ꝙ aliud est cognoscere quidditatē seu cognitio quidditatis, & aliud est cognitio quidditatiua, seu cognoscere quidditatiuè. Cognoscit eñ leonis quidditatē quicunq; nouit aliquod eius prædicatū essentiale. Cognoscit aūt quidditatiuè non nisi ille, qui omnia prædicata quidditatiua vsq; ad vltimā differentiā nouit, &c. Cum autē cognoscamus intelligentias esse substantias, & esse intellectuales, &c. liquet ꝙ earū quidditates cognoscimus: vnde hoc in dubiū nō vertitur, sed quæstio est, an quidditatiuè cognoscere eas possimus, vt penetremus, scilicet vsq; ad vltimas earū differentias: & licet hæc quæstio habeat opiniones plurimas, vt patet tertio de anima, com. 36. quia tamen non nisi cum Scotistis & Auerroistis hic agitur, et Sco. opinio in cōclusione nō discrepat, vt patet in primo senten. distin. 3. cum solo nobis disceptandum est Auer. Hæc de primo.

Puta Alexādri, Alpharabij Auer. pace et the. Scot. pri. di. 3. q. 3. in solutione dubij ibidē, mo ti in c. q. circa medium.

QVO AD Secundum Auer. in 3. de anima. com. 36. supposita fictione sua in cō. 5. opinatur, ꝙ intellectus possibilis, vt appropriatus nobis adeptis omnibus intellectis speculatiuis, ac per hoc cōtinuatus intellectui agenti, vt formæ per illum intelliget substantias separatas: & consequēter nos, quibus per hoc fiet intellectus agēs forma: sicut modò est intellectus possibilis: ita ꝙ sicut modò per intellectum possibilē intelligimus materialia, ita tūc per intellectū agentē intelligimus substantias separatas. ¶ Probat autem rationem suam duabus rationibus. Prima ratio fundatur supra duas propositiones, Quarum prima est, Intellectus, & prima intellecta speculatiua se habent sicut forma & materia. Probatur illa sic, Illa, quorum est vnamet operatio, ita quòd operatio vnius communicetur alteri, se habent, sicut agens & instrumētum, vel sicut forma & materia: sed intellectus agentes & primorum intellectorū speculatiuorū est vnamet operatio: ita quòd operatio intellectus agentis, scilicet facere intellecta in actu, cōmunicatur primis intellectis speculatiuis, ergo intellectus agens & prima intellecta speculatiua se habent sicut agens & instrumentum, vel sicut forma & materia. Patet Minor, quia intellectus in habitu pōt non solū intelligere, sed facere cōclusiones intellectiuas in potentia intellectas in actu, vtrunq; enim experimur in nostra esse potestate, scilicet intelligere & facere conclusiones actu intellectas mediantibus primis intellectis: quæ solo lumine intellectus agentis fiunt intellecta in actu. In Maiore verò notāter dicitur (ita ꝙ propria operatio vnius cōmunicetur alteri) quia plures trahentes nauem, ad eandem operationē concurrunt, non tamen sicut materia & forma, nec sicut agens & instrumentum: propterea quia alter alterius propriam operationem non sortitur. Clarum est autē, ꝙ cōmunicans operationem suam alteri cōcurrendo ad idem se habet ad illud: sicut agens principale ad instrumentum, quemadmodū carpentarius sedis factionē serræ cōmunicat: vel sicut forma ad materiā, sicut forma ad materiā, sicut calor calefactionē aquæ calidæ communicat. Et licet vtraq; pars disiuncti conclusi sit vera: quia tamen prima pars manifestior est, & minus ad propositum, ideo Commentator secundā partem declarat, scilicet ꝙ prima intellecta speculatiua & intellectus agens se habeant vt materia & forma: & hic facit declarando, ꝙ intellectus agens. & non solū prima, sed anima intellecta speculatiua se habent sicut forma & materia. Manifestat autē hoc sic, Quandocunq; est aliquod receptiuum aliquorum duorum ordinum inter se habentiū, id quod est perfectius & formalius, est sicut forma: id verò quod est imperfectius, & minus formale, habet rationē materiæ: sed intellectus possibilis est receptiuus intellectorū speculatiuorum, & intellectus agentis ordinem inter se habentium: ita ꝙ intellectus agens est perfectior et formalior intellectis speculatiuis: ergo intellectus agēs & intellecta speculatiua se habent sicut forma & materia. Dicitur autem in Maiori, ordinem inter se habentiū: quia aliter proposito non esset vera, sicut patet de albedine & dulcedine lactis: quarum neutra est alterius forma. Cùm eñ ordinata sunt necessariò, verifica proposito, vt patet, cùm aër recipit colorem & lumen. Minor patet ex eo, quòd intellectum recipitur in intelligente. Intellectus autem possibilis intelligit, & intellectum agentem & intellecta speculatiua, &c. & sic patet prima propositio.

2. propositio Auer. ibidē circa parū ante finem.

¶ Secunda propositio est, Intellectus possibilis et appropriatus nobis, qñq; recipit intellecta speculatiua & intellectū agentem in potentia tantū: qñq; partim in actu, & partim in potentia, qñq; totaliter in actu. Ista propositio quo ad intellecta speculatiua est clarissima: intellectus nāque infantis est in pura potentia, sicut tabula rasa, in qua nihil est depictū: postmodū verò recipit primorū principiorum notitiā: deinde multarū conclusionum successiuè acquirit notitiam: & sic secundū aliquid est in actu, puta secundū principia: & secundū aliquid in potētia, puta secundū cōclusiones: & postremò acquisitis oībus cōclusionibus & totaliter, & secūdū omnia in actu tam principia, q; cōclusiones. His si coniūxeris primā propositionē, illucescet tibi hæc secūda propositio, quo ad secundā partē. Si eñ intellectus agēs est forma intellectorū speculatiuorū, eadē erit proportio cōiunctionis ad intellectū agētē, q est inter intellectū possibilē, & intellecta speculatiua quo ad hoc, ꝙ sit totaliter vni, totaliter & reliquo coniūctus: et si partialiter vni, partialiter et reliquo cōiūctꝰ erit.

Formatur prima rō Auer.

¶ His præmissis formatur prima Auer. ratio sic, Omne qd mouetur ad acquisitionē alicuius vt formæ, illa perfectè acquisita pōt operari operatione propria illius formæ: sed intellectus possibilis vt appropriatus nobis, mouetur ad acquisitionē intellectus agētis, vt formæ: ergo illo acquisito, pōt operari operatione propria illius. Sed operatio propria intellectus agentis est intelligere substātias separatas quidditatiuè. ergo intellectus possibilis poterit per illū intelligere substantias separatas: & cū intellectus possibilis operatio noua nos denoiet, cōsequēter nos per intellectū agētē intelligimus substātias sepatas, &c.

Mai

Maior patet exēplariter, cùm aqua mouetur à forma caloris, acquisito illo potest calefacere, & similiter apparet in omnibus. Minor verò probatur dupliciter. Primò ex duabus propositionibus præmissis sic, Quandocūq; aliquid mouetur ad aliqua duo recipiēda ordinata inter se, ad id quod est formalius & perfectius mouetur, vt ad formā ex prima propositione: sed intellectus possibilis mouetur ad intellecta speculatiua, & intellectū agentē: quia qñq; est in pura potentia, qñq; partim in actu, & partim in potentia, ex secunda propositione ordinē inter se habentia: quia mediātibus intellectis speculatiuis recipitur intellectus agēs: & intellectus agēs est formalior & perfectior. ergo intellectus possibilis mouetur ad acquirēdū intellectum agentē vt formā. Secundò probatur illa Minor sic, intellectus possibilis mouetur ad acquisitionē intellectus agētis vt finis: ergo vt formæ. Antecedens patet ex eo, ꝙ ipse intellectus agēs est efficiēs illius motus, quo mouetur intellectus possibilis ad ipsum. in separatis enim à materia idē est efficiens & finis motus: vt Com. 36. 12. Meta. habet. Cōsequētia verò patet ex secūdo Physic. text. commen. 70. vbi dicitur, quòd finis, motus & forma idem sunt, & hāc probationem tangit Auer. 12. Metaphysi. in fine commen. 38.

Com. 36. T. c. 70.

Com. 38. 2. rō pri. ibidē circa tex.

Com. 13. cōtra gē. capi. 45. post medium. 1. q. 88. ar. 1. ad 1. q. 37. post medium.

¶ Secunda ratio Auer. ponitur secundo Metap. com. 1. Si intelligētiæ nō essent à nobis cognoscibiles, natura ociosè egisset: cōsequēs est falsum. Cōsequētia probatur, quia fecisset id quod est in se naturaliter intellectū: nō intellectū ab alio, sicut si fecisset solē non cōpræhensum ab aliquo visu. Et quoniā hæc consequentia cū sua probatione derisibilis à S. Th. iudicatur, propterea ꝙ frustra est quod nō potest consequi finē suum: & intelligentiarum finis non est intelligi à nobis: dato enim ꝙ intelligi esset finis earū, sufficit earum intelligibilitati, vt à seipsis intelligātur: nō enim sequitur, ab intellectu humano non intelliguntur, ergo à nullo: sicut non valet, sol non videtur à noctua, ergo à nullo visu. Idcirco Ioannes de Gandauo in tertio de anima, dupliciter probat illam consequentiam. Primò dicens, quòd Commentator non supponit, quòd finis substantiarum separatarum sit intelligi à nobis: sed supponitur quòd intelligentiæ ex se sint intelligibiles ab intellectu nostro, cùm contineantur sub eius obiecto primo, scilicet ente: & tunc bene sequitur, intelligentiæ sunt ex se naturaliter nobis cognoscibiles, ergo intellectus noster naturaliter natus est eas intelligere: naturaliter enim actiuo quale est intelligentia debet correspondere naturale passiuum quale est intellectus, aliter potentia actiua esset frustra in natura. Secundò deducitur ab eodem illa consequentia: quia etsi intelligentiarum finis primarius non sit intelligi ab intellectu nostro, est tamen earum finis secundarius. Agunt enim prima intentione propter se: secūdario autē propter alia. vt dicitur secūdo cæli, Com. 21. & ideo sequitur ꝙ intelligentiæ saltē quo ad finem secūdarium essent frustra: & sic natura fecisset aliquid ociosè. Propterea, inquit, consequētia Com. est vna propositionibus per se notis: & non est derisibilis. Potest adhuc tertiò deduci illa consequentia ex dictis Com. 3. de anima. Commen. 36. vbi examinans rationem Thæmistij, dicit quòd si intellectus noster est immaterialis, cōsequentia ista tenet, intellectus noster intelligit res sensibiles factas immateriales, ergo intelligit res secundū se immateriales. Et fundatur hoc dictum super verbum Arist. tertio de anima. tex. Commē. 7. dicentis, quòd intellectus excellenti intelligibili appræhenso vigoratur ad altius intelligendum. Ex quibus habetur in proposito, quòd immaterialitas est sufficiens causa virtuti cognoscitiuæ, ꝙ intelligere possit substantias separatas. Vnde sic probatur consequentia, Intelligentiæ non sunt ab intellectu nostro cognoscibiles, ergo à nullo alio sunt cognoscibiles, ergo frustra sunt cognoscibiles: sicut sol frustra esset visibilis, si à nullo posset videri. Prima consequentia tenet ex eo quòd si immaterialitas non dat intellectui nostro illas intelligere, nulli hoc dabit: quia iam declaratum est immaterialitatem esse sufficientem causam huius: sicut quia sensitiuum est sufficiens causa sensus tactus, si positum in vna specie animalis non daret tactum, nulli alij hoc daret. Secunda consequentia clara est exemplo. Quilibet ergo intellectus potest substantias separatas cognoscere ex sua immaterialitate: plus tamen & minus, secundum quòd plus & minus perfectionis habent. Hæc de secundo.

Com. 21.

Com. 36. ante me. co. 3. fi. et 4. in pri. T. c. 7.

QVO AD Tertium arguitur contra hanc opinionem dupliciter. Et primò probatur, quòd talis continuatio posita non perducat intellectum possibilē, vt nobis appropriatum ad intelligendas substantias separatas: id quod continuatur intellectui agenti non nisi vt formæ intellectorum speculatiuorum non potest per illū intelligere substātias separatas quidditatiuè, sed intellectus possibilis, vt appropriatus nobis cōtinuatur intellectui agēti non nisi vt formæ intellectorū speculatiuorū, ergo intellectus possibilis vt appropriatus nobis per talem continuationem non potest intelligere substantias separatas quidditatiuè. Maior probatur, supponendo ꝙ intellectus agens habet proportiones diuersorū ordinum ad superiora & inferiora, substantias immateriales scilicet, & intellecta speculatiua. Ad superiora enim cōparatur vt cōtemplatiuus, & non vt corū forma: ad inferiora verò, vt factiuus & forma. Hoc stāte patet visi maioris. Quandocūq; enim aliquod vnū habet diuersi ordinis proportionē ad diuersa, id quod continuatur ei, secundum ꝙ habet proportionē ad inferiora, ex hoc nō cōtinuatur secūdū quod habet proportionē ad superiora. Cōmittitur eñ manifestè fallacia accidentis, ex vno aliud cōcludēdo. Id ergo quod continuatur intellectui agenti vt formæ intellectorū speculatiuorum, non ex hoc continuatur ei, vt contēplatiuo substantiarum immaterialium. Minor verò ex Commentatoris dictis habetur, nullum alium modū ponentis in proposito, quo continuetur possibilis cū agente, nisi per intellecta speculatiua: vnde dicit ꝙ cùm est in pura potētia ad intellecta speculatiua, est & in pura potētia ad intellectum agentē: cùm verò partim est in actu, & partim in potentia respectu illorū, est etiam sicut respectu istius: & cùm fuerit totaliter in actu secundum intellecta speculatiua, erit totaliter copulatus intellectui agenti.

Quòd cōtinuatio itellectus agētis nō perducat itellectū possibilē ad cognitionem quidditatiuā substantiarū immaterialiū.

Positio quòd intellectus possibilis intelligeret quidditatiuè substantias separatas p itellectū agētē sibi copulatū: adhuc nos nō intelligeremus ipsas. com. 18. circa medium. cō. 30. in princ. & circa medium.

¶ Secūdò probatur, ꝙ posito, ꝙ talis continuatio ad hoc perduceret intellectum possibilem, nunquā tamen nos ad hoc perducere potest: & arguo sic, Id quod continuatur intellectui agenti, non nisi vt coloratum lumini, & intellectui possibili non nisi sicut coloratum visui: non potest denominari operās propria operatione luminis, vt visus seu intellectus agentis, aut possibilis, sed hoc, phātasians habet huiusmodi continuationē cum his intellectibus, ergo non potest denominari faciens intellecta, & intelligēs substātias immateriales, quę sunt operationes intellectus agentis, nec intelligens res sensibiles, quæ est operatio intellectus possibilis. Minor est nota ex terminis. non enim potest verè dici, ꝙ coloratum illuminet, aut videat. Minor autē patet ex tertio de anima, text. com. 18. & 30. Nec obstat aliquo modo similitudini datæ, ꝙ homo proprio actu cogitatiuæ spiritualizat phantasmata. Coloratum verò nō spiritualizat colores. Quoniam si fingamus coloratum in seipso non posse obijci oculo, neque lumini, sed spiritualizatum tantùm in speculo, ꝙ propria operatio speciem in se colorati spiritualizaret, similitudo curreret quatuor pedibus: & tamen tale speculum obiectum lumini & visui non verè posset de nominari illuminans, neque videns. & hæc ratio apparet mihi demonstratiua: & alias si Deus concesserit nobis vitam, eius efficaciam plenius ostendemus. Hæc de tertio.

Considera virtutē huius rōnis & videbis quātū valet cōtra errorem Auerro. soluūtur ratio. Auerr.

Ad primam immediatè suprà.

QVO Ad quartum. Ad primam rationū Auerrois, dicitur ꝙ Maior est vniuersaliter falsa, si teneatur, vt teneri debet ad hoc, ꝙ intentum concludat. Debet enim vniuersaliter teneri, nedum subiectum, sed etiam prædicatū hoc modo, Omne quod mouetur ad acquirendam aliquā formam, illa perfectè acquisita potest operari omni operatione propria illius formæ, aliter non cōcluderet. patet autem hāc esse falsam, ex eo ꝙ sufficit, ꝙ id quod acquisiuit aliquam formam, participet aliquam operationem illius formæ: illam scilicet, quæ conuenit formæ secundum id, quo recipit receptiuum: & ratio huius est assignata in prima ratione contra Auerroim facta, quia scilicet nō oportet rem continuatā formæ habenti diuersas proportiones ad inferiora & superiora, ex hoc ꝙ perfectè continuatur ei secundū inferius, ꝙ continuetur ei secūdū superius. vnde ex hoc, ꝙ intellectus possibilis acquisiuit intellectum agentem, vt formam, licet sequatur, ꝙ possit operari operatione intellectus agentis, vt est forma intellectorū speculatiuorum, quia vt sic acquiritur, scilicet formare intellecta in actu, & extendere se ad omnia intelligēdo, ad quę se extendit intellectus agens vt factiuus: non tamen sequitur, quòd possit omnia intelligere quæ respicit intellectus

Universidad de Deusto Biblioteca

agens, vt contemplatiuus.

Ad secundam. ¶ Ad secundam rationem respondetur negata cõsequentia, & ad primam probationem dicitur, cp cõmittitur fallacia consequentis à superiori ad suum inferius affirmatiuè: concesso enim cp intelligentiæ sunt cognoscibiles ab intellectu nostro: quia continentur sub eius primo obiecto, non sequitur, ergo sunt à nobis intelligibiles quidditatiuè. Non enim omne cõtentum subente est quidditatiuè à nobis intelligibile: eo cp ens, licet sit obiectum adæquatum intellectui nostro extensiuè, non tamen est adæquatũ adæquatione mutua intensiuè, & est dicere, cp licet omne ens possit à nobis intelligi: non tamen omne ens potest à nostro intellectu penetrari vsque ad vltimas differentias, hoc enim modo quidditas rei materialis est, obiectũ adæquatum intellectus nostri: scilicet adæquatione intẽsiua, solam nãque eam & omnem intellectus noster natus est intelligere quidditatiuè.

¶ Ad secundum modum deducendi consequentiã similiter respondetur, licet enim detur, quòd intelligi à nobis sit finis secundarius intelligentiarum: non tamen valet, ergo intelligi quidditatiuè à nobis est finis secundarius: imò hoc est impossibile.

¶ Similiter ad tertium modũ dicitur, cp licet immaterialitas sit sufficiens causa virtuti cognoscitiuæ, cp possit intelligere substãtias separatas: non tũ valet, ergo ex immaterialitate habet, cp possit cognoscere eas quidditatiuè.

¶ Autoritas autem Aris. adducta, cùm rectè intelligitur, non obstat. Aduertendũ est enim, sensum respectu excellentis sensibilis, duo sortiri, & cp scilicet non perfectè cognoscit illud, & cp patitur passione corruptiua ab illo: intellectus autem respectu excellentis intelligibilis primum tantum habet, scilicet cp perfectè non intelligit illud, passionis enim expers est: & ratio est, quia secũdum sequitur materiam, cuius actus est virtus sensitiua, non autem intellectiua: primum verò sequitur improportionem potentiæ ad obiectum, quæ saluatur ita in virtute immateriali, sicut materiali. Sicut enim noctua ex sua specie visum improportionatum claro lumini habet, ita homo ex sua natura intellectum improportionatum claro lumini habet, ita homo ex sua natura intellectum improportionatũ claro intelligibili separato: scilicet secundum rem à materia. Conueniunt ergo intellectus & sensus in primo, sed differunt in secundo. Ex qua differentia Arist. ibi dicit oriri, cp sensus post excellens sensibile sensatum debilitatur: intellectus autem post excellens intelligibile intellectum non alteratur, magis potest intelligere alia, cp intelligendum est secundum modum sibi possibilem. Ex hoc autem nõ licet inferre, ergo potest quidditatiuè cognoscere substantias immateriales: sed, ergo non procedit ex eius alteratione, cp illas non possit comprehendere quod gratis concedimus: habet enim homo intellectum ratiocinatiuũ qui oritur in vmbra intelligentiæ apud Isaac: & ideo proportionatus naturaliter ad intuendum intelligibile non purum & clarum, sed obumbratum materiæ: quale est quidditas à sensibilibus abstrahibilis. Hæc de quarto.

Tertio de anima. T.c.7.

T.c.17.

QVO AD Quintum ponenda est opinio sancti Tho. quam ex prima parte, q. 88. & tertio contra Gent. c. 45. & 2. Meta. assumo. Tenet ipse hãc cõclusionem, Anima humana corpori coniuncta non potest quidditatiuè cognoscere substantias immateriales quæ ad præsens dupliciter probatur. Primò sic, Intellectus existens in potentia non nisi ad recipienda intellecta abstracta ab intellectu agente, non potest intelligere quidditatiuè substãtias immateriales: intellectus humanus est huiusmodi, ergo. Maior ex terminis patet: oppositum enim prædicati infert oppositum subiecti. quod enim potest intelligere substantias separatas quidditatiuè, non est tantũ in potentia ad recipienda abstracta ab intellectu agente, quoniã substantiæ separatæ non sunt abstractæ à materia per operationem intellectus agentis. Minor ex Arist. colligitur. 3. de anima. tex. com. 17. vbi dicitur, cp intellectus agẽs potest omnia facere, quæ intellectus possibilis potest fieri.

Opi. san. Th. 1. parte. q. 88. artic. 13. contra Gent. ca. 45. & 2. Metaph. circa tex. com. 1.

¶ Secundò probatur sic, Nullus effectus sensibilis potest ducere quidditatiuam cognitionem substantiarum separatarum, ergo intellectus humanus coniunctus corpori, non potest quidditatiuè illas cognoscere. consequentia tenet: quia nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu. Antecedẽs verò probatur ex eo quòd effectus dupliciter potest in cognitionem quidditatiuam suæ causæ ducere. Vel per modum similitudinis: sicut effectu vniuoco cognito, eius causam quidditatiuè cognoscimus: propterea quia sunt eiusdem naturæ: & hoc modo clarum est nullũ sensibile posse perducere ad substantiarum immaterialiũ naturas, eo quòd differunt non solùm specie, sed genere. Alio modo effectus ducit in quidditatiuam cognitionẽ suæ causæ nõ per modum similitudinis, sed per hoc, quòd demonstrat totam virtutem suæ causæ. Sicut intelligere ostendit totam virtutem animæ intellectiuæ: & ideo ex tali operatione in eius quidditatiuam cognitionem procedimus. Nec hoc modo sensibilia valẽt ad cognitionem quidditatiuam intelligentiarum nos perducere. Nullus enim effectus particularis adæquat totam virtutem causæ virtualis, quodlibet autem sensibile est effectus particularis vt materiales conditiones earum cuiusque ostendunt: igitur per nullum sensibile in quidditatiuam cognitionem substãtiarũ materialium, quæ causæ vniuersalissimæ sunt peruenire possumus, &c. Hæc de quinto.

Ioan. de Gan. q. 37. ante medium. Primo.

Capit. 9. Capit. 8. Secunda.

QVO AD Sextum contra hanc determinationem arguit supradictus Io. de Gandauo in tertio de anima, multipliciter.

¶ Et primò contra illam particulam in conclusione posita coniuncta corpori. Nulla forma impeditur à sua nobilissima operatione propter vnionem eius ad propriam materiam: sed intelligere substãtiarum separatarũ quidditates est nobilissima operatio animæ humanæ, vt patet 1. & 10. Ethic. Corpus autem humanum est eius propria materia, ergo anima humana propter vnionẽ ad corpus nõ impedit à speculatione substãtiarũ immaterialium.

¶ Præterea ad idem, Anima humana aut nata est intelligere substantias separatas per suam substantiam, aut per speciem influxam, aut per speciem causatam ex phantasmate. Si per suam substantiam, cùm substantia eius per vnionem ad corpus non impediatur, poterit eas intellegere: si per speciem à phantasmate sumptã, vnio ad corpus iuuabit: si per speciẽ influxam, quæritur quomodo vnio ad corpus impedit, aut non permittit talẽ influxum fieri enim: hoc nõ videtur rationabile aliquo modo esse, quia generatio vnius speciei non impeditur à corpore, nisi corpus habeat contrariam dispositionem dispositioni requisitæ ad eius generationem. Verbi gratia, quia color exigit diaphaneitatem in aere, ad hoc vt recipiatur in eo, nullũ corpus impediet generationem speciei coloris, nisi habeat opacitatem quæ contraria est diaphaneitate, modò corpus humanum nullam habet dispositionem contrariam dispositioni, quam exigit receptio speciei intelligibilis influẽdæ, vt patet. ergo. Et confirmatur ratio sic, Bonũ simpliciter alicuius naturæ non impeditur propter bonum simpliciter eiusdem naturæ. Quod enim impedit bonum simpliciter alicuius naturæ est illi malum simpliciter: sed intelligere substantiarum immaterialium quidditates, est bonum simpliciter animæ humanæ: ergo non impeditur per vnionem ad corpus, cùm hoc sit ei etiam bonum simpliciter. Tertiò arguitur contra conclusionem ipsam ex dictis san. Tho. sic, Isti dicunt cp cognoscimus esse intelligentiarum non quidditates, aut esse est idem quod quidditas aut diuersum. Si diuersum: ergo vtrunque sub nostra cadit cognitione, quicunque enim cognoscit diuersitatẽ aliquorũ, cognoscit extrema illius diuersitatis, vt dicitur secundo de anima. tex. com. 146. Si idem, ergo cognito vno cognoscitur & reliquum.

Cõfirmatio.

Tertia.

T.c.146.

¶ Si dicatur cp cognoscimus illas quidditates. sed non perfectè, cõtrà, Primo quia hoc repugnat duobus dictis Thomistarum, quorum primum est, cp nos non intelligimus quidditates substantiarum separatarum. Secundum est, cp cognoscimus esse illarum non quidditates. Ex primo arguitur sic, Homo non intelligit quidditates separatas: ergo nullo modo intelligit eas. Tenet consequentia per locum à toto in modo ad suam partem negatiuè. Ex secundo dicto arguit sic, Ea cognitio negatur de quidditate, quæ affirmatur de esse, sed esse non cognoscitur à nobis, nisi imperfectè: ergo cognitionem etiam imperfectam negare intẽdunt de quidditatibus. Si enim vtrunque imperfectè cognoscimus, quare magis alterum negatur cognosci, aut alterũ affirmatur: secũdò probatur, cp respõdeo in se sit falsa sic, Si imperfectè cognoscimus quidditates illas, aut hoc est, quia nescimus eas ita perfectè sicut à seipsis cognoscuntur: & hoc non: quia hoc est ridiculum vertere in dubium, aut quia nescimus eas perfectione debita nobis secũdum nostram naturam: & hoc est voluntarium: nulla enim ratione hoc cõuinci potest.

test. vnio nanque ad corpus hoc impedire non potest, vt probatum est. Hæc de sexto.

1. par. q. 88. ar. 1. & q. 89. art. 1. & 2.

QVO Ad septimum pro responsione ad hæc argumenta prænotandum est, cp secundum doctrinam S. Th. prima Parte, q. 88. & 89. inter cognitionem animæ coniunctæ & separatæ hoc interest, cp coniuncta sicut habet modum essendi, concernendo corpus, ita habet modum intelligendi, concernendo se ad phantasmata: ita cp ex conformitate modi operandi ad modum essendi, fit vt anima coniuncta sit conuersa ad phantasmata secundum intellectum possibilem, vt passiuum ad actiuum: adeò vt non sit ab illis cũ intellectu agente recipere possit species. Separata autem à corpore, sicut habet alium modũ essendi absq; corporis informatione, ita habet & alium modum intelligendi, vt etiam ex conformitate modi operandi ad modum essendi fiat, vt anima separata conuertatur secũdum intellectum ad superiora vt actiua, vt ab eis influxum speciẽrum recipiat, vtpote in modo essendi similis illis reddita, & corpore relicto liberior quodammodo facta amplius phantasmatibus non alligata.

Differũtia separata & cõiuncta. Primo.

Secundò. ¶ Ex hoc autem oritur alia differentia, cp scilicet anima coniuncta non potest substantias immateriales cognoscere, nisi per species à sensibilibus acceptas. Alligatus est enim eius intellectus phantasmatibus Separata verò potest illas per species proprias cognoscere, cũ conuersa iam sit ad superiora.

Tertiò. ¶ Nascitur quoq; ex his tertia differentia apud subtiliter speculantes animam esse partem speciei & vniri corpori propter melius: quia scilicet cognitio, quam habet anima per species acquisitas est cognitio distincta, & quidditatiua pertingens vsq; ad vltimas rerũ differentias. Cognitio autem, quã separata ex speciebus influxis sortitur, confusa est, & in communi res notificat. Cũ enim anima naturaliter sit pars hominis, naturalem modum intelligẽdi ex propria natura sibi vẽdicat per species acceptas à phãtasmatibus intelligere, et nõ per species influxas: hũc enim modus intelligẽdi naturalis est in intelligẽtijs ex sua natura. & ideo sicut intelligentiæ perfectam rerum notitiã per species influxas habẽt: sic anima per species acquisitas de sensibilibus notitiam habere potest perfectã, species enim influxæ facultatem naturaleq; intellectus eius excedunt. Est hic modus superiori ordini connaturalis & proprius, & animæ non conuenit nisi per quandam defectiuã participationem. Cùm sit præterea talis inter substantias intellectuales ordo, cp quò proximiores sunt primæ omnia per solam suam substantiam intelligendo penetranti, eo per vniuersaliores species rerum notitiam perfectã naturaliter capiunt: vltima inter eas anima, scilicet intellectiua ex natura sua, adeò dearticulatas exigit species, vt singularum quidditatũ singulas oporteat habere similitudines, propter quod & corpori vnitur, vt eas inde accipiat: & ideo vis eius intellectiua, cùm per species superiores, quales sunt influxæ, intelligere cõtat, opprimitur quodãmodo, & cõfusam tantùm notitiã habet, sicut discipulus vniuersales conceptus præceptoris apprehendere non valens absq; distincta cognitione remanet. Huius autẽ signũ est, cp inter homines, qui sunt perspicacis ingenij, statim propositis principijs ad cõclusiones sese cõferunt, & ex eisdẽ principijs multas cõclusiones sagãles deducũt. Habetis autem ingenij non nisi principijs applicatis à præceptore ad singulas conclusiones & in forma syllogistica, & cum exemplis materialibus distinctam percipiunt veritatem.

¶ Ex his iam potes intelligere, cp anima nec coniuncta, nec separata quidditatiuam cognitionẽ substantiarũ immaterialium habere naturaliter potest: & quod plus est, habes ex his, cp aia separata per species influxas nec bonũ nec leonem quidditatiuè cognoscit, sed omnia præter sui ipsius naturam in communi nouit. Vbicunq; autem alibi inuenies à sanct. Tho. dici, cp anima separata quidditates substãtiarum immaterialium nouit, &c. recolito ab ipso vocari cognitionem quidditatiuam cognitionem eam, quam habet de illis anima separata per proprias species, quam habere non potest.

Ad primam. Capit. 9. Capit. 8. Vt ipsamet in. testatur. in q. 87. 3. de aia. Ad secundam alia sol.

AD Rationem igitur primã dicẽdum est, cp licet intelligere substantias immateriales sit nobilissima operatio animæ intellectiuæ, intelligere tamen eas quidditatiuè est operatio sibi impossibilis: nec Arist. in primo, aut 10. Ethi. dixit oppositũ: imò quæstio mota ab ipso in tertio de anima text. com. 36. nusquã soluta reperitur. Posuit enim fœlicitatem humanã in cõtemplatione substantiarum separatarum nobis possibili, quæcunq; sit illa. Similiter dicitur ad secundam, cp vnio animæ ad corpus nõ impedit cognitionem quidditatiuam substantiarum immaterialium: quando quidem illa animæ secundum omnem naturæ statum est impossibilis. Quòd si hæ duæ rationes fermentur ad concludendum animam vnitam posse habere talem notitiam substantiarum immaterialium, qualem per earum species separata habet. Respõdeatur ad primũ negando, cp intelligere substantias immateriales tali modo fit nobilissima simpliciter operatio animæ, licet sit nobilissima secundum quid: maiorem enim perfectionem simpliciter ponit in anima intelligere substantias sensibiles, distinctè & quidditatiuè: & substantias immateriales per effectus sensibiles & communia, cp intelligere ea in confuso: licet sit secundum quid nobilior illa confusa intellectio ex hoc cp est per earũ species & immaterialiori modo. Vnde dico, cp non inconuenit animam nostrã impedi, ab operatione nobilissima secũdũ quid propter perfectionem sibi nobilissimam simpliciter acquirẽdam ex vnione ad propriam materiã: vnde non sequitur vnionem esse præternaturalem, sed naturalissimã, vtpote propter perfectionem suam simpliciter: & præsertim quia cognitio illa, quam habet separata est sibi quasi præternaturalis, sicut & modus essendi, quem habet, &c.

Ad primũ. Ad secundum.

¶ Ad secundam dicatur, cp impeditur anima ex vnione ad corpus, ad receptionem talis influxus ex hoc, cp modũ essendi in corpore sequitur modus operandi non nisi per conuersionem ad phantasmata: naturalis enim conuersio animæ ad phantasmata est impeditiua conuersionis ad superiora. probatio autẽ cõtra hoc nihil facit: cõtingit enim alio modo impedimentũ dari, vt iam patet. Ad confirmationem dicitur, cp Minor est falsa. Intelligere enim substãtias immateriales tali modo est bonum animæ secũdum quid, & non simpliciter: vnio verò ad corpus cum sequẽtibus ipsam, est bonum eius simpliciter.

Ad confirmationẽ.

¶ Ad tertium dicitur, cp siue esse & essentia distinguantur, siue sint idem, non variatur propositum: in deo enim sunt idẽ, & in alijs intelligẽtijs distinguuntur, & tamen eandem de vtrisq; proferimus sententiã. dicẽtes cp cognoscimus eos, non quidditatẽ. Rũsio ergo ibi data vera est: quia dicitur, cp cognoscimus quidditatẽ imperfectè. Nec hoc repugnat dictis Thomistarum. Nõ quia primo: qa illud debet intelligi de cognitione quidditatiua, & nõ de quacũq; cognitione: vũ nõ valet, ergo nullo modo cognoscimus: sed, ergo nullo modo cognoscimus quidditatiuè.

Ad tertiũ.

¶ Secundo autem dicto nullatenus aduersatur. Cũ enim dicimus, cp cognoscimus esse & nõ quidditatem, assueti Peripateticis sermonibus, intendimus, cp scimus de illis terminare quæstionem an est, quæ de esse querit: & cp nescimus de eis terminare quæstionem quid est, quæ quidditatem scrutatur: & si secundum aliquod prædicatũ quidditatiuum terminare illam nouerimus notitiam illã (quia & non quidditatiuam vocamus) sequentes Aristo. vestigia, qui notitiam rei per cõia, notitiam quia in posterioribus Analyticis appellat. Et ppter hoc ea notitia proportionaliter negatur de quidditate à Thomistis in propositio, quæ affirmatur de esse: quia notitia de propria quæstione quidditatis nõ habere dicitur, notitia verò de propria quæstione ipsius esse non caremus.

Secundo. Poste. 1. tom. 8.

¶ Ad vltimũ, quo probatur, cp responsio sit falsa in se: dico, cp ideo dicitur intellectus noster imperfectè substãtias immateriales cognoscere: quia non quidditatiuè põt eas apprehẽdere, & magis imperfectè in hac vita: qa per species aliorũ. Et licet primo modo eas cognoscere sibi ipsis tantũ conueniat, & rideãdum esset dubitare an id, quod conuenit solis intelligẽtijs, cõueniat alijs: necessarium tũ est dubitare, an cognoscere eas quidditatiuè sibi solis, an etiam animæ nostræ conueniat, cp secundo modo eas cognoscere sit nobis in hac vita impossibile, nõ voluntarie, sed ratione cogente dicitur. Corpus enim vnitum animæ animam ad sensibilia conuertit: vt declaratum est, &c.

In. q. In separatis sub stãtijs genus sumitur nõ à materia, se à tota essẽtia vt alteri assimilatur differentia verò ab eadẽ, vt ab altera diuersa est, non autẽ à forma quæ sit altera pars cõpositi. Quinto. Meta. 6.

Hoc tamen sciendum, quòd non eodem modo sumitur genus & differentia in illis substantijs & in substantijs sensibilibus. Quia in sensibilibus genus sumitur ab eo, quod est materiale in re: differentia verò ab eo, quod est formale in ipsa. Vnde dicit Auicẽ. in principio libri sui de Anima, quòd forma in rebus cõpositis ex materia & forma est differẽtia simplex eius, quod constituitur ex illa: non autem

Universidad de Deusto Biblioteca

ita, quòd ipsa forma sit differentia, sed quia est principium differentiæ, vt idem dicit in sua Metaphy. & dicitur talis differentia esse differentia simplex, quia sumitur ab eo, quod est pars quidditatis rei, scilicet à forma. Cùm autem substantiæ spirituales sint simplices quidditates: non potest in eis differentia sumi ab eo, quod est pars quidditatis, sed à tota qdditate. *In prin.* & ideo in principio de anima dicit Auic. quòd differentiam simplicem non habent, nisi species, quarum essentiæ sunt compositæ ex materia & forma. Similiter etiam in eis ex tota essentia sumitur genus, modo tamen differenti: vna enim substantia separata conuenit cum alia in immaterialitate. Differunt autem abinuicem in gradu perfectionis secũdum recessum à potentialitate & accessum ad actum purũ. Et ideo ab eo, quod sequitur illas, inquantum sunt immateriales, sumitur in eis genus, sicut intellectualitas, vel aliquid huiusmodi: ab eo autem, quod sequitur in eis gradum perfectionis, sumitur in eis differentia, nobis tamen ignota.

Nota, quod in substantia cõmuni 4. reperiunt.

¶ Ponitur hîc secundum notatũ, quo vnde sumatur differenti[a], & vñ genus in substantijs immaterialibus, declarat opposita comparatione ad substantias sensibiles.

¶ Ad cuius euidentiam scito, ꝙ in rebus compositis ex materia & forma quatuor intelligũtur, scilicet materia, quæ est altera pars cõpositi specifici, forma reliqua pars: tota quidditas vt habet rationem perfectibilis vlteriori perfectione formali, & ipsamet tota quidditas, vt habet vltimam perfectionem formalem. verbi gratia, in homine potes considerare materiam, in qua sua forma recipitur, & formam in illa receptam. Aduertes etiã ipsum hominem, inquantũ est substantia: est enim homo substantia, & vt substantia habet rationẽ perfectibilis per corporeum, per rationale, &c. Aduerte etiã hominem, inquãtũ est rationalis naturæ, quæ est vltima eius perfectio formalis. Hęc autẽ quatuor ita se habent ad genus & differẽtiã, ꝙ & materia, quæ est pars, & ipsum totũ, & perfectibile fundant genus, diuersimodè tamen. Forma verò, quæ est pars & ipsum totũ vt posteriori perfectione formali perfectum fundant differentiam diuersimodè etiã. Cũ enim genus potestate contineat differẽtias, incompleteq; ac in potentia rei naturã explicet, totũmq; secundũ id, quo adhuc perfici potest importet, radix autẽ potentialitatis in rebus sensibilibus sit: materia meritò à toto, secundum ꝙ possibile est formaliter perfici, & à materia ipsa sumi dicitur. Similiter cùm dicere sit diuidere, terminare, & actuare genus totũmq; secundũ posteriorem perfectionem & actualitatem explicare, radix autem actualitatis & perfectionis sit forma: meritò à toto secundum ꝙ perfectũ est, & à forma differẽtia sumitur. Diuersimodè verò fundãt genus & differentiam partes ipsæ rei, materia scilicet & forma: & quidditas tota vt perfectibilis & perfecta. Sumitur enim genus à tota essentia, vt habet rationẽ perfectibilis, tanquã à re formaliter significata seu denominata ab ipso: à materia verò tãq; à radice sui formalis significati. Similiter differentia sumitur à tota essentia, secundum vlteriorem perfectionẽ, tanquã à re formaliter significata seu denominata ab ipsa: à forma aũt vt à radice sui formalis significati: nõ enim materia, quæ est pars hominis, denominatur eius genus: neq; forma differentia, sed ipse homo vt substantia, vt animal generis denominationem sortitur, vt corporeus vt rõnalis differẽtiæ denominationẽ habet. Et propterea quia genus & differẽtiã radicaliter fundãt materia et forma: ideo ab Ari. 7. Meta. tex. cõ. 33. dicitur, ꝙ sicut se habet tota rõ ad totã rem, sic pars rõnis ad partẽ rei & 8. Meta. tex. cõ. 9 inuenies genus sumi à materia, & differentiã a forma. Præterea, & Cõmẽ. secũdo cæli com. 49 ait, ꝙ si corpora cælestia cõueniunt in genere, & differunt in specie, sunt cõposita ex materia & forma. Inuenies quoq; quia genus & differẽtia à tota essentia sumũtur, vt à re significata noĩe primæ intẽtionis, & denoĩata noĩe secũdæ intentionis, & non à parte: illustres viros dicere quandoque quòd genus non sumitur à materia: & differentia non sumitur à forma: quorum cũ intuitus fueris rationes, supradictis nõ aduersari videbis.

Genus sumitur à toto cõposito & p[ar]te materiali.

Differẽtia sumitur à toto cõposito & p[ar]te formali.

T. cõ. 33. *T. cap 9.* *Cõ. 49.*

Quæ cùm ita sint in substantijs materialibus ad substantias immateriales ascẽndẽdo, genus sumi nõ dicimus à materia, nec differentiã à forma, quia carẽt his partibus: vnde restat, vt a tota essentia tam genus, quam differentia non solùm formaliter, sed etiam radicaliter in eis sumatur. Propterea & Aui. vt in litera dicitur, assignat diuersitatem inter differentiam substantiarum compositarum & simplicium. dicens quòd differentia in speciebus compositis ex materia & forma est simplex. Differentia verò rerum non compositarum, non: & vocat differentiã simplicem eam quæ nõ à toto radicaliter, sed à parte eius exit quæ simplex est. Sumuntur ergo ex tota essentia in substãtijs immaterialibus genus & differentia, sed differenter: quia genus sumitur ex tota essentia secundum id quo essentialiter vna alteri assimilatur, cõueniũt enĩ intelligẽtiæ in aliquo prædicato quidditatiuo. Differẽtia verò sumitur à tota essentia secũdũ id, quo vna differt substãtialiter ab alijs: & hic est certus formalis perfectionis gradus indiuisibilis formaliter, quãtò aliqua intelligẽtia ꝓximiori purissimo actui deo glorioso sortita fuerit: tantò pfectior erit: ꝑ hoc enĩ differũt inter se, ꝙ vna altera propinquior est actui puro & plus à potentialitatis natura recedit.

Genus et differentia i[n] simplicibus sumitur à tota quidditate.

AD MAIOREM Horum intelligentiam altius exordiendum est. Sciendum est nanq; quòd aliud est loqui de genere & differentia simpliciter, & secundum ea quæ sibi accidunt, & per se conueniunt: aliud est loqui de eis, secundum quod ad tales naturas applicantur. Si enim loquimur de eis secũdum se: sic ad vtriusque generis. scilicet & differentiæ rationem exigitur, & sufficit ꝙ differentia quidem explicet certum & limitatum gradũ entis non extraneæ naturæ à natura generis cuius est diuisiua formaliter: genus verò explicet certã naturã determinabilem formaliter. Et primũ quidem horũ quæ de differẽtia dicimus, sequitur ex eo ꝙ differẽtia adueniẽs generi constituit speciẽ & ponit ipsam in determinato gradu entis, illo scilicet quẽ explicat. vnde 8. Metaph. cõ. 10. species numeris assimilantur: eo ꝙ, sicut numeros subtracta aut addita vnitas variat, sic differẽtia addita vel subtracta entibus ipsa diuersificat. Secũdũ autẽ sequitur ex eo ꝙ differentia diuersificare genus debet: ita vt nõ solũ ipsa species sit altera ab altera specie, sed natura generis in hac specie sit diuersa à natura generis in alia specie, vt 10. Metap. tex cõ. 24. habetur. Vnde in 11. de animalibus ait Aristo. ꝙ si debeat diuidi figura, differẽtia eius nõ erũt habere angulos ęquales duobus rectis: & habere angulos ęquales multis rectis: quia hæc accidẽtia sunt figuræ. Genus autẽ certã naturam significare oportet, vt trãscendẽtia excludãtur. Determinabilẽ verò formaliter vt specialissima segrẽgentur.

T. cõ. 10. *T. cõ. 24.*

Nota hic profundissima dicta & pulcherrima.

¶ Si autẽ loquamur de genere & differentia: vt applicãtur ad substãtias materiales: sic genus nõ solũ explicat, rem, & determinabilem formaliter, sed etiam radicabiliter sumitur à materia: & differentia similiter, non solũ significat determinationẽ & actuationem generis, sed sumitur radicaliter à forma: sed hæc accidunt generi & differẽtiæ ex eo ꝙ essentia, cuius sunt, est composita & realiter integrata ex duobus principijs, materia scilicet determinabili, & forma determinãte. Per se enim conuenit animali, ꝙ significet naturã sensitiuã determinabilẽ formaliter per rationale. Sed quia natura sensitiua habet, ꝙ sit determinabilis per rationale ex hoc ꝙ habet materiã: ideo accidit huic generi, ꝙ est animal, inquãtũ est genus ꝙ sumatur à materia: vnde si natura sensitiua esset determinabilis per rationale, & nõ ratione materiæ, nõ minus animal esset genus. Similiter rationale per se habet, ꝙ significet ratiocinatiuã pfectionẽ essentialiter determinatiuã naturæ sensitiuæ. Sed quia gradus intellectiuus habet ꝙ determinet sensitiuã ex eo, ꝙ anima intellectiua est forma corporis: ideo accidit huic differẽtiæ, scilicet rationale, inquãtũ est differẽtia, ꝙ sumatur à forma. Non minus enim rationale esset differẽtia si perfectior ratiocinatiua determinaret sensitiuã absque eo ꝙ informaret anima corpus. Propter hoc communiter ꝙ dicitur sumitur genus ab eo, ꝙ est materiale, potius q̃ à materia: & differẽtia sumitur ab eo ꝙ est formale, potius q̃ à forma. Illud cõuenit eis ꝑ se: hoc aũt ꝑ accidẽs. Cũ autẽ substãtiarũ immaterialiũ simplex essentia sit determinata, & diffinita ad certũ pfectionis gradũ, cũ infinitæ entitatis nõ sit: cõsequẽs est vt in ea sit vnde genus & differentia sumi queant. Ex hoc enim, quod natura limitata est, ex ipsa determinatione sumitur differentia. Ex natura autem

comm

cõmuni, quæ determinari intelligitur, sumetur genus. Ex eo verò, ꝙ simplex ex seipsa terminatur, ita ꝙ non habet duas partes reales, quarũ altera terminetur, & altera terminet: sicut substãtiæ sensibiles habẽt materiã & formã.

¶ Et sic in acceptione generis & differentiæ in substantijs materialibus saluatur id quod est per se, scilicet, quòd genus significet certam naturam formaliter determinabilem. Et differentia explicat determinatam perfectionẽ substãtialem formaliter constitutiuam illius in certo gradu entis, licet non saluetur id quod est per accidens, scilicet ꝙ genus sumatur à materia: differentia verò à forma.

AD PROFVNDIOREM Huius rei perscrutationem notandæ sunt tres propositiones. Prima est, ꝙ omne indiuiduum distinctum realiter à suo esse, habet plura prædicata quidditatiua: quorum successu magis ac magis appropinquat ad suum esse. Secũda propositio est ista, Inter prædicata quidditatiua supradicta talis est ordo, ꝙ tantò vnũquodq; est actualius, quò appropinquat ad esse: & tantò est potentialius, quantò remotius est ab esse. Declarantur primò exemplariter, deinde ratione propositiones istæ. Sortes distinctus realiter à suo esse existentiæ habet plura prædicata quidditatiua, scilicet substantiam, corpus viuum, animal, homo, & certum est, ꝙ Sortes inquantum substantia, valde elongatur à sua existentia: exigitur enim ad hoc, ꝙ Sortes sit non solũ ꝙ sit substantia, sed etiam ꝙ sit corpus. Cũ autem acceperis Sortẽ inquantum corpus, vicinior apparebit ad existentiam habendam, licet adhuc satis elõgetur ab illa. exigitur enim ad hoc, ꝙ Sortes sit, non solùm ꝙ sit substantia corporea, sed etiam ꝙ sit viuens. Et cum consideraueris Sortem vt viuum videbis magis appropinquare ad esse, tamen adhuc remotum: exigitur enim ad hoc, ꝙ Sortes sit non solũ ꝙ sit substantia animata, sed etiam ꝙ sit animal. Et cum inspexeris ipsum, inquantũ animal, proximiorẽ ad essendum inuenies, adhuc tamen remotũ ex eo, ꝙ exigitur ad hoc, ꝙ Sortes sit non solùm ꝙ sit substantia animata sensibilis, sed etiam rationalis (nihil enim potest in rerum natura sub aliquo genere contineri, quod nõ sub aliqua specie contineatur) cùm autẽ consideratus fuerit vt substantia animata sensibilis rationalis, tũc iam esse actualis existentiæ suscipere potest: nihil enim aliud formale intrinsecum exigitur ad hoc, ꝙ sit: licet requirantur causæ extrinsecæ & proprietas indiuidualis: vt conditio existentis. Patent autem adducta prædicata ita se habere, ꝙ semper id quod propinquius se habet ad existentiã, cõparatũ ad remotius se habet vt actuale ad potentiale: sicut homo ad animal, animal ad viuũ, viuũ ad corpus, corpus ad substantiam. Et ex consequenti id, quod proximius est ipsi esse, est actualius: illud verò quod remotius est ab esse est potentialius. & sic patet vtraque propositio exẽplariter.

Probantur rõne istæ secũdæ propositiones.

¶ Ratione autẽ probo cũ enim esse sit actualissimum omnium, quæ sunt in re, & tantæ actualitatis, vt nõ nisi cõpletæ essentię actus proprius sit, ad hoc ꝙ essentiæ eius receptiuum fiat: oportet intrinsecè completã & determinatã esse, sicut ad hoc, ꝙ aër recipiat lumẽ oportet prius, ꝙ perficiatur à diaphaneitate: terminatur aũt, perficitur, & completur substantia his prædicatis quidditatiuis: & ideo quantò prædicatum quidditatiuum erit magis essentiæ determinatiuũ, magis appropriabit ipsam ad hoc, ꝙ sit receptiuum propriũ ipsius esse. Et per oppositũ quantò prædicatum quidditatiuum est minus determinatiuũ essentiæ: tantò minus eam appropriat ad hoc, ꝙ capax sit ipsius existentiæ: & quia vnumquodque quantò est propinquius actualissimo, tantò est actualius, & quanto remotius ab illo, tanto est potentialius. Idcirco inter prædicata quidditatiua talis est ordo, quòd propinquius ipsi esse est actualius: remotius verò, potentialius.

Regula generalis à quo sumitur genus & differentia.

HIS Duabus propositionibus, postquam tertiã addideris, scilicet ꝙ genus sumitur ab eo, quòd est vt potentiale. Differentia verò ab eo, quod est vt actuale: conficietur regula generalissima, ꝙ genus & differentia in omnibus sumuntur à tota essentia rei secundum elongationem & propinquitatem ad ipsum esse existentiæ. Differentia enim vltima cùm sit constitutiua speciei: & propriũ illi inter entia gradum donet: vltimum complementũ ipsius essentię est, ad hoc ꝙ sit. Vltra eam enim (vt iam dictum est) indiuiduum nullum aliud complementum intrinsecũ expectat, vt sic. Genus quoq; generalissimum cùm essentiam maximẽ determinabiliter explicet, ab eo sumitur, quo essentia ipsa ab existentia magis est elongata: vtpote determinabilis & perfectibilis omnibus differentijs ad hoc, vt esse suscipere possit. Genera verò & differẽtiæ intermediæ ab intermedijs sumuntur (& propter hoc dicitur ꝙ diffinitio explicat diffinitum à prima potentia vsque ad vltimum actum) includit siquidem primum genus, quod sumitur ab eo primo essentia ipsa potest habere esse: & omnes differentias, quibus paulatim essentia determinatur & actuatur vsque ad vltimam differentiam quæ est actus vltimò determinans & perficiens ipsam, vt esse habeat, propterea & Porphyrius ait, quòd secundum interius perscrutantes differentia est, quæ concludit ad esse. Nec propter hoc quod diximus intendimus, ꝙ genus & differentia sumantur ab esse actualis existentiæ, scimus enim diffintiones abstrahere ab esse: sed intendimus, ꝙ genus & differentia sumuntur (vt verbis S. Tho. vtamur) ab ordine ad esse actualis existentiæ. Ab ordine autem dicimus non relatione ordinis, sed fundamẽto eius ab eo, scilicet quo essentia appropinquat vt receptiuum ad ipsum esse, & ab eo quo essentia elongatur ab ipso. Et secundũ hæc habes vnde in intelligentijs, substantijs materialibus, & accidentibus sumantur genus & differẽtia, vt facile est cuilibet exercitato deducere in singulis. Et propter hoc solus Deus caret genere & differentia: quidditas enim sua cùm sit sua existentia actualis, non potest concipi vt elongata ab existentia vel propinqua illi. Vnde sufficiẽtissimam causam S. Tho. in principio huius capituli assignauit: quare Deus non sit in genere, & intelligentiæ sint in prædicamento: quia ille est suũ esse, istarum autem essentia distinguitur ab esse proprio.

...ca de differentia.

Nec oportet has differẽtias esse accidẽtales: quia sunt secundum majorem & minorem perfectionem, quæ non diuersificat speciẽ. Gradus enim perfectionis, in recipiendo eandem formam, non diuersificat speciem, sicut albius, & minus album, in participãdo eiusdem speciei albedinẽ: sed diuersis gradibus perfectionis, in ipsis formis vel naturis participatis, diuersificat speciem, sicut natura procedit per gradus de plantis, ad animalia, per quædam, quæ sunt media inter animalia & plantas, secundum Philosophum, in lib. de animalibus.

¶ Hîc excluditur prima obiectio, dictum est enim, ꝙ differentiæ in intelligentijs sumũtur à diuersis perfectionis gradibus, quibus vna altera propinquior est actui primo. Contra hoc instatur sic, Quæcunq; differunt secũdũ actum perfectum, & minus perfectum, differunt solũ accidentalibus differentijs: intelligentiæ differũt non nisi secundum magis & minus perfectum, ergo differunt solũ accidentalibus differentijs. Processus bonus: cõclusio verò est falsa: ergo altera præmissarum, non Maior, vt probabitur: ergo Minor, quæ est positio supradicta. Probatio Maioris est: quia magis & minus non variant speciẽ: albedo enim perfecta & minus perfecta vnius speciei sunt, quæcunq; autem sunt eiusdem speciei accidẽtalibus solùm differentijs distinguuntur, cũ in omnibus essentialibus conueniant. Hanc obiectionẽ excludit hac pulchra distinctione, Perfectius & minus perfectũ possunt attendi vel penes modum habendi aliquam formam vnã simpliciter, vel penes ipsas formas habitas magis & minus. primo modo non variant speciẽ, sed secundo modo: quæcunq; enim ita se habẽt, ꝙ secũdum diuersos gradus perfectionis atomam suscipiunt formam, solo numero vt sic distinguũtur, vt patet de albo. vt 4. de albo, & 6. Ea verò quæ diuersos gradus perfectionis non eiusdem formæ, sed plurium formarum suscipiunt, essentialiter seu specificẽ distingui necesse est, vt patet de homine & boue. Vnde patet responsio ad obiectiones, ꝙ primo modo Minor est falsa, secundo modo Maior. Cuius probatio ideo videtur sine additione vulgata, quia comparatio denotata per ly magis & minus nõ fit propriẽ nisi in anatoma specie, vt dicitur septimo Phy. in com. 27.

Nec iterum est necessarium, vt diuisio intellectualium substãtiarum sit semper per differentias veras, quia hoc est impossibile in omnibus rebus accidere, vt Philosophus dicit, in vndecimo de animalibus. *T. c. 27.* *Cap. 30.*

¶ Hîc excluditur secunda obiectio. Obijcitur enim contra idem dictum sic, Vbicunque sunt verum genus & veræ species, ibi debet esse artificialis diuisio illius gene-

Universidad de Deusto Biblioteca

ris per duas veras differentias: sed in intelligentijs inuenitur verum genus & veræ species: ergo ibi debet esse diuisio per duas differentias veras: Conclusio est contra diuisionem supra assignatam, qua dictum est, Genus intelligẽtiarum descendit ad suas species per magis perfectum & minus perfectum: quæ non sunt veræ differentiæ. Maior verò probatur ex eo, quòd vbi verum genus cum veris speciebus inuenitur, oportet esse diuisiuas ipsius generis & specierum cōstitutiuas differentias: ex eo autem quòd diuisio est secūdū artē debet esse bimēbris, vt Boetius testatur. Hanc obiectionē excludit S. Th. dicens Maiorē esse vniuersaliter impossibilem secundum Arist. sententiā in 2. libro de animalibus.

In lib. diuisionū. Cap. 3.

AD CVIVS Euidentiam notandum, quòd cū veræ differentiæ appellentur differentiæ positiuæ non extraneæ contrariæ inter se conuertibiles cum his quorum sunt differentiæ: vt ibi dicit Arist. ca. 3. Genus illud, quòd plures duabus speciebus continet, immediatè non potest diuidi duabus veris differētijs, sed si veris differētijs diuidendum erit, potestatem eius euacuantibus, oportet quòd diuidatur pluribus duabus: & sic diuisio non erit bimēbris. si enim diuisione bimembri partiēdum erit, oportet alteram differentiam esse non veram: erit enim cum priuatione accepta alterius. Sicut si animal immediatè contineat hominem, bouem & leonem, oportet tribus veris differētijs diuidi vel altera vera, puta rōnali: altera nō vera, sed priuatiua communi reliquis duabus, puta irrationali. Quia igitur inueniūtur aliquæ res in mundo plures duabus contentæ immediatè sub aliquo communi formaliter diuisibili: ideo dicitur, quòd impossibile est vniuersaliter, quòd omnis diuisio fiat per duas differentias veras: & hoc in proposito nostro accidit. Cū enim intelligentiæ careant genere subalterno, vt S. Tho. in tractatu de natura generis, ca. 5. testatur, eo quòd perfectio earum ex pluribus coniunctionibus differentiarum nō consurgit, sicut perfectio specierum in istis inferioribus, quibus non sufficit genus commune & differentia, omnes immediatè sub vno genere cōtinebuntur: & sic genus earum, si veris differentijs ad illas descendere debet, oportet multimēbrem fieri diuisionē nobis ignotam: quòd si bipartita diuisione contrahendum erit, alteram simpliciter necesse est esse non veram: quia priuatiuam, alteram propter debilitatē intellectus nostri ad nullam propriam earum differentiā descendere potentis, necesse quoq; est esse non verā. Tales autem fuerunt differentia in litera assignatæ: scilicet magis perfectum & minus perfectum.

Cap. 5.

¶ Ex his iam patet responsio ad obiectionem, declarata impossibilitate Maioris vniuersaliter. Boetij verò dictū non obstat: quamuis enim dicat diuisionem omnem ad bimembrem reduci, non tamen dicit, quòd omnis bimēbris fiat per differētias veras inferiorum per illam diuisionem accipiendorum.

Tertio modo inuenitur in substantijs compositis ex materia & forma, in quibus & esse est receptum & infinitum propter quod & ab alio esse habent, & iterum natura vel quidditas earum recepta est in materia signata & ideo sunt finitæ & superius & inferius & in eis iam propter diuisionē materiæ signatæ possibilis est multiplicatio indiuiduorum in vna specie: & in his substantijs, qualiter se habeat essentia ad intentiones logicas suprà dictum est.

Capi. 4.

¶ In hac quarta & vltima parte huius capituli quatuor colligit de essentijs substantiarum compositarum. Primū est, quòd esse earū est limitatum: quia habet illud ab alio vt pote distinctū realiter à se: & per hoc primò distinguitur à primo ente cuius esse est infinitum, & idem realiter suæ quidditati.

¶ Secundum est quòd essentia earum est recepta in materia signata: sunt enim in hoc vel in illo, ad hîc & nunc determinatæ: sicut formale suum materiale.

¶ Tertium, quòd ex istis duobus corollariē sequitur, est quòd sunt finitæ superius & inferius. Superius quidem: quia habent esse limitatum, & essentia earum per ipsum esse, quod vt superius respicit, terminatur. Inferius verò, quia recipiuntur earum formę in materia, & ipsæ ad hoc & illud termināntur, quæ respiciunt vt inferius: per hoc q; in his & illis conditionibus materialibus recipiuntur tanquam in parte materiali.

¶ Quartum est, quòd essentia earum est multiplicabilis numeraliter in eadē specie propter materiæ signatæ diuisionem. Et per hæc tria differunt ab intelligentijs in secūdo ordine positis, quæ immunes à materia infinitæque inferius parem sibi nō compatiuntur. Et sic terminatur tractatus secundus huius libri.

CAPVT VII.

Quòd accidentia habeant essentiam incompletā ostendit. Varia item accidentia distinguit, & quomodo in ipsis inueniatur genus & differentia exponit.

Capit. 1. in fi. Accidentia habēt essentiā incōpletam.

NVNC Autem restat videre, qualiter essentia sit in accidentibus: quomodo autem sit in omnibus substantijs, dictū est. Et, quia, vt dictum est, essentia per diffinitionē significatur, oportet quòd eo modo habeant essentiam, quo habent diffinitionem. Diffinitionem autem habent incompletam, quia non possunt diffiniri, nisi ponatur subiectū in eorum diffinitione: & hoc ideo est, quia non habent in se esse absolutum per se à subiecto, sed sicut ex forma & materia relinquitur esse substantiale, quando componitur, ita ex accidente & subiecto relinquitur esse accidentale: quando accidens subiecto aduenit. Et ideo etiam nec forma substantialis completam essentiam habet, nec materia: quia in diffinitione formæ substantialis oportet, quòd ponatur illud, cuius est forma: & ita diffinitio eius est per additionem alicuius, quod extra eius genus est: sicut & diffinitio formæ accidentalis, vt etiam in diffinitione animæ ponitur corpus à naturali: qui considerat animam solùm, inquantum est forma physici corporis. Sed tamen inter formas substantiales & accidentales tantum interest quia sicut forma substantialis non habet per se esse absolutum sine eo, cui aduenit, ita nec illud, cui aduenit, scilicet materia: & ideo ex ea coniunctione vtriusque relinquitur illud esse, in quo res per se subsistit, & ex eis efficitur vnum per se: propter quod ex coniunctione eorum relinquitur essentia quædam. Vnde forma, quamuis in se considerata non habeat rationem completam essentiæ, tamen est pars essentiæ completa. Sed illud, cui aduenit accidens, est ens in se completum consistens in suo esse, quod quidem esse naturaliter præcedit accidens, quod superuenit: & ideo accidens superueniens, ex coniunctione sui cum eo, cui superuenit, non causat illud esse, in quo res subsistit, per quod res est ens per se: sed causat quoddam esse secundum, siue quo res subsistens intelligi possit esse: sicut primum potest intelligi sine secundo vel prædicatum sine subiecto. Vnde ex accidente & subiecto non fit vnum per se, sed vnum per accidens, & ideo ex eorū coniunctione non resultat essentia quædam, sicut ex coniunctione formæ cum materia, propter quod accidens neq; rōnē completæ essentiæ habet, neq; pars completæ essentię: sed sicut est ens secundū quid, ita & essentia secūdū qd habet.

2. de aīa T. c. 6. Differētia inter formam substātiale & accidētale.

¶ In hoc tractatu tertio, vnico capitulo contento, determinatio de accidentibus, vt nihil sub latitudine entis intactum remaneat. Diuiditur autem in tres partes, in quarum prima quid significet essentia in accidentibus declaratur. in secūda verò diuersitas accidētiū à substantia & inter se: in tertia autē, quomodo se habeāt ad intentiones logicas. Declarat ergo primum tali conclusione, Accidentia habent essentiam incompletā. Probatur sic, quæcunq; habent diffinitionem incompletam, habent essentiam incompletam: accidentia habēt diffinitionem incōpletam. ergo. Maior patet ex eo, q; essentia est id quod per diffinitionem significatur, vt dictum fuit in principio libri.

Minoris probatio est: quia quæcūque diffiniuntur necessariò per aliquod, quod est extra eorum essentiam, habent diffinitionem incompletam. diffinitio enim talium non completur per intrinseca, sed eget intrinseco additamento: sed accidentia diffiniuntur necessariò per aliquod, quod est extra eorum essentiam: oportet siquidem in eorū diffinitione poni subiectum, vt dicitur septimo Metaph. text. Comment. 15. ergo accidentia habent diffinitionem incompletam.

Cap. 1. in fin.

T. c. 15.

¶ Ad euidenter manifestandam Minorem san. Tho. in litera comparat accidentia formis substantialibus penes conuenientiam & differentiam. inde enim clarè patebit, quomodo accidentia habent essentiam incompletam.

Conuenientia formæ substantialis & accidentalis.

¶ Conuenire ait accidentia cum formis substantialibus in tribus. Primò in hoc, quòd neutrum eorum habet esse absolutum à subiecto independens à receptiuo, sed sicut ex forma substantiali coniuncta materiæ fluit esse commune vtrique: ita ex coniunctione accidentis, cum subiecto relinquitur esse commune vtrique. ex coniunctione enim albedinis cum niue fit esse, quo & albedo est, & nix est alba.

¶ Secundò conueniunt in hoc, quòd neutrum eorum habet essentiam completam: quia essentia vtriusque essentialiter ad aliud refertur, vt receptiuum: forma siquidem substātialis essentialiter est entitas perfectiua materiæ: & accidens essentialiter est entitas subiecti qualificatiua.

¶ Tertium autem, in quo conueniunt est, quòd neutrum eorum habet diffinitionem cōpletam proprijs terminis, sed per additamentum. sicut enim in diffinitione accidentis oportet poni suum subiectum, quod est extra eius genus: ita in diffinitione formæ substantialis oportet ponere receptiuum, materiam scilicet, quæ est extra eius genus proprium. nam genus formæ est actus (vt patet secundo de anima) materiam autem cùm ens diuidatur in actum & potentiam, sub potentia contineri clarum est: & consequenter esse extra actum, quod est genus formæ. huius signum est, quod fecit Aristo. diffiniendo animam, dum posuit in eius diffinitione, corpus physicū organicū, quod propria materia est animæ in eo quòd est corpus, physici perfectio. Addidit autem hoc, ne mireris, quare in diffinitione animæ non ponitur materia, cùm sit forma substantialis, sed corpus physicum. hoc enim ideo est: quia physicus non considerat animam vt formam substantialē, sed vt animam, quæ vt sic, corpus physicum præexigit tanquam propriam materiam. Hinc habes, quòd considerare animam intellectiuam vt sic, secundum suam completam quidditatem non est opus physici: vt etiā tradit Ari. in lib. 1. de partibus animalium, c. 1.

T. c. 5. vt ibidē patet. Secundo de aīa. T. c. 6.

Capit. 1. Differētia inter formam substantialē & accidentalem.

¶ Differunt autem in quinque. Primò, quia receptiuum formæ substantialis non habet esse per se sine esse formæ: est enim in hoc conforme suæ formæ: sicut enim forma substantialis non habet esse præter suum receptiuum: ita nec suum receptiuum habet esse præter suam formam, receptiuum verò accidentis habet esse per se præter esse sui accidentis. Huius differentiæ ratio est: quia receptiuū formæ substantialis est ens in pura potentia. receptiuum verò formæ accidentalis habet esse in actu.

¶ Secundò verò differunt, quia ex coniunctione formæ substantialis ad suum receptiuum emanat esse illud, quo res ipsa subsistit, seu simpliciter est. Ex coniunctione verò formæ accidentalis ad subiectum fluit esse: quo res secundum quid est. Et hæc differentia oritur ex prima: ex quo enim receptiuum formæ substantialis caret esse per se illo esse, quod ex forma fluit, primò est: & per oppositum, ex quo subiectū accidentis proprio esse gaudet, per adeptionem accidentis tale esse acquirit, & non esse simpliciter. hoc enim præhabet: & sic secundum hoc primum esse potest intelligi esse sine secundo, potest enim substantia ab accidente separari, vt dicitur septimo Meta. tex. com. 4.

T. 9. 4.

¶ Tertiò differunt: quia ex cōpositione formæ substātialis cum suo subiecto fit vnum per se. Ex cōpositione autē accidētis cū subiecto non fit vnū nisi per accidēs. Oritur autem hæc differentia ex secunda: ex quo enim ex forma substantiali esse simpliciter fit quo res per se est, oportet quòd vnū simpliciter fiat quo res sit per se vna, ens enim sequitur vnum. Ex eo verò, quòd subiectum & accidens duo esse habet, vnum per se facere non possunt eadem ratione: quia, scilicet vnum sequitur ens: non enim potest esse quòd vnum per se sequatur ens per accidens.

¶ Quartò differunt: quia ex coniunctione formæ substantialis cum materia resultat essentia quædam tertia, scilicet entitas. Ex coniunctione verò accidentis cum subiecto non fit aliqua essentia tertia. Oritur autem hæc differentia ex tertia: cùm enim essntia sit id quòd per diffintionē significatur, vt res diffinita: diffinitum autem oportet esse vnum per se secundum Aristo. septimo Metap. text. com. 16. ex eo quòd ex accidente & subiecto non fit vnū per se: habetur quòd nec essentia aliqua resultat, & per oppositum: ex eo quòd ex forma substātiali & materia vnū per se fit, essentia tertia resultat.

T. ca. 16.

¶ Quintò differunt: quia forma substantialis etsi non sit essentia completa: est tamen pars completæ essentiæ. Accidens verò non est essentia completa, nec pars essentiæ completæ. Sequitur autem hæc differētia quinta ex quarta. si enim ex forma & materia fit essentia quædam, tertia forma substantialis illius pars erit. Si autem ex accidente & subiecto essentia nulla resultat, accidens nullius completæ essentiæ pars poni potest: & sic accidens incōpletum & secundum quid est ens, ac consequēter incompletam essentiam & diffinitionem habet. Nec te moueat, quòd formam substantialem non absolutam à receptiuo, & esse non habere siue materia modò dicatur, & superius dictum sit animam intellectiuam independentē à materia & separatam ab illa secundum rem remanere: hoc enim est simpliciter verum: ad verificationem autem eius quod modò diximus, sufficit animam intellectiuam esse essentialiter materiæ informatiuam: & tali modo ab illa insolubilem secundum esse quidditatiuū, vt eius diffinitio ostendit, & quòd forma substantialis vt sic, nō habeat vnde secundum esse actualis existētiæ à materia absoluatur & independens sit: licet aliunde alicui formæ substantiali hoc insit, puta ex hoc quòd est intellectiua. loquimur enim de forma partis substantiali vt sic.

c. 5. p. 6. c. 6. p. 2.

Primum dubium.

CIRCA Hæc supradicta multa sunt dubia. Circa secundam enim conuenientiam dubitatur, an sit verum quod ibi dicitur, scilicet quòd essentiæ accidentales essentialiter non sunt absolutæ à receptiuo.

Secūdū.

¶ Et hanc dubitationem comitatur alia, circa tertiam conuenientiam, an scilicet accidentia necessariò per subiectum diffiniantur.

Tertiū.

¶ Occurrunt quoque quæstiones circa differentias assignatas, & prima quidem habet dubitationem de vtroq; membro cum sua radice, an scilicet forma substantialis puræ potentiæ tantùm actus sit.

Quartū.

¶ Et, an forma accidentalis in ente, in actu tantùm recipiatur.

Quintū.

¶ Circa secundam differentiam est dubium, an accidentia habeant propriam existentiam distinctam realiter ab existentia substantiali.

Sextum.

¶ Et iterum est ibi dubium: an substantia subiecta accidenti possit intelligi esse absque omni accidente.

¶ Istas sex dubitatiōes si diffusè tractare vellemus, propositi limites exiremus, alterius enim negotij est: sed ne omnino ieiuni transeamus, de pluribus earum dicetur ordine supradicto, fundamenta & nostra & aduersariorum adducendo.

QVAESTIO XV.

Num inhærentia aptitudinalis sit de inhærentia accidentis.

CIRCA Primum dubium declarato titulo primò adducetur opinio Scot. secundò S. Tho. tertiò respondebitur argumentis in oppositum. Est igitur sensus primi dubij, an de essentia accidentis sit dependentia ad subiectū: quod sub specialibus vocabulis dubitatur ab alijs, cùm quæritur, an inhærentia aptitudinalis sit de essentia accidentis. Scotus in quarto sen. dist. 12. q. 1. decidit hanc quæstionem, quo ad accidentia absoluta, scilicet quantitatem & qualitatem: atque tales, qui hoc vertunt in dubium: quid nominis ipsius inhærentiæ ignorare, contentúsque est vnica ratione ad probandum, quòd impossibile sit inhærentiam quancunque esse de essentia accidentis absoluti, sic. Nulla relatio est de conceptu formali rei absolutè: omnis inhærentia est relatio, ergo nulla inhærentia est de conceptu formali rei absolutè.

Opi. Scot. 4. d. 12. q. Vnica rō Sco.

¶ Aliter hæc rō formatur ab eodē. sic, Id qđ est essentialiter ad se, nō includit in se essentialiter respectū scdm Augustinū, septimo de Trinitate, capitulo scdo: sed accidens absolutū est ad se: ergo accidēs absolutū nō includit essentialiter respectum. inhærentia autem respectus est: ergo.

Confirmatio aliorum.

¶ Ab alijs autem cōfirmatur eadē ratio sic, Omne quod relatiuè dicitur, est aliquid præter relationem: fundamentum enim relationis est aliud formaliter à relatione: sed accidens absolutum, puta qualitas relatiuè dicitur inhærens: ergo est aliquid absolutum præter inhærentiam.

Tertia confirmatio.

¶ Præterea. Inhærētia aptitudinalis est de essentia accidētis, ergo q̄titas & qualitas non sunt genera generalissima. Tenet cōsequētia ex eo, q; tunc à quātitate & quali

Universidad de Deusto Biblioteca

tate & ceteris accidentibus posset abstrahi conceptus cõmunis quidditatiuus eiusdem rationis in omnibus illis inferior conceptu entis:& superior illis nouem generibus scilicet,esse in:& sic cùm omnis talis conceptus sit genus, nouem genera accidentium generalissima non erunt.haberent enim superueniens genus.

Opi.Thomistarũ.

THOMISTARVM Autem sententia est inhærentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis,& eam non esse relationem.

¶ Sciẽdum est enim aliquid esse absolutum vel respectiuum dupliciter,scilicet à subiecto & à termino.Absolutum enim à subiecto ens,est id quod non est natum recipi in alio vt substãtia.Respectiuum ad aliud,vt subiectũ est id,quod essentialiter natum est recipi in alio, vt omne accidens.Absolutum à termino est id,quod formaliter nõ respicit aliud præcisè,vt terminum ad quem, vt substantia,quantitas & qualitas. Respectiuum ad aliud vt terminum est id, quod formiliter respicit aliud præcisè, vt terminum ad quem,sicut prædicamentum relationis.In hoc enim differt relatio pertinens ad prædicamentum relationis ab alijs respectibus cæterorum generum, qui à quibusdã transcendentes vocantur,quod respectus pertinens ad genus ad aliquid,essentialiter est ad aliud, nõ vt receptiuum,vel causam efficientem aut finalem aut formalem:sed præcisè est ad aliud tanquam terminum, vnũ enim relatiuorum nec est forma nec finis nec efficiens alterius,sed terminus.Propter quod dicit Magnus Albertus,quòd vnum relatiuorum non est diffiniendum per reliquum:eo quòd ly per,denotat causalitatem. Respectus autem aliorum generum,qui propter vocabulorum penuriam respectus dicitur:respicit essentialiter aliud:sed vt subiectum vel materiam vel formam, & huiusmodi.sic enim materia essentialiter respicit formam,& econtra:vt de commensuratione animæ intellectiuæ suprà dictũ est. cùm ergo inhærentia aptitudinalis importet respectum ad aliud vt receptiuum,ipsam non de genere relationis, sed identificatam cuilibet generi, modo absolutum ens modo relatiuum significare dicimus.Vnde non prohibetur inhærentia aptitudinalis esse de essentia absoluti accidentis ex eo,quòd est respectus:imò ex hoc, quòd accidẽs absolutum non à subiecto est,licet à termino : sequitur q de essentia eius sit essentialis dependentia ad subiectum, quam inhærentia aptitudinalis explicat.

capi.6.q.13.

¶ Consona autem nostra positio rationi ostenditur, ex eo quòd sicut esse ad constituit accidens relationem: ita esse in constituit accidẽs vniuersale.Contrahitur enim ens per esse in,ad nouem genera accidentium,& ideo sicut ad,est de essentia relationis:ita in est de essentia accidẽtis.Vnde Simplicius in Cõmento prædicamẽtorum dicit esse in,nullum cõstituit genus,sed omne accidẽs circuit.

¶ Et confirmatur ex eo quòd nisi aptitudinalis inhærentia esset de essentia accidentis,posset completa diffinitione ipsum accidens concipi absque aptudinali inhærentia in eius diffinitione posita : quod est impossibile.oportet enim ipsum in sua diffinitione habere essentialem dependentiam ad subiectum, quàm inhærentia aptitudinalis explicat:aliter subiecto non esset opus ad diffiniendum. Propterea in pluribus locis ait S.Tho.quòd diffinitio accidẽtis est hoc,seu aliud huiusmodi, res, cui debetur esse in alio.Hæc de secundo.

Ad primum. Sco.

AD PRIMVM Autem in oppositum dicitur quòd Minor primi est falsa,& deceptus videtur Scotus: quia non vidit differentiam inter respectum In,& Ad.respectus enim In,& nõ est relatio,nam licet talis respectus terminetur ad subiectum,& consequenter subiectum sit terminus:tamen non terminat vt terminus,sed vt receptiuum illius.& hoc oportet hîc valde attendere, aliud est enim dicere A est terminus talis respectus:&,A terminat talem respectum vt terminus:vt ex dictis patet.

Ad confirmationes.

¶ Et per hoc patet responsio tam ad secundam, quàm ad tertiam formam eiusdem rationis,semper enim supponit aptitudinalem inhærentiam esse relationem.

¶ Ad vltimum negatur consequentia:dicitur nanque q esse in est diuersarum rationum in prædicamentis, sicut & ens:est siquidem in,analogum ad nouem genera accidentium sicut & ens ad omnia genera.

EX HIS Patet solutio secundi dubij,in quo Scotus nobiscum concordat in quarto, distin.12.ita quòd vnanimiter fatemur accidens non posse completè diffiniri absque additione subiecti,vt nuncnunc est probatum: quod plenius inferius patebit,cùm declaratum fuerit,vnde sumantur genus & differentia in eis.Testatur & hoc Arist.in 7.Meta.tex.Com.15.& 17.

T.ca.15. & 17. & text com.4.

TERTIA Dubitatio,quoniam nimis est ampla, alibi discutienda relinquatur.oporteret siquidem ad plenam illius resolutionem multos quinternos implere.

QVAESTIO XVI.

Num dimensiones interminatæ præcedant formam substantialem in materia op.Auic.de substantia orbis. c.1.col.2.primo Physic.c.63.& 4.Physica.c.25.prima ratio.

QVARTAM Verò,quia de accidentis natura est, cuius tractatum agimus non omnino prætermittendam duco.In qua tria agẽda sunt.primò,recitabitur opi.Auer. secundò ponetur opi S.Tho.tertiò respondebitur argumẽtis in oppositum.

¶ Sciendum est quo ad primum, Auerroim in libro de Substantia orbis fundasse opinionẽ nobis cõtrariam ponendo in materia prima,quæ est pura potentia,accipi dimensiones interminatas.Ex hoc enim sequitur non omne accidens esse subiectiuè in ente in actu.

¶ Mouetur autem ad hoc opinandum rationibus plerisque ducentibus ad impossibile. Prima est, Dimensio interminata non est in materia coæterna sibi.ergo corpus fit ex non corpore & dimensio ex non dimensione.& tũc vltima sequitur.ergo formæ corporales,id est dimensiones sunt sibi inuicem contrariæ,& succedentes sibi inuicẽ in subiecto,sicut sibiinuicem succedunt formæ substantiales in eadem materia,consequẽs est impossibile,ergo à destructione cõsequẽtis,&c.impossilitas cõsequẽtis patet ex eo,q neq motus neq mutatio aliqua est ad quãtitatẽ interminatã.Augmentatio enim est ad quantitatẽ terminatã.Patet quoq ex eo q quantitati nihil est contrarium vt dicitur in prædicamentis.Consequentia autem probatur ex eo,quòd omne quod fit ex suo contrario seu priuatiuè,vt dicit primo Phy.tex.cõ.64,& 5.eiusdẽ.tex.cõ.7

In prædicamento quantitatis. T.c.64. & 47. T.cap.7. Secunda ratio. T.ca.15.

¶ Secunda ratio est ista,Quantitas interminata non est in materia,ergo materia non potest simul formas distinctas specie aut numero recipere,consequens est falsum ad sensum.ergo Consequentia probatur ex eo,quòd diuersæ formæ non possunt simul recipi nisi in diuersis partibus materiæ,materia verò diuersis partibus caret ante quantitatis receptionem,substantia siquidem exclusa quantitate indiuisibilis est,vt dicitur primo Physi.tex com.15.

Tertia ratio.

¶ Tertia ratio est ista, Quantitas non est in materia subiectiuè,ergo forma non diuiditur per diuisionem materię. Tenet consequentia:quia forma recipitur in materia indiuisibi,cùm quãtitate ponatur carere. Tunc vltrà,ergo forma recepta in materia nullam diuisionem habet. Tenet cõsequentia:quia omnis diuisio formæ materialis præexigit diuersitatem partium materiæ.Tunc vltrà,ergo forma recepta in materia est æterna & carens contrario: Tenet cõsequentia:quia temporalitas formæ corruptibilitatem eius sequitur:corruptibilis autem nõ est forma aliqua,nisi receptiuum eius habeat diuersas partes,quarum alteram ipsa,alteram formam alia informet: cùm oporteat communicari in materia ea,quæ inuicem corrumpuntur vt primo de generatione text. comment.53.dicitur. & tunc vltimò sequitur quòd nullam nisi primam formam materiam recipiat,oportet enim corruptionem vnius esse generationem alterius,vt dicitur in primo de generatione-text.comment.17.& consequenter caret contrario.Hæc de primo.

T.ca.53. T.ca.17. 3.Physic. T.ca.75. Opi.scilicet d.4. di.13.q.1. arti.2.q. 4.ità 4. di.44.q. 1.arti.1. quæstiuncula tertia, quartum contra Gen. c.8.secundum in tract. de natura materiæ rõ contra Auer.

HANC OPINIONEM,Et si in qbusdã suis libris sequatur S.Th.propria tñ sentẽtia oppositũ vltimò determinauit in prima Parte,q.76.ar.6.vbi tali ratione vtitur cõtra Auer.positionem,Quandocunque aliquid est in potentia ad actum omnem, ordine quodam prius recipit actum primum simpliciter & demum sequentes. sed materia prima secundum se est in potentia ad omnes actus substantiales & accidentales ordine quodam:ergo prius recipit actum priorem simpliciter: deinde posteriorem,sed primus actus simpliciter etiam ordine generationis est esse,ergo primũ,q intelligitur recipi in materia est esse,substantiale,& non nisi à forma substantiali: ergo prius recipitur in materia forma substantialis,quam quodcunque accidens.& sic omne accidens sequens adueniet enti in actu.Quòd primus actus simpliciter sit esse, patet tũ autoritate libri de causis in principio,Tum quia esse

esse quãtum præsupponit esse:& similiter esse quale præsupponit esse:& sic de alijs. Sequuntur præterea ad hãc positionem multa inconuenientia:quòd scilicet ens secũdum quid præcedat esse simpliciter:& quòd ens per accidens sit prius ente per se:& quòd materia maiorem connexionem habeat cum forma alterius generis,quàm cum forma proprij generis,ex quo à qualibet forma substantiali est denudabilis,& non à qualibet forma accidentali:& quòd substantiæ generabilis sint non solùm tria,sed quatuor principia, scilicet materia, forma, priuatio & quantitas terminata.non enim potest fingi quin sit principium saltem per accidens, cùm sit coniuncta principio per se,sicut de priuatione dicitur & sic debuit connumerari ab Arist.Tenenda est igitur opi S.Tho.quòd omne accidẽs est subiectiuè in ente et actu,& per hoc differt à forma substantiali,quæ est subiectiuè in ente in pura potentia.Et hæc de secundo.

Primo Physicor. 63. & 66.

Ad primam.

AD PRIMAM Rationem Auer.dicitur quòd consequens primum illarum habet multiplicem sensum & quandoque verum & quandoque falsum:& ideo distinguendum est.si nanque ly ex dicat habitudinem causæ materialis verum est:corpus enim fit ex materia quæ non est corpus & indiuisibilis in actu,licet sit corpus & diuisibilis in potentia.si autem ly ex, dicat habitudinem termini à quo falsum est:necesse est enim materiã, ex qua fit corpus immediatè,ante illud instans habuisse corporeitatem:& vniuersaliter in omni instanti temporis necesse est ipsam esse sub dimensionibus.& hoc modo intelligendum est quod Aristo.tertio Cæli. tex.com.29.& 64.dicit,quòd impossibile est corpus fieri ex non corpore, id est post non corpus. Amplius est distinguendum ly fit: corpus enim seu dimensionem fieri intelligi potest dupliciter.Vno modo terminatiuè,id est, vt fiat tanquã terminus alicuius motus vel mutationis,& hoc modo est impossibile fieri dimensionem.Alio modo concomitatiuè, id est vt,sit tanquam aliquod consequens ipsum terminũ motus seu mutationis:& hoc modo verum est,corpus fieri:neque enim generatio,neque alteratio,neque motus localis ad quantitatem terminatur,vt quãtitas est,licet augmentatio terminetur ad quantitatem perfectam,sed quãdo generatio terminatur per se primò ad compositũ substantiale,generantur consecutiuè eius accidentia inseparabilia:de quorum numero est quantitas, quæ substantialẽ corporeitatem sequitur.Peccatum ergo accidit in prima ratione Auerrois:quia concessa prima consequentia, pro quanto infert consequens in sensu vno,non tenet secunda consequentia,quæ supponit,dimensiones fieri non concomitatiuè,& per accidens.sed determinatiuè.de illis enim, quæ fiunt vt termini mutationum,verificatur,quòd corrumpuntur à contrario, & quòd succedunt sibi inuicem se mutuò expellentia,& non de illis quæ fiunt consecutiuè,de quorum numero est quantitas interminata.

T.ca.29. & 64. Secunda responsio.

Ad secundam.

¶ Ad secundam rationem negatur consequentia. Et ad probationẽ dicitur,q diuersas formas præexigere diuersas partes in materia potest intelligi dupliciter. Vno modo vt ly præ,dicat ordinẽ tẽporis:& sic verũ est,quascũque duas formas simul recipiẽdas in materia præexigere eã esse distinctã in plures partes immediatè ante illud instans,in quo illæ formæ inducũtur,eadẽ enim pars materiæ non potest simul ad duas formas alteratione sufficiente disponi,sed talis distinctio partium materiæ præexacta non oportet quòd fiat per interminatas dimẽsiones ipsi materiæ inhærentes sed fit per dimensiones præcedentiũ compositorum.Alio modo potest intelligi vt ly præ, dicat ordinem necessarium:ita quòd in instanti introductionis formarum necesse sit materiam habere prius natura diuersitatem partium,& post formas distinctas:& hoc est falsum:oportet enim prius natura materiam esse, q distinctam esse:in illo ergo & pro illo instanti exigunt duæ formæ distinctas partes materiæ sed nõ præexigũt.

Ad tertiam.

¶ Ad tertium dicitur quòd formam diuidi per diuisionẽ subiecti potest intelligi dupliciter.Vno modo,vt ideo forma diuisionem habeat ex subiecto, quia in materia prediuisa recipitur,& hoc modo quo sit verũ & quomodo sit falsum,nũcnũc declaratum est.Alio modo,vt ideo forma diuidatur ad diuisionem subiecti:quia forma habet talem diuisionem ratione sui subiecti, & hoc modo verum est:eo quòd diuisio quantitatiua conuenit formæ substantiali ex hoc quòd est in materia,ratione cuius cõpositum est quantum:sicut enim qualitas sequitur compositũ ratione formæ:non ita tamen q ipsa qualitas præsit in ipsa forma subiectiuè:ita quantitas in est composito ratione materiæ non ita quòd præsit in materia : quia ergo diuisio quantitatiua formæ non conuenit nisi ratione materiæ,in qua recipitur,vt formæ à materia separatæ ostendunt:ideo formas diuidi ad diuisionem subiecti cõcedimus,non tamen diuisionem istam præcedere formã sed comitari.Vnde patet responsio ad totum processum rationis:quoniam ruit,fundamento falso innitens.fundatur enim super hoc q in expositione nostra sequi,formas non diuidi ad diuisionem subiecti:quod patet non sequi.

Quinti dubij solutio.

QVINTA Dubitatio prætermissis argumentis secundum S.Thomæ doctrinam habet partem affirmatiuã veram.Cùm enim ab omni forma fluat aliquod esse, quia forma est quæ dat esse rei,necesse est à forma accidẽtali fluere accidentale esse:sicut ab albedine esse album, & a dulcedine esse dulce.

Accidens habere ppriã existentiam distinctã ab existẽtia subiecti.c.5.q.2.

¶ Quòd autem esse quod fluit à forma accidentali non est idem quod esse substantiale,ex proprijs rationibus substantiæ & accidentis notissimum est.esse namque substãtiale est esse simpliciter secundum se independens & primum:esse autem accidentale est esse secũdum quid in alio dependens à subiecto,& posterius.Nec esse solum actualis existentiæ accidentis distinguitur realiter ab esse subiecti actualis,sed etiam ab ipsa essentia formæ accidentalis à qua est.Iam enim suprà probatũ est, quòd nulla quidditas creata est suum esse existentiæ.Vnde existentia albedinis nec est ipsa albedo nec existentia subiecti nec receptio albedinis in subiecto:sicut nec existentia formæ substantialis est ipsa forma aut materia aut receptio formæ in materia,sed quẽadmodum forma substantialis recepta in materia perficit ipsam vt vtraque existentiam recipiat:ita albedo recepta,in subiecto perficit ipsam vt esse album recipiat,ita quòd sicut forma est ratio materiæ & composito substantiali,quòd esse habeat : ita albedo est ratio subiecto composito ex albedine & subiecto quòd habeat tale esse,albũ scilicet.& sicut tot esse substãtialia in aliquo oportet esse quot sunt formæ substantiales : ita secundum numerum formarum accidentũ multiplicatur esse accidentale.Aliud est siquidem esse album & aliud est esse dulce.

q.1.s prĩcipio.c.

¶ Errãt propterea qui sancto Tho.imposuerunt opinionem recitatam à Sco.in quarto sen.dist.22.

Solutio sexti dubij.

CIRCA SEXTAM Dubitationem,an scilicet distantia accidenti subiecta possit intelligi esse sine omni accidente,declaranda est primò sententia sancti doctoris.Error deinde quidam elidendus.

¶ Ad percipiendum primum, distinguendum est quòd de substantia & accidente dupliciter loqui possumus, Primò modo vt sic,id est de substantia sub ratione substantiæ & de accidente in eo quod accidens.Alio modo contingit loqui de substãtia & accidẽte sub ratione talis substãtiæ & talis accidentis.primo modo substantia est separabilis ab oĩ accidẽte,eo q esse substãtiale, vt sic,nullam connexionẽ necessariã habet cum esse accidentali: alioquin omnis substantia esset accidenti subiecta.Secũdo modo substantia non potest separari ab omni accidente:quia non à propria passione propter connexionem necessariam,quę est inter subiectum & propriam passionẽ, non propter hanc quòd subiectum dependet à passione, Propterea san.Tho.in quæstionibus disputatis de spiritualibus creaturis,q.vlti.ad septimum,& in quæstionibus de anima,q.12.ad septimum ait,quòd subiectum esse sine porpria passione non est possibile nec intelligibile.In litera autem loquens de esse substantiali & accidentali, vt sic ait subiectũ posse esse sine accidẽtali forma sibi aduueniente.Ostendit autem natura demonstrationis subiectum esse non posse sine passione,oportet nanque conclusionem,quæ inhærentiam passionis in subiecto cõcludit necessariam esse,& impossibile aliter se habere.

q de spirituali. Creatu. q.2.q. de a.q.ã.12. septimũ.

Antonius Trombeta in Quolib. Metaph.

ERROR AVTEM Intolerabilis hîc cauendus est,positus ab Antonio Trombeta in Quolibet suo dicente,quòd quia secundũ S.Th.& eius sequaces subiectum non est nisi causa materialis respectu passionis, & passio est accidens,ex quo necessariò sequitur subiectum posse esse sine propria passione. Fundamentum autem huius consequentiæ est quia omnis potentia passiua, est potentia cõtradictionis:sed subiectum est solùm in passiua potentia respectu passionis:ergo est in potentia contradictionis,ergo potest habere ipsam & non ipsam,Ma-

Universidad de Deusto Biblioteca

T.c.17. ior habetur ex nono Metaphysi. tex.com.17.& probatur etiam ratione sic, passiones entis distinctæ sunt, tales, quòd vna includit negationem alterius, ergo potentiam includit negationem actus: & per consequens potentiæ vt potētia est non repugnat esse sine actu, ergo omnis potentia est potentia contradictionis.

¶ Præterea ad idem, Possibile est medium inter necessarium & impossibile: ergo cū necessarium respiciat esse solum, & impossibile non esse solùm possibile respicit esse & non esse: & sic omnis potentia cùm ab ea dicatur possibile est potentia contradictionis.

¶ Præterea ad idē, Ideo potentia passiua est ad esse: quia pōt ab alio recipere esse, scilicet ab agente, si autē ab alio recipit esse, illo circunscripto quantum est in se est sub nō esse. Si ergo potentia passiua ex se est sub non esse, & ab agente potest habere esse: necessariò sequitur quòd est potentia contradictionis, scilicet ab esse & non esse.

1.q.77. ar.6.ca. vbi supra. 9. Meta. T.ca.17. ACCIDIT AVTEM Error hic & in principijs & in conclusione. In principijs: quia S. Tho. in prima Parte, q.77.ar.7. tenet ex intentione, & probat subiectum esse causam suæ propriæ passionis in triplici genere causę, scilicet materialis, effectiuæ & finalis: vnde patet error minoris. Maior autem licet sit Arist. est tamen malè intellecta & probata: potētia enim materialis est duplex, quædam est receptiua tantùm, quædam verò non solùm receptiua, sed etiam passiua extenso nomine passionis ad omne genus transmutationis. Potentia receptiua tantùm est necessariò coæua suo actui, eo quòd si esset ante suum actum, oporteret quòd per aliquam trasmutationem illū reciperet: & sic non esset receptiua tantùm respectu illius. Potētia autem passiua necessariò nulli actui coęua est, respectu cuius est passiua: eo quòd omne actum per transmutationem acquirit, & consequenter per transmutationem perdit, omne enim generabile est corruptibile, vt dicitur primo Cæli. *T.c.10. 26.27.et 28. T.ca.17.* Propositio ergo illa, Omnis potentia est potentia contradictionis. est intelligēda de potētia passiua, & non de receptiua tantùm. Hanc glossam & sensus ipse & tex. Aristo. conuincunt. Ad sensum enim patet, in cælo esse potentiam receptiuam suæ figuræ: & tamen in eo talis potentia non est potentia contradictionis: cælum enim non est in potentia ad aliam figuram. Ari. verò tex. allegato nono Metaph. ait cælum non esse in potentia ad motum, seu ad terminos eius tantùm: & tamen constat cælum habere potentiam receptiuam sui motus. vnde ex hoc insinuauit, quòd de potentia passiua loquebatur: ea enim cælum est in potentia ad terminos motus. Vnde cū subiectum non habeat potentiam passiuam, sed receptiuam tantùm respectu propriæ passionis, nulla enim mutatio mediat inter subiectum & passionem: oportet subiectum non esse in potentia contradictionis respectu passionis: & sic conclusio deducta fuit falsa.

Ad rōnes Tromb. Ad primam. ¶ Ad rationes autem, quibus arguēs nititur illam propositionem de omni potentia receptiua probare, respondetur. Et ad primam dicitur, quòd passiones entis distinctas esse tales, quòd vna includit negationem alterius, verum est: quia vna non est alia formaliter. potentia enim non est actus formaliter, sed ex hoc nō sequitur, ergo quęlibet potest esse sine alia. Nam non valet, hoc non est illud, ergo hoc potest esse sine illo.

Ad secundam. ¶ Ad secundam dicitur, quòd possibile vt distinguitur contra necessariū & impossibile, sumitur à potentia passiua, & non à potentia receptiua tantùm: & ideo ex hoc non sequitur, nisi potentiam passiuam esse potentiam contradictionis: cùm tamen arguens debeat probare, quòd omnis potentia receptiua sit potentia contradictionis.

Ad tertiā. ¶ Ad tertiam dicitur, quòd propositio prima ibi adducta, scilicet ꝙ ideo potentia est ad esse: quia potest recipere esse ab alio, scilicet ab agente, in vno sensu est vera, & in altero falsa. si enim ly potest, dicat posse distinctū contra impossibile. Aristo. dicit eam esse falsam, est enim sensus ꝙ ideo potentia est ad esse: quia non est impossibile ipsam recipere esse ab agente, & sic cælum esset in potentia ad motum, cùm recipiat ipsum ab alio. Si autem ly potest, dicat potentiam, vt distinguitur contra esse in actu, tūc propositio est vera, ideo enī aliquid est in potentia ad esse: quia pōt recipere esse qđ adhuc nō habet, sicut ideo aliquid est potētia ad nō esse, quia pōt habere nō esse quo caret, sed cū omnis actus possibilis haberi ab aliqua potētia nō nisi per trāsmutationē acquiratur, ad nostram positionē reditur, quòd scilicet potētia passiua sola sit ad esse,

¶ Alias rationes, quibus separabilitas substantiæ ab omni accidente à Scotistis probatur, ex supradictis facilè est soluere. Assumunt siquidem propositiones, quarū falsitas est superius declarata.

Substantia est cā accidentium. Sed, quia illud, quod dicitur maximè & verissimè in quolibet genere, est in causa eorum, quæ sunt pòst in illo genere: sicut ignis, qui in fine caliditatis est causa caloris in rebus calidis, vt in secundo Metaphy. dicitur: ideo substantia, quæ est principium in genere entis, maximè & verissimè essentiam habens, oportet quòd sit causa accidentium, quæ secundariò & quasi secundum quid rationem entis participant. *T.c.4.*

¶ In hac secunda parte capituli diuersitatem accidentiū inter se declaraturus præmittit causam accidentium, quæ sit, vt causas diuersitatis eorum insinuet tali conclusione, Substantia est causa accidentium, quam probat sic. Maximè & verissimè ens est causa reliquorum entium: substātia est maximè & verissimè ens. ergo substātia est causa aliorum entiū: sed talia sunt accidentia. Minor verò ex septimo Metaphy. in principio patet. Maior verò ex secū do metaphy. tex. com. 4. habetur, vbi dicitur. quòd vniuersaliter id qđ est maximè tale in aliquo ordine, qđ est causa omniū aliorum in illo ordine, vt sic: sicut ignis qui in ordine calidorum est maximè calidus: omnium calidorum est causa vt sint calida. *T.ca. T.c.4.* Vtitur autem nomine Generis in litera, sicut Arist. vtitur ibi vniuocatione: eo quòd ad veritatem huius propositionis exigitur, quòd causa communicet cum effectu in nomine & ratione. licet analogicè eadem, non enim sequitur, cælum est causa omniū calidorum, ergo cælum est maximè calidum, quod tamen sequeretur, si cælo calidi nomen non æquiuocè cōueniret. Quia igitur substantia & accidens in nomine & ratione entis analoga tamen conueniunt, & substantia maximè est ens, ideo causa est omnium aliorum vt entia sint.

Accidentiū alia sunt sequentia formam substāle alia verò materiā. Quod tamen diuersimodè contingit: quia enim partes substantiæ sunt materia & forma, ideo quædam accidentia principaliter consequuntur formā, & quædam materiam.

¶ Quia accidentia causantur à substantia in qua sunt, & effectuū diuersitas ex causis prouenit, assignat diuersitatem inter accidētia à priori ex diuersitate partium substātiæ à quibus fluūt accidētia: & ponit tres distinctiōes.

Accidentia aliqua sequuntur formam: aliqua materiā. T.ca.17. ¶ Quarum prima cum suis diuisionibus talis est, Accidentium alia sequuntur principaliter formam: alia sequūtur principaliter materiam. Accidentium sequentium formam quædam communicant materiæ, quædam verò sunt separata à materia. Accidentium autem sequentiū materiam, quædam sequuntur eam in ordine ad formam generalem, & quædam in ordine ad formam specialem.

¶ Est autem ratio primæ diuisionis, quia cùm vnūquodque operetur per quod esse actu & semper species aliqua mouere & agere existimetur vt dicitur tertio Physi. tex. com.17. oportet formam sequi operationes & operatiuas virtutes: similiter cùm patiatur & trāsmutetur vnūquodque ratione materiæ, oportet plura accidentia eam sequi vt ea quæ propter materiæ diuersam complexionē insunt, & ipsam motui subijciunt, &c. Apposuit autem in prima diuisione ly principaliter, vt distinguitur contrà totaliter: nullum enim accidēs est solius formæ aut solius materiæ: sed omnia sunt compositi (etenim ad ipsam quoque intellectionem nō solùm anima concurrit sed totum compositum ex materia & forma, Sortes enim est qui primò intelligit) est ergo sensus diuisionis quòd accidētiū quædam sequuntur formam non vt causam totalem sed principalem: quædam similiter sequuntur materiam vt causam principalem nō totalem. Cùm enim omnium accidentium causa sit id quod verè est, id est substātia completa omniū causa est cōpositū ex materia & forma: sed aliquorū principalis radix est forma, aliquorū verò principalis radix est materia. Sicut enim in artificialibus aliquid conuenit cōposito ratione formæ et aliquid ratione materiæ. quemadmodum scindere conuenit serræ ratione formæ, duritiēs autem ratione materiæ: ita & in naturalibus aliquid oritur in cōposito ratiōe formæ, & aliquid ratione materiæ quemadmodum in Sorte sentire & intelligere est ratione formæ: masculinum verò ratione materiæ.

Quæ

In hoc capitul. Quæ autem sit regula ad discernendum accidentia sequētia formam ab accidentibus sequentibus materiam, infrà assignabitur.

Accidentiū, quæ formā sequuntur alia sequuntur formā à materia depēdentem, alia verò formam à materia separatā T.c.6. Forma autem inuenitur aliqua, cuius esse non dependet à materia, vt anima intellectualis. Materia verò non habet esse nisi per formam, vnde in accidētibus, quæ sequuntur formam, est aliquid, quod non habet communicationem cum materia, vt intelligere, quod nō est per organum corporale, sicut probat Philosophus in tertio de anima. Aliqua verò ex consequentibus formam sunt, quæ habent communicationem cum materia, vt sentire, sed nullum accidens sequitur materiam sine communicatione formæ.

¶ Hîc ponitur prima subdiuisio cū eius causa, Cū enim propriæ virtutes & proprietates & operationes formarū ipsis formis proportionari debeant: ita si essentia ipsius formæ sit dependēs à materia: virtus & operatio eius (cùm non sint ipsa forma à qua fluunt perfectiores) depēdere oportet à materia. Et si essentia formæ est independens à materia virtutem aliquam oportet habere à materia independentem, alioquin otiosè fecisset natura formam independentem: fecisset siquidem naturam eleuatam supra materiam, vt sic non posset operari & consequenter nec finem proprium consequi. vnumquodque enim est propter suam operationem, vt dicitur secūdo cæli, tex. Com.17. *T.ca.17. Accidētia quædā sequuntur formā dependētem, aliqua formā independentē à materia.* Quia ergo inuenitur duplex genus formarum substantialium, dependentium scilicet à materia, vt sunt omnes formæ materiales, & independentium ab ea vt est anima humana: ideo inuenitur duplex genus accidentium sequentium formam.

¶ Quædam enim fluunt à forma dependente à materia, & hæc ita fluunt ab ea, quòd tamen recipiuntur subiectiuè in composito: propterea dicitur quòd habent communicationē cū materia: vt sentire, vegetare, & huiusmodi.

¶ Quædam verò fluunt à forma independente à materia vt sic: & hæc ita fluunt ab ipsa forma, quòd recipiuntur in sola forma subiectiuè: & propterea dicuntur non habere communicationem cum materia, vt intellectus & voluntas intelligere, velle, & huiusmodi.

NEC ARBITRERIS Nos immemores cōtradicere superius nunc dictis: vtrumque enim est verum, quòd, scilicet omne accidens est compositi, vt suprà diximus: & quòd aliquod accidens est solius formæ, vt modò dicemus. Accidens enim esse alicuius potest intelligi dupliciter. Vno modo vt completi principij elicitiui & receptiui. Alio modo vt suppositi, homo secūdo modo omne accidens est compositi cuius est esse & fieri. vnde anima non intelligit vt suppositum, quod operatur sed Sortes per animam. Primo verò modo aliquod accidens est ipsius animæ & aliquod est compositi: virtus enim intellectiua non est subiectiuè in aliqua parte corporis, *T.c.4.* composita ex materia & forma, sed est subiectiuè in sola essentia animæ. vnde in tertio de anima, text. commen. 4. dicitur quòd intellectus nullius corporis est actus. Virtutes autem sensitiuæ non sunt subiectiuæ in sola anima sed in determinatis corporis partibus compositis ex materia & forma substātiali. Similiter completum elicitiuum principium sensationis non est sola potentia animæ sed compositū ex organo corporali & virtute animæ. Intellectionis autem principium elicitiuum completum est ipsa sola virtus intellectiua: & cùm operatio immanens sit subiectiuè in suo elicitiuo principio, intelligere erit in solo intellectu sicut in subiecto.

¶ Propterea, S. Th. alibi dicit, quòd anima intelligit sicut oculus videt: videt vt completum principium elicitiuū, oculus enim nominat compositum ex organo corporeo & virtute animæ: non ergo contradicunt ista, omne accidens est compositi, vt suppositi, & aliquod accidens est solius formæ vt cōpleti principij elicitiui & receptiui. Et licet totus sermo sit de accidentibus substantiarum materialium ex his tamen innuitur natura accidentium, quæ sequuntur formam independentem à materia.

¶ Et nota quòd antequàm ponatur alterius mēbri subdiuisio assignatur causa in litera, quare nō sit talis subdiuisio de accidentibus sequētibus materiam, qualis facta est de his quæ sequuntur formam, vt dicatur accidentiū sequentium materiam, quædam communicantur formæ & quædam non: & causa est ista: quia non inuenitur duplex materia, altera depēdens à forma & altera non, sicut inuenitur duplex forma: nulla enim materia potest esse sine forma, vt probatum fuit. *Capit. 5. q.8*

Accidentiū, quæ sequuntur materiam, duplex genus. In his tamen accidentibus quæ materiam consequuntur, inuenitur quædam diuersitas. Quædā enim accidentia consequuntur materiam secundum ordinem, quem habet ad formā specialem, vt masculinū & femininū in animalibus quorū diuersitas ad materiam reducitur, vt dicitur in decimo Metaphy. vnde remota forma animalis dicta accidentia non remanent nisi æquiuocè. Quædam verò consequuntur materiam secundum ordinem, quem habet ad formam generalem: & ideo remota forma speciali adhuc in ea remanent, sicut nigredo entis est in Anthiope ex mixtione elementorum, & non ex ratione animæ: & ideo post mortem in eo remanet.

Signum differentia assignato. Hîc ponitur alterius membri diuisio talis accidentium sequentium materiam quædam sequuntur eam in ordine ad formam generalem: quædam in ordine ad formā specialem. Illa accidentia dicuntur sequi materiam in ordine ad formam generalem, quæ indiuiduo generis altioris conueniunt ratione magis suæ materiæ, quàm formæ: sicut hoc mixtum habet cutis nigredinem non ex ratione formæ mixti, sed quia materia sua talis passa est, puta in tali climate, vbi calor solis abūdat. Illa verò dicuntur & consequi materiam in ordine ad formam specialem, quæ indiuiduo inferioris generis vel speciei conueniunt magis ratione materiæ, quàm formæ: sicut hoc animal est masculinum non ratione animæ principaliter, sed quia materiam ad animam dispositam talis passio comitata est: puta quia materia plenè dominio actus vigorosi seminis subiecta non fuit. Signum autem, quòd talia accidentia se habent, scilicet quòd sequuntur materiam, secundū quod respicit formam altioris vel inferioris generis est quòd aliqua eorum eiusdem rationis remanent composito corrupto: & quædā non remanent nisi equiuocè: nigredo siquidē hominis viui & mortui eiusdem rōnis est: masculinitas autē non. causa autem huius nulla est alia. nisi quia masculinitas sequitur animal ratione suæ propriæ materiæ: & propterea corrupto animali & non remanēte nisi æquiuocè, oportet masculinitatem, in cuius ratione ponitur animal, æquiuocè remanere. Albedo autem quia mixti materiam sequitur in cadauere remanentis, secundum eandem diffinitionem non æquiuocè remanet.

QVAESTIO XVII.

Num eadem accidentia numero sint in genito & corrupto. Auerro. istarum quorundam opinio. In de substantia orbis ca.1. & primo Phy. 66.

CIRCA EA Quæ hîc dicuntur accidit dubiū, Vtrū nigredo cutis in Aethiope viuo & mortuo sit vna & eadem numero: & vniuersaliter vtrùm sit idem numero accidēs in genito & corrupto. In hac dubitatione tria agenda sunt: primò recitabitur opinio quorundam: secundò ponetur opinio S. Th. tertiò respōdebitur ad obiecta.

QVO AD Primum quidam opinantur accidētia communia genito & corrupto esse eadem numero in vtroque inter quos aliqui quibusdam verbis Auer. innixi tali distinctione suam promunt imaginationem, Accidentia communia genito & corruppto habent duplicem modum essendi, terminatum, scilicet & interminatum. Accidentia interminata vocant essentias accidentium absque limitatione ad talem vel talem gradum. Accidentia verò terminata dicunt essentias accidentium limitatas ad hunc vel illum gradum. Accidentia interminata ponunt eadem numero esse in genito & corrupto: non autem terminata, vnde sicut quantitas interminata communis expressè à Comment. & eadem in omnibus ponitur: ita color interminatus cōmunis: & idem est in aëre & igne.

¶ Confirmatur autem opinio ista autoritatibus & rationibus. Aristoteles enim primo de Generatione, text. com. 23. dicens. In his autem si aliqua manēt in genito & corrupto, puta in aëre & aqua si ambo diaphana aut humida, &c. ostendit non esse inconueniens quòd aliquod idem accidens sit in genito & corrupto. Et in secundo de Generatione. tex. com. 25. vult expressè ꝙ in habentibus symbolum est facilior trāsitus: quia est facilius corrum- *T.c.23. T.ca.25. Capi.5*

Universidad de Deusto – Biblioteca

pere vnum quã duo. Auerrois quoque in libro de Substantia orbis, non longè à principio dicit non solùm dimensiones interminatas quas simplices vocat remanere eadem in genito: sed vniuersaliter qualitates omnes communes genito & corrupto.

¶ Ratio autem prima ad hoc est: quia si qualitates disponentes materiam rei corrumpendæ ad nouam formã corrumpuntur, quæritur, quid educit formam generandam, non potest dici quòd illud sit agens extrà: quia hoc non potest facere nisi per qualitates medias introductas in materia: qualitates autem illæ corrumpi dicuntur ab aduersario ante inductionem formæ: ergo remanet, quòd nihil sit quod educat formam: quod est impossibile.

¶ Præterea, Qualitates symbolæ, quæritur, à quo corrumpuntur, cùm nullum contrarium appareat: & frustrà corrumpi res censeatur in aliquo instanti in quo eadem oportet generari.

¶ Præterea figura cadaueris, organi ratio & cicatrix, & si qua sunt huiusmodi, si nõ remanẽt eadẽ queritur à quo generantur: & cùm non possit dici à quo generantur per modum sequelæ, oportet quòd nullũ sit generans. Quòd aũt non generentur per modum sequelæ, probatur. Accidentia enim aliqua ideo consecutiuè generantur, quia dãs formam, dat consequentiam ad formam: modò ista accidentia repugnant formæ magis quàm sequantur eam: cuius signum est, quia sub forma cadaueris ad corruptionem tendunt. Et hæc de primo.

CONCLVSIO.

Non sunt eadem numero accidentia in genito & corrupto.

QVO AD Secundum sciendum est Thomistarum esse opinionem: nullum accidens esse idem numero in genito & corrupto. Sequitur enim hoc necessariò ex nostris principijs. Nam si nullum accidens est subiectiuè in materia: & non datur nisi vna forma substantialis in cõposito, impossibile est idem accidens remanere idem numero: migraret siquidem accidens de subiecto in subiectum, & esset idem & non idem. Nec rationes pro nunc ad hanc conclusionem afferam, quia oportet ad hoc efficaciter probandum probare illud principium, scilicet quòd in composito est tantùm vna forma substantialis. Sed declarabo quomodo hoc sit possibile, & quomodo defendenda est ab aduersarijs positio nostra.

Accidens quatuor modis corrũpitur.

¶ Sciendum est igitur accidens quadrupliciter corrũpi. Primò per alterationem oppositam suo contrario: vt frigus à calido. Secundò ad absentiã conseruatiui agentis, vt lumen in aëre desinit sole recedente. Tertiò ad corruptionem subiecti, vt risibilitas corrumpitur homine mortuo. Quartò ad corruptionem termini, vt similitudo desinit consimili perempto. Et quia quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum, accidens generatur quadrupliciter. Primò ab agente sibi simili per transmutationem: sicut aqua qualesit ab igne calido. Secundò ad præsentiam agentis in fieri & esse, vt lumen in aëre fit à sole præsente. Tertiò ad generationem subiecti, vt risibile generatur homine genito.

Quatuor modis generat. accidens.

Quartò ad generationem termini, vt Sorte solo albo existente, statim ad alterius albi generationem consurgit in Sorte similitudo. Et licet omnibus istis modis contingat accidens secundum totam latitudinem corrumpi: nullus tamen illorum modorum conuenit accidentibus omnibus nisi tertius. Commune nanque est omnibus accidentibus corrumpi eorum subiecto corrupto, cũ accidentis esse sit in esse: & ideo sufficiens causa corruptionis accidentium redditur, quãdo subiecto corruptio assignatur. Vnde cùm ex aëre fit ignis, licet non oporteat corrumpi calorem aëris, sed potius intendi: quia tamen aër qui subiectum illius est, corrumpitur, necesse est ipsum quoq; calorem corrumpi absque contrario ad solum subiecti defectum. Propterea apparet qualiter peccent peccato fallaciæ consequẽtis argumẽta ea quæ qualitates simbolas & dispositiones pro forma introducenda facientes: quia carent contrario corrumpente, remanere inferunt.

¶ Et notandum, quòd quando accidens generatur ad generationem subiecti, vel corrumpitur ad corruptionem subiecti: tunc cùm eadem actio terminetur ad vtrunque, ad subiectum per se, & accidens consecutiuè, non oportet quærere aliud generans vel corrumpens nisi generatiuum vel corruptiuum subiecti. Idem enim est agẽs, quod vtrunque simul & eadem operatione facit, sicut cũ ignis, ex aëre ignem generat, alterando aërem, in fine alterationis aërem corrumpit per se, & cõsecutiuè calorem introductum: & vniuersaliter omnia accidentia, quæ in aëre subiectiuè erãt ea consecutionis necessitate: quia accidens sine subiecto proprio remanere non potest, & in eodem instanti generat ignem per se, & calorem consecutiuè absque alia media alteratione similẽ calori ante illud instãs ex instãti. Simile autem est iudicium de quantitate & figura & alijs dispositionibus, accidentibus similibus in genito & corrupto: omnia enim ista concomitatiuè producuntur. & ideo nõ oportet quærere generans nisi quod subiectum generat. Et cùm supradicta inspexeris videbis, quòd simile à suo simili cõcomitatiuè & per accidẽs quandoque corrumpitur: & per oppositum à non simili concomitatiuè, per accidens generari contingit ipsum accidens. Aristo. ergo quoties dicit eadem remanere in genito & corrupto eadem specie, non numero, ait: & hoc per accidens. Variatur enim vnitas numeralis, non propter generationis vim, sed subiecti corruptionem. Facilior quoque transitus in habentibus symbolum, non ex identitate numerali symboli accidentis, sed ex non repugnantia illius in agendo vel patiendo prouenit. Et ex hoc quòd formæ substantiales, à quibus fluunt similes qualitates sunt similiores: ex effectibus enim, natura causæ innotescit. Auerrois autem (si saluari debet) eodem modo glossetur.

Ad primum.

AD RATIONEM Autem oppositæ opinionis dicitur, Et ad primam quidem, quòd educẽs formam in vltimo instanti, est generans extrà, non per aliquam actionem, quam in illo instanti eliciat, sed in termino actionis, nudam materiæ essentiam attingens. Vnde, cùm dicitur, agens extra, non potest educere formam, nisi per qualitates medias introductas, verum est, dum agit: non autem, cùm est in termino actionis. Sufficit enim & exigitur alterasse ad materię expoliationem & dispositionem.

Ad secundum.

¶ Ad secundum dicitur, quòd qualitates symbolæ, & similia, corrumpuntur per accidens ad corruptionem subiecti à corrumpente per se subiectum: nec frustra in eodẽ instanti est primum non esse earum, & primum esse similium: sed necessariò necessitate materiæ, vt dictum est.

Ad tertium.

¶ Ad tertium dicitur, quòd figura, cicatrix & huiusmodi, producuntur consequutiuè, & per accidens, à generãte eorum subiectum, scilicet cadauer: nec est verum, quòd sola illa accidentia generentur consequutiuè, quæ sequuntur formam: sed multa accidẽtia sequuntur compositum ex necessitate materiæ, quæ sunt, licet non incompossibilia: aliqualiter tamen opposita ipsi formæ, vt patet de se. Et ideo dico, quòd figura, & similia sequuntur cadauer ex necessitate materiæ, quia scilicet agens naturale non potest tam citò dispositiones per tot transmutationes radicatas corrumpere totaliter, & ideo similes dispositiones sequuntur: & quia non sunt facientes pro forma geniti, ideo ad corruptionem properatur.

Accidentia insequentia materiã sunt accidentia indiuidui, sequẽtia autẽ formã, sunt propriæ passiões.

Et, quia vnaquæque res indiuiduatur ex materia & collocatur in genere vel specie per suam formam, ideo accidentia quæ consequuntur materiam sunt accidentia indiuidui, secundum quæ etiã indiuidua eiusdem speciei differunt adinuicem. Accidentia verò, quæ consequuntur formam, sunt propriæ passiones vel generis vel speciei, vnde inueniũtur in omnibus participantibus naturam generis vel speciei: sicut risibile consequitur in homine formam, quia risus cõtingit ex aliqua apprehẽsione animæ hominis.

¶ Hic ponitur secunda diuisio accidẽtium, quæ talis est, Accidentium alia sunt accidentia indiuidui, alia sunt accidentia generis vel speciei.

¶ Duplex autẽ inter ista differentia ponitur. Prima est, quòd accidentia indiuidui cõsequuntur cõpositũ rõne materię principaliter, accidẽtia verò speciei vel generis sequuntur cõpositũ rõne formæ. Secũda est, quòd accidentia indiuidui sunt ea, penes quæ attẽditur differentia inter particularia eiusdem speciei. Accidentia verò speciei siue generis sunt communia necessariò omnibus indiuiduis illius speciei vel generis. Exemplum. masculinum, & fœmininum sunt accidentia indiuidualia: sequuntur enim materiam, & penes ipsa differunt Sortes & Berta. Risibile autem est accidens specificum: sequitur enim intellectiuam apprehensionem, & omnibus hominibus necessariò conuenit. Assignatur quoque radix proximæ differentiæ, cùm dicitur,

tur, quòd materia est principium indiuiduationis, forma autem est, per quam res in genere vel specie collocatur. Ex hoc enim, quòd materia est causa esse indiuidualis vt sic, sequitur quòd sit etiam radix accidentium consequentium ipsum esse indiuiduale: ac per hoc accidentia indiuidui sunt quæ consequuntur materiam, ex eo quòd forma est principium esse generici & specifici oportet quòd etiam sit causa proprietatum & accidentium consequentium speciem vel genus: & sic accidentia speciei siue generis sequuntur formam. Secundæ verò differentiæ ratio est: quia cùm tam in forma specifica quàm generica conueniant omnia contenta sub eis, oportet etiam proprietates earum omnibus esse communes. Cùm autem penes materiam differant indiuidua, accidentia quoque materialia oportet esse ea, secundũ quæ ipsa particularia inter se differunt, vt effectus proportionabiliter proprijs respõdeant causis.

ACCIDVNT Hic duo dubia circa literam. Primum est qualiter sit verum, quòd accidentia sequentia materiam sint ea penes quæ differunt indiuidua in eadẽ specie: quandoquidem quãtitas sequitur materiam: & tamen est cõmunis oĩbus iudiuiduis corporis & inferiorũ.

T. c.a. 25. 7. Meta. T. cõ. 17.

Quõ penes accidentia sequentia materiã, indiuidua.

¶ Secundum dubium est, qualiter verificetur quòd accidentia sequentia materiam non sint passiones generis, vel speciei, cùm masculinum & fœmininũ sequantur materiam: & tamen passiones animalis, vnde & animal in eorum diffinitione ponitur, sicut subiectum in diffinitione passionis, vt. 10. Meta. tex. commen. 15. habetur. Similiter quantitas videtur esse passio corporis de prædicamento substantiæ: & tamen sequitur materiam.

AD EVIDENTIAM Primi scito, verba illa scilicet accidẽtia sequẽtia materiã sunt ea secũdũ quæ indiuidua differũt nõ esse intelligẽda vniformiter, sed difformiter. Indiuidua enim differũt penes accidentia materialia dupliciter. vel quia vnum eorũ habet vnũ, & reliquũ aliud: vel quia vtrunque habet idem, sed alio & alio modo. Verbi gratia, Sortes & Berta differunt penes masculinum & fœmininum, ex eo quòd ille habet masculinitatem, illa fœminitatem. Differunt quoque penes suas quantitates: non ex eo quòd ille sit quantus & illa non, sed ex eo quòd non eodem modo sunt quanti, nunquam enim inueniuntur duo quanta omnino similia: sitibus siquidem proprijs differre necesse est. Quantitas ergo licet sit communis omnibus indiuiduis, quia tamen non vniformiter eis conuenit, est secundum quam indiuidua inter se differunt secundo modo. & hoc sufficit.

Passiões generum duplices.

AD INTELLIGENTIAM Secundi notandum, quòd passiones generum sunt duplices. Quædam conuenientes eis ratione formæ genericæ: & quædã ratione materiæ. Illæ quæ sequũtur formam, vocatæ sunt hic passiones generum: & non illæ, quæ sequuntur eorum materiam: propterea quia natura generica ex sua forma est talis & non ex materia: animal enim est animal ex sua forma, & non ex sua materia. Vnde cũ in proposito aĩalis passio rõne formæ sit sensibilitas, & rõne materiæ masculineitas vel fœmineitas: diuersis rationibus moti Ari. in Metaph. & san. Tho. hîc, diuersimodè locuti sunt. Quia enim est passio animalis ratione materiæ, ideo vocata est ibi passio: quia autem non ratione formæ, ideo hîc non est dicta passio.

10. met. T. c.a. 25. 7. meta. T. c.a. 17. & 19.

¶ Similiter dicendum est de quãtitate, quia sequitur corpus ratione materiæ: sequitur enim ipsum secundum id, quòd est in potentia diuisibile. quòd non est nisi materia, vt indiuisibilitas rerum immaterialium ostendit. Et nota quòd hæc secunda diuisio accidentium non differt à prima per membra diuidentia: eadem enim sunt huius & illius membra, sed secundum rationem, quia illa diuisio accepta est penes primas earum radices, materiam scilicet & formam, ista autẽ penes subiecta, quibus appropriantur, scilicet genus, speciem & indiuiduum.

Sciendum etiam est, quòd aliquando accidentia ex principijs essentialibus causantur secũdum actũ perfectum, sicut calor in igne, qui semper actu est calibus. Aliquando verò secundum aptitudinem tãtùm, sed complementum accipiunt accidentia ex agente exteriori: sicut diaphaneitas in aëre, quæ cõpletur per corpus lucidum exterius: & in talibus aptitudo est accidens inseparabile: sed complementum quod aduenit ex aliquo principio, quod est extra essentiam rei, vel quod non intrat constitutionem rei, est separabile, sicut moueri, & huiusmodi.

¶ Hîc ponitur tertia diuisio accidẽtiũ, Quædam causantur ex principijs essentialibus subiecti secundũ actũ perfectum, quædam secundum aptitudinem tantùm. Illa accidentia vocat causari secundum actum perfectum ex essentialibus principijs, quæ secundũ suas actualitates ex intrinsecis principijs subiecti ĩ ipso fluũt: vt calor in igne. Illa verò dicit causari secundũ actũ imperfectũ, seu aptitudinem tantùm, quæ non secundum suas actualitates, sed secundum quasdam inchoationes ex principijs essentialibus subiecti in ipso fluunt, vt moueri sursum in igne ex principijs eius causatur secundum sui inchoationem, puta leuitatem. Differunt autem, quia prima & secundũ suas aptitudines, & secundum se inseparabilia sunt à subiectis: secũda verò secundum se quidem sunt separabilia, secundùm autem suas aptitudines non possunt separari. Ab igne enim neque aptitudo ad calorem neque calor ipso remanente: motus autem sursum non semper inest igni sed aptitudo ad motum sursum, puta leuitas est inseparabilis ab ipso: & causa horum est, quia in illis ipsa actualitas accidentis ex solis principijs essentialibus fluit, in istis verò aptitudo tantùm ex solis principijs essentialibus fluit: ipsa autem actualitas aliunde expectatur ex aliquo, scilicet extrinsecè concurrente, vel agendo vel non prohibendo: vt patet in exemplo dato de motu sursum, qui non inest igni, nisi in aliquo concurrente extrinseco remouente scilicet prohibens, & diaphaneitas nõ est actu in aëre, nisi concurrente extrinseco illuminante: lumen enim est actus diaphani secundum actum, vt dicitur 2. de anima, tex. commen. 69.

T. c. 69. Pria Secundæ, q. 10. artic. 1. & 2.

¶ Profundiorem autem huius diuisionis causam elicio ex Prima secundæ, q. 10. art. 1. ad secundũ quòd scilicet ideo aliqua accidẽtia oriuntur ex principijs essentialibus inseparabiliter secundum actum completum, aliqua autẽ separabiliter secundum actum completum, & inseparabiliter secundum aptitudinẽ: quia illa sequuntur rei actualitatem, ista verò potentialitatem. Quod sic intelligo, quia vnumquodque agit secundum quòd est actu: patitur autem secundum quod est in potentia ex sufficiente ei actualitate procedit quod accidens in se completè producat, & per oppositum ex insufficiente actualitate, & consequẽter potentialitate ex qua omnis sufficientia est, prouenit quòd res habet accidens in se secundum aptitudinem tantùm: & quòd ab illo expectet actualitatẽ seu quòd accidens separabile sit secundum actualitatem, quod idem est.

¶ Amplius cùm esse & bonum actualitatem sequantur, & non esse & malum potentiam: ex actualitate rei prouenire necesse est esse accidens perfectum & inseparabile secundum actum & aptitudinem: & per oppositum ex rei potentialitate procedere oportet in completionem accidentis, separabilitatem eius secundum actum: est enim separabilitas ipsa quoddam non esse, cùm nihil aliud sit, quàm negatio necessariæ sequelæ sui esse completi ad esse subiecti. Intelligere autem hîc vt suprà, scilicet quòd ex actualitate subiecti aptitudo est: ex potẽtialitate autẽ separabilitas accidentis secundum suam actualitatem.

¶ Aduertendum verò est, quòd sanc. Tho. passiones, quæ dicunt aptitudinem non collocauit simpliciter inter accidentia ex essentialibus principijs fluentia, sed potius ipsarum passionum & aptitudinũ actus quos secundũ incõpletũ esse aptitudines vocauit. Fecit autẽ hoc: quia aptitudo de se non habet rationem alicuius per se producti seu producibilis: nullum enim naturale producẽs intẽdit aptitudinem, sed aptum illius: non est nanque opus risibilitate, nisi vt rideatur, vnde & risibilitas inchoatio quædam risus est: propterea igitur inter effectus essentialium principiorũ aptitudo nõ est simpliciter posita, sed actus quia non ipsa, sed eius actus est qui à principijs productiuis intenditur: & quia aptitudo nihil aliud est quam inchoatio quædam, inchoatio autem est actus imperfectus. ideo accidentia secundum actum incompletum aptitudines vocantur.

T. c. 9. T. c. 4. & 17.

Nũ quoduis accidens habeat aliquod subiectũ proprium.

ANTEQVAM Terminemus tractatum de diuersitate accidentium, quæritur an omne accidens habeat aliquod subiectum proprium, aut aliqua accidentia sint ita communia, quod nulli propria.

¶ Est autem ratio dubitandi: quia si omne accidens est proprium alicui, cùm proprium conueniat omni, soli, &

Universidad de Deusto Biblioteca

semper: nullum accidens erit separabile ab eo in quo est. Inesset enim soli & semper proprio subiecto.

¶ Amplius, Sequeretur, semper, corruptionem cuiuscunque accidentis comitem fieri corruptioni substãtiæ, sicut corrupto risibili corrumpitur homo. Patet consequẽtia, quia corrupto proprio, necesse est corrumpi illud, cuius est proprium, aliter non conueniret ei semper: hæc autem experimur esse falsa, vt patet in accidentibus communibus & actibus secundis.

¶ Ex opposito autem, cùm omne accidens sit diffinibile, & in diffinitione cadat subiectum, de quo accidens per se prædicatur, vt patet primo Posteriorum, & secundo Metaphysicæ, oportet quòd omne accidens habeat proprium & per se subiectum. per se nanque supponit de omni semper & necessariò.

q. de Virtutibus. q. 1. arti. 3. c.

AD HVIVS Dubitationis euidentiam sciendum est, quòd cùm apud san. Tho. in quæstione de virtu. q. 1. artic. 3. subiectum habeat triplicem habitudinem ad proprium accidens, scilicet sustentantis ad sustentatum, potentiæ ad actum, & principij & principiatum: sicut calor ignis non habet esse, nisi sustentetur in igne, & est forma accidentalis eius, & oritur ex ipso: secũdum quod participat istas conditiones, potest dici accidentis subiectum, & secundum quod ab istis habitudinibus recedit, potest negari accidentis subiectum. Vnde propter defectum primæ, quæ principalior est, dicitur in primo Posteriorum, quòd nullum accidens est subiectiuè in alio accidente: quia videlicet nullum accidens potest sustentare aliud. sed sola substantia, quæ est ens per se, alijs fulcimentum præbet essendi. Quia autem aliquod vnum accidens potest comparari ad aliud, vt potẽtia ad actum, & quandoque vt proximum principium ad principiatum: & ideo conceditur etiam vnum accidens esse subiectum alterius, quemadmodum superficies dicitur subiectum coloris, quia est in potentia respectu coloris: & dulcedo esse in calido & humido, quia causatur ex calido & humido.

T. ca. 35.

¶ Potest ergo quadruplicem intellectum habere dubitatio mota. Primò potest intelligi, vt quæratur, an omne accidens habeat proprium subiectum vt sustentatiuum. secundò, an habeat proprium subiectum vt potẽtiã. tertiò an habeat proprium subiectum vt principiũ. quartò, an habeat proprium subiectum vt sustentatiuum potentiæ, & principium simul.

SI QVAESTIO Sit secundum primum sensum, respondetur negatiuè: quòd scilicet omne accidens habet proprium subiectum in ratione sustantãtis, vt probant rõnes primò inductæ: multa enĩ sunt accidẽtia, quæ nullum proprium sustantãs sibi vendicant, sed cõmuniter multis insunt, vt eorum separatio ostendit, separantur nanque à substantia sustantante ea naturaliter remanente: quod de proprijs accidentibus dici non potest. Eadem quippe substantia absque sui mutatione contraria sustantat, vt dicitur in Prædicamentis.

¶ Si autem iuxta secundum sensum dubitetur, respondetur affirmatiuè: quòd scilicet omne accidens habet proprium subiectum in ratione propriæ potentiæ, eo quòd quilibet actus respicit propriam potentiam: sicut enim actus respicit potentiam, sic talis actus talem potentiam, & actus specificus potentiam specificè: accidens autem omne actus quidem est: igitur omne accidens habet propriam potentiam, cuius est actus propter quod tertio Physicor. text. Comment. 10. dicitur, potẽtia ad infirmitatem est alia à potentia ad sanitatem, eo quòd sanitas est aliud ab infirmitate: & 12. Metap. longo processu probatur, principia Prædicamẽtorũ esse eadẽ proportionabiliter: quia cuilibet actui propria respondet potentia.

¶ Si autem tertio sensu inquiratur, respondetur negatiuè, ꝙ scilicet non omne accidens habet aliquod subiectum proprium in ratione principij proprij: eo ꝙ habere subiectum proprium in ratione principij includit fluxũ illius accidentis à tali subiecto in genere causæ efficientis, eo modo, quo duorum effectuum ordinem inter sese habentium prius est causa effectiua eius, quod necessariò primi productionem sequitur, siue illud subiectum sit receptiuum accidentis, vt quo, siue vt quod: patet ꝙ non omne accidẽs fluit à suo receptiuo effectiuè, sed multa sunt, respectu quorum receptiuum purè passiuè se habet: vt patet cùm species rei sensibilis recipitur in medio, siue in sensu.

¶ Si autẽ quarto modo intelligatur quæstio, patet quid dicendum sit: negatiuè enim respondere oportet.

SED Aduertendum est ꝙ hæc, quæ diximus, intelligi debent de accidentibus, scilicet seorsum acceptis actibus, & seorsum aptitudinibus: loquendo nanque de accidentibus, vt S. Tho. in litera loquitur, scilicet non iudicando actualitates accidentium seorsum ab aptitudinibus: dicerem ꝙ omne accidens secundum suam radicalẽ aptitudinem habet aliquod subiectum proprium in ratione sustentantis potentiæ & principij, licet nõ secundũ suam actualitatem eo ꝙ aptitudo ad tale accidens non est nisi à tali gradu substantiali fluat mediatè vel immediatè, & consequẽter nisi in tali gradu subiectiuè sustẽtetur immediatè vel mediatè. Verbi gratia, Lumẽ secundũ suã actualitatem & substantiã, licet sit ab extrinseco, & sit accidẽs separabile: tamen secundum suam inchoationem seu radicalem aptitudinem, puta diaphaneitatem, est inseparabile: & fluit à certo gradu substantiali communi superioribus & inferioribus. Et similiter sedere licet sit accidens, per accidens tamen secundum suam aptitudinem est proprium: & non natum conuenire nisi certo enti, puta animali tali, &c. fluit enim aptitudo ad sedendũ ex suis principijs. Similiter & videre licet sit accidens separabile: radicalis tamen aptitudo ad videndum separari à tali animali non potest.

¶ Ex his patet quomodo ad vtranque partem rationes adductæ verum concludunt diuersimodè. Nam loquendo de accidentibus secundum suas essentias & actualitates, conclusio rationum primò adductarum conceditur, accipiendo subiectum in ratione sustentãtis & principij.

In ratione autem potentię falsa est conclusio, vt dictũ est. Nec probatio contra hunc applicata sensum valet: eo ꝙ cùm dicitur, ꝙ proprium cõuenit soli, omni & semper, intelligitur de ipso proprio non secundum suam actualitatem, sed secundum aptitudinem. Et similiter cùm dicitur ꝙ ad corruptionem proprij desinit subiectum, intelligitur, si corrumpitur secundum aptitudinem: non autẽ, secundum actum, vniuersaliter loquendo. Vel dicatur ꝙ inseparabilitas, & huiusmodi non conuenit accidenti, vt respicit subiectum in ratione propriæ potentiæ. sed vt sustentatiuum & principium. Loquendo autem de accidentibus secundum suas aptitudines, patet quomodo rationes peccant. Dico enim quòd nullum accidens est separabile secundum aptitudinem radicalem saltem, sed coæuũ subiecto necessariò: & quòd corrupto accidente secundũ talem aptitudinem potest subiectum corrũpi. Ratio autem in oppositum adducta concludit, quòd omne accidens habet subiectum, de quo per se prædicatur secũdum se, vel secundum suam aptitudinem. Cùm enim eius sit actus, cuius est potentia (vt dicitur in Somno & vigilia) idem subiectum erit quod cadit in diffinitionem accidentis, secundum aptitudinem & secundum actum: sicut homo debet poni nõ solum in diffinitione risibilis, sed risus. Stant ergo ista duo simul, quòd accidens secundum suam actualitatem non habeat proprium subiectum, cui vniuersaliter soli & semper insit: & tamen habeat proprium subiectum per quod diffiniri debeat: quia ad hoc secundum sufficit, quòd secundum se vel secundum suam aptitudinem per se de illo subiecto prædicetur. Ad primum verò sufficit accidens secundum se tantùm non prædicari per se de subiecto.

Loc. 1.

Sciendum est autem, quòd in accidentibus in alio modo sumuntur genus, differentia & species, quàm in substantijs: quia enim in substantijs ex materia & forma substantiali fit per se vnum, vna quadam natura ex eorum coniunctione resultante, quæ propriè in Prædicamento substantię collocatur: ideo in substantijs nomina cõcreta, quæ compositum significãt, propriè in genere esse dicuntur, sicut genera vel species, vt homo vel animal: non autem forma vel materia est in Prædicamento hoc modo, nisi per reductionem: sicut principia in genere principiatorum esse dicuntur. Sed ex accidente & subiecto non fit vnum per se: vnde non resultat ex eorum coniunctione aliqua natura, cui intentio generis vel speciei possit attribui: vnde nomina accidentium concretiuè dicta non ponuntur in Prædicamento: sicut species vel genera vt album vel musicum, nisi per reductionem, sed

Accidentia in cõcreta nõ sunt in prædicamẽto, sed in abstracto propriè sunt in prædicamento.

sed solùm secundum quòd abstracta significantur, vt albedo & musica.

¶ In hac tertia parte capituli huius determinatur, quomodo accidentia se habeant ad intentiones logicas: & primò, quomodo se habent ad esse in Prædicamento: deinde vnde sumantur in eis genus & differentia. Quo ad primum ponit duas conclusiones, scilicet, Accidentia in concreto non sunt propriè in prædicamento. Et accidentia in abstracto propriè sunt in prædicamento.

AD QVARVM Euidentiam sciendum est, ꝙ accidentia habent vnum modum essendi, scilicet esse in alio. non enim sunt nisi insint alicui. Habent autem duos modos intelligendi, eo quòd intellectus est natus ea, quæ sunt adunata in re, diuidere. Intelliguntur enim quandoque cointelligendo sibi subiectum, cui insunt, & intelliguntur per modum accidentis: eo quòd accidẽtis esse est in alio esse. Quandoque verò intelliguntur solitariè, non cointelligendo, scilicet eis subiectum, cui secundum rem insunt: & tunc intelliguntur per modum substantiæ: eo quòd esse per se, id est solitariè soli substantiæ cõuenit: accidentia enim semper comite egent. Cùm autem modus significandi non fundetur super modo essendi, sed intelligendi, sicut habent duos modos intelligendi, sic habent duos modos significandi. Vnde significantur quandoque consignificando subiectum: & tunc significãtur per modum accidentis, & vocantur significata in concreto: vt album, nigrum, &c. Quandoque verò significantur ipsa sola, absque scilicet subiecti consignificatione: & tunc significantur per modum substantiæ, & vocantur significata in abstracto, vt albedo & nigredo. Abstractum enim & concretum in accidentibus, licet differant in modo significandi, id est penes cõsignificare subiectum, & non consignificare illud: conueniunt tamen in significatione ipsius formæ accidentalis. Album enim puram qualitatem significat (sicut in Prædicamentis dicitur) sicut & albedo: sed album significat albedinẽ in subiecto: albedo autem significat albedinem absq; illo. Quia igitur accidentia in concreto totum coniunctum importat, puta sicut album albedinem in subiecto: coniũctum autem hoc non est vnum per se, sed vnum & ens per accidens: id autẽ quod in prædicamento reponitur, debet importare vnum & ens per se, cùm prædicamenta diuidant ens per se, quinto Metap. text. Com. 14. ideo accidentia in concreto non propriè reponuntur in prædicamento. Et hæc est ratio, qua in litera, prima cõclusio probatur: quæ sic formari potest, Nullum nomen importans ens & vnũ per accidens, est propriè in prædicamento: concretum accidentale importat vnum & ens per accidens: ergo nomẽ concretum accidentale non ponitur in prædicamẽto propriè & per se. Ad declarationem Minoris ponitur differẽtia inter concretum accidentale & substantiale in hoc, ꝙ concretum substãtiale importat compositum ex materia & forma, & tale est vnũ per se: & ideo reponitur in prædicamento, vt genus vel species. accidentale verò importat ex subiecto compositum & accidente, quod est vnum per accidens, ex accidente enim & subiecto non fit nisi vnũ per accidẽs vt dicitur 7. Met. & ideo nõ debet poni in prædicamento, nisi reductiuè eo modo quo res impura ad suæ puritatem naturæ reducitur.

In prædicamento Substãtia.

T. cõ. 14.

¶ Et sic remanet secunda conclusio vera, quòd accidentia, scilicet in abstracto: in prædicamento speciei & generis prædicationem suscipiunt taliter omnino à prædicamentis accidentia sunt excludenda.

CVM Autem audis abstractum solam formam importare, non ideo hoc dictum putes, quòd abstractũ subiectum formæ subiectum formæ à se omnino excludat, hoc enim falsum est: sed ideo quia abstractum ex modo suo significandi, quæ solo differt à concreto, non includit subiectum principaliter. sed secundariò, & ex consequenti. Quod ex conuenientia & differentia inter ea ex modo significandi persuaderi potest. Conueniunt enim in hoc, quòd tam abstractum, quàm concretum ex modo significandi importat duo, scilicet quod & quo, seu subiectum & formam. Idem enim importat definitio & definitum, licet alio modo. Definitio autem vtriusque importat vtrunque dictorum, vt exemplariter patet: simitatem enim dicimus curuitatem nasi, & simum nasum curuũ. Quòd autem hoc sit ex modo significandi, ex eo clarum est, ꝙ tam abstractum, quàm concretum puram formam significat, vt in Prædicamentis testatur Aristoteles. Differunt autem abstractum & concretũ ex varietate modi significandi in hoc, quòd concretum importat ex modo significandi principaliter subiectum, & secundariò formam. Abstractum verò principaliter importat formam & ex consequenti subiectum.

¶ Aduertendum nanque est, quòd contrario ordine se habent subiectum & forma, ad significationem nominis concreti, & eius modũ significãdi. Importat enim concretum ratione significationis primò formam, & subiectũ non nisi ex consequenti copula. Quo ad modum verò significandi primò subiectum & ex consequenti formã importat. Cuius signum est, quòd in diffinitione concreti exprimitur primò subiectũ tanquam genus, quod prima pars est diffiniti: & forma secundo loco ponitur quasi differentia. Dicimus nanque ꝙ simum est nasus curuus. Abstractum verò & ex significatione & ex modo significandi primò formam importat, secundariò autem ex eo consequenti subiectum. In cuius signum in eius diffinitione forma ipsa primò exprimitur vt genus: subiectum autem secundariò loco differentiæ: vt patet, cũ dicitur, simitas est curuitas nasi. Oritur autem hæc differentia ex eo, quòd concretum importat habitudinem inter subiectum & formã, prout incipit à subiecto, & terminatur ad formã. Abstractum verò importat habitudinem inter formam & subiectũ prout incipit à forma, & terminatur ad subiectum, vt in exemplis datis apparet. Ex hoc enim quòd habitudo importata per concretum, importatur ex modo significandi, vt incipiens à subiecto: sequitur quòd primò importet subiectũ, à quo incipit, & similiter ex hoc quòd habitudo importata per abstractum importatur ex modo significandi, vt incipiens à forma: consequens est vt primò importet formam à qua incipit. Causa enim huius diuersitatis est, quia cõcreta ad composita significanda sunt inuenta. Compositio autem à subiecto oritur. Abstracta verò inuenta sunt ad significandas formas apud nos inuentas simplices quidem: sed à quibus denominatio ad subiecta deriuatur, vnde & concreta compositum quid sonant, abstracta verò formas, vt cadentes tamen ad subiecta. non igitur propterea dictum est quòd abstractum solam formam importet: quia nullo modo copulat subiectum, sed quia ex modo significandi compositum non sonat, nec principaliter importat ipsum subiectum, quemadmodum concretum, sed extrinsecè tantùm terminum habitudinis formæ significatæ.

Cõuenientia inter cõcretum et abstractum in Prædicamẽto substantiæ. Differentia cõcreti & abstracti accidentium.

ADVERTE Hic, ꝙ de abstracto & cõcreto quõ sunt in prædicamento, aliter Metaphysicus, & aliter Logicus iudicabit. Cùm enim apud Metaphysicum, qui res secundum suas essentias considerat, & non secũdũ modos intelligendi vel significandi abstractũ & cõcretum non differant, eo ꝙ eadem res abstractè & cõcretè sit significata, dicet ipse sicut abstractum ita & cõcretum in genere esse: res enim per suam essentiam ingreditur vel egreditur genus metaphysicaliter sumptũ, id est per rẽ generis: & non per modum significandi: vnde non dicet Metaphysicus album ens per accidẽs, sed hoc album vt patet 5. Meta. tex. com. 15. & 14. & 7. eiusdem tex. com. 16. Logicus autẽ, qui non res secundũ suas naturas, sed secundũ intẽtiones adiunctas primis intellectis ac significatis, considerat, dicet abstractum esse in genere, concretum verò non: quia res nomine abstracto, significata potest denominari species, vt albedo, & genus, vt color: concretũ verò non propter alietatem modi significãdi, vt dictum est.

Apud Metap. quid sit in genere.

T. c. 13. T. ca. 16.

¶ Causa autem quare alietas modi significandi hanc veritatem Logico præbeat, est quia modus significãdi præuenit secundas intentiones, & fundat quodammodo ipsas: licet enim tam modus significandi, quàm secunda intentio conueniant in hoc quòd sequantur rem, non secũdum se, sed vt intellectam: prius tamen rẽ, vt intellectam sequitur modus significandi, quàm secunda intentio, eo quòd modus significandi nihil aliud est, quàm signum modi intelligendi, sicut vox significans est signum rei intellectæ, vnde sicut vox significatiua prius sequitur rem intellectam, quàm secunda intentio, ita eius modus significandi modum intelligendi: vt totus ordo pertinentium ad nomina primæ intentionis præcedat ordinem eorum quæ pertinent ad nomina secundæ intentionis. Quia igitur secundæ intentiones res vt intellectas & significatas denominant, & non absolutè, ideo, stat eandem rem diuersimodè intellectam & significatam denominari spe

Apud Logicum quid ĩ genere ponatur.

Universidad de Deusto Biblioteca

ciem:& consequenter esse directè in prædicamento & non esse directè in eo, sicut eadem natura humana significata nomine Hominis, species est: significata vero nomine Humanitatis species non est: sed specie principiũ. Vnde in proposito apud Logicum res illa, quæ Albedinis nomine intelligitur, diuersimodè significata, in prædicamẽto esse affirmatur, & negatur. Si enim in abstracto significetur, cùm sic speciei denominationem habeat, in prædicamento reponitur: si autem in concreto significetur, cùm sic speciei vel generis denominationem non habeat, quia rem extraneam ex modo significandi includit, in prædicamento directè esse negatur. Et quia intentio san. Th. est declarare quomodo accidentia se habeant ad intentiones logicas, & non ad cuius generis rem pertineant, ideo concretum accidentale à Prædicamentis separauit.

CVM His omnibus aduertas, ꝙ aliquid facit rẽ reponi in prædicamento dupliciter. Vno modo vt ratio reponẽdi ipsum in prædicamẽto: alio mõ vt cõditio sine qua nõ. Ratio reponẽdi rẽ in genere siue specie tã apud Logicũ ꝙ apud Metaphysicũ est essentia illius rei, res em̃ per suã essentiã ad genus & speciẽ definitur: conditio autem, sine qua, non est modus ipse significandi. Et in prædicamento quidem substantiæ conditio, sine qua res nõ suscipit generis vel speciei, &c. denominationem, est modus significandi in concreto. In prædicamentis autem accidentium conditio, sine qua non est modus significandi in abstracto: propterea cùm dictum est, concretum accidentale nõ directè reponi in prædicamẽto apud Logicũ, intellige hoc propter defectum conditionis, sine qua non, & non propter defectũ rationis reponendi. Et similiter cùm dicitur, ꝙ humanitas & vniuersaliter abstractũ substantiale non est in genere substantiæ, intellige propter defectum conditionis, sine qua non, & non rationis reponendi.

In accidentibus nõ sumitur genus & differentia à materia & forma, sed genus ex proprio modo essendi quo prædicamentum pars entis constituitur.

Et quia accidentia non componuntur ex materia & forma: ideo non potest in eis sumi genus à materia, & differentia à forma, sicut in substantijs compositis: sed oportet vt primũ genus sumatur ex ipso modo essendi, secundum quod ens diuersimodè secũdum prius & posterius de decem generibus prædicatur. sicut dicitur quantitas ex eo ꝙ est mensura substantiæ, & qualitas secundũ quod est dispositio substantiæ, & sic de alijs secundum Philosophum in vndecimo Metaphysicæ.

¶ Hic declaratur vnde in accidentibus sumantur genus & differentia propositionibus tribus. Prima est, Genus & differentia non sumuntur in eis ex materia & forma.

Secunda est, Primum genus sumitur ex proprio modo essendi, quo prædicamentum ipsum pars entis constituitur. Tertia est, Differentiæ sumuntur in accidẽtibus ex diuersitate propriorum principiorũ. Prima patet sic, In compositum ex materia, & forma non potest habere genus sumptum à materia, & differentiam à forma, sed accidentia sunt incompasita ex materia & forma: igitur non potest in eis sumi genus à materia, & differentia à forma sicut sic in substantijs compositis: quod qualiter intelligẽdum sit, suprà dictum est. Secũda patet sic, Primum genus oportet explicare essentiã secundum propriam potentiam, quæ est in ea: sicut vltima differentia debet explicare essentiã secundum vltimum actum: sed essentia accidentis secundum modũ illum, quo pars entis cõstituitur habet propriam potentiã: ergo ex illo modo sumendũ est genus primum.

Ex. 6. p. 3.

INTELLIGENDVM Est hic primò ens diuidi per quosdam modos in prædicamenta: sicut quodam modo genus in species per differentias: ita quòd sicut species per id, quo generis partes efficiuntur in esse specifico, constituuntur: ita prædicamenta per id, quo partes entis fiunt, in esse generalissimo constituuntur: & ideo modi proprij quibus ens ad quodlibet prædicamentum descendit, sunt illi, penes quos prima genera constituta sunt. Sũt autem isti modi per substantiuum, mensuratiuum, dispositiuum, relatiuum, actiuum, &c. vt dicitur quinto Meta. tex. commen. 14.

Ex. 14.

NOTANDVM Est secundò, quòd cùm genus sumatur à re secundum id quo habet rationem determinabilis, primum genus sumendum est à re secundum id, quo primò habet rationem determinabilis: primò autem habet rationem determinabilis res secundum primum sui gradum concepta. Primus autem gradus rei is est, quẽ res ex modo illo sortitur, quo propriũ sibi locum inter partes entis vendicat: & ideo primum genus sumptum ab illo modo entis importat rem, vt primò determinabilem: & propterea ista se consequuntur, sumi à re secundum propriam potentiam eius, id est secundum id, quo primò habet rationem determinabilis, & sumi à re secundum modum illum, quo entis pars sit. Et sic patet assumpta ratio.

In accidentibus sumuntur differentiæ secundũ diuersa illorũ propria principia.

Differentiæ verò in eis sumuntur ex diuersitate principiorum, ex quibus causantur, & quia propriæ passiones ex proprijs principijs subiecti causantur, ideo subiectum ponitur in diffinitione eorum loco differentiæ, si in abstracto diffiniantur, secundum quod sunt propria in genere, sicut dicitur, quòd simitas est nasi curuitas: sed econuerso esset si eorum diffinitio sumeretur secundum quod concretiuè dicuntur: si enim subiectum in eorum diffinitione poneretur sicut genus, quia tunc diffinirentur per modum substantiarum compositarũ, in quibus ratio generis sumitur à materia, sicut dicimus, quòd simum est nasus curuus. similiter etiam est si vnũ accidens alterius accidentis principium sit, sicut principium relationis est actio & passio & quantitas. & ideo secundũ hæc diuidit Philosophus relationem in quinto Metaphysicæ.

T. 4. 20.

¶ Hic ponitur tertia propositio, scilicet quòd differentiæ sumuntur in accidentibus ex diuersitate propriorũ principiorum: & declaratur à posteriori. Signum enim, quòd differentiæ sumantur ex diuersitate propriorum principiorum, est, quòd in diffinitione accidentiũ, in abstracto, quæ propriè habent genus & differentias, subiectum ponitur loco differentiæ: hoc enim nõ esset, nisi accidẽtia different penes sua propria principia: propterea enim propriæ passiones differũt inter se: quia principia subiecti, ex quibus causantur, inter se differunt.

¶ Et quia posset aliquis signum hoc inficiari, dicẽs quòd subiectum proprium quandoque ponitur in diffinitione proprij accidentis loco generis & non differẽtiæ: ideo ad hanc obiectionem excludendam subditur. Licet econuerso esset, &c. & vult dicere quòd licet ita sit, quòd quandoque ponatur subiectum in diffinitione proprij accidentis loco generis & non differentiæ: quia tamen hoc non fit, nisi cùm accidens in cõcreto diffinitur, quod vt sic nõ est in genere: ideo hoc non obstat nostræ sententiæ: quia accidentis differentiam, secundum quod in prædicamento est vnde sumenda sit, declarauimus. Causa enim, quare in diffinitione accidentis in concreto subiectum ponitur loco generis, non est ipsa natura accidentis: ita quòd subiectum eius essentia pro genere sibi vendicet, sed est modus eius significandi: quia enim concretum ex modo significandi importat totum coniunctum, scilicet accidẽs & subiectum: ideo per modum rerum diffinitur compositarũ in quibus genus sumitur à materia, & differentia à forma: & propterea subiectum, cùm se habeat vt materia, loco generis ponitur: & natura accidentis, cũ se habeat vt forma, loco differentiæ ponitur: & dicitur, simum est nasus curuus, non sic autem est cùm diffinitur accidẽs in abstracto: tũc enim ponitur vt genus in quod essentia ipsius accidentis determinat sibi vt genus: & ponitur loco differentiæ id, à quo accidens secũdum naturã suam specificam differentiam trahit, scilicet subiectum proprium: & dicitur, simitas est curuitas nasi. Manifestum quoque fit hoc, scilicet ꝙ differentiæ accidentiũ sumũtur ex diuersitate principiorũ propriorũ, non solũ, qñ accidens immediatè causatur à substantia, sed etiam quãdo vnum accidens est alterius pricipium proprium: tunc enim differentias sortiuntur accidentia accusata penes diuersitatem accidentium causantium, vt patet de relationibus, quarum differentia attenditur penes sua fundamẽta seu causas, puta actionem, passionem & quantitatem, vt patet ex diuisione relatiuorum facta ab Aristo. quinto Meta. text. com. 20. Et per hoc excluditur obiectio alia, quæ posset fieri de secũda & tertia passione eiusdẽ subiecti. Posset enim aliquis obijcere, quomodo alia est differẽtia secũdæ passionis à differentia primæ, si ex principijs

ex quibus fluit passio, differẽtia sumitur, quandoquidem eadẽ sunt principia, à quibus fluũt prima & secũda. Exclusa enim est hæc obiectio per hoc quod dictũ est, quòd quando vnum accidens est principium alterius: differentia posterioris accidentis non ex diuersitate remotorũ principiorum, sed propriorum attenditur: & ideo cùm prima passio sit principium secundæ, non sunt eadẽ propria & immediata principia primæ & secundæ.

Sed quia propria principia accidentium nõ semper sunt manifesta, ideo quandoq; sumimus differentias accidentium ex eorum effectibus, sicut congregatiuum & disgregatiuum visus dicuntur differentiæ coloris, quæ causantur ex abundãtia & paucitate lucis, ex qua diuersæ species coloris causantur. Sic ergo patet, quomodo essentia est in substantijs & accidẽtibus, & quomodo in substantijs compositis & simplicibus, & quomodo intẽtiones logicæ vniuersales in eis inueniuntur, excepto primo principio, quod est infinitæ simplicitatis, cui non cõuenit rario generis vel speciei, & per consequens nec diffinitio propter suam simplicitatem, in quo sit finis & consummatio huius sermonis.

¶ Quia posset tertiò aliquis dubitare de hoc quod dictũ est, scilicet quòd differentiæ accidentium sumuntur ex eorum proprijs principijs, ex hoc quòd quandoq; sumimus eorum differentias ab effectibus, sicut albedinis & nigredinis differẽtias dicimus cõgregare & disgregare visum: ideo ad hanc dubitationẽ tollendã dixit, ꝙ hoc cõtingit non ex natura ipsorum accidẽtium, sed ex nobis, quibus propria principia accidentium occulta cùm sint, opus est ex effectibus notioribus differẽtias sumere, quæ differentias veras quodammodo nobis insinuant: sicut in exemplo proposito liquet, albedo enim & nigredo differunt à priori ex abundantia & paucitate lucis: lux enim in opaco corpore existens aliqualiter obumbrata, albedinẽ constituit: valde autem offuscata nigredinem. à posteriori autem differunt congregatione & disgregatione visus: ex hoc enim contingit disgregari, quia ibi est satis de luce, & non econuerso. Et quia abundantia & paucitas lucis non ita nobis manifestæ sunt, sicut congregare & disgregare: ideo loco propriarum differentiarum, congregatiuum & disgregatiuum ponimus, dicẽtes, albedo est color disgregatiuus visus, nigredo verò congregatiuus.

HIC ADVERTAS, Quòd non dixit subiectum esse differentiam accidẽtis, sed poni loco differẽtiæ, habent enim proprium genus, & propriam differentiam sui generis: quæ tamen absq; obiectione non possunt explicari completè: & ideo omnino oportet subiectum in diffinitione accidentis cadere, vt dictum est. Vltimò epilogus fit eorum, quæ dicta sunt: in quorum explicatione meam opinionem ita prolatam esse volo, vt ibi veritati consentanea inuenta non fuerit, & ingenio & ætati venia detur: adolescentiam enim adhuc ago. Vbi autem veritatis tramitem secuta videbitur, gratiarum debitæ actiones diuo Thomæ habeantur, à quo quicquid veri est, didici.

Commentariorum Thomæ de vio Caietano Cardinalis sancti Xisti in librum diui Thomæ Aquinatis de Ente & Essentia, finis.

TRACTATVS OCTAVVS
solutionum quorundam locorum sibiinuicem aduersantium, in commentarijs sancti Thomæ contentorum.

AD FRATREM IACOBVM Crecton Scotum, lectorem Theologiæ.

PETITIONIBVS Tuis, fili charissime, deesse nolens, ad proposita duo dubia respondere curaui. Proponis primò dissonantiam dictorum nostrorum inter se, dum in Commentarijs Primæ partis, articulo primo, quæstione duodecima, diximus creaturam rationalem vt ordinatam ad fœlicitatem, & non absolutè, naturaliter appetere visionem Dei in se, in articulo autem primo, quæstione octuagesimasecunda, respondendo quarto argumento Scoti diximus, quòd ad naturaliter volendum finem vltimum in particulari, non sufficit indubitata, quoniam hæc est in quolibet fideli, sed exigitur euidentia, quæ solùm conuenit Beatis.

¶ Proponis secundò ambiguitatem circa quandam glossam nostram in eisdem Commentarijs, quæstione quadragesimaseptima, articulo tertio, ad tertium: vbi dicente textu, Non est possibile esse aliam terram, quàm istam: glossauimus, ly possibile, sumi pro possibili sumpto ex potentia indita rebus creatis, secundum quam diximus, impossibile est mortuum resurgere: & non pro possibili secundum potentiam actiuam Dei, neque pro possibili logico: videtur enim tibi, quòd de possibili logico sit sermo, propter materiam subiectam, de qua ibi disputatur: & hoc propter tria. Primò, quia propositio illa pręcedens, Mũdus constat ex tota sua materia, sumpta ex Philosopho, aut intelligitur de totalitate indiuiduali: & hoc non, quia quodlibet indiuiduum perfectum isto modo constat ex sua materia. Aut de totalitate specifica: & sic oportet intelligi de impossibili absolutè, quùm implicet, contradictionem habere totam materiam speciei, & non habere aliquam partem, quæ esset extra illud. Secundò, quia idem dicitur iudicium de terra & de alijs partibus mundi: sed esse duos soles, implicat cõtradictionẽ: ergo sermo est de impossibili absolutè. Manifestatur autẽ implicatio contradictionis: quia positis duobus solibus, si materia vnius appeteret formam alterius, neuter haberet suam materiam: quia solùm constat ex materia satiata sua forma: si autem materia vnius non appeteret formam alterius, sic differrent non solùm specie, sed genere. Tertiò, quia secundum istam glossam, quum dicitur, Nõ est possibile esse aliam terram, sensus esset, Non est potẽtia actiua in rebus creatis, quæ possit producere aliam terram, hic autem sensus longè est à proposito, & quis vnquam de hoc dubitauit?

AD PRIMVM Dubium respondemus, q ly materialiter nõ secundum eandem significationem in vtroq; loco sumitur. Nam in quæstione duodecima naturale attribuitur penes naturam tanquam principium: ita quòd naturalis appetitus appellatur, qui prouenit à principio indito secundum superadiectum diuinæ gratiæ ordinem. Vt enim locutio naturalis est homini à principijs naturalibus, ita appetere cælestis patriæ fœlicitatẽ, naturale est homini ex principijs gratiæ: quia ex illis natum est prouenire. In quæstione autem octuagesimasecunda naturale attenditur penes modum, vt distinguitur cõtra liberum: ideóque ibi dicitur, quòd naturaliter, id est non liberè velle Deum in particulari, &c. solis Beatis conuenit. vnde nulla relinquitur inter dicta dissonãtia.

AD SECVNDAM Autem dubitationem respondetur, clarè constare ex textu, quòd possibile sumitur secundum potentiam in rebus existentem, dũ probatur in textu, ex naturali motu terræ ad centrum hoc. hæc enim probatio manifestat, de Physica potentia sermonem esse. Nam certum est, apud Theologos omnes, posse à Deo creari aliam terram extra istum mundum, et conseruari ibi in æternum.

¶ Ad primam igitur obiectionem dicitur, propositionem illam, Mundus constat ex tota sua materia, intelligi de omni totalitate materiæ, possibili tamen potẽtia Physica: quoniam hoc sufficit ad, probandũ in philosophia naturali, quòd constat ex tota sua materia simpliciter: hoc est sine additione aliqua. Et sic stant ista duo simul, quòd mundus constat ex tota sua materia, & quòd Deus potest per omnipotentiam suam similem materiã extra mundũ creare: quoniã primum intelligitur de tota sua materia possibili Physicè. Nec implicat contradictionem habere totam possibilem Physicè, & nõ habere aliquã partem, quæ per omnipotentiam diuinã fieret extrà.

¶ Ad secundam autem dicitur, ꝙ nulla apparet contradictio, ponendo plures soles eiusdem speciei specialissimę ex diuina omnipotentia, & ꝙ existentibus pluribus solibus, neutrius materia appeteret alterius formam: quia vtriusq; materia cõtenta esset sua forma: sicut modò materia existens in vna parte cælestis corporis homogenei non appetit esse in alia parte: & similiter in motibus partes sphæræ ignęæ contigua accidentali parti orbis Lunæ nõ appetit esse in Orietali parte eiusdẽ orbis. Et omniũ vna communis est ratio, ꝙ in his, quæ sunt eiusdem rationis, vna est etiã ratio appetitiuę quietis: ac per hoc quodlibet

Universidad de Deusto Biblioteca

contentum est illa portione, quam habet. & meritò, quoniam priuatio, quæ machinatur ad malum, non est in certa materia, propter formam eiusdem speciei. Nunquã enim Sortes corrumperetur, si materia eius nõ appeteret, nisi formã humanam: qm̃ illam iam habet, et sic de alijs.

¶ Ad tertiam dicitur, ꝙ aliud est aliqua esse idem, aliud est aliqua consequenter se habere. Vnde licet ad sensum expositum consequatur illa alia propositio, Nulla est potentia actiua in rebus creatis, quæ possit facere aliam terram: non tamen est idem quod sensus expositus, quoniã iuxta sensum expositum sermo est de potentia naturali non, descendendo ad actiuam aut passiuam: & secundũ huiusmodi potentiam affertur ratio de motu naturali & non de potentia vel impotentia generatiua terræ.

¶ Hæc sunt quæ velut à somno scientiarum speculatiuarum excitato occurrerunt respondenda. Reliquum est, vt attendas tibi & lectioni, & ores pro me: & bene vale Romæ 23. Nouembris, 1522.

TRACTATVS NONVS de Vinculo obedientiæ cuius est unica quæstio.

QVAESTIO.

Num Homo teneatur superiori obedire in his, in quibus parando oportet periculo mortis se exponere.

VTRVM Homo homini superiori teneatur obedire in his, in quibus oportet se exponere periculo mortis? Et videtur quòd non. Primò ratione, quia homo homini non est subditus, quo ad naturam: ac per hoc non tenetur vitam perdere ad mandatum alterius. Et confirmatur autoritate: quia sanctus Thomas in Secunda Secundæ, q. 105. arti. 5. in corpore dicit: Tenetur homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus sunt agenda, in quibus tamen secundũ ea, quæ ad naturam corporis pertinent homo homini obedire non tenetur, sed solùm Deo, quia omnes homines natura sunt pares: puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem & prolis generationem. Hæc ille.

¶ Secundò, quia non tenetur homo secundum charitatis ordinem ponere vitam corporalem pro quocunq; exteriori bono, aut pro vita corporali alterius, quum plus teneatur diligere corporalem vitam suam, quàm proximi, & contra aut supra charitatis ordinem non tenetur homo homini obedire.

¶ Tertiò, quia humana iura de actionibus humanis intelliguntur salua consistentia, imò incolumitate subiecti: vt patet de præcepto ieiuniorum, de diuinis officijs persoluendis, de obseruatione festorum. non enim tenetur homo ad ieiunia, ad diuinum officium, aut ad obseruationẽ festorum, si non potest hæc sine non solùm vitæ, sed sanitatis periculo seruare. Eximit ergo periculũ vitæ ab obedientia humana.

¶ Quartò, quia timor cadens in constantem virum, qualis est timor mortis, excusat ab omni iuris ac iudicij humani executione: ergo idem quod prius.

CONCLVSIO.

Tenentur inferiores ac subditi, legi & superioribus in omnibus obedire, quæ ab ipsis præcipiuntur, vt ad virtutum actus, & commune bonum attinent, etiam si mortis periculum parendo immineat.

AD EVIDENTIAM Huius quæstionis sciẽdum est, ꝙ non distinguere inter per se & per accidens occasio est minus bene sentiendi: contingit enim etiam sapientes, inquit Aristo. falli in ijs quæ sunt per accidens. Aliud est igitur subdi hominem homini in his, quæ sunt naturæ, per se loquendo, & aliud per accidens. Subijci nanq; per se, est directè & formaliter subijci: ita quòd possint illa directè & formaliter præcipi. Subdi verò per accidens, est per concomitantiam, aut sequelam ad illud, in quo per se subditur subijci, Exemplũ, Homo homini non subditur per se secũdum interiores motus animi: & ideo non potest superior præcipere directè & formaliter interiores actus animi: soli enim Deo hoc est proprium. Subditur tamen per accidens, inquantum interiores animi motus sunt exteriorum actionum rationes: sic em̃ concomitãtur exteriores actiones, in quibus homini homo per se subijcitur. Et ideo superiores aliter iudicant hominem ex malitia, aliter ex passione, aliter ex ignorantia operantem. In proposito autem verissimum est hominem non subdi homini in his, quæ ad naturam spectãt, sed hoc intelligitur per se & formaliter, & ideo nullus potest alteri, ꝑcipere vt se occidat, vt nõ comedat, vt nõ generet. Sed per accidens in his etiã homo homini subdit, pro quãto hæc concomitanter se habent ad actiones, in quibus homo homini per se subditur, vt patet in laicis subditis, qui tenentur mandãte principe, præliari, & exponere se mortis periculo, vt experientia testatur quia potest princeps præcipere, vt tueantur armis rempublicam, vt vindicentur armis eandem, & huic annexum est periculum mortis: ideo ex tali annexione subduntur etiam, quo ad vitam. Ratio autẽ huiusmodi debitæ obediẽtiæ est, quia de humanorum actuum subiectione iudicandum est secũdum ea quæ insunt per se, & non secundum ea, quæ sunt per accidens: sicut vniuersaliter de cæteris conditionibus humanarum actionum consideratio & iudicium si non fiat per se, non rectè iudicatur nisi diuinando. oportet ergo inspicere ad naturam operis humani an sit per se de genere subditorum superiori homini, an sit de genere exemptorum à subiectione humana, vt fecit diuus Thomas in loco allegato, duo operum genera per se eximens à subiectione, humana opera scilicet interiora animi, & opera naturæ sustentãdæ & propagandæ. Et aduerte ꝙ etiam nõ per se subiectæ operationes alteri homini, possunt per accidens fieri subiectæ alteri homini, vt declarauimus. Quum igitur constet, exteriores actus virtutum necessarios ad commune bonum politicum vel domesticũ subiectos esse homini superiori, quoniam & leges humanæ huiusmodi actus præcipiunt, & superiores ad hos cogunt subditos, non sunt à suo subiectionis ordine eximendi, propter accidentia annexa: vt testantur præcepta de actibus fortitudinis. Si enim leges & præcepta principum de actibus fortitudinis exceptionem admittunt, quando est fortitudinis actibus annexum vitæ periculum, vanus est omnis principatus ad præcipiẽdum quæ sunt fortis: vnde nil aliud est dicere, quòd lex aut princeps aut superior non potest præcipere actus, quibus annexum est vitæ periculum, quàm exterminare præcepta fortitudinis à potestate humana: quum fortitudo circa mortis pericula sit: quod quia absurdũ, imò ridiculũ est, stet iudiciũ in his, quæ sunt per se. Simile quoq; facile apparet in actibus religionis: præcipit ecclesiastica lex missam celebrare non nisi cum sacris vestibus cum altari, cum calice, si fiat exceptio de mortis periculo, sacerdos cõminata sibi morte celebrabit licitè in diaploide, habẽs tantummodo panem & vinum quis fatuus diceret hæc: Similiter episcopus cõferet ordines sacros in diploide sine vllis cæremonijs, sola forma substantiali seruata ob comminatam sibi mortem quod est sacrilegium. Ex quibus quilibet sapiens potest percipere, falsum esse, fundamentum, quòd humana lex & superior homo non potest præcipere actus virtutum vsque ad mortis periculum inclusiuè, & quòd subditi non teneantur obedire. Stetur ergo, vt dictum est, in his, quæ sunt per se, censendo quòd tam lex, quàm superior homo potest pręcipere omnes exteriores virtutum actus necessarios ad commune bonum illud cuius curã habet, ad quod subditos habet: & subditi tenentur obedire, non obstante quocunque vitæ periculo annexo. Vnde quia prælatus potest præcipere subditis religiosis ea, quæ sunt ad mutua obsequia, inter quæ non infimum tenet locum cura infirmorum: ideo tenetur subditus obedire ad seruiendum ægris etiam infectis epidimiæ morbo: quoniam hoc periculum vitæ concomitanter se habet ad opus, quod per se præcipitur, scilicet seruitium infirmorũ. Nec minus tenetur religiosus in his & similibus obedire quàm secularis suo principi ad præliandum, vbi est maximum mortis periculum concomitans. Et quoniam hoc clarum est, non me extendo amplius, sed ex his constat satisfactum esse primæ rationi in oppositum allatæ, & autoritati san. Tho. verificãtur siquidem formaliter & per se, secus autem est quũ concomitanter concurrit id quod est naturæ seu vitæ ad illud quod per se præcipi potest.

¶ Ad secundam verò rationem de charitatis ordine, respondetur quòd charitatis ordo habet, vt pro actu virtutis cuilibet exponat vitam suam corporalem, & miles pro actu virtutis, scilicet iustæ defensionis aut iustæ vltionis, exponit vitã suã periculo, & seruiẽs infectis, pro actu virtutis, scilicet religiosi obsequij exponit se periculo

semp

mortis, & non pro bonis externis aut corporali salute alterius. Constat autem hos & similes virtutum actus debitos posse præcipi: nec contra nec supra charitatis ordinem, sed secũdum charitatis ordinem quantum bonum animæ præstat corporali vita.

¶ Ad tertiam dicitur, quòd actus virtuosi præcepti à iure positiuo relati ad vitæ periculum, nõ sunt vniformes. Quidam enim sunt, quorũ rectitudo destruitur ex vitæ periculo annexo, vt sunt actus abstinentiæ, qui si cũ crimine vitæ fiant, non sunt virtuosi: quoniam recta abstinentiæ ratio medium sic exigit, vt non subtrahatur necessarium ad vitam: & de his verificatur, quòd leges humanæ intelliguntur salua consistentia subiecti. Quidam verò sunt, quorum rectitudo constituitur ex periculo vitæ: vt actus fortitudinis: qui si discrimen vitæ effugerent, in vitium inciderent. Et simile est de reliquis actibus virtutum necessarijs ad commune bonum, vt sunt obsequia, officia, ministeria necessaria ad commune bonum, in quibus est nonnulla fortitudo in sustinendo pericula vitæ superuenientia: sustinetur enim intantum eorum rectitudo ex periculo vitæ, vt si huiusmodi periculum effugerent in vitium inciderent timiditatis, & in huiusmodi non subintelligitur salua consistentia subiecti. Quidam verò sunt medij respicientes periculum vitæ omnino accidentaliter vt sunt multi religionis actus, puta audire missam, seruare festa, & huiusmodi. Et horum duplex est differentia. Nam quidam sunt, qui ex supradicto vitæ periculo & licitè omittũtur, & supererogatoriè fiũt vt sunt actus prædicandi & corrigendi, qui quandoque (puta non cogẽte diuini iuris necessitate) possunt propter vitæ periculum omitti licitè: quia est licitum quandoq; fugere: possunt & tunc nihilominus supererogare, volentes prædicare & reprehendere: vt Ioã. Baptista arguit Herodem, sciebat enim Herodes crimen suum, ita quòd non necessitatis, sed supererogationis erat Ioannis reprehẽsio. Quædam verò sunt, quæ si fiant propter timorem mortis, illicitè omnino fiunt: vt celebrare missam absq; sacris vestibus, calice, & altari, celebrare scienter coram excõmunicatis nominatim, & reliqua similia quæ si fiãt propter timorem mortis sunt illicita: quia non excusantur à toto, sed à tanto. Et horum omnium vna cõmunis est ratio: quia legis & principis est præcipere actus virtutum necessarios ad cõmune bonum: vt aũt declaratũ est, à virtute recederetur, si mortis periculũ in ꝑdictis exciperetur.

¶ Ad quartã dicitur, ꝙ timor cadens in constantem virum, excusat iuxta prædictam distinctionem, quandoq; à toto: vt in his, in quibus omissio vel cõmissio ob mortis periculũ à rectitudine non recedit. Et hoc gratia materiæ humanitatis pietate suffultæ plerunq; fortè à Iuristis extenditur. Quandoq; autem excusat non à toto, sed à tãto coram Deo, quamuis coram humano iudice excuset à toto, vt in prædictis patet: & tunc moriendum est potius viro forti, quàm incurrere obliquitatem etiam venialem. Romæ die 27. Decembris, 1522.

TRACTATVS DECIMVS de Missæ Sacrificio & Ritu aduersus Lutheranos, ad Clementem primum Pontificem Maximum, in sex capita diuisus.

1 Quænam sit operis intentio.
2 Conuenientia & differentia Lutheranorum cum Catholicis circa sacrificium missæ.
3 Ex institutione Christi Eucharistiam immolari.
4 Ex institutione Christi immolari Eucharistiam in remissionem peccatorum.
5 Obiectiones ex Epistola ad Hebræos contra sacrificium missæ.
6 Responsio ad obiecta.

CLEMENTI SEPT. PONT. MAX. THOmas de Vio Caietanus, Cardinalis sancti Xisti, fœlicitatem.

MANDASTI Olim P. beatissime, vt tanquam instructor nuntij scriberem respondenda obiectis in libello de Cœna Domini, asserente corpus & sanguinem Christi in Eucharistia esse duntaxat, sicut in signo: oblato autem nuperrimè mihi Libello Lutherano etiam de cœna Domini affirmante in Eucharistia verum Christi corpus & sanguinem sed negante sacrificium missæ, contra vniuersas etiam schismaticorum ecclesias, existimaui non esse expectandum mandatum, sed officij mei partes exequi, manifestando rationes errandi in hac noua hæresi. Suscipiat itaque decernendam Apostolatus tui censura lucubratiunculam hanc, & fœlix vale.

CAPVT I.

Quæ sit intentio operis.

VNICVS MAGISTER Omniũ dominus Iesus Sadducæos (qui ex sacris libris solos libros Moysi recipiebant) confutando ex libris Moysi, docuit nos, vt aduersus hæreticos abstineamus à testimonijs, quæ non recipiunt: sed illis vtamur sacris testibus, quos non refutant. Quocirca aduersus hæreticos qui Lutherani vocantur, innitentes solis testimonijs sacrarum Scripturarum, scripturis de sacrificio missæ, ex solis sacris Scripturis disputationem doctrinamq; omnem perficere intendo: tum ne glorietur in solido fundari sacrarũ Scripturarum fundamento, negationem sacrificij missæ: tum ne minus docti putent ex Ecclesiæ institutione, non Scripturæ autoritate, fulciri sacrificium missæ: tum vt habeant Lutherani illi, qui ignoranter errant, vnde resipiscant.

¶ Vt autem clara fiat apud omnes veritas, primùm in quo conueniunt, & in quo differunt Lutherani à catholicis: deinde quid ex sacris scripturis de sacrificio missæ habetur: & demum Lutheranæ obiectiones discutientur.

CAPVT II.

Conuenientia & differentia Lutheranorum cum Catholicis circa sacrificium missæ.

CONSENTIVNT Lutherani missam posse sacrificium memoriæ appellari ea ratione, quia in memoriam sacrificij oblati in cruce verum corpus Christi, cum vero sanguine Christi consecratur, veneratur & sumitur: dicente Domino, Hoc facite in mei commemorationem. Negant autem duo. Alterum est: offerri corpus vel sanguinem Christi Deo, quamuis enim affirment in altari esse verũ Christi corpus, negant tamen illud verbum Christi corpus offerri Deo. Alterum est, esse in altari hostiam seu sacrificium pro expiatione peccatorum, siue pro viuis siue pro defunctis. Et fundant vtrunque super doctrinam Epistolæ ad Hebræos, vbi clarè vnica oblatio corporis Christi in cruce semel facta, sufficiens manifestatur pro peccatis totius mũdi. Et propterea inferunt, ꝙ quamuis cultus corporis Christi in memoriam passionis & mortis Christi sit institutus à Christo: oblatio tamen corporis Christi tanquam hostiæ pro peccato, est adinuentio humana, contraria documentis sacræ Scripturæ.

CAPVT III.

Ex institutione Christi Eucharistiam immolari.

CATHOLICI Autem agnoscimus in sacris literis scriptam esse institutionem immolationis Eucharistiæ. Euangelistę em̃ (specialiter Lucas capite vigesimosecundo, specialiùsque Paulus ad Corinthios vndecimo.) tradunt post multas actiones domini Iesu in cœna, eum mandasse, Hoc facite in mei commemorationem. Quæ quia verba sunt Iesu Christi, libranda valde sunt: tum pronomen, Hoc: tum verbum, Facite: tum, In mei commemorationem.

¶ Ad intelligendum itaq; demonstratum per pronomẽ, Hoc, inspicienda sunt quæ præmittuntur. Præmittitur aũt, ꝙ Iesus accepit panẽ, gratias egit, fregit, dedit, dixit, Accipite, comedite, hoc est corpus meũ, quod pro vobis frangitur: vel secundum Lucã, datur: Statimq; subiũxit, Hoc facite in mei commemorationem. Pronomen itaq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc,quum non arcetur ad demonstrandũ aliquod præmissorũ,& ad aliquod præmissorũ nõ demonstrandũ cõsequens est vt demonstret vniuersitatem præmissorum.
¶ Verbum,Facite,multa fert mysteria. Nam non dicit, hoc dicite,sed,hoc facite:vt significaretur,quòd id,quod mandat, non consistit in dicere,sed in facere:quódq; dicere hîc interueniens,non propter dicere,sed propter facere est,vt intelligeremus,quòd verba cõsecrationis sunt verba efficientia illud,quod significant. Et adiungendo, In mei commemorationem,distinguit Facere à cõmemorare:vt significantius non dixerit, hoc commemorate, sed hoc facite in commemorationem mei.Mandat itaq; Dominus Iesus hoc, id est vniuersa præmissa, facere in memoriã sui.Actus ergo faciendi hoc,mandatur relatus ad recordationem domini Iesu.
¶ Ex eo aũt,q; sub facere hoc, cõprehenditur nõ solũ facere corpus Christi,sed etiã facere corpus Christi q; frangitur seu datur pro nobis, manifestũ est dũm Iesum mãdasse,facite corpus meũ,quod pro vobis frangitur & datur.Perinde aũtest,Quod pro vobis frangitur & datur, acsi dicetetur, Quod pro vobis immolatur. neq; enim aliter frangitur aut datur nisi pro quanto in cruce frãgitur & datur(hoc est immolatur)pro vobis:facere autem corpus meũ,quod pro vobis immolatur vt sic, perinde est, ac facere corpus meum,quatenus pro vobis immolatur.
¶ Vt autem hæc,quæ dicimus penetres,aduerte q; si Dominus Iesus ob veritatem duntaxat corporis sui significandam adiunxisset,quod pro vobis frangitur seu datur, sat fuisset dicere,quod in persona mea videtis,seu quodcũque aliud eiusmodi.Sed absit à domini Iesu Christi nomine,sermo non formalis,quo adempto,omnis tollitur certitudo sermonis;vagaretur enim per infinita accidentia. Dicẽdo itaq;,quod pro vobis frangitur,seu datur,formali sermone significat,facite corpus meũ,quatenus pro vobis offertur,& hoc ipsum facite in mei cõmemorationẽ.
¶ Porro ex eo q; facere hoc in Christi memoriã, plus est quàm consecrãdo facere corpus Christi(quia est etiam facere corpus Christi,quod datur & frangitur pro vobis) & plus est,q; recordari Christi(qa est facere Christi corpus quod datur ac frãgitur pro nobis in Christi recordationem)& dari ac frangi pro nobis,est immolari pro nobis(nam dari significat in genere offerri:frangi verò significat in specie modũ offerendi,per fractionẽ scilicet)dedit eũ semetipsum Deo in cruce fractione manuum,pedum ac lateris pro nobis,consequens est q; mandãte domino Iesu,hoc facite in mei commemorationẽ, mandatur, hoc facite immolatitio modo in mei cõmemorationẽ . facere eũ corpus Christi,quod immolatur,est facere illud immolando seu per modũ immolationis:nam sic duntaxat fit à nobis corpus Christi:quatenus immolatur:nã facto non fit à nobis corpus Christi,quatenus immolatur, nisi vtrũq; facto impleatur:videlicet & cõsecrãdo facere corpus Christi,& immolãdo facere quod datur, & frãgitur nobis:adiũcto tertio,videlicet,in Iesu Christi memoriã.
¶ Et aduerte prudẽs lector,facta in cœna Dominica,vt perpẽdas q; quadret institutio institutioni,& factum facto,& immolatio immolationi.Cœna siquidẽ agni Paschalis,instituta in memoriam eductionis de Aegipto, in facto consistebat immolationis:ita q; ipsa cœna erat immolatio Paschalis agni.Similiter nãq; dominus Iesus cõpleto sacrificio Paschalis agni, instituit nouum nostrum Pascha seipsum, vt immolatur, dicendo, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur ac frangitur : hoc facite in mei memoriã.Ac si verbo dixisset,quod surrogationis facto dicebat,quemadmodũ hactenus in memoriã exitus de Aegypto fecistis Pascha, ita deinceps hoc facite in meæ immolationis memoriam. Vt ipsa surrogatione noui Paschatis pro veteri loqueretur, ac diceret,Pascha illud fecistis immolando communi cœna, & hoc facite immolando communi mensa in mei commemorationẽ. Ita quòd ex ipsa surrogatione noui Paschatis,veteri significatur,q; dicendo,Hoc facite in mei memoriam, intelligitur de facere immolatitio modo : nam & immolatitio modo fecerant vetus Pascha.
¶ Huic autem esse germanum sensum mandati istius, testantur etiã facta recitata à Paulo 1.ad Cor.10.Cõnumerat siquidẽ Paulus panem sanctum,& poculũ sanguinis Christi inter immolata,supputat mensam nostrã inter altaria,decernit edẽtes et bibẽtes de mẽsa Dñi inter comedẽtes & bibẽtes immolata.Ex q;bus clarè patet,tũ Apostolos intellexisse mandatum Christi,hoc facite in mei memoriam,de facere immolando Eucharistiam, tũ Apostolorum tempore Eucharistiam fuisse in Christi Ecclesia non solùm sacramentum,sed etiam sacrificium tum in sacra Scriptura,& nõ solùm in vsu,Ecclesiæ & libris Doctorum,haberi.immolationẽ corporis & sanguinis Domini. Verba autem Apostoli sunt hæc,Fugite ab idolorum cultu,vt prudentibus loquor:iudicate vos quod dico. Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est? quoniã vnus panis,vnũ corpus multi sumus:nã oẽs ex eodẽ pane participamus. Videte Israelem secundum carnem, nonne qui edunt victimas,participes altaris sunt?Quid ergo dico,quòd simulacrum aliquid sit, aut quòd simulacris immolatũ aliquid sit?sed quòd quæ immolant Gentes,dæmonijs immolant,& nõ Deo.Nolo autem vos cõmunicantes fieri dæmoniorum:non potestis poculum domini bibere,& poculum dæmoniorum : non potestis mensæ Domini participes esse,& mensæ dæmoniorum. Hæc ille.Ex his enim manifestè patet Apostolum inter victimas Israelis,& immolata dæmonijs recensere panem, quem frangimus & poculum benedictionis;& inter altare Israelis & mensam dæmoniorum,mensam Domini: & inter edentes victimas altaris Israel & edentes immolata dæmonijs,edentes de mensa Domini & bibentes de illius poculo,& ex huiusmodi ratione arguere,quòd non possunt immolatorũ deo & dæmonibus participes esse. Nisi enim immolata essent Deo panis & calix Christi, vniuersa Pauli fabrica ex immolatis tam Deo vero ab Israele,quàm immolatis dæmonijs a Gentibus surgens rueret.Sed hoc tam clarum est testimonium,quòd panis & calix Christi tempore Pauli immolabantur: vt nostra clarificatione non indigeat.

CAPVT III I.

Ex institutione Christi immolari eucharistiam in remissionem peccatorum.

ALTERVM A Lutheranis negatum in missa,videlicet quòd sit hostia pro expiatione peccatorũ,facilè ex eodẽ domini Iesu mãdato,eadem procedẽdo via mõstrantur falsò negari.Nã Matth.26.dominus Iesus accepto calice non solùm dixit,Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur,sed adiunxit,In remissionẽ peccatorum,& subiunxit.Hoc facite in mei recordationẽ.Sub mandato itaque hoc facite, comprehenditur facere immolando sanguinem Christi in poculo,non solùm quatenus effunditur,sed etiam quatenus effunditur pro multis in remissionem peccatorum.Sermo enim formalis significat,quòd quemadmodum effusio sanguinis in remissionem peccatorum est ipsa cruenta hostia pro peccatis nostris ita facere poculũ sanguinis,qui effunditur in remissionem peccatorum vt sic,est immolare poculum sanguinis quatenus effunditur in remissionem peccatorum,quatenus operatur remissionem peccatorum, effundi enim in remissionem peccatorum est operari remissiopem peccatorum,quantum est ex parte sua, quicquid sit de effectu.Nõ igitur humana est adinuentio,sed intelligentia & obedientia diuini mandati,tum offerre corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini in memoriam domini nostri Iesu Christi,tamen hæc ipsa offerre pro expiatione peccatorum : vt optima legis interpres consuetudo vniuersarum ecclesiarum, non solùm Latinarum, & Græcarum,sed Armenarum, Persarum & reliquarum pene orbem diffusarum ab antiquo semper interpretata est.

CAPVT V.

Obiectiones ex Epistola ad Hebraos contra sacrificium missæ.

ADVERSVS HAEC Duo instituta insurgũt Lutherani ex multis dictis in Epistola ad Hebr.capit.7.vsque ad decimũ inclusiuè.Et cõtra quotidianam quidem oblationem Eucharistiæ arguunt tripliciter.Primò, ex multitudine sacerdotum.Nam ibidem differentia ponitur inter Christum sacerdotẽ noui Testamenti, & sac

& sacerdotem veteris Testamenti, quòd ille est vnicus, istum autem oportet multiplicare:quia ille æternus, iste temporalis:inconueniens ergo est,in nouo Testamento affirmare talem hostiam , cui non sat est vnicus sacerdos, Christus,sed oportet successiuè,secundũ temporum successus sacerdotem sacerdoti succedere : vt oportere videmus in missæ sacrificio. Secundò, ex repetitione oblationis.Nam ibidem differentia scribitur inter sacrificium veteris Testamenti & sacrificium noui Testamẽti,quòd illud repetebatur tùm singulis diebus à sacerdotibus simplicibus:tum singulis annis à summo Sacerdote ; hoc autem nec quotidie nec quotannis repetitur,sed semel oblatum est:inconueniens est ergo,in nouo Testamento sacrificium affirmate, quod oportet sæpè repetere. Tertiò, ex parte rei oblatæ.Nam ibidem differentia inter sacrificium veteris & noui Testamenti,ponitur, quòd tũc sanguine hircorum,&c.vtebatur sacerdos : nunc autem per proprium sanguinem semetipsum semel obtulit:inconueniens ergo est, per nos offerri sub specie panis & vini, qui semel sufficientissimè oblatus est Christus à seipso.
CONTRA HOC Verò, videlicet quòd Eucharistia sit hostia pro peccatis , arguunt etiã tripliciter, Primò ex repetitione:quia ibidẽ hostiarũ veteris Testamenti infirmitati ad delenda peccata,ascribitur repetitio Hostiæ. Si eũ peccata purgassent,desijssent offerri:& iõ noui Testamẽti hostia tollens peccata, non repetitur:inconueniens ergo est, in nouo Testamento affirmare hostiam pro peccatis,quam oportet repetere:qualis est missa. Secundò,ex sufficientia sacrificij Christi, quia Christus vnica oblatione semetipsum offerens in cruce, consummauit omnes accedentes ad eum, &c. iniuria ergo fit sufficientissimæ Christi hostiæ pro peccatis totius mũdi, addendo hostiã aliã in nouo Testamẽto pro peccatis.
Tertiò,ex parte abolitorum peccatorum : quia(vt ibi dicitur)vbi non restant peccata expianda, non est opus hostia pro peccatis : sed omnia peccata sunt abolita per gratiam noui Testamenti, quod Christi morte firmatum est : non est ergo locus alteri hostiæ pro peccatis in nouo Testamento.

CAPVT VI.

Responsio ad obiecta.

FVNDAMENTVM Veritatis & intelligendi diuersa sacræ Scripturæ dicta circa noui Testamenti sacrificium ac sacerdotium est vnitas hostiæ,simpliciter & absolutè immolatæ semel in cruce ab ipso Christo secundum seipsum, & secundum quid immolatæ quotidie ab eodem per ministros in Ecclesia sua. Ita quòd in nouo testamento est hostia cruenta, est & hostia incruenta. Hostiam siquidem cruentam agnoscimus Iesum Christum in crucis ara oblatum semel pro peccatis totius mundi : hostiam verò incruentam agnoscimus institutam à Christo, corpus & sanguinem eius sub specie panis & vini : vt citatæ Scripturæ testantur.
Verum hostia cruenta & incruenta non sunt duæ hostiæ, sed hostia vna : quia res quæ est hostia,est vnamet res, non enim Christi corpus in nostro altari est aliud ab illo Christi corpore, quod oblatum est in cruce : nec sanguis Christi in nostro altari alius est ab illo Christi sanguine, qui fusus est in cruce. Modus verò hanc vnam eandémq; hostiam immolandi, alter est : quia ille vnicus substantialis ac primæuus immolandi modus, fuit cruentus : vtpotè in propria specie corporis fractione in cruce sanguinem fundens : iste verò quotidianus exterius accessoriúsq; modus,est incruentus : vtpotè sub specie panis & vini oblatum in cruce Christum, immolatitio modo repræsentans. Quocirca noui Testamenti hostia cruenta & incruenta, vnica est ex parte rei oblatæ, & ex parte modi offerendi,licet sit diuersitas : quia tamen iste modus, scilicet incruentè immolare, non est secundum seipsum tanquam disparatus modus immolandi institutus , sed duntaxat vt refertur ad cruentam in cruce hostiam,consequens est apud sapientes,& penetrantes,q; vbi vnũ non nisi propter alterũ, ibi vnum duntaxat est : consequens inquam est non posse affirmari,propriè loquendo,duo sacrificia aut duas hostias aut duas oblationes, immolationes, & quouis nomine appelles, esse in nouo Testamento,ex hoc quòd est in eo hostia cruenta Christus in cruce & hostia incruenta, Christus in altari : sed esse vnicã hostiam semel oblatam in cruce, perseuerantem modo immolatitio quotidiana repetitione ex institutione Christi in Eucharistia.Perseuerantiam autem hostiæ in cruce oblatæ fingimus in nostro altari: sed ex identitate rei oblatæ in cruce & in altari habemus. ex eo enim, quòd vnum atque idem Christi corpus est, quod oblatum est in cruce, & illudmet offertur in altari clarè patet, non esse aliam hostiam in altari & in cruce: sed eam, quæ in cruce oblata semel est,perseuerare,alio tamen modo in altari,mandãte Christo, Hoc facite in mei commemorationem. Si nanq; tunxeris hæc duo, videlicet, hoc facite,&,in mei memoriam, perpẽdens q; vnum atq; idem illud,quod tunc fiebat,facimus in Christi memoriam:quod est illud vnum atq; idem quod tunc frangebatur & effundebatur perseuerare sub specie panis & vini in memoriam Christi.
EX HIS IGITVR Ad singula obiecta sigillatim diluenda descendendo, dicitur ad primum de vnitate sacerdotis, quòd in nouo Testamento vnicus est sacerdos Christus, & ipsemet est sacerdos in nostro altari:nam ministri quiq; nõ in personis proprijs,sed in persona Christi cõsecrant corpus & sanguinem Christi,vt testantur verba cõsecrationis:ac per hoc vices Christi agentes, offerũt : nõ enim dicit sacerdos,hoc est corpus Christi,sed hoc est corpus meũ:faciendo in Christi persona sub specie panis, corpus Christi, iuxta mandatũ Christi. hoc facite. Et quũ infertur, incõuenientẽ esse affirmare hostiã in nouo Testamento, cui non sat est Christus,sed oportet succedere ministros: respondetur quòd aliud est affirmare disparatam hostiam requirentem successionem sacerdotum:& aliud est affirmare,perseuerantiam hostiæ in cruce oblatæ requirentem successionem ministrorum. Primum enim dedecet noui Testamenti statum:secundum autem consentaneum nouo Testamento est, vt iugis vigeat victima vnica illa semel oblata.
¶ Ad secundum ex parte repetitionis, dicitur, quòd in nouo Testamento non repetitur sacrificium seu oblatio, sed perseuerat immolatitio modo vnicum sacrificium semel oblatum : & in modo perseuerandi interuenit repetitio,non in ipsa re oblata,nec etiã ipse,qui repetitur modus,concurrit ad sacrificium propter se,sed propter oblationem in cruce commemorandam incruentè,cuius autem modi repetitionem non esse contra doctrinam Epistolæ ad Heb.testantur verba illius,inferentia,quòd si repeteretur noui Testamenti sacrificium,oportuisset Christum sæpè pati. De repetitione igitur sacrificij manifestat se loqui, non de repetitione istius modi à Domino Iesu Christo instituti.
¶ Ad tertium ex parte rei oblatæ,dicitur quòd cùm hoc, quòd Christus semel proprium sanguinem sufficientissimè & abundantissimè fuderit in cruce,quadrat vt perseueret immolatitio modo in Eucharistia illa vnica ac sufficientissima sanguinis in cruce effusio.
AD PRIMVM Autem contra Eucharistiam, quatenus affirmatur hostia pro peccatis, dicitur concedendo,quòd ex hostiæ impotentia ad delenda peccata ad creta est in lege veteri repetitio eiusdem hostiæ. Et quũ infertur,inconueniens esse,in nouo Testamento affirmare hostiam pro peccatis,quam oportet repetere:concedi tur totum propriè loquendo:quia non repetitur in missa hostia,sed illamet hostia in cruce oblata perseuerans immolatitio modo,tecolitur in qualibet missa.
¶ Ad secundum autem dicitur, quòd absit à fidelium mentibus etiam cogitare, quòd ad supplendam efficaciam hostiæ in cruce oblatæ celebretur missa : celebratur enim tanquam vehiculum remissionis peccatorum per Christum in cruce factæ : ita quod quemadmodum non est alia hostia , ita non aliam affert remissionem peccatorum. Nam quemadmodum Christus per proprium sanguinem penetrauit cælos,perseuerans sacerdos in æternum ad interpellandum pro nobis(vt in eadem Epistola scribitur)ita perseuerat nobiscum per Eucharistiam immolatitio modo, intercedendo pro nobis. Sicut enim sufficientia & efficacia summa sacrificij in ara crucis non excludit perseuerantiam Christi in cælis in officio interpellandi pro nobis : ita non excludit perseuerantiam eiusdem nobiscum immolatitio modo ad intercedendum pro nobis. Nam quemadmodum continua intercessio Christi pro nobis in cælo, non derogat vnicæ

intercessioni mortis Christi: ita non, imò multò minus eidem derogat perseuerãtia Christi immolatitio modo, ad intercedendũ pro nobis, vt participes simus remissionis peccatorum in ara crucis factæ, qñ ista intercessio fit per mysterium sub specie panis & vini: illa autem in cælo fit per Christum in propria specie, in qua crucifixus est. Si enim derogationi locus esset, magis derogaret vnicæ mortis intercessioni, vt post mortis intercessionem intercedat Christus sub specie propria, quàm sub specie aliena: illud nanque intercedere præ se fert quasi supplementum intercedendi; hoc autem præ se fert ceremonialem intercedendi modum, nobis valde consonum.

¶ Ad tertium dicitur, quod cum grano salis intelligendũ est, peccata esse nobis remissa per Christi mortem: videlicet per christi mortem applicatam nobis per instituta à Christo sacramenta; in hoc enim Christiani omnes conuenimus. Inter sacramenta autem à Christo instituta supputatur & est sacramentum Eucharistiæ institutum ab ipso Christo immolatitio modo, vt declaratum est ex verbis Christi & Pauli. Et ideo si qui inter Christianos sunt egentes post Baptisma remissione peccatorum, Eucharistiæ hostia prodesse potest illis ad remissionem peccatorum, applicando efficaciam mortis Christi ad illos. non egentibus autem remissione peccatorum, prodest ad vegetatonem animæ, quemadmodum cibus & potus corporeus vegetat corpus: sacramentum enim Eucharistiæ quanuis immolatitio modo institutum sit etiam pro expiatione peccatorum facta per crucem Christi applicanda colentibus: non tamen est institutum propter hoc dũtaxat: sed pro alijs animæ bonis.

¶ Cum omnibus igitur scriptis in Epistola ad Hæbreos stat sacrificium missæ, quòd Ecclesia catholica edocta à Christo & Apostolis celebrat. Et hæc sint dicta extensione ibidem dictorum admissa ad Eucharistiæ hostiam: noui enim, quòd iuxta genuinum sensum, de sacrificijs cruẽtis tractat Autor illius Epistolæ, mõstrans excellentiam cruenti sacrificij oblati à Christo condendo nouum testamentum, relatiuè ad sacrificia omnia veteris Testamenti. Visum siquidem est expedire claritati veritatis Catholicæ, admittere huiusmodi extensionem, vt nulla ex parte hæsitandi locus relinquatur, ad Dei gloriam. Romæ, die tertio Maij, M. D. X X X I.

Tractatus de sacrificio Missæ, editi per Reuerendissimum Dominum, Dominum Thomam de vio Caietanum Cardinalem sancti Xisti, finis.

TRACTATVS VNDECIMVS de Fide & operibus aduersus Lutheranos, ad Clementem VII. Pont. Max. in duodecim capita diuisus.

1 Positio Lutheranorum de fide.
2 Primus in prærecitatis error, quòd incidit æquiuocatio in nomine fidei.
3 Secundus in prærecitatis error, quòd dicta credulitas apprehendit remissionem peccatorum.
4 Tertius in prærecitatis error, quòd ante christianitatis aduentum remittuntur peccata pœnitentibus.
5 Positio Lutheranorum de Operibus.
6 Quid & quomodo intelligatur meritum in proposito.
7 Humana opera esse meritoria alicuius à Deo.
8 Opera viuorum Christi membrorum esse meritoria vitæ æternæ.
9 Modus, quo opera nostra meritoria sunt vitæ æternæ.
10 Valor operum existentium in peccato mortali.
11 Opera nostra esse satisfactoria pro peccatis.
12 Responsio ad obiectiones quarto cap. scriptas.

PRAECEPTIS Beatitudinis tuę, Clemens septime Pontifex Maxime, etsi semper parere fas est, nunc tamen etiam iucundum mihi est. venena siquidem Lutherana de fide & operibus diffundi etiam in corda fidelium timens, cupiebam vt iretur obuiam, & non nisi paulò antè beatitudinis tuæ mandatum cogitaueram animum ad scribendum tractatum hunc appellere. Suauissima itaque hæc obedientia venit, vtinã & Christi fidelibus fructuosa & tuæ beatitudini (cui etiam censura libelli huius incumbit) grata.

CAPVT I.

Positio Lutheranorum de fide.

MAGNIFICANTES Lutherani euangelicam doctrinam de æterna salute hominum per fidẽ Mediatoris dei & hominum hominis Christi Iesu, docẽt homines consequi remissionem peccatorum per fidem in Iesum Christum, extendendo nomen fidei ad credulitatem, qua peccator accedens ad sacramentum credit se iustificari ex diuina misericordia, intercedente Iesu Christo. Et vsqueadeo magnipendunt hanc credulitatem, vt dicant eam assequi remissionem peccatorum ex diuina promissione. Aiunt enim ꝙ nisi homo habeat huiusmodi firmam credulitatem diuini Verbi, iniuriam facit diuino Verbo, minus credendo diuinæ promissioni: si autem firmiter credit se iustificari, suscipiẽdo sacramẽtũ, verè iustificatur, alioquin nõ esset vera & efficax diuina promissio.

¶ Nonnulli quoq; Lutherani vsqueadeò extollunt huiusmodi fidem, vt eam esse qui remissionem peccatorum antequàm peccator habeat charitatem, doceant, ea ratione quia fides iustificans distinguitur contra legem longo sermone à Paulo Apostolo, charitas autem comprehenditur sub lege, quoniam diligere deum ex toto corde, &c. est primum & maximum mandatum in lege, vt Dominus in Euangelio dicit Matth. 22. Hęc sunt in quibus cõsistit neruus doctrinæ Lutheranæ de fide.

CAPVT II.

Primus in prærecitatis error, quòd incidit æquiuocatio in nomine fidei.

FIDEI Nomen aliud significat cũ de illa sacræ literę tradũt, quòd iustificat hoĩes, & aliud significat cũ significat credulitatem qua homo credit se iustificari ꝑ Christũ & sacramenta. nã fides iustificans est quæ significat id quod per eius diffinitionem manifestatur ad Hebr. 11. dicendo quòd fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium: sic enim sumpta est vna trium virtutum theologalium, dicẽte Paulo, Nũc autem manent fides, spes, & charitas. Et fides in hac significatione sumpta est, quæ est donum Dei, vt dicitur ad Ephe. 2. per quam saluamur, & sine qua impossibile est placere deo, & est qua credimus omnes articulos fide & quęcunque sunt de necessitate salutis credenda.

¶ Fides autem significãs credulitatem, est qua iste homo credit se iustificari, hîc nunc sucipiendo hoc sacramentũ ex merito Christi, multũ distat à fide primo modo sumpta. Quod declaratur, tum ex parte rei creditæ, quoniã fidei non potest subesse falsum, credulitas autem ista potest falli. Et ratio est, quia credulitas ista est de singulari effectu hîc nunc, & in hoc proueniẽs partim ex fide necessaria ad salutem, & partim ex humana coniectura pro quanto enim est de merito Christi & sacramentis, imperatur à fide: pro quanto autem est de effectu hîc nunc in seipso ex humana prouenit coniectura. Nam sub fide Christiana clauditur, quòd quilibet confidens in merito Christi & ritè intus & extra sucipiens sacramentum iustificatur ex diuina gratia, sed non extenditur Christiana fides ad credendum, quòd ego nunc sim intus & extrà suscipiens ritè sacramentum: quemadmodum ex Christiana fide teneor credere in hostia ritè consecrata esse verum Christi corpus: sed Christiana fides nõ se extẽdit ad credendum quòd in hac hostia ab isto nunc in hoc altari celebrante est corpus Christi quoniam hoc potest aliunde esse falsum. Tũ quia fides omniũ Christianorum est vna, iuxta illud ad Ephe. 4. Vnus Dominus, vna fides: perspicuum est autem quòd sub fide quæ est in me, non continetur credere quòd ille suscipiens sacramentum nunc hîc iustificetur, aut quòd in illa hostia est corpus Christi: ergo sub nullius fide credere hunc singularem effectum huius sacramenti in hoc nomine comprænditur. Ex vnitate ergo fidei apparet secundo diuersitas dictæ credulitatis à fide. Et propterea primus in hac re Lutheranorum error est, quòd ea quæ attribuũtur in sacra Scriptura fidei, attribuũt huic credulitati: semp. enĩ cũ hanc docent credulitatẽ textus sacræ Scripturæ citãt,

tract

tractantes de fide, puta, Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum, & fide plurificans corda eorum: & infinitos similes textus.

CAPVT III.

Secundus in prærecitatis error, quòd dicta credulitas apprehendit remissionem peccatorum.

QVOD Autem dicunt, quòd huiusmodi credulitas assequitur remissionem peccatorum, potest & bene & malè dici & intelligi. Nam si dicatur & intelligatur, quòd hęc credulitas formata fide et charitate assequitur veniam peccatorum, verum est. si autẽ secluditur charitatis formatio falsum est: quoniã, vt Augu. dicit 15. de Trini. cap. 18. nullum est isto Dei dono excellentius: solum est quod diuidit inter filios regni æterni & filios perditionis æternæ.

¶ Et scito, quòd hæc credulitas communis est omnibus deuotè accedentibus ad sacramenta. nam quilibet deuotè accedens ad quodcunq; sacramentũ, credit suscipiendo illud, se iustificari ex merito passionis & mortis Christi, alioquin non accederet. Sed non est par in omnibus ista credulitas, vnus enim magis credit se iustificari, quàm alter: & regulariter cum hæsitatione de opposito inest deuotis mentibus ista credulitas, quia nulla Scripturæ autoritate, nullo Ecclesiæ documẽto docemur, oportere nos huiusmodi credulitatem habere absq; hęsitatione aliqua. Ratio autem hæsitandi est, quia communiter nullus scit, an ex parte sui impedimentum aliquod inueniatur suscipiendi donum remissionis peccatorũ, nullus regulariter scit an ipse desit gratiæ Dei, & propterea sic hæsitãs, nullam iniuriam infert diuinæ promissioni, quoniam nõ hæsitat ex parte Dei, non hæsitat ex parte meriti Christi, nõ hæsitat ex parte sacramenti, sed hæsitat ex parte sui. scriptum est enim, Delicta quis intelligit? Testatur quoque hanc communem hæsitationem de effectu singulari diuinæ misericordiæ (hoc est remissionis peccatorum istius viri nunc deuotè conuersi ad Deum) Ioel propheta ca. 2. nã de ijs qui conuertendi erant ad Deum ex toto corde: in ieiunio, fletu, & planctu, citata diuinæ misericordiæ excellentia super peccata, subiungit, Quis scit si cõuertatur Deus & ignoscat? Neminem ergo eorum, qui conuertebantur, certum esse, sed quemlibet sub hæsitatione esse, an ignosceret Deus illi, manifestat.

¶ Et confirmatur, quia credulitatis hæsitatio non rationabiliter tollitur nisi ex aliqua trium causarum, videlicet vel diuina reuelatione, quæ in proposito non habet locũ, quia quamuis Deus reuelauerit, quòd omnes, qui ritè intus & extrà confidunt se consequi remissionem peccatorum per meritum Christi, consequuntur illã: non tamẽ reuelauit, ꝙ iste nunc ritè cõuertitur intus & extrà. hic enĩ effectus particularis non comprehenditur sub reuelatione, cui innititur fides Christiana. Vel ex sufficientia testimoniorũ cõuincentiũ ad aliquod singulare credẽdũ, sicut sufficientia testimonia conuincunt eũ, qui nunq; egressus est è Roma, ad credendũ quòd inueniatur insula Calicut seu Taprobane. clarũ est enim in credulitate, qua iste credit se iustificari, non interuenire testimonia conuincentia intellectũ id credendũ hunc effectum nunc in seipso. Vel ex qualitate testium, puta quia sunt omni exceptione maiores. iuxta quod dicit Apost. ad Ro. 8. ꝙ Spiritussanctus contestatur spiritu nostro quòd sumus filij Dei. Nam hęc cõtestatio præsupponit remissionẽ peccatorũ factã, quia præsupponit illum, de quo testantur esse filium Dei, vt clarè ipsa litera sonat. credulitas autem ista, quàm Lutherani ponunt, non præsupponit remissionem peccatorum in illo, sed apprehendit illam, vt præcedens apprehendit quod sequitur. Voluntariũ igitur dogma est, dicere ꝙ huiusmodi credulitas in verbo Christi, in merito passionis eius, &c. Infallibiliter remissionẽ peccatorũ. Et iõ à Leone 10. inter dãnatos Lutheri articulos annumerati sunt articuli dicentes, Peccata nõ sunt vlli remissa, nisi remittente sacerdote, credat sibi remitti, imò peccatũ maneret, nisi remissum crederet. non enĩ sufficit remissio peccati et gratię donatio, sed oportet etiã credere esse remissum. Nullo modo confidas absolui propter tuam contritionẽ, sed propter verbũ Christi, Quodcũq; solueris, &c. hic inquã cõfide si sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, & absolutus verè eris, quicquid fit de contritione. si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non seriò, sed ioco absolueret: si tamẽ credat se absolutum, verissimè est absolutus.

CAPVT IIII.

Tertius in prærecitatis error, quòd ante charitatis aduentum remittuntur peccata pœnitentibus.

INTOLERABILIVS Autem est dimitti peccata ante charitatem infusam illi, cui dimittuntur peccata. quod sic clarissimè conuincitur, Impossibile est ex inimico reddi amicum sine amicitia, cũ amicus sine amicitia nec intelligibilis sit, quemadmodum nec albus sine albedine intelligibis est. Sed cùm homo ex iniusto fit iustus per Christum, fit ex inimico Dei amicus Dei, dicẽte Apostolo ad Ro. 5. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. reconciliatio enim amicum reddit reconciliatum. Ergo peccatorem iustificari sine amicitia Dei, nec est possibile nec intelligibile: charitas autem est ipsa amicitia inter hominem & Deum. est enim amor amicitiæ hominis ad Deum, & econtra, iuxta illud, Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo. & ibidẽ (scilicet 1. Ioan. 4. Diligimus Deum, quia ipse prior dilexit nos. In mutuo enĩ amore consistit amicitia. ergo per charitatem formaliter fit remissio peccatorũ. Ita quòd vna atq; eadẽ res est, quæ vocatur iustitia fidei & charitas, sed iustitia fidei vocatur, quatenus ea homo est iustus apud Deum, secundũ rationes diuinarum rerum atque actionũ, quas credimus, appetitu sensibili debitè subdito voluntati, & voluntate rectæ rationi, & recta ratione Deo secundũ rationes eorũ, quæ de ea cælesti patria fide tenemus. Nominatur verò charitas, quatenus est amor amicitiæ ad Deum communicantẽ nobis ciuilitatem cælestis patriæ iuxta illud ad Phil. 3. nostra autem politia in cælis est. & ad Ephe. 2. Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum & domestici Dei. & Canti. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi.

¶ Et hæc sola ratio, quia conuincit intellectum, sufficit, fulta nihilominus autoritate Christi, Petri, Ioannis & Pauli est. isti enim omnes attribuunt remissionem peccatorum fidei & charitati simul. Et Christus quidẽ Luc. 7. peccatrici dixit, Fides tua te saluam fecit: & de eadem dixit, Dimittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multùm. In quibus verbis dilectionẽ esse proximam causam remissionis peccatorũ, testatur coniunctio, Quoniam, dum dicitur, Quoniã dilexit. fides enĩ inchoatiuè, charitas autẽ completiuè est causa remissionis peccatorũ. Petrus apostolus Act. 10. ait, Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionẽ peccatorũ accipere omnes, qui credunt in nomine eius. & in primæ suæ Epistolæ capi. 4. ait, Charitas operit multitudinẽ peccatorum. Ioãnes similiter apostolus in prima sua Epistola ca. 5. ait, Oĩs qui credit, ꝙ Iesus est Christus, ex Deo natus est: & in ca. 3. dicit, Nos scimus, ꝙ trãslati sumus de morte ad vitam, quoniã diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte. Nec obstat si dicatur, ꝙ ad literã Ioannes loquitur de dilectione proximi, quoniã perspicuũ est vnam atq; eandẽ esse charitatẽ, qua diligimus Deũ propter seipsum, & ꝓximũ propter Deũ, vt habetur 1. Ioã. 4. & de tali duntaxat fratrũ dilectione verificatur translatio de morte ad vitam.

¶ Paulus demũ apostolus ad Ro. 5. ait, Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deũ. Et 1. ad Cor. 13. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferã, charitatẽ non habuero, nihil sum, in esse spirituali, quo constituimur filij Dei. Et ad Gal. 5. Christo Iesu neq; circuncisio aliquid valet, neq; præputiũ, sed fides, quæ per dilectionẽ operatur. Vbi clarè non fidei qualicũq;, sed per dilectionẽ operanti attribuit valere in Christo. Perspicuũ est igitur, verissimã esse communẽ Ecclesiæ doctrinam, ꝙ nõ per fidẽ informem, sed per fidem formatam charitate fit remissio peccatorũ. Ita quòd autoritates autẽticæ sonantes, iustificari nos per fidem, intelliguntur ad literam de fide formata, amicitia diuina, quam vocamus charitatem.

¶ Ad obiectionem autem in oppositũ (ex eo ꝙ fides distinguitur contra legem, & dilectio comprehenditur sub lege) respondetur ꝙ Legis nomen aliter sumitur à Christo, cum dicitur, quòd hoc est primum & maximum mandatum in Lege: & aliter sumitur, cùm fides distinguitur ab Apostolo contrà legem. Nam Christus vtitur Legis nomine, vt comprehendit omnia mandata diuina, scripta in libris Moysi; Apostolus autem vtitur

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Legis nomine arctius, vt distinguitur in præcepta moralia, cerimonialia, & iudicialia.

¶ Nec ego fingo hanc distinctionē, sed ex Scriptura ipsa sacra sic habeo, vt etiā aduersarios oporteat eis assentire. Quòd enim Christus vtatur sic largè Legis nomine, ex eo conuincitur, q̃ in eodē textu, Deute. cap. 6. vnde citatur præceptum de dilectione Dei immmediatè ante ponitur præceptū fidei, dicēdo, Audi Israel, Iehouah Eloe noster, Iehouah vnus. sub eodem ergo contextu legis ponuntur, præceptum fidei, vt credatur Deus vnus duntaxat, & præceptum dilectionis eiusdem Dei, vt intelligamus, q̃ non magis sub lege clauditur præceptū charitatis, quàm præceptum fidei, loquendo de lege largo vocabulo. vt hinc etiam clarè pateat, quòd quemadmodū fides distinguitur contra legem ab Apostolo, charitas quoq; pariter distinguitur contra eandem legem. Loqui autem Apostolū de lege, seclusis ijs quæ sunt fidei & charitatis, p̃ræter eo, q̃ appellat eam legem factorum, & dicit eam seruari naturaliter ab Ethnicis, ait enim ad Ro. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt. certum est enim, q̃ non faciunt naturaliter ea quæ charitatis sunt. Aequiuocè igitur vtitur obiectio hæc Legis nomine & propterea nihil valet. dilectio enim Dei clauditur sub lege factorū, contra quam distinguitur fides, sed sub eadem lege, sub qua clauditur fides vt patet Deute. 6. vbi simul dantur præcepta fidei & dilectionis Dei. Ad alia autem à Lutheranis obiecta, patet ex dictis responsio. Et hæc de fide sufficiant.

CAPVT V.

Positio Lutheranorum de operibus.

Horū sententiae legere 1. c. huius tractatus.

DOCENT Lutherani opera nostra nō esse meritoria gratiæ nec vitæ æternæ, nec esse satisfactoria pro peccatis, eo q̃ sufficientissimè Christus meruit nobis gratiā remissiōis peccatorū, & vitam æternam, & sufficientissimè satisfecit pro omnibus. & proinde nefas esse attribuere operibus nostris esse meritoria gratiæ (seu remissionis peccatorū) aut vitæ æternæ, & esse satisfactoria pro peccatis nostris. Nam hoc redūdat in opprobrium Christi, quandoquidē quod est proprii Christi attribuere nobis, blasphemia est: & detraheretur merito ac satisfactioni Christi, vtpotè insufficientibus, si opus esset meritis & satisfactionibus nostris.

¶ Fulciuntur autem hæc multis sacræ Scripturæ autoritatibus. Et in primis, q̃ non mereamur per nostra opera remissionem peccatorum, probatur ex eo, quòd Paulus ad Rom. & ad Gal. probat nos iustificari non ex operibus, sed ex fide, iuxta illud Abacuc 2. Iustus ex fide, viuet. & ad Titū scribit, Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. & ad Ephe. 2. Gratia saluati estis per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.

¶ Quòd verò per opera nō mereamur vitam æternam, sed per Dei donum, scribitur ad Ro. 6. Stipendia peccati mors, donum autem Dei, vita æterna. Ad idē quoq; & ad probandum simul, quòd opera nostra, quantumcuncq; iusti simus non sint satisfactoria pro peccatis, affertur illo 1 Luc. 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepero vobis, dicite, quod debuimus fecimus, serui inutiles sumus. Si enim facientes omnia præcepta Christi sunt serui inutiles, ergo non merentur mercedem, ergo multò magis qui non seruauerunt omnia præcepta, sed egent satisfactione pro peccatis, sunt inutiles ad satisfaciendum.

¶ Autoritates autem, quibus manifestatur sufficientia meriti & satisfactionis Christi pro nobis, omittēdas duxi, quia de hoc nulla est quæstio.

Ex diuina promissione & gratia opera hominum meritoria sunt vitæ æternæ et nō simpliciter.

¶ Docent igitur Lutherani opera bona esse faciēda, quia sunt præcepta à Deo, quia sunt fructus fidei iustificantis, & non vt sint meritoria æternæ vitæ, aut satisfactoria pro peccatis.

CAPVT VI.

Quid & quomodo intelligatur meritum in proposito.

ANTEQVAM Declaretur, opera nostra esse vel non esse meritoria, prælibandum est summariè quid Meritū significet, & qualiter à Theologis intelligatur in operibus nostris in proposito. Meritum appellatur voluntariū opus siue internum sine externum, cui iure debetur merces seu præmiū, dicente Apostolo ad Roma. 4. Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Et propterea ad meritum concurrunt quatuor, videlicet persona quæ meretur, & operatio voluntaria quæ est ipsum meritum, & merces debita merito, & persona reddens mercedem: frustra enim quis meretur nisi mereretur ab aliqua persona reddendam sibi mercedem. Et quoniam de nostro merito apud deū est quæstio oportet declarare quomodo verificatur, homines mereri à deo mercedem sui operis. difficile enim apparet, quòd, operi nostro iure reddatur merces a deo, quoniam inter nos & deum non est ius simpliciter & absolutè, iuxta illud, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, sed est ius secundum quid, multò minus quàm ius filij ad patrem, & serui ad dominum, quātò minores sumus nos relati ad deum, homine seruo relata ad hominem dominum eius, & filio relato ad carnalem patrem, qui genuit eum. Et propterea si pro quia, vt scribitur in. 5. Ethi. inter seruum & dominum inter patrem & filium non est ius simpliciter & absolutè, sed ius secundum quid, multò minus est ius inter nos & deum. Ex hoc nanque, quòd quicquid est seruus est domini sui, & filius non potest æquiualens reddere patri, negatur inter dominum & seruum inter patrem & filium ius simpliciter & absolutè. Multo autem magis quicquid est homo, est dei, & multò minus potest homo deo reddere æquiualens. Non potest igitur homo mereri aliquid à deo sic quòd iure debeatur homini, nisi iure tam attenuato, vt sit longè minus quam ius domini ad seruum & filij ad patrem. Nec hoc tam attenuatū ius inuenitur inter hominē & deū absolutè (quoniam absolutè loquendo omnis bona operatio voluntaria hominis debetur deo. & quanto potiorius & pluribus bonis operibus internis vel externis pollet homo, tanto plus deo debet, quia ipse Deus operatur in nobis & velle & perficere & omnia opera nostra) sed hoc attenuatum ius est inter hominē & deum ex diuina ordinatione, qua Deus ordinauit opera nostra ad hoc vt sint meritoria à deo. Quod probatur ex eo, quòd quando homo meretur aliquid à deo, Deus non fit nec est debitor homini, sed sibipsi deo. si enim hoc attenuatum ius esset inter hominem absolutè & deum, Deus deberet homini mercedem quam meruit. sed perspicuum est deum nulli debere, dicente Paulo ad Rom. 12. Quis antè dedit illi, & retribuetur ei? Sibi ergo ipsi duntaxat Deus debet, vt adimpleat voluntatē suā qua contulit humano operi esse meritorium reddendo homini mercedem operis. Et hæc sunt vera & indubitata simpliciter & absolutè loquendo, secus autem est præsupposita conuentione facta inter deum & hominē de aliquo. nam quemadmodum inter homines si dominus pactum aliquod cum seruo suo facit, nascitur inde ius inter seruum & dominum: ita si Deus dignatur pactum facere cum homine, nascitur ius inter hominem & deum quo ad illud de quo pactum est. Sæpe enim legimus in veteri Testamento, deum dignatum esse pacisci cum hominibus. Genesis enim 9. scribitur pactū dei de nō futuro amplius vniuersali diluuio. & Genesis 15. fœdus inijt Deus cum Abraham de terra Chenahan danda semini eius. & Genesis. 17. fœdus circuncisionis scribitur, & Exod. 24. Moyses dicit, Hic est sanguis fœderis, &c. Hiere. quoque 31. de fœdere nouæ legis ac veteris Deus manifestè loquitur. In nouo autem Testamēto Saluator noster manifestat deum sub specie patisfamilias conducentis operarios ad vineam conuenisse cū operarijs de mercede diurna, vt patet Matth. 20. conuentione inquit facta de denario diurno, misit illos in vineam: & rursus, Nonne pacto conuenisti mecum? Ex his enim manifestum fit, quòd ratio meriti etiā iure potest inueniri in operibus nostris relatis ad primū, de quo conuentio facta est cum deo.

¶ Veruntamen scito quòd quantuncumque interueniat pactum de præmio inter deū & hominem nunquam tamen Deus fit aut est debitor nobis, sed fit & est debitor sibipsi. ita quòd præsupposita conuentione, debetur quidem operibus nostris præmium de quo conuentio facta est: sed Deus non propterea fit illius præmij debitor nobis, sed voluntati suæ priori qua dignatus est pacisci nobiscum: & propterea verissimè profitemur, q̃ Deus nulli debet nisi sibipsi. Duplex itaque ratio meriti potest inueniri in operibus nostris relatiuè ad deum (vel sec

secundū ius attenuatum, vel secundum fœderis) & nunquam Deus debet nobis. Et hæc sint præliba ta, vt intelligant omnes voces proprias, cùm loquuntur de meritis nostris apud Deum.

CAPVT VII.

Humana opera esse meritoria alicuius à Deo.

REVELAVIT Nobis Deus in sacris literis humana opera mereri apud Deum aliquid. Et ne occupemur in exponendis singulis sacræ Scripturæ locis de hoc scito, q̃ vbicūq; promittit Deus homini mercedē, ibidem cointelligitur meritū: eo q̃ merces & meritū correlatiua sunt, meritū enim est mercedis meritū, et merces est meriti merces. & propterea absq; alia declaratione cū leges in sacra Scriptura Deū promittere mercedem homini, cointellige meritum hominis respectu illius mercedis à Deo reddendę. Perspicuū est aūt in vtroq; Testamento promittere Deum mercedem homini. nam Geū. 5. dicit Deus ad Abraham, Ero merces tua multa valde. & Isa. 40. dicitur, Ecce Dominus veniet, ecce merces eius cum eo. & Ezech. 29. scribitur, Filij hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis seruire fecit exercitū suū seruitute magna aduersus Tyrum: & merces non est reddita ei, &c. & subiungit Deus, & erit merces exercitui eius terra Aegypti. Matth. quoq; 20. dicit Deus, Voca operarios, & redde illis mercedem. Apoca. quoq; 22. dicit Deus, Ecce, venio citò: & merces mea mecum est, vt reddā vnicuiq; secundum opera illius. Ex his enim clarè patet non solùm opera Sanctorū esse meritoria alicuius boni à Deo, sed etiam opera iniquorum, imò & Ethnicorum. rex enim Babylonis & exercitus eius Ethnici erant, nec ex intentione seruiendi Deo obsederant Tyrū: & tamen testatur Deus meruisse mercedem, & decernere, q̃ Aegyptum dabit illis in mercedem, vt intelligamus tam benignam esse bonitatem diuinam, vt etiam ordinando humana bella in suspsius Dei seruitutē, gaudeat se conferre actionibus quamuis iniquis, quòd sint meritoriæ ab ipso Deo alicuius boni. Hinc enim documentum magnum habemus, quòd multò propensior est Deus ad conferendum bonis actionibus hominum, quòd sint meritoriæ alicuius mercedis à Deo.

CAPVT VIII.

Opera viuorum Christi membrorum esse meritoria vitæ æternæ.

CONCEDVNT multi humana opera esse meritoria apud Deum aliquorum bonorum, sed non vitæ æternæ. & propterea monstrandum superest in specie, quòd opera viuorum Christi membrorum sunt meritoria æternæ vitæ. Saluatōr noster Matth. 5. Gaudete, inquit, & exultate, quia merces vestra multa est in cælis. perspicuum est enim, quòd in mercede cælesti eorum, qui patiuntur propter Christū, primum tenet locum beatitudo, quæ vocatur vita æterna. Matt. quoq; 20. describēdo mercedē datam operarijs, dicitur, q̃ acceperunt denariū. perspicuum est aūt q̃ cōmunis merces oibus operatijs in vinea Domini, est vita æterna. Paulus quoq; 2. ad Timo. 4. scribit. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex. perspicuū est enim, quòd corona Pauli per se priūs claudit beatitudinem: & nisi merces esset debita præmissis operibus, nequaquam verificaretur, q̃ quatenus iustus iudex Dominus reddet illi coronam, manifestè enim vitam æternam sibi iure deberi propter relata opera docet. Idem quoque manifestat Dominus Matthæi vigesimo quinto, describēdo quòd cùm iudicabit mundum, propter opera misericordiæ dabit vitam æternam. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c. concluditur enim, Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti verò in vitam æternam. Quod enim à iudice datur ex diuersitate operū, secundū q̃ opera merentur, datur: alioquin afferret nō causam pro causa. Ex his ēm manifestum est nonnullorū hominū opera meritoria esse æternæ vitæ secundū sacras Scripturas. Et quod plus est, ex Matthæi 20. habetur, operarios meruisse illam ex conuentione. nam Origines, Hieronymus, Augustinus Gregorius, & Chrysostomus denariū omnibus datum exponunt beatitudinem communem Beatis.

CAPVT IX.

Modus, quo opera nostra meritoria sunt æternæ vitæ.

TRadunt Theologi opera nostra esse meritoria æterne vitæ, eo quòd à charitate, à gratia gratum faciente, a spiritu aucto habitante in nobis procedunt, & docent quòd quamuis opera humana, quatenus procedunt ex libero arbitrio, nō sint meritoria æternæ vitæ (nisi ex quadam congruitate, qua cōgruit homini rectè vtenti libero arbitrio in ijs, quæ dei sunt, deum largiri secundum affluentiam suæ gratiæ) quatenus tamen sunt a Spiritu sancto habitante in homine per gratiam & charitatem, sunt meritoria æternæ vitæ. Tum quia gratia seu charitas est tanquàm semen dei. 1. Io. 3. cuius vis se extendit ad producendum fructum: ita quòd quemadmodum actioni seminis debetur naturali iure fructus, ita diuinæ gratię in anima, actionibus debetur fructus æternæ vitæ. Tum quia diuina gratia vt Dominus dicit Ioannis 4. fit in homine habente illam fons aquæ salientis in vitam æternam, vbi clarè patet efficacia gratiæ in nobis ad ascendendum in vitam æternam. Et dicendo quòd gratia data, fit in homine fons aquæ ascendentis in vitam æternam, docet quòd mediante operatione ascendit in vitam æternam. nam quòd fit in me post acceptam gratiam, me cooperante fit. Tum præcipuè, quia vis Spiritus sancti habitantis in homine non est impar ad acquirendum æternam vitam, & ad efficiendum quòd operibus eius in nobis debeatur æterna vita.

¶ Clarior autē ac persuasibilior modus huiusmodi meriti est aperiendo, q̃ meritū vitæ æternæ nō est tā actio nostra, q̃ actio Christi capitis in nobis & per nos: supponendū est enim cum Apostolo ad Ro. 12. ad Ephe. 4. & ad Col. 2. homines in gratia constitutos, esse Christi capitis membra viua. Ita quòd Christus caput cum hominibus viuis eius membris nō est sicut vnum corpus politicum, quale est corpus ciuitū reip. bene gubernatæ) sed costituit vnum corpus, quemadmodum est vnum corpus naturale: quia Christus caput Spiritu suo vivificat membra sua, & per iuncturas ac nexus spirituales vocē membra corporis, vt clarè patet ex verbis Pauli. Huic aūt præsupposito adiunge, quòd etiam sacra Scriptura tradit, videlicet & passiones & actiones viuorum Christi membrorum esse passiones & actiones Christi capitis. Et de passionibus quidē testatur ipse Christus act. 6. Saule Saule, quid me persequeris? cùm tamen ille persequeretur membra eius. Et Paulus ad Gal. 4. reuocat ad memoriam Galatarum, quòd Christus crucifixus fuit in eis, proculdubio in cruciatibus eorum pro Christo perpessis. De actionibus verò testatur Paulus, scribens Corinthijs in 13. ca. secūdæ Epistolæ, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? & vniuersaliter dicit ad gal. 2. Viuo ego iam non ego, viuit autem in me Christus. Ex quibus habetur, quòd verissimè dicere possum, mereor ego, iam non ego, meretur autem in me Christus: ieiuno ego, iam nō ego, ieiunat autem in me Christus: & sic de alijs operationibus volūtarijs quas Christi membra viua exercēt propter deum. Et isto modo meritum æternæ vitæ non tam attribuitur operibus nostris quàm operibus Christi capitis in nobis & per nos. Ita quòd hinc discernitur inter meritum æternæ vitæ in infantibus baptizatis debetur æterna vita merito duntaxat Christi, illo, quod meruit Christus, in hac vita mortali degens, patiens & moriens: adultis autem proficientibus in gratia debetur æterna vita dupliciter. primò ex iure meriti Christi quod in propria persona meruit: postea ex iure meriti Christi, quod Christus caput in adulto & per adultum operando meretur. Conuenit autem diuinæ liberalitati, vt vtroque modo cōmunicet meritū æternæ vitæ adultis dei filijs. nam vt dicitur ad Rom. 8. prædiffiniuit eos conformes imagini filij sui. Conformiores autem sunt Christo habentes meritum vitæ æternæ vtroque modo, quàm primo tantùm: nam ipsi Christo duplici iure debita fuit sua gloria, primò iure gratiæ vnionis personalis, qua Verbum caro factum est. & hoc ius conuenit Christo sine eius merito. Deinde eadem gloria debita fuit Christo per meritum obedientiæ eius vsque ad mortem, dicente Paulo ad Phil. secundo, Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Christo igitur duplici iure habenti gloriam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

conformiores reddimur duplici quoque iure acquirentes & non vitam æternam, videlicet & sine nostro merito per Christi in propria persona meritũ, & cũ nostro merito per Christi capitis in nobis, & per nos meritũ. Et quẽ admodum ad Christi excellentiam pertinet, quòd etiam proprio merito acquisierit immortalem corporis vitam & gloriam sui nominis, &c. ita ad dignitatem membri Christi pertinet vt cooperetur capiti suo ad acquirẽdam æternam vitam. Omnium enim diuinissimum est, inquit, Diony. capite tertio cæle. Hierarch. Dei cooperatorem fieri. Et hinc quoque habes non esse superfluum nostrum mereri vitam æternam, quoniam est reddere vitã æternam esse nobis debitam alio modo seu altero iure, quemadmodum Christus meruit suam exaltationem, reddendo sibi eam altero iure debitam. Ad obiecta autẽ in oppositum postea respondebitur.

CAPVT X.

Valor operum existentium in peccato mortali.

QVAMVIS Conueuiamus in hoc, ꝙ opera existentium in peccato mortali non sunt meritoria æternæ vitæ, nec sunt meritoria remissionis peccatorum, multùm tamen esse vtilia homini subiecto peccato mortali, bona opera eorum ad remissionem peccatorum consequendam sacra tradit Scriptura. nam etsi non habent vim meritoriam remissionis peccatorum, habent tamen vim impetrandi remissionem peccatorum: ita ꝙ per modum supplicationis multùm valent ad consequẽdum remissionem peccatorum à diuina largitate. Et quidem quòd oratio multùm vtilis sit ad remissionem peccatorum consequendam, testatur Saluator Luc. decimo octauo, inducens Publicanum orantem, Deus, propitius esto mihi peccatori. sic enim consequutus est veniam. De ieiunio verò testatur Ioel in persona Dei, Conuertimini, inquit, ad me in toto cordẽ vestro, in ieiunio, fletu, & plãctu. ibi enim subiungitur, Quis scit si conuertatur Dominus, & ignoscat? De eleemosyna quoque testatur Daniel. capitulo quarto, cõsulẽs Nabuchodonosor regi, Peccata tua eleemosynis redime. & ad Hebræos decimoterтio scribitur, Beneficentiæ & communionis ne obliuiscamini, talibus enim hostijs conciliatur Deus. Et idem est iudicium de peregrinationibus, afflictionibus, continentijs, & id genus reliquis.

¶ Supra hanc autem vim simplicem, tradit sacra Scriptura maiorem quandam vim impetrandi in obseruatione vniuersorum mandatorum Dei. Ezech. enim 18. docemur, quòd conuersio impij ad facienda mandata Legis terminatur ad remissionem peccatorum, dum dicitur, Et dixistis, non est æqua via Domini, audite ergo domus Israel, nunquid via mea non est æqua? nónne viæ vestræ non sunt æquæ? cùm enim auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea iniquitate quam operatus est: & cùm auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit: considerans enim & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita viuet & non morietur. Quæ verba testantur, ꝙ in hoc consistit viarum Dei æquitas, vt sicut iusti auersio à iustitia ad opera iniqua terminatur ad mortem animæ, ita impij cõuersio ad opera bona terminatur ad animæ vitam. reuelatur eã Prophetæ, quòd tam accepta est Deo conuersio peccatoris quo ad opera (hoc est, ab operibus malis ad opera bona propter Deũ) vt Deus: non recordetur omnium iniquitatum præteritarum, quod est dare remissionem peccatorum & vitam gratiæ.

¶ Ampliorem quoque impetrandi vim in huiusmodi operibus hominum subiectorũ peccatis reuelauit Deus Isaiæ capitulo primo, Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabũtur & si fuerint rubra tanquam vermiculus, velut lana alba erunt. Ex quibus discimus, tantam esse Dei largitatem, vt à sordibus conuersis ad iustitiæ & misericordiæ opera seipsum obtulerit arguendum Deus, si non remittat peccata præterita.

¶ Ex diuinis ergo reuelationibus habemus bona, quòd impiorum opera non solùm sunt vtilia ad remissionem peccatorum, sed quòd cùm ex cordẽ redeunte ad Deum prodeunte, ita comitem habent diuinam benignitatem, vt & terminentur ad remissionem peccatorum, & tanquam ex conuentione impetrent illam. Verè benignissimus erga nos est Deus, prouidẽdo, vt quam in statu peccati mereri non possumus remissionem peccatorum, impetrare oratione, ieiunio, eleemosynis, aliisque bonis operibus valeamus. In hoc enim immensa charitas diuina erga peccatorum salutem commẽdatur, vt etiam nostris quamuis impiorum bonis operibus vim impetratoriam remissionis peccatorum largiri dignata sit. Et præter hæc (vt in capite septimo, ex verbis Ezechielis monstratum est) sunt meritoria alicuius temporalis boni à Deo. Ex quibus patet inducẽdos esse peccatores ad bona opera, quia verè vtilia sunt ad remissionem peccatorum impetrandam & assequendam, cùm deuota mente fiunt.

CAPVT XI.

Opera nostra esse satisfactoria pro peccatis.

VIA Lutherani satisfactionem auferũt ab operibus nostris, superest declarandum quid Ecclesia de hoc sentiat. Distinguendum in primis est de statu, in quo fiũt opera, an in statu peccati mortalis, an in statu gratiæ, & rursus, de satisfacere pro peccatis vel quo ad culpam, vel quo ad pœnam. Dicimus itaque primò, ꝙ nulla nostra opera sunt satisfactoria pro peccatis nostris quo ad culpam, quia nec facta in statu peccati mortalis faciunt Deo satis pro offensa, vt patet: & facta in statu gratiæ præsupponunt culpam seu offensam abolitam ex diuina gratia ex satisfactione Christi, qui fecit Deo satis pro offensis, quibus offendimus Deum, offerendo vitam propriam in ara crucis.

¶ Dicimus secũdò, quòd nulla opera nostra in statu peccati mortalis sunt satisfactoria Deo pro pœna debita peccatis nostris, quamuis prius abolitis in sacramento pœnitentiæ. Et ratio in promptu est, quia cùm remittitur à Deo peccatum quo ad offensam, fit peccator de inimico, amicus Dei, & consequenter non remanet puniendus hostiliter (quod esset puniri pœna inferni) sed si non tam copiosum diuinæ gratiæ donum collatum tunc est, vt cum remissione culpæ remissa sit tota pœna, remanet obligatus ad amicabiliter soluendum residuum pœnæ. & propterea si in recidiuum lapsus est. & iterum factus est inimicus Dei, antequam illud residuum pœnæ soluerет, opera eius quia sunt opera in statu hostili, non possunt amicabiliter exoluere: quod est non posse satisfacere pro illa pœna.

¶ Dicimus tertiò, quòd opera perseuerantis in amicitia Dei, nullum habent impedimentum ad hoc quòd sint satisfactoria pro illo residuo pœnæ. Et in hoc errant Lutherani dupliciter: primò docendo, quòd cùm remittitur peccatum quo ad offensam, remittitur quoque quo ad pœnã omnem: ita quòd non remanet obligatus ad pœnam consecutus peccati ventam à Deo. Hoc enim manifestè contrariatur sacræ Scripturæ, docenti 2. Reg. 12. ꝙ quamuis Dauid consecutus fuerit remissionem peccatorum, dicendo, Peccaui Domino, non tamen consecutus est remissionem totius pœnæ, sed remansit obligatus ad pœnas multas, vt Scriptura testatur. Deinde errant, quòd tollunt ab operibus viuorum Christi membrorum vim satisfactoriam pro pœna non remissa. Hoc enim contrariatur efficaciæ Christi capitis in nobis, nam satisfacio ego, iam non ego, satisfacit autem in me Christus. contrariatur & Ecclesiæ catholicæ vsui quo consueuit salutares satisfactiones imponere per ministerium sacerdotum verè pœnitentibus & confessis.

CAPVT XII.

Responsio ad obiectiones in cap. 5. scriptas.

SVPERESTObiecta diluere. Prima autem obiectio fuit sumpta ex sufficientia meriti & satisfactionis Christi. Respondemus meritum Christi fuisse sufficientissimum, & satisfactionem eius sufficientissimam pro peccatis non solùm nostris, sed totius mundi, originali, mortalibus & venialibus, iuxta doctrinam 1.

Ioan.

Ioã. 2. & propterea nõ ex insufficientia meriti aut satisfactionis Christi opera viuorum Christi membrorum meritoria ac satisfactoria apponuntur, sed ex affluentia meriti Christi communicatur membris eius viuis, vt illorũ quoque opera sint meritoria & satisfactoria, maior enim gratia Christi nobis confertur, communicando nobis, ꝙ ipse caput nostrum in nobis, & per nos tanquam membra sua mereatur & satisfaciat, quàm si meritum duntaxat Christi in propria persona participaremus.

¶ Cùm autem obijcitur id quod est proprium Christo, non esse nobis attribuendum, respondemus quòd non est nobis attribuendum eo modo, quo est proprium Christo: potest tamen nobis alio modo attribui, videlicet per communicationẽ, sicut quod est proprium Deo, nulli est attribuendum eo modo, quo est proprium Deo, potest tamen per communicationem ab alijs participari. Verbi gratia, videre diuinam essentiam, est proprũ Deo (nulla siquidem creatura potest videre Deum, sicut est, sed solus suapte natura videt seipsum) potest tamen ex gratia communicari videre Deum participatiuè: & sic communicatur beatis omnibus. Sic in proposito mereri vitam æternam est proprium Christo, intelligendo mereri ex proprijs viribus: quod tamen potest communicari membris eius viuis, non vt mereantur ex proprijs viribus, sed vt mereantur ex virtute capitis Christi. Et similiter intellige de satisfactione.

¶ De merito autem remissionis peccatorum non oportet respondere, quia tam diximus hoc non communicari viuis Christi membris, eo quòd opera eorum præsupponunt remissa fuisse eis peccata: nullus autem meretur id quod præhabet: sed omne meritum est rei non habitæ. Et hæc est ratio, quare Christus communicat membris suis mereri augmentum gratiæ & cælestem beatitudinẽ, & non communicat eis mereri remissionem peccatorum: quia videlicet beatitudine æterna carent membra Christi in hac vita, remissionem autem peccatorum iam habuerunt in hoc ipso, quòd fuerunt facta membra Christi, nullus autem meretur quod habet, sed quod sperat. Ex quibus clarè apparet, quòd nihil detrahitur merito aut satisfactioni Christi per merita & satisfactiones nostras, sed exenditur gratia meriti & satisfactionis Christi per seipsummet ad ipsummet Christum, vt caput, operantem in membris suis & per membra sua.

¶ Ad autoritates vniuersas sonantes, quòd non meremur per nostra opera remissionem peccatorum, nõ oportet respondere, quia in hac conclusione omnes conuenimus. Ad autoritates verò inductas ad probandum, quòd non meremur vitam æternam per opera nostra, respondendum est. Et ad illud quidem quod assertur ex Apostolo ad Roma. Donum Dei, vita æterna, respondetur, ꝙ vtique nos hoc dicimus & docemus, quoniam donum Dei gratiæ gratum facientis est cum nos esse membra Christi, tum ex virtute Christi capitis in nobis, mereri vitam æternam, non enim dicimus, quòd ex operibus nostris, quatenus à nobis sunt, sed quatenus à Christo in nobis & per nos sunt, meremur vitam æternam.

¶ Ad id verò quod obijcitur ex documento Christi, Dicite, serui inutiles sumus, cum eadem distinctione respõdetur, quòd nos quantumcunque omnia Christi præcepta impleamus, quatenus impleamus ea ex nostro libero arbitrio, inuenimur serui inutiles ad ea, quæ sunt domus patris cælestis, inuenimur inutiles ad ea, quæ sunt politiæ nostræ, quæ in cælis est, qualia sunt remissio peccatorum, gratia Spiritus sancti, charitas, & cætera propria filijs Dei. Et in promptu ratio est, quia nos, quatenus à nobis operantes, sumus tam infirmi, vt non possimus ascendere ad conferendum aliquid supremo ordini propriorum bonorum filiorum Dei. Cum quia tamen veritate stat, quòd nosmet, quatenus ex Christo in nobis capite sumus operantes, vt illius membra viua, multùm conferre possumus per nostra opera politiæ cælesti & paternæ domui: quia vt sic sumus eleuati in ordinem filiorum Dei, nec vt sic sumus inutiles: sed membra vtilia paternæ domui & cælesti politiæ.

¶ Etsi ex hoc Christi documento argumentum fiat contra vtilitatem iustorum operum in statu peccati mortalis ad impetrandam remissionem peccatorum, iuxta scriptura superius in ca. 10. si inquam, fiat argumentum ad inferendum, quòd bona opera non sunt vtilia ad impetrandum remissionem peccatorum: respondendum est, quòd orationes, ieiunia, eleemosynæ, & alia iusta opera impiorum, quatenus ab ipsis procedunt, non sunt vtilia ad remissionem peccatorum impetrandam, sed quatenus afflata diuina benignitate ordinante ea, ad impetrandam remissionẽ peccatorũ, sunt valde vtilia ad impetrandũ illam. propter hoc enim apud Ezechielem appellantur viæ dei, & nõ viæ nostræ. prouidit siquidẽ diuina bonitas, vt multa impetremus, quæ nunq̃ meruimus: dedit diuina bonitas (vt Christus, Esaias, Ezechiel & Apostolus ad Heb. testantur) bonis operibus redeũtium ad deum, vim impetratoriam remissionibus peccatorum à diuina misericordia per Christi meritum. Et ex hac parte ieiunia, orationes, eleemosynæ & reliqua iusta opera peccatorum vtilia sunt, non ad merendum, non ad satisfaciendum, sed ad impetrandum remissionem peccatorum. Et hæc puto sufficere ad intelligendum materiam hanc, quæ in quæstionem vertitur de fide & operibus, ad dei omnipotentis gloriam & piorum consolationem. Romæ die 13. Maij, 1532.

TRACTATVS DVODECIMUS *De Cõmunione sub utraque specie, De Integritate Cõfessionis, De Inuocatione Sanctorum, aduersus Lutheranos ad Clementem septimum Pontif. Maximum. in quatuor capita diuisus.*

1 *Nequaquam illicitum esse populo Christiano sub altera tantùm specie communicare.*
2 *De integritate confessionis quo ad omnia peccata.*
3 *Post peccati veniam necessariam quoque esse satisfactionem pro peccatis, & eam fieri posse nostris operibus.*
4 *De Inuocatione sanctorum.*

Prooemium.

PERTINAX Lutheranorum animus pretextu conscientiæ, Clemens septime Pontifex Maxime, erga communionem populi sub vtraque Eucharistiæ specie, confessionẽque non omnium peccatorum ac negatam satisfactionem, necnon inuocationem Sanctorum, inuitat me ad scribendum de his, non absolutè, sed quatenus pendent ex sacra Scriptura, quoniam ipsi solius sacræ Scripturæ autoritatem suscipiunt, & profitentur se illi innitti. Et quamuis pertinacibus non proderunt nostra hæc, speramus tamen vtilia fore tum ad retrahendum alios, ne illos imitentur: tamen ad consolandum fidelium mentes. videre enim in sacra Scriptura falsitatem eorum, quæ hæretici iactantes se professores sacri Euangelij docent, non paruum solatium fidelibus confert. Et quãuis hæc pro Ecclesia catholica scripserim, ad tribunal tamen beatitudinis tuæ non minus hæc quàm reliqua mea omnia refero.

CAPVT I.

De communione sub vtraque specie.

LVTHERANIS Non sat est, ipsos communicare sub vtraque specie, sed nequeunt flecti ad dicendum, licitam esse communionem sub altera tantùm specie: quia tum ex vsu Christi, tum ex præcepto eiusdem communicandum est sub vtraque specie. Proinde opus est discutere secundum Scripturas sacras vtrunque, vt videlicet manifestemus nec ex vi vsus Christi, nec ex vi præceptorum eius illicitum esse populo communicare sub altera tantùm specie. hoc siquidem patefacto, clarum erit non teneri populum ex diutna lege ad communionem sub vtraque specie.

¶ Quia igitur Saluator noster in vltima Cœna instituẽs sacramẽtũ Eucharistiæ, vsus est hoc sacramẽto sub vtraq; specie, communicando Apostolos (vt Euangelistæ testantur) hinc infertur, quòd sacerdos non nisi sub vtraque specie dare debet Eucharistiam. debet enim sacerdos dare Eucharistiam, quemadmodum dedit illam Christus. & similiter debemus omnes communicare, quemadmodũ communicauerunt Apostoli.

¶ Nos autem facilè manifestamus vsum Christi & Apostolorum, non habere vim legis, quòd simili modo distri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

buatur populo Eucharistia.nam si ille vsus Christi vim legis haberet,non obligaremur ad quædam in vsu illius distributionis seruata. & ad quædam non, sed ad omnia in illo vsu seruata.perspicuum autem est, nos non obligari ad omnia illa in distributione facta à Christo:ergo nec tenemur distribuendo Eucharistiam seruare hoc vnum, videlicet dare sub vtraque specie.Quod enim non teneamur ad seruandum omnia,patet:tum quia Christus fregit, fractámque dedit speciem panis: ridiculum autem est dicere, quòd sacerdos teneatur dare hostiam fractam: tum quia Christus distribuēdo, non immisit in ora Apostolorum Eucharistiam,sed dixit,Accipite & comedite: ridiculum autem est dicere, quòd sacerdos tenetur non immittere Eucharistiam in os communicantis, sed dare in manum illius,vt ipse se communicet : tum quia Christus distribuit hoc sacramentum Apostolis post Cœnā. plus autem quàm ridiculum est dicere, quòd teneamur cōmunicare post Cœnā, illicitúmq; sit dare Eucharistiā ieiunis.tum quia Christus dedit Eucharistiam sub specie panis azymi.& tamen vniuersalis Ecclesia fatetur non esse illicitum Eucharistia vti siue in azymo,siue in fermentato.Ex his enim omnibus clarè patet, quòd distributio Eucharistiæ,qua vsus est Christus,non habet vim legis, statuentis,vt similiter fiat distributio à nobis.

¶ At si quispiam cōtenderit in hoc vno imitandam esse Christi distributionem. quòd sub vtraq; specie dedit Eucharistiam, animaduertat Christum dedisse sub vtraque specie Apostolis solis,& non dedisse septuaginta Discipulis,nec multitudinem eorum, qui credebant in illam, vt vel ex hoc sat sit inferre ab exemplo Christi ergo successoribus Apostolorum danda est Eucharistia sub vtraque specie.non enim plus inferri potest ex Christi distributione, non igitur inferri potest, ergo vniuersis Christianis danda est Eucharistia sub vtraque specie. Patet itaque quòd ex vsu Christi non potest inferri illicitam esse communionem populi sub altera tātùm specie.Et multò minus inferri hoc potest ex vsu Ecclesiæ Corinthiorum,cuius meminit Paulus in prima Epistola ad Corinthios.vsus enim vnius particularis Ecclesiæ non statuit legem Ecclesijs alijs.Hæc de vsu.

¶ Discutiēda sunt deinceps præcepta Christi.Iam ante institutionem Eucharistiæ,quàm in ipsa institutione promulgata.Primum itaque preceptum ex verbis Domini, Ioā.6.olim assumptum est à Boēmis.ait enim Christus, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitam in vobis,Quid, inquiunt,clarius?Eodem enim modo necessitatem communicandi sub vtraque specie promulgat, quo promulgauerat necessitatem Baptismi. nam quemadmodum de Baptismo dixerat Io.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu,non potest introire in regnum Dei: ita de Eucharistia dicit,Nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem,non habebitis vitam in vobis.

¶ Nos autem dicimus hæc Christi verba non esse secundum genuinum sensum intelligenda de vsu Eucharistiæ, imò nec posse intelligi salua Christiana fide de cibo & potu sacramentali.Et hoc facilè manifestatur,ex eo quòd si intelligerentur de Eucharistia.tolleretur Baptismi sufficientia ad salutem.pari siquidem modo hæc necessitatem sonant edendi carnem & bibendi sanguinem Filij hominis,quo sonant illa alia Domini verba,necessitatem nascendi ex aqua & Spiritu. & propterea manifestè sequitur, quòd si in istis verbis indicitur necessitas sumendi Eucharistiam, non sufficit Baptismus ad salutem, sed ad hoc quòd aliquis habeat vitam,oporteret & baptizari & sumere Eucharistiam.Cuius contrarium non solū in Symbolo fatemur,confitentes vnum Baptisma in remissionem peccatorum:sed Dominus in Euangelio dicit, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. & Paulus apostolus ad Tit.3.Saluos,inquit,nos fecit per lauacrum regenerationis.Quia igitur idem est asserere verba illa Christi,Ioan.6.intelligi de cibo & potu sacramenti Eucharistiæ,& negare Baptismi sufficientiam ad salutem,clarè patet verba illa nec intelligi posse de cibo & potu Eucharistiæ.& propterea inde non habetur præceptum ad sumendum Eucharistiam sub vtraq; specie.Discutere autem quis sit germanus sensus illorum Christi verborum,non est præsentis negotij.nam sat est propositæ quæstioni nosse,quòd non loquitur ibi Dominus ad literam de sacramentali cibo & potu.

¶ Superest demum discutere præcepta Christi promulgata, quando instituit Eucharistiæ sacramentum. Vide Euangelia omnia, & nullum inuenies in illis de Eucharistia præceptū,nisi apud Lucam immediatè post Eucharistiam sub specie panis. Hoc facite in mei commemorationem. Apud tamen Paulum apostolum primo ad Corinthios ſyndecimo, duo præcepta leguntur data à Christo in institutione Eucharistiæ : alterum immediatè post Eucharistiam sub specie panis, Hoc facite in mei commemorationem : alterum immediatè post Eucharistiam sub specie vini, videlicet, Hoc facite, quotiescunq; biberitis,in mei commemorationem.

¶ Quæ præcepta si perspicacius fuerint cōsiderata,nullum secum ferunt mandatum de communione sub vtraque specie, vt patet discutiendo singula. Præceptum enim immediatè post speciem panis tam apud Lucam, quàm apud Paulum manifestè refertur ad Eucharistiam sub specie panis, vt ipse contextus testatur. Præceptum aūt apud solùm Paulum scriptum de commemoratione Christi in Eucharistia sub specie vini,limitatur manifestissimè ad vices, quibus bibimus in commemorationem Christi . ita quòd non est præceptum absolutè, sed est præceptum ex suppositione, videlicet, si biberimus in Christi memoriam, faciamus hoc quod fecit Christus. Non igitur præcipit, vt bibamus in eius memoriam, sed præcipit vt quoties in eius memoriam biberimus, faciamus quod fecit ipse, hoc est, quoties vt emini calice Eucharistiæ, sacrificate hoc. Bibere nanque manifestè significat vsum calicis, & consequenter facere hoc distinctum:contra bibere,significat consecrare hoc. præcipitur enim ad literam, vt associetur vsus calicis sacrificio calicis. Et ex hoc ipso, quod similem associationem non præcipit circa vsum Eucharistię sub specie panis,insinuauit quòd vsus quidem calicis illius esset seorsum à sacrificio, vsus verò sub specie panis licitus,vt ritus Ecclesiæ seruat,non reseruando Eucharistiam sub specie potūs, sed duntaxat sub specie panis & pro infirmis & pro communicantibus extra missarum solennia.

¶ At si quispiam contenderit, quòd hoc præceptum, directè obligando sacerdotes, consequenter obligat populum.Nam ex eo quòd bibentibus in Christi memoriam præcipitur, Hoc facite, manifestè sequitur, quòd sacerdotibus celebrantibus missas(quos constat bibere in Christi commemorationem) præcipitur, Hoc facite, sed duntaxat sub specie panis & pro infirmis & pro communicantibus extra missarum solennia.

¶ At si quispiam contenderit, quòd hoc præceptum, directè obligando sacerdotes, consequenter obligat populum.Nam ex eo quòd bibentibus in Christi memoriam præcipitur, Hoc facite, manifestè sequitur, quòd sacerdotibus celebrantibus missas(quos constat bibere in Christi commemorationem) præcipitur, Hoc facite, sed sub hoc Facite, comprehēditur etiam dare alijs calicem.quia comprehendit omnia quæ Christus fecit circa calicem.ergo ex hoc præcepto sacerdos tenetur, quoties ipse bibit, dare alijs calicem, ac per hoc alij tenentur accipere & bibere. Aduertat hoc argumento vtens, in primis ad textum literæ, quia contextui literæ non quadrat hic sensus. Nam in literæ hoc facite, distinguitur contra,bibere : ac per hoc conficere sacramentum distinguitur contra vsum sacramenti, ac per hoc non tam amplè in hac litera extenditur, hoc facite, sed ex ipso contextu restringitur ad demonstrandum ipsum sacrum,vt distinguitur contra vsum sacramenti,eo ipso quòd distinguitur contra vsum calicis. Quæcunque igitur spectant ad vsum calicis,comprehenduntur hæc sub bibere, & quæ spectant ad ipsum sacramentum comprehenduntur sub facere hoc.secundum suauem contextus sensum, perspicuū autem est,quòd dare alijs calicem.spectat ad vsum sacramenti,& non ad sacramentum ipsum. Non igitur cōprehenditur in hac litera sub hoc facite,dare alijs calicē. Aduertat deinde quòd Lutherani non constarent sibijpsis, dicendo sic, quia ex hoc argumento sequitur manifestè, quòd sacerdos celebrans tenetur dare calicem omnibus præsentibus,si,hoc facite,comprehendit etiam dare sacramētum,vt Christus dedit.nam Christus dedit omnibus præsentibus.constat autem Lutheranos hoc non seruare. non igitur obligatur Christianus populus ad bibēdum sacramentum Eucharistiæ ex hoc Christi præcepto,secundum planum suauissimúmque literæ sensum.Et quia nulli bi nisi in allatis locis habetur in sacra Scriptura manda tum aliquod de communione Eucharistiæ, manifestum est quòd non tenetur Christianus populus ex præcepto in diuino iure scripto ad communionem sub vtraque specie.voluntariè igitur & non autoritate Scripturæ prædicatur illicitam esse communionem sub specie panis tantùm. Et hoc sufficit aduersus Lutheranos, solius sacræ Scripturæ autoritatem suscipientes.Hæc de communione populi sub altera tantùm specie.

CAPVT II.

De integritate confessionis quo ad peccata omnia.

CONFITERI Peccata mortalia omnia, quæ quis admisit, Lutherani non solùm negant esse necessarium,sed affirmāt repugnare sacræ Scripturæ,& esse impossibile:quia scriptum est, Delicta quis intelligit?

¶ Nos autem dicimus haberi ex Euangelio confessionē peccatorū mortalium omnium,& non obstare Prophetæ sententiam allatā.Quòd eēm peccata omnia confitēda sunt in sacramentali cōfessione,ex ipsa forma ministrandi sacramentū pœnitentiæ tradita à Christo,quādo instituit hoc sacramentū Ioan.20.manifestatur:ait eēm Christus Apostolis,Quorum remiseritis peccata, remittūtur eis:& quorū retinueritis,retēta sunt.In quibus verbis datur à Christo ministro sacramēti facultas duarū actionū, videlicet remittendi vel retinendi peccata quorumcunq;. & ex hoc ipso,q; ministro committitur facultas discernēdi an remittenda, an retinenda sint peccata cuiusq; pœnitētis:manifestè sequitur,q; oportet ministrū(nisi coecus ministrare velit) nosse si in pœnitente est aliquod peccatū retinendū:quod est nosse,si in pœnitēte est aliquid impediens remissionē.nā omne peccatū retinendū impedit remissionē cuiuscūq; peccati hominis cōfitentis,quia nō pōt simul vnū peccatū remitti, & aliud retineri.nā mortalia peccata quæcūq; vnius hominis connexa esse tamquo ad remissionem, quā quo ad retentionē & relatiuè ad Deū,& relatiuè ad Christi ministrū,perspicuū est. Et relatiuè quidem ad Deū,patet ex eo,q; ille cui remittitur à Deo peccatum,amicus Dei cōstituitur iuxta illud.Beatus vir,cui nō imputauit Dominus peccatū. Ille autem, cuius retinet peccatum,& manet in peccato vnico, inimicus Dei est,vtpotè omniū reus,iuxta illud Iac.2. Qui in vno offendit,reus omnium factus est.Ex hoc aūt q; tā remissio,q; retentio diuina est peccatorū mortaliū omniū quæ quis habet,manifestè sequitur q; etiam tam remissio q; retentio quæ fit à Christi ministro, debet esse non aliquorū peccatorum mortalium confitentis, sed omnium, quia tam remissio,q; retentio ministri debet esse talis, vt remissioni assistat diuina remissio, & retentioni assistat diuina retentio,alioquin non verificarentur Christi verba, Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis:& quorū retinueritis,retenta sunt. Non vendicaret autē sibi remissio ministri,assistentiam remissionis diuinæ,si discordaret à remissione diuina: discordaret autem si Deo remittente omnia vel retinēte omnia,minister quoq; nō remitteret omnia vel nō retineret omnia.ex hoc autē vt minister vel remittat omnia vel retineat omnia, oportet ministro innotescere omnia,nisi cæcus ac temerarius remissor vel retentor sit.& q̄m ministro Christi peccata pœnitentis per ipsius confessionem propriam innotescunt, consequens est,vt oporteat confitentē cōfiteri omnia sua mortalia peccata. Vide,examina,& libra prudēs lector, quæ diximus,& perpendes ex ipsa institutionis forma in Euāgelio scripta,haberi confessionem omnium peccatorum.

¶ Superest diluere obiecta à Lutheranis, distinguendo de cōfessione vel absolutè,vel vt est actus humanus. Est autem confiteri omnia absolutè,nullum peccatum inconfessum relinquere : confiteri verò omnia, vt confessio est actus humanus,est confiteri omnia.quorū confessio subest humanæ facultati. Vnde ex hoc quòd delicta nullus ad plenum intelligit,esto quòd impossibile sit hominem confiteri absolutè omnia peccata sua(quoniam ignota relinquit inconfessa)non tamen hinc sequitur, quin confessione humana possit quis confiteri omnia peccata sua, quoniam sub integritate confessionis humanæ non comprehenduntur omnia peccata absolutè, sed duntaxat nota, & quorum quis memoriam habet.nam oblita & incognita confiteri non subest facultati humanæ. Et quia perspicuum est sub lege tam diuina, quàm humana actionum nullam exigi ab homine, quæ non sit in hominis potestate:ideo cum ex Euangelio habetur, confessionem omnium peccatorum requiri ad sacramentum pœnitentiæ,non est sermo de cōfessione omnium peccatorum absolutè,sed de confessione omnium peccatorum, vt subest facultati humanæ.quod est dicere,vt pœnitens confiteatur omnia peccata sua,non ignota nec oblita.Hæc de confessione omnium peccatorum.

CAPVT III.

De satisfactione.

SATISFACTIONEM Pro peccatis, quæ tertia pars pœnitētiæ ponitur,Lutherani negant.tum quia nō habetur ex sacra Scriptura,tum quia opera nostra non sunt meritoria nec satisfactoria.

¶ Nos autem dicimus ex sacra Scriptura haberi necessariam quandoque esse post veniam peccati satisfactionem pro peccatis,eámque fieri posse operibus nostris. Et quidem post consecutam veniam peccati, satisfactionem quandoque superesse pœnæ pro peccato, testatur duplex modus,quo Deus remittit peccatum.Legimus enim deū quandoque remittere peccatum,quo ad culpam,& quo ad pœnam,vt patet tum in Latrone,cui dicit, Hodie mecum eris in Paradiso: tum in remissione peccatorum, quæ fit Baptismo,gratia siquidem Baptismalis sola sufficit ad salutem æternā,si antequàm Baptizatus moriatur, nouum peccati obicem non ponat vltimo Baptismi effectui,qui est vita æterna.Et in huiusmodi remissionibus perspicuum est non esse opus satisfactione.Legimus quoque, deum quandoque remittere peccatū,& non remittere totam pœnam peccati,vt patet 2.Reg.12.vbi clarè legimus, quòd arguente Nathan propheta Dauidem de adulterio simul & homicidio:& dicente Dauide,Peccaui Domino,respondit Nathan,Etiā Dominus transtulit peccatum tuum,& non morieris: veruntamen filius, qui natus est tibi,morietur.Ex his enim patet deum remisisse peccatum & quo ad culpam,& quo ad aliquam pœnam,non remisisse autem quod ad punitionem Dauidis in morte filij, nec(vt subiuncta in capite 16.testantur) quo ad punitionem eiusdem in publica violatione vxorum à proprio filio nec quo ad punitionē eiusdem in persecutione mali ex domo propria.nam propter hoc peccatum passus est ab Absalon filio suo.omnes siquidem pœnas has ex parte dei Nathā Prophetа cōminatus est propter illud peccatū Dauidis.Ex hoc igitur,quòd Deus remittit quandoque peccatum,& tamen post peccati veniam restat,qui peccauit adhuc puniendus,manifestè dicimus deum quandoque remittere peccatum & non remittere totam pœnam pro peccato debitam.Hinc ergo nascitur necessitas exoluendi illud pœnę reliquum,quod Deus non remisit remittendo peccatum.

¶ Quia autē huiusmodi reliquiæ pœnæ exolui possunt dupliciter(vel satisfaciendo)& Dauid exoluit satisfaciendo(nam non ipse intulit sibijpsi quas debebat pœnas,sed Deus intulit eas illi(superest ostendere ex Scriptura,quòd huiusmodi reliquias pœnæ possumus satisfaciendo exoluere.Lege in Euangelio Matthæi,cap.3.& inuenies Ioannem Baptistam prædicātem duo:alterum,Pœnitentiam agite:alterum,facite fructum dignum pœnitentia.Quorum primum spectare ad ipsum peccatum Græca dictio apertius manifestat, dum simplicem pœnitendi actum significat.Secundum autem verba ipsa testantur ad nostra opera pœnitentiam consequentia pertinere,fructus enim pœnitentiæ sonat opus prouenienti à pœnitentia vt a radice, seu arbore. Et ex eo quòd non dicit, Facite fructum dignum innocentia, seu fructum dignum iustitia, seu fructum dignum bonitate, sed fructum dignum pœnitentia : manifestum fit, quòd de fructu digno pœnitentia formaliter (hoc est quatenus pœnitentia)loquitur,vt videlicet faciant fructum dignum radice internæ pœnitētiæ. Perspicuum autem est ex eo quòd pœnitentia est præteritorum peccatorū,quòd fructus dignus pœnitentia est opus restaurans ea,quorum est pœnitentia,hoc est reparans ea quæ omisisse vel commisisse nos pœniteat.hoc autem vocamus satisfacere pro peccatis pro quanto in hoc comprehēditur delectio omnium malorum,quæ in pœnitente remanserunt ex peccato, quorum vnum est reatus reliquæ pro peccato pœnæ.Si enim pœnitentia non fructificat rei reparationem omniū perditorum per peccatum, nequaquam ad fructus dignos seipsa extēderetur,quoniā suapte natura exigit vt ad perfectum ducatur quod ipsa inchoauit : & clarum est ad perfectum non duci donec superest aliquid ex peccato soluendum.

¶ Ex autoritate itaque sacræ Scripturæ haberur, quòd quandoque post veniam peccati opus est satisfactione, quæ fit per opera,qui sunt fructus digni penitentia.

¶ Quod verò objcitur de nostris operibus, quòd nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

meritoria nec satisfactoria sunt, indignum censeo discussione noua. Nam scriptura plena est sententijs sonãtibus, tũ q̃ opera nostra nõ sunt meritoria, tum q̃ opera nostra sunt meritoria: & perspicuũ est has duas sentẽtias non sibi inuicẽ aduersari, sed esse sensum, q̃ opera nostra quatenus sunt ex nobis nõ sunt meritoria, & cõsequẽter nec satisfactoria: quódq; opera nostra, quatenus ex diuina sunt gratia, & præueniente & subsequente & perficiente, sunt meritoria, & consequenter satisfactoria. Et ambo tã clarè habentur in innumeris Scripturæ locis, vt apud exercitatos in sacris literis luce meridiana clatiora sint. & propterea pertranseo. Hæc de satisfactione.

CAPVT II.

De inuocatione Sanctorum.

LVTHERANI inuocationẽ & ꝛctorũ aiũt ex Scriptura nõ haberi. Et quãuis non putẽ eos loqui de inuocatione sanctorũ Angelorũ, sed sanctorũ hominum, tutiorem tamẽ eligẽdo partẽ, declarabimus summariẽ, primũ de sanctis Angelis, deinde de sanctis hominibus, quæ habẽtur in Scriptura de inuocatione eorum.

¶ Et quidẽ q̃ Angeli intercedant pro nobis, clarè patet Zach. 1. vbi Angelus dicit Deo, Dñe exercituũ, vsquequo nõ misereberis Hierusalẽ & vrbiũ Iuda, quibus iratus es iam septuaginta annos? Matthęi quoq; 18. Dñs dicit Angelos causam agere pusillorũ, qui cõtẽnuntur. Videte ne contẽnatis vnũ ex pusillis istis: dico enĩ vobis, q̃ Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei. proculdubio ad patrocinium præstandum pusillis contemptis.

¶ Quòd aũt inuocandi à nobis sint sancti Angeli, habetur in primis ex Geñ. 32. vbi Iacob inuocauit Angelũ ad benedicendũ sibi, Non dimittã, inquit, te nisi benedixeris mihi. Deinde ex Danielis 7. vbi Daniel de seipso dicit, Accessi ad vnũ de assistẽtibus, & veritatẽ quęrebã ab eo. Nec est dubiũ, q̃ de sanctis Angelis assistẽtibus loqtur. Ad Hebręos quoq; ca. 1. de sanctis Angelis dicitur, q̃ oẽs sunt administratorij spiritus, qui in ministeriũ mittũtur, propter eos, qui hæreditatẽ capiẽt salutis. Ex hoc enim q̃ Deus disposuit gubernare nos per medios Angelos, non propter se Deũ, sed propter nos hæredes vitæ æternæ, ordinasse intelligitur, vt nos inuocemus sanctos angelos tã quã medios inter nos & Deum, nisi vsq; adeò desipere liceat, vt dante principe seu curia aduocatũ peregrino vel pupillo, negetur simul disponi vt peregrinus aut pupillus inuocare posit patrocinium aduocati dati.

¶ Quocirca inuocationẽ sanctorũ Angelorũ vtpotè manifestam secundum sacras Scripturas relinquendo, ad inuocationẽ sanctorũ hominũ transeamus. Duobus modis inuocare consueuimus sanctos, vel directè eos rogando, puta, Sancte Petre, ora pro nobis: vel rogando Deũ per Sanctorũ merita, vt in canone missæ Ecclesia cõsueuit rogare, dicẽdo, Quorũ meritis præcibũsq; concedas, &c. Vtroq; aũt modo ex sacra Scriptura haberi inuocationẽ Sanctorũ dicimus. Et quidẽ q̃ animæ Sanctorũ intercedant pro nobis, habetur ex Apoc. cap. 6. Vidi sub altari animas interfectorũ propter verbum Dei, & clamabant voce magna, dicentes, Vsquequo Dñe, sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinẽ nostrũ de ijs, qui habitãt in terra? Ex hoc enĩ q̃ animę Sanctorũ orãt Deũ cõtra malos habitãtes in terra, manifestè dicimus q̃ multò magis orãt pro salute electorũ, quãto propẽsior est vo Iuntas Sanctorũ ad bonũ nostrũ, q̃ ad malũ nostrum. Rursus Luc. 16. reuelauit nobis Dñs, q̃ diues in inferno intercessit pro fratribus suis in hac vita manentibus. ex hoc enĩ reuelatũ esse insinuauit, q̃ multò magis sanctæ animæ intercedũt pro salute suorũ. Nam si diues, cui dũ esset in hac vita, nulla fuit cura salutis fratrũ, in tormentis positus etiã importunè supplicat pro salute fratrũ, multò magis sancti viri, quorum in hac vita studium fuit circa salutem fratrũ, exuti carnẽ, iãmq; beati cõtinuant charitatis affectum, & intercedunt pro salute fratrum.

¶ Quod autem à nobis inuocandi sint, ex scriptis Matthæi 27. habetur. Scribitur enĩ ibi q̃ multa corpora Sãctorũ, qui dormierant, surrexerunt & venerunt in sanctã ciuitatẽ, & apparuerunt multis. Hinc enĩ habetur, quòd Deus post Christi resurrectionem gubernat, instruendo nos non solùm per sanctos Angelos, sed etiam per sanctos homines. non enim vanæ apparuerunt multis, sed ad instruendum eos de vero Messia, dẽq; illius resurrectione. Ex hoc enim quòd vsq; ad tempus illud gubernauit nos per Angelos sanctos, & nõ per homines sanctos, & tunc incepit gubernare nos per sanctos homines insinuauit noua se habuisse media gubernatione electorum. Et nisi ordinis gubernationis diuinæ erga nos, adionẽtos ex merito passionis & resurrectionis Christi, sanctos homines manifestare voluisset Deus, misisset Angelos in Hierusalem ad apparendũ multis & instruendos illos, sed ex eo q̃ non solùm per medios Angelos in sepulchro apparentes mulieribus, sed etiã per sanctos homines apparentes multis in Hierusalẽ manifestauit resurrectionem Christi, insinuauit q̃ ad ea, quæ sunt nostræ æternę salutis ministerio Angelorũ adiunxit ministeriũ hominũ beatorũ. Et hinc vlterius sequitur, q̃ ex ipso ordine diuinæ gubernationis, quo gubernat nos, etiã per sanctos homines, manifestatur recurrendũ esse nobis ad sanctos homines, alioquin rediret illud idem absurdum quod dedictũ est, si non possemus inuocare sanctos Angelos: datos enĩ esse sanctos homines ad nostrã vtilitatẽ medios inter Deum & nos, testatur dicta apparitio: ad datos autẽ diuitus medios posse nos recurrere, perspicuũ ex dictis est. Paulóq; minus absurdum sequitur, si Deus disposuit gubernare nos per medias intercessiones sanctorũ hominũ (vt priores Scripturæ testantur) & nobis non liceret ad intercessores nostros recurrere.

¶ Quòd demum orandus sit à nobis Deus per merita Sanctorũ, habetur ex Exodi 32. cap. dum Moses supplicãdo Deo, inter alia dicit, Recordare Abraham, Isaac & Israel seruorum tuorũ. Hoc enim nihil aliud est, q̃ rogare per merita Abrahæ, Isaac & Israel. Et huic si adiũxeris prius declarata, videlicet q̃ Sancti intercedũt pro nobis, manifestè inferes q̃ non solùm per merita, sed etiam per preces Sanctorum supplicare nos Deo Scriptura habẽtur. Et his si adiunxeris q̃ in idem redit orare Deum per merita & preces sanctorum, & orare Sanctos vt merita & preces proponant apud Deum (nam res est eadem, licet modus sit dispar, & vtrobique est inuocatio Sanctorum, licet diuersimodè) facile perpẽdes omni ex parte tradi ex sacra Scriptura inuocationem Sanctorum. Et hæc de propositis dicta, qui legerint, meminerint inerudito rum esse certitudinem Mathematicam quærere in moralibus, & vniuersaliter in agendis à nobis. Romæ die 25. August. 1531.

TRACTATVS DECIMVS tertius, Thomæ de Vio Caietani Cardinalis sancti Xisti, ad serenissimum Angliæ regem fideiq; defensorem, Henricum eius nominis octauum: de coniugio cum relicta fratris sententia.

LAETATVS SVM In ijs, quæ dicta sunt mihi, quòd non cellitudinis autoritate, sed sacrarum literarum documentis maiestas tua ad antiqui coniugij explosionem nouámq; ducendam vxorem mota est: quódq; id licuisse, non credendo doctoribus, sed proprij ingenij acumine propriáque intelligentia se scire profitetur. Gratias profectò debemus Deo, qui ætatem nostram Rege theologo decorauit. quocirca non ab re charitatis Christianæ puraui doctissimo regi supplicare, vt subiuncta legere, librare, atque cum ijs, quæ intellectum maiestatis eius mouent, conferre dignetur: si fortè plus videant oculi, quàm oculus. Et quia Regem theologorum alloquor, veræ Theologiæ fundamenta duntaxat tangam. Optimè autem cellitudo tua nouit vniuersam de hac materia quæstionem pendere ex hoc, an cõiugium inter relictam fratris & leuirũ sit prohibitum iure diuino morali. & partem affirmatiuã fundari super legem Leuiticam scriptam capite decimooctauo & vigesimo. & super verba Ioannis Baptistæ, Matthæi decimoquarto, & Marci sexto. Et propterea si compertum fuerit, quòd neuter textus continet huiusmodi inhibitionem moralem, manifestum erit tale coniugiũ non esse aduersus ius diuinũ morale. Et q̃ lex quidem Leuitica (videlicet Turpitudinem vxoris fratris tui nõ reuelabis, quia turpitudo fratris tui est) nõ prohibeat inhonestatẽ moralẽ, ex duobus ostendijtur capitibus. Alterum

rum est in eodẽ. 18. cap. Leuitici, ibidem enim cõceditur, vt vir sororẽ defunctæ vxoris ducere possit in cõiugẽ, dicẽdo, Sororẽ vxoris tuæ in pellicatũ illius nõ accipies, nec reuelabis turpitudinẽ eius adhuc illa viuẽte. cũiuis iuxta Hebratcã veritatẽ dictio interpretata pellicatũ sonet angustiam. ex eo enim quòd inhibitio cõiugij cũ sorore vxoris restringitur ad tẽpus vitæ vxoris, perspicuum est, sub hac inhibitione nõ cõprehendi cõiugiũ cũ sorore vxoris mortuæ. ad hoc enim apposita est illa limitatio viuẽte illa, vt liberum esset coniugium cum sorore defunctæ vxoris. nã quemadmodum coniugia in quibuscunque gradibus tam affinitatis quã consanguinitatis non prohibitis in lege Moysi, inter indulta supputabantur, ita coniugium cũ sorore vxoris defunctæ, ex hoc ipso q̃ in lege Mosi nõ prohibetur, intra indultorũ numerũ cõprehẽdebatur. Cõferẽdo itaq; hãc legẽ priori, formatur ratio hæc inter vnã mulierẽ & duos fratres & inter vnũ virum & duas sorores æquale est vinculum affinitatis, par est ratio turpitudinis, vt per se manifestũ est: ac per hoc si cõiugiũ cum relicta fratris cõtinet inhonestatẽ moralẽ, cõiugium quoq; cũ relicto sororis cõtinet inhonestatẽ moralẽ, & si coniugiũ cũ relicto sororis nullã cõtinet inhonestatẽ moralem: & si cõiugiũ cũ relicto sororis nullã cõtinet inhonestatẽ moralẽ: cõiugiũ quo que cũ fratris nullã cõtinet inhonestatẽ moralẽ. Et quia lex Leuitica mõstrat cõiugiũ cũ relicto sororis nõ cõtinere inhonestatẽ moralẽ nõ cõprehẽdo illud inter prohibita: cõsequens est, vt ex eodem capite lettici discamus, quòd cõiugiũ cũ relica fratris non cõtinet inhonestatẽ moralẽ: ac per hoc nõ est prohibitũ, quia malũ moraliter, sed ideo malũ qa prohibitũ. Si enim ex morali inhonestate fuisset prohibitũ, nõ fuisset indultũ cõiugiũ cũ sorore vxoris mortuæ: quia parẽ inhonestatẽ moralẽ habuisset. Quòd verò æquale sit vinculũ necessitudinis vtrobique, probatione non eget: quòd autẽ par sit ratio turpitudinis vtrobique, patet ex eo quòd sicut turpitudo fratris nõ detegẽda fancitur, quia est turpitudo fratris defuncti, quoniã effecti fuerãt vna caro fratria & frater defunctus, ita turpitudo sororis non detegenda est, quia est turpitudo sororis defunctæ: nam sororius & defuncta soror effecti fuerãt vna caro. Ex hoc igitur quòd lex diuina vnum prohibet, & aliud concedit, attestatur quòd ratio inhibẽdi alterũ nõ est inhonestas moralis, sed autoritas legislatoris, quia sic placuit legislatori.

¶ Alterũ caput surgit ex collatione Leuiticæ legis cum honestate cõiugij inter leuirũ & relictã fratris in casu defuncti fratris absq; prolẽ nã ante legẽ Moysi tale coniugium in tali casu nõ solũ licitũ. sed sancitum cõsuetudine vel Patrũ autoritate. innuit scriptura Geñ. 38. in historia Thamar: & postea sub lege Moysi mãdatũ legitur Deute. 25. Ita q̃ cõiugiũ inter leuirũ & relictã fratris regulariter erat illicitũ: in casu autẽ mortui fratris absq; prole. erat licitũ. Ex ijs autẽ surgit ratio hæc, Si cõiugiũ inter leuirũ & relictã fratris esset per se malũ moraliter, in nullo casu fuisset licitũ: sed fuit licitum in casu mortui fratris absque prole tã ante legẽ, q̃ sub lege: ergo nõ est per se malũ moraliter. Assumpta cõditionalis manifestatur & probatur. manifestatur liquidẽ in blasphemia, periurio, mẽdacio, adulterio, rapina, furto, & id genus reliquis per se malis moraliter: quia enim sunt per se praua, in nullo casu sunt licita. Probatur autẽ: quia id quod per se cõuenit alicui, nũq; separatur ab eo, sed comitatur illud in quocunque illud inuenitur, quia necessariò cõuenit illi: ac per hoc impossibile est separare à re id quod cõuenit illi rei p se: ac per hoc si cõiugiũ inter leuirũ & relictã fratris est per se prauum, in omni casu est prauum semper, & in oigenibus ipsum eius prauitas comitatur. Ex hoc itaque q̃ cõiugiũ inter leuirũ & relictã fratris inuẽtũ est quãdoq; sine prauitate, dicimus q̃ nõ est quod non fuit est per se prauum, quod non fuit prohibitum eo q̃ esset per se prauum: sed ex autoritate legislatoris effectũ est prauum, quia prohibitũ. Hæc de Leuitica lege.

¶ Verba aũt Ioãnis Baptistæ ad Herodẽ Galileæ Tetrarchã. Nõ licet tibi habere vxorem fratris tui, aliena sunt a proposito, tum quia de vxore fratris viuẽtis loquebatur Ioãnes, vt testatur Iosephus Antiqui. li. 18. c. 4. clare enĩ dicitur, q̃ Herodias deseruit viuũ virũ. Egesippus quoq; de exci. Hiero. li. 2. cap. 4. clarè dicit de Herode, q̃ fratris vxorẽ viuẽtis eripuerat, habẽtẽ semẽ de germano ipsius. Tũ quia aliud est esse illicitũ cõiugiũ cũ relicta fratris, aliud est esse illud illicitũ ex prauitate morali per se cõuenientẽ tali cõiugio: cõmittitur enim sophisma à pluribus causis ad vnam determinatè. Illicitum siquidẽ proficiscitur potest ex multis causis: & quantum ad propositum spectat, in promptu erat causa illiciti coniugij ipsa lex Leuitica. Herodes enim legem profitebatur Iudæorũ: & ideo esto, quòd Herodias fuerit relicta fratris, verum dixit Ioãnes, Non licet tibi habere vxorem fratris tui: quia prohibitum hoc est in lege. Clarum enim erat quòd non ad suscitandum semen fratris duxerat eam. Non potest itaque hinc inferri moralis prauitas per se conuenientes tali coniugio: sed prauitas moralis propter prohibitionem legis. talis enim prauitas certa & clara omnibus erat.

¶ Hæc doctissime Rex, si vera ac sufficientia esse videbuntur, corrigendum est factum, at si nõ esse iudicantur: significetur quæso quid deest: confido enim in diuinæ gratiæ largiyate, quòd qui cœpit, perficiet. Si verò probabilia censentur, agat obsecro defensor fidei hominem inter hinc inde probabilia ambiguum optimè autem nouit maiestas tua quid in dubijs agendum sit, quid diuina lex Deute. 17. statuit agendum in occurentibus dubijs. Si demum falsa existimabuntur confutare dignare doctissime princeps: paratus enim sum & dicere & mutare sententiã. Tolle obsecro scandalũ tantæ multitudinis Christianorum in Europa, non solùm vulgarium, sed & religiosorum, & peritorum. Tolle autem, manifestando iustitiam facti, vt scandalum non sit datum, sed acceptum: offero enim me præconem iustitiæ celsitudinis tuæ: quæ felix valeat. Romæ 27. Ianua. 1534.

Responsionis Thomæ de Vio Caietani Cardinalis sancti Xysti ad præmissas 19. articulorum censuras, eiusdemque de coniugio cum relicta fratris sententiæ (quæ simul cum enarratione Iobis, ad studiosorum vtilitatem, post mortem autoris p r Ioan. Danielis. S. D. N. papæ pœnitentiarum editæ sunt) finis.

TRACTATVS QVARTVS decimus De coniugio Regis Angliæ cum relicta fratris sui, ad Clementem septimum Pontif. maximum, in decem capita diuisus.

1 ¶ Quæ intentio sit operis.
2 Enarratio facti.
3 Quid diuino iure statutum est de cõiugio inter leuirum & fratriam.
4 Quod non omne coniugium inter leuirum & fratrium est diuina lege prohibitum.
5 Quod secundum ius naturæ non omne coniugium inter leuirum & fratriam est inhonestum.
6 Quod secundum legem tam diuinam, quàm naturalem patet fieri inter leuirum & fratriam coniugium honestatum propter aliam causam, quàm propter suscitandum semen, ac nomen fratris defuncti.
7 Quod secundum ius tum diuinum, tum naturæ honestum potest esse coniugium inter leuirum & fratriam propter commune bonum.
8 Quod coniugium inter serenissimos Angliæ Regem, & Reginã eius fratriam nec iuri diuino, nec iuri naturæ aduersatur.
9 Quod siue ligent, siue non dicta diuina iura, coniugium hoc est honestum.
10 Quòd sacrorum conciliorum, Pontificum, ac Doctorum dicta non militant aduersus hoc coniugium.

CAPVT I.

Quæ intentio sit operis.

BEATISSIME Pater, post pedũ oscula beatorum perpetuam fœlicitatem, iu. xisti, vt libellos de cõiugio inter serenissimos Angliæ reges ad me perlatos, causámque totam diligenter inspicerem, quidue iudicij consilijque mei esset, accuratissimè perscriberem, quo quantum in me esset, quamprimum Beatitudinem tuam hac molestia liberarem, iudui mox (vt par erat) iussio parere, prælectisque libellis pro & contra, animaduerti multas cõmunes insertas quæstiones. Videlicet de multiplici iure diuino, de illorum duratione, de diuersis naturæ iuribus, de præceptorum iudicialium diffinitione, de multis dispensandi modis, de potestate Papæ circa ea, quæ sunt diuini aut naturæ iuris. Quæ si tractanda essent & multa conficienda essent volumina, & latissimus literarijs certaminibus cãpus daretur, vt desiderãs dus semper finis superesset. Quocirca contuli me ad propria causæ de agitur, & ad punctũ quæstiones ventẽdo ante oculos locandum in primis quod in quæstionem

vertitur:duxi,vt omnes intelligant materiam,de qua loquor. Deinde circa hoc,tū in genere,tum in specie quid diuina ac naturæ iura censeant,scrutandum.His enim notis manifesta apparebit quasi veritas.

CAPVT II.

Enarratio facti.

SERENISSIMVS Angeliæ modernus Rex,dum esset adolescens,serenissimo patre eius Angliæ rege agente,contraxit matrimonium cum Serenissima moderna regina Angliæ,tūc non regina,sed relicta fratris eius primo geniti absque prole defuncti, filia serenissimorum regum Hispaniarum, interueniente autoritate Iulij II. Ro.Pon.ob bonum seruādæ pacis ac amicitię inter eosdē Reges,consumauitq; matrimoniū, ac genuit ex ea, multisq; annis cōiugali affectu & affectu cū ea versatus est, modò petit diuortium,eo quòd coniugium inualidum fuerit,vtpote contra ius diuinum atque naturæ à sacris concilijs, Pontificibus ac Doctoribus comprobatum. Hæc est causa ex proprijs discutienda, præmisso tenore apostolicæ dispensationis.

¶ Iulius,&c.Dilecto filio Henrico charissimi in Christo filij nostri Henrici Angliæ regis illustris nato,& dilectæ in Christo filiæ Catherinæ charissimi in Christo filij nostri Ferdinandi regis, & charissimæ filiæ nostræ Elisabet reginæ Hispaniarum, & Siciliæ Catholicorum,naturæ illustribus salutem &c.

¶ Romani Pontificis præcellens autoritas concessa sibi desuper vtitur potestate, prout,personarū, negociorum & temporum qualitate pensata, in Domino conspicit salubriter expedire.Oblata nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat,quòd cùm alias tu in Christo filia Catherina & tunc in humanis agens,quondam. Arturus charissimi in Christo filij nostri Henrici Angliæ regis Illustris primogenitus pro conseruandis pacis & amicitiæ nexibus & fœderibus inter charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum, & charissimam in Christo filiam nostrā Elisabet Hispaniarū, & Siciliæ reginā,Catholicos,ac præfatū Angliæ reges,& reginam matrimonium legitimè per verba de præsenti contraxissetis,illudque carnali copula forsan consumauissetis,dictus Arturus prole ex huiusmodi matrimonio non suscepta decessit.Cùm autem sicut eadem petitio subiungebat ad hoc vt vinculum pacis & amicitiæ inter præfatos Reges & Reginam hmōi diutius permaneat,cupiatis matrimonium inter vos per verba legitimè de pręsenti contrahere,supplicari nobis fecistis, vt vobis in præmissis de opportunæ dispēsationis gratia prouidere de benignitate apostolica dignaremur.Nos igitur qui inter singulos Christi fideles & præsertim Catholicos Reges & principes,pacis & concordiæ amenitatem vigere intensis desiderijs affectamus,vos & quemlibet vestrum à quibuscunq; excōmunicationibus,&c.Huiusmodi supplicationibus inclinati, vobiscúnque, vt(impedimento affinitatis huiusmodi ex præmissis proueniente,ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis cæterisq; cōtrarijs nequaq; obstantibus)matrimonium per verba legitimè de præsenti inter vos contrahere,& in eo,postquàm contractum fuerit,& si iam forsan hactenus de facto publicè vel clandestinè contraxeritis,ac illud carnali copula cōsumaueritis licitè remanere valeatis,autoritate apostolica tenore præsentium de spiritualis dono gratiæ dispensamus:ac vos & quemlibet vestrum si contraxeritis, vt præfertur ab excessu hmōi ac excommunicationis sententia, quam propterea incurristis,eadem autoritate absoluimus prolē ex huiusmodi matrimonio siue cōtracto siue contrahendo,susceptam forsam,vel suscipiendam legitimā decernendo, prouiso q; tu in Christo filia Catharina propter huiusmodi rapta non fueris.Volumus autē quòd si huiusmodi matrimonium de facto contraxeritis, confessor per vos & quemlibet vestrum eligendus, pœnitentiam salutarem propter ea vobis iniungat, quam adimplere teneamini.Nulli ergo, &c.Siquis, &c.Datum Romæ,&c.1057.calen.Ianuarij,anno primo.

CAPVT III.

Quid diuino iure statutū est de cōiugio inter leuirū & fratriam.

CIRCA Coniugium inter vxorē fratris & leuirū ter Mosaica lex statuit, primò Leui.18.his verbis,Turpitudinem vxoris fratris tui nō reuelabis:quia turpitudo fratris tui est.iterū cap. 20.his verbis,Qui duxerit vxorē fratris sui,rē facit alienā,seu illicitā,turpitudinē fratris sui reuelauit,absq; filijs erit.tertio Deute.25.his verbis.Quādo habitauerint fratres simul,& vnus ex eis absq; liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri,sed accipiet eam frater eius,& suscitabit semen fratris sui,& progenitum ex ea filium nomine illius appellabit,vt non deleatur nomen eius ex Israel:si autē noluerit accipere vxorem fratris sui, quæ ei lege debetur,perget mulier ad portā ciuitatis, & interpellabit maiores natu,dicetque,Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israel,nec me in coniugem sumere:statimque accersiri eum facient, & interrogabunt,si responderit,Nolo eam vxorem accipere, accedet mulier ad eum coram senioribus,& tollet calciamentum de pede eius, spuetque in faciem illius, & dicet, Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui : & vocabitur nomen eius in Israel, Nomen discalciati.

Leui. 18. & 20.

Deutero. 25.

¶ Hæc iuxta vulgatæ editionis verba allata,quamuis secundum viritatem sufficerent, quantum ad præsentem spectat causam, quia tamen nonnulli ex eo quòd aliter sonat textus Hebraicus,vertunt in dubium,legem Deuteronomij loq; de fratribus,quos carnales dicimus(obijciendo, quòd non dicitur,Accipiet eam frater viri eius sed cognatus eius: & similiter non vxor fratris sed cognata repetitur,constat enim Cognati nomine cōsanguineos intelligi)ideo diligentiam adhibui,vt textum hūc de verbo ad verbum iuxta Hebręum haberem hîc inserendum & est talis,Qñ sedebunt fratres simul,& morietur vnus ex eis,& filius non est, nō erit vxor mortui foris viro extraneo:leuir eius veniet super eam,& capiet eam sibi in mulierem,& leuirabit eam,& erit, primogenitus, quem pariet,surget super nomen fratris eius mortui,& non delebitur nomen eius ex Israel:& si non volet vir capere fratriam suam,ascendet fratria eius ad portam ad senes, & dicet,Recusauit leuir meus facere surgere fratri suo semē Israel,non voluit leuirare me.vocabunt eum senes ciuitatis & loquentur ad eum,& stabit,& dicet.Non voluit capere eam,& appropinquabit fratria eius ad eum in oculis senum,& excalciabit calceum eius à pede eius, & spuet in faciem eius,& respondebit & dicet, Sic fiet viro qui nō ædificauit domū fratris sui:& vocabit nomē eius in Israel,Domus excalciati calceo,hæc ibi.

¶ Vbi clarè patet legē hanc loqui de fratribus quos fratres carnales appellamus & quòd interpres nouus, qui cognato & cognata vsus est,Latinam linguam iuxta vulgare Italicum vsurpauit,appellando eum qui Latinè appellatur leuir,cognatū:& eam, quæ Latinè fratria vocatur cognatam,ro autem : vsque Hebraicus sermo vtitur proprio Leuiri nomine,vt ex illo formet verbū, quo bis in hac lege vtitur,loco cuius oportuit fingere nouum verbum Latinum à leuiro ductum Leuiro. as,significans exequi ius leuiri erga fratriam.Mirum est autem,in dubiū verti legē hāc de fratribus carnalibus loqui, cū & Saddęęi in Euangelio pponētes Christo vxorē septem fratrū secūdū legē Moysi,id testētur,& etiā apud mulierculas hoc notissimum fuisse testētur verba Noēmi, Ruth prio,& ex toties repetito fratris noīe in hac lege clarè habeat.Nā vbicūq; in istis legibus est nomē Fratris, in Hebræo,eadē penitus dictio habetur,ita q; idē nomen Fratris habet in legibus Leuitici,& in lege Fratri,vt si vnā æquiuocādi licentiam quis vsurpet:alias quoque æquiuocandi legitimè concedat : ac per hoc siquis exponeret pertinaci sensu Deuteronomicā legē loqui de Fratrib⁹ nō carnalibus,desistat à cœpto,ex hoc q; eadē licētia leges Leuiticæ exponerētur de fratribus nō carnalibus,Quo fieret, vt nullū de cōiugio inter leuirū & fratriam ius tam diuinum,q; naturæ scriptū haberetur:& cōsequēter cessaret tota quæstio hæc,innixa iuri diuino, aut naturæ scripto, quia super hoc solo vniuersa moles huius cōtrouersiæ fundata est.Non est itaque vertendum in dubium, leges has de fratribus,quos carnales appellamus loqui.

Matthei 22.ca.& lu. 20.s. Ruth. 1. manifestissimè soluitur qò vbi de fratribus ex eodē vtero egredientibus sermo est.

Nota quòd reperit nomen fratris secūdū idē vocabulum cū dicit, quādo habitabunt fratres simul, non aūt quando dicit, cognatus vel leuir, &c.

Non est vertēdū in dubiū cū apud rabinos Hebræos etiā pro confesso habeatur.

CAPVT IIII.

Quòd non omne coniugium inter leuirum & fratriam est diuina lege prohibitum.

CONVENIENTIBVS Igitur legibus his Leuiticis & Deueronomijs in hoc, quòd de fratribus carnalibus loquuntur, differētia manifesta inter Leuiticas & Deuteronomias est penes hoc, quòd Leuiticæ sunt

sunt leges de genere, Deuteronomia verò est lex de specie.Nā Leuiticæ statuūt de vxore fratris,non specificādo viui vel defuncti. Deuteronomia de vxore fratris defuncti,ille de vxore fratris non specificando cum filio vel sine filio:ista de vxore fratris defuncti sine filio,ille de vxore fratris non cognoscenda,nō specificando ad proprium vel fratris semen nomenque seruandum,ista de vxore fratris defuncti absque filio ad suscitandum semen nomenq; fratris,quibus adiunge quartam necessariò subintellectā specificationem,q; ille de vxore fratris non specificando, an ætatis,qua possit generare,an vetula. Ista de fratris vxore in ætate,qua pōt generare:loqui conuincitur, quia ducenda præcipitur ad suscitandum semē fratris. Ex hac autem manifesta differētia inter has duas leges habetur, absque omni controuersia,non omne coniugium inter leuirum & fratriam esse diuina lege prohibitum:sed discernendum esse inter coniugium leuiri cum fratria sine specificatione aliqua,vel tot specificationibus in Deuteronomia lege vallatum,& fatendum quòd in genere sine specificatione aliqua coniugium inter leuirum & fratriam, est diuina lege damnatum:cōiugium verò inter leuirum & fratriam tot conditionibus fultum nō solùm licitum, sed præceptum diuina lege est.Hæc sunt,quæ circa coniugium inter leuirum & fratriam manifestè sancita à Deo habemus.An autem diuinæ istæ leges veteris Testamenti ligent noui Testamēti pfessores,an expirauerint, parui refert quo ad causam propositam.Illud tamen silētio inuoluendum non est,quòd cùm istæ leges cōueniant tum sententia(videlicet de cōiugio inter leuirum & fratriam, tum in actu(videlicet actu pietatis,quę cultum officiumque sanguine iunctis exhibet)tum in ratione moris (quia oēs innitimur rationi moris pietatis naturalis):tum in genere præceptorum(quia vtræque sunt præcepta, partim iudicialia,& partim moralia,)tum in autore,(quia omnia diuina autoritate sunt edita per Moysem)quatenus diuina ligat, eadem ratione perseuerat, & Deuteronomica, quatenus diuina lex:& qua ratione Deuteronomica expirauit,eadem & Leuitica expirauit,cùm gratia & veritas per Iesum Christum facta est.Dixi quatenus diuina: quia non est nunc sermo de eisdem legibus , quatenus morales sunt, sed quatenus diuina sunt autoritate per Moysem fultæ.

CAPVT V.

Quòd secundum ius naturæ non omne coniugium inter leuirum & fratriam est inhonestum.

QVID Autem naturale ius de coniugio inter leuirum & fratriam habet,non est difficile ex dictis haurire. Semoto siquidē omni tam diuinæ quàm, humanæ legis non testimonio sed vinculo, clarè patet tum coniugium inter leuirum & fratriam absolutè esse turpe(Turpitudo enim moralis opposita honestati cultus ex naturali pietate debiti fratriæ ratione fratris, pro ratione legis redditur in lege Leuitica dicendo, Turpitudinem fratris tui non reuelabis,quia turpitudo fratris tui est)tum coniugium inter leuirum & fratriam vallatum tot antedictis conditionibus esse moraliter bonum.Ex eo enim quòd coniugium inter leuirum absolutè est turpe, infert quòd turpitudo illa per coniugium inter eosdem tot conditionibus fultum,&c.tollitur.Alioquin etiam tot conditionibus vallatum esset moraliter turpe,ac per hoc illicitum, cuius opinionem testatur lex diuina,& cùm turpitudo moralis non tollatur nisi per bonum morale,consequens est,quòd per morale bonum consurgens ex concursu tot conditionum in coniugio inter leuirum & fratriam,tollatur turpitudo,quæ inesset eidem coniugio nudo,patet igitur inter leuirum & fratriam coniugium honestatum tot conditionibus,bonum moraliter esse.Et si altius scrutatus fueris,inuenies maius bonum moraliter esse in coniugio inter leuirum & fratriam sic honestato, quàm sit turpitudo consequens coniugium inter eosdem absolutè.Nam nisi istius bonitas vinceret illius turpitudinē,præceptū istius in specie nō vinceret prohibitionē illius in genere,ita quòd diuinū ius præceptū prohibitione illius vigente,attestatur maiorē esse bonitatē in hoc, quā turpitudinem,quæ consequitur coitum leuiri cum fratria & tantùm excellit,vt etiam tollat rationem turpis ab huiusmodi coitu,& reddat eundem honestum & pium. Quo fit,vt si qui quo ad hoc soluti ad huiusmodi vinculo legis diuinæ & humanæ leuir & fratria contraherent matrimonium honestatum his conditionibus,proculdubio honestum ac pium connubium subirent.Quod etiam testatur cōiugium inter Thamar & filios Iudæ ante legē Moysi.Genesi 38.

CAPVT VI.

Quòd secūdum legē tam diuinā,quàm naturalē patet fieri inter leuirum & fratriam coniugium honestatum propter aliam tàm,quàm propter suscitandum semē ac nomen fratris defunctū.

EX HIS Autem manifestis iuxta diuinum ac naturæ ius rectissima infertur ratione, quòd si lōgè maius bonum, quàm bonum ex omnibus conditionibus in lege Deuteronomia expressis consurgens poscat iniri cōiugium inter leuirum & fratriam,fieret proculdubio in tali accidente coniugium inter leuirum & fratriam honestum,quatenus pendet ex lege tum naturali,tum diuina.(Secretis enim loquor humanis legibus.) Et secundū quidem naturæ iura patet illatio, rectæ rationis dictamen exigit,vt si minus bonum sufficit ad tollendum turpitudinem coniugij inter leuirum & fratriam,multò magis ad eandem turpitudinem tollendam sufficiat maius bonum,Secundum verò diuina iura patet eadem illatio ex eo,quòd nullæ leges multiplicantur propter multitudinem euentuum,qui contingere possunt.Oportet enim infinitas cōdere leges,iuxta infinitos euētus cōtingētes)sed in omni politia leges cōditæ intelligūtur sic,quòd ex vno casu decreto intelligūtur decreti omnes similes,& si minus bonū decretū est sufficere ad tollēdā aliquā turpitudinē,intelligitur decretū esse quòd multò maius bonū etiā sufficit ad tollēdā omnē turpitudinē.Hæc, ni fallor, tam clara sunt,vt probatione nō egeāt,sed insinuatione,quòd in proposita materia(si in proprijs sistendum est) non est digrediendum ad quodcunque maius bonū,sed ad maius bonum fratri defuncto,quia turpitudo coniugij inter leuirum & fratriam consistit in fratris defuncti dehonestatione,& in coniugio Deuteronomio tollitur huiusmodi irreuerētia defuncti fratris per eiusdē fratris defuncti bonū,videlicet nomē eius suscitādū & propagādū in familia progeniti ex fratria,quæ fuerat vna cū ipso charo,& ex leuiro cōiūctissimo secundū carnē defuncto fratri,tāquā supplēte vices defuncti ad generādū ipsi defuncto familiam.Et hæc ideo discussa sint,nō quia supponamus cōiugiū inter serenissimos Reges Regināq; Angliæ cōtractū fuisse ad suscitādū nomē fratris defuncti: cōstat enim hoc esse falsum,sed vt clarè pateat secundum ius naturæ diuina etiā autoritate firmatū,nō vnico tātū euētu honestū esse cōiugium inter leuirū & fratriā,sed in omni euētu maioris boni fratris defuncti,quā sit illud tā exiguū bonū,videlicet nominis per filiū fictum idq; incertum.Incertū enim est an proles sequatur.

CAPVT VII.

Quòd secūdū ius tū diuinū,tū naturæ honestū pōt esse coniugium inter leuirum & fratriam propter commune bonum.

SI PERSPICACIVS Cōsideratū libratumque fuerit,q; id iuris naturæ, quod in his Leuiticis legibus cōtinetur, videlicet dehonestatio fratris defuncti, repēsatur per tam exiguum ac incertū bonū defuncti,cui nihil boni aut mali accidere potest ex operibus merè humanis nisi in existimatione hominum, quódque bonum cōmune ciuitatis vel patriæ non in opinione, sed in re & lōgè maius & finis suapte natura est(nā singulorū bona externa ad cōe bonū ordinātur vt finē)manifestabit q; tā secundū naturalis quā diuini iuris rōnē rectissimū cōiugiū inter leuirum & fratriā honestatur,si ob cōe patriæ bonū fiat.Validius enim est ad tollendū dehonestationē defuncti fratris,cōmune patriæ bonum,quā tā exiguum idq; incertū bonū defuncti fratris. Nā constat hmōi bonū esse bonū externū,vtpote in noīe cōsistens,idque exiguū,vtpote nō cōsequēs præclarum aliquid factū, imò nullū defuncti factū,sed naturale opus alterius,si tamen efficax erit ad generādū.Nec interuenit in hac deductione aliqua digresio à proprijs materiæ quæ tractatur:qm̄ procedere à bono extreno vnius ob bonum cōe,nō est digredi,sed progredi apertè ad totum,à bono partis ad bonum potius,à re ordinata ad finem ad rem illius finem. & hæc tam manifesta tamque consona sunt iuribus, vt iniuria illis fiat si diutius discutiantur.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT VII.

Quòd coniugium inter serenissimos Angliæ Regē & Reginam eius fratriam nec iuri diuino nec iuri naturæ aduersatur.

EX HOC [illegible], quòd diuinum ius testificatur in minori bono commune patriæ bonum sufficere ad tollendum turpitudinē coniugij inter leuirum & fratriam, & naturæ ius in minori quoq; bono testatur idē, manifestè infertur, coniugium inter hos serenissimos Regem & Reginam ob bonum seruandæ pacis inter reges Hispaniarum & Angliæ contractum (vt clarè explicatur in literis apostolicis) non contrariari iuri diuino aut iuri naturæ, sed honestum esse ac consonum vtrique iuri, adeò ꝙ si secernantur humana iura, coniugium hoc nulla indiguisset dispensatione, quoniam ferendo secum commune bonum pacis inter tam excelsos reges, fert secū conditionem tam diuini, quàm naturæ iuris testimonio sufficientē ad honestandum coniugium inter leuirum & fratriā. Verū dispensatione ecclesiastica opus fuit, tum ad tollenda vincula humanorum iurium, tum ad autorum honestationē illius singularis coniugij ob commune bonum pacis. Honestatio enim illius coniugij ex cōmuni bono pacis suapte natura est, sed à doctoribus definitur magistraliter, ab apostolica autem dispensatione autoratur. Quocirca Iulius Papa dispensando nihil ademit diuino iuri, nihil ademit iuri naturæ, sed abstulit vincula iuris humani circa hoc singulare, sed definiuit legitimū, sed autorauit illud, vtpote ex expressa rationabili causa ac more consonum tam diuino, quàm naturali iuri. Omnia enim hæc fert secum dispensatio ob commune bonum pacis. Alienum siquidē à Christiana professione est, vt Papa, quantumcunq; minimum ius diuinū aut naturæ in toto vel in parte tollat. Hoc enim autori naturæ reseruatur, illud verò autori diuinæ legis, sed non est alienum à christiana professione, vt Papa in ambiguis interpretetur ac diffiniat, tam ius diuinum, quàm naturæ. Dispēsatio itaq; illa diuersos simul protulit effectus iuxta diuersas, quas attingit materias: pro quanto enim attigit iura humana, efficit licitū quod secundum humana iura fuisset illicitum: quatenus verò attingit iura diuina & naturę, diffiniuit ac autorauit licitum quod secūdū diuina & naturæ iura dubitabatur vel reputabatur, seu dubitari vel reputari potuisset illicitum.

¶ Et ad opulentiam honestationis concurrunt duo bona fratris defuncti: alterum quòd vxor eius quæ fuerat vna cū ipso charo ex hoc cōiugio, sublimata est in futurā Reginā Angliæ, vt regno, quo ipse defunctus non potuit per seipsum potiri, saltem in carne sua potiretur. Alterum quòd frater eius ex hoc coniugio redditus est securus à tali ac tanta malorum congerie, qualem & quantum bella inter regna afferunt inter se. Interesse autem mea defuncti mala pœnæ futura fratri meo testatur euangelicus diues sepultus in inferno dum rogat Abraham, ne fratres sui veniant in illum locum tormentorum. Honestatur itaque hoc coniugium tum ex bono fratris defuncti non minore, quàm sit illud descriptum in Deuteronomio non consistente in nomine sed in re dubio, sed certo: tum ex maximo communi bono pacis, autoratúrque apostolica potestate.

CAPVT IX.

Quod siue ligent, siue non dicta diuina iura, coniugium hoc est honestum.

VNIVERSA Autem diuina lege perspecta facile mōstratur quòd siue diuinæ leges circa coniugium inter leuirum & fratriā ligent modo, siue expirauerint, coniugiū hoc inter serenissimos reges Angliæ licitum atque honestum est. Nam si diuina veteris Scripturæ spirarunt, nulla hinc illis infertur iniuria: si verò etiam hodie ligant, cùm constet ex eadem diuina lege Deutero. ca. 17. ad summum sacerdotem spectare emergentes causas ambiguas ac difficiles diffinire iuxta legem Domini: consequens est quòd etiam si omni ex parte non pateret bonū sufficere ad honestandum coniugium inter leuirum & fratriam, ex eo quòd summus Sacerdos requisitus, vt hinc diuina iura naturæque, ac humana, quæ videntur obstare huic coniugio, illinc tale bonum pacis seruandæ libraret (propter hoc enim constat supplicia tum fuisse summo Pōtifici) & qui tūc erat summus Sacerdos Iulius dispensando autorauit inter hos serenissimos leuirum & fratriam, congruum ob tale bonū pacis reddidit illud licitum & honestū. Nam per hoc diuina autoritate sibi in lege diuina concessa exemit illud ab iniuria omnium iurium diuinorum, naturalium, ac humanorum: quia etiā fingendi licentia concessa inficiari mente quamuis ore nemo potest, ambiguam saltem fuisse iuxta legem diuinam ac naturæ causam, videlicet si ob tale bonum pacis honestandum erat coniugium inter leuirum & fratriam, & diffinitionē talis ambigui spectasse ad summum tunc sacerdotē, & causam boni pacis communis cōformē esse diuinæ legi, cui inter humana nihil magis quadrat, quàm cōmune pacis bonum. Et hæc dixerim, non quòd causa ambigua sit, quoniam deductum iam est cōmune bonū pacis causam esse sufficientem ad honestandum coniugium iuxta leges diuinas & naturales (sed ad monstrandum, quòd esto quòd ambigua ac difficilis fuisset causa, autoritas summi Sacerdotis, diffiniendo iuxta rationē valde consonam, diuinis & naturæ legibus coniugium hoc licitum, honestum ac legitimum sufficeret, ad reddendum coniugium hoc licitum, honestum ac legitimum, etiam si leges Leuiticæ non solùm quatenus morales, sed quatenus diuinæ ligarent Christianos.

CAPVT X.

Quòd sacrorum conciliorum Pontificum ac doctorum dicta non militant aduersus hoc coniugium.

ET QVONIAM Sacra Concilia, sacri Pontifices, sacri Doctores, dānando coniugium inter leuirum & fratriam ius diuinū & naturæ citant, manifestum ex auditis fit, quòd non militant eorum dicta aduersus hoc coniugium, secūdū ius diuinum & naturæ apostolicáq; autoritate contractum. Dānant siquidem inter leuirum & fratriam, coniugium nudum, non coniugium tot conditionibus consonis diuino naturæq; iuri fultum, ex hoc ipso, quòd iuri diuino ac naturæ innituntur. Clara enim luce iā patet iure diuino ac naturæ prohiberi inter leuirum & fratriam coniugium in genere seu nudum: consonum autem fore vtrique iuri inter leuirum & fratriam coniugium vestitum multis honestatis speciebus, siue propter bonum fratris defuncti, siue propter bonum cōmune. Quocirca Iulius nihil aduersus doctrinā sacrorum Conciliorū, Pōtificū aut Doctorū egit, nec etiā aduersus illos Doctores qui dicunt & verissimè, Papā nec in iure diuino, nec in iure naturæ posse dispensare, hoc est facere licitum quod diuino, aut naturæ iure constat esse illicitum. Nam (vt patet ex dictis) coniugium inter leuirum & fratriam ob commune bonum pacis, nec diuino nec naturæ iure prohibetur imò tum diuino, tum naturæ iuri consonat. Sed Papa iure suo ordinario, quo de iure super ius potest vtens, diffiniuit & autorauit coniugium honestatum ex causa communis boni pacis, ad tollendum omnem ambiguitatem vtriusque iuris. Hoc est Pater sancte, in causa hac iudicium meum, consilium autem non occurrit mihi melius, quàm quod à Spiritu sancto proficisci non ambigimus. Diligite iustitiam, qui iudicatis terrā. Fœlix in secula valeat beatitudo tua. Romæ die 13. Mart. 1530.

Tractatus Reuerendissimi D. Thomæ de Vio, Caietani Cardinalis S. Xisti ordinis Prædicatorum, De coniugio regis Angeliæ, finis.

TRACTATVS QVINTVSdecimus *Responsionum ad quosdam articulos nomine Theologorum Parisiensium editos, ad Magistrum Ioannem studij Maguntini Regentem missus.*

MISISTI AD ME Cōclusam in tuis literis schedulam scandalosam apud Germanos, rogans vt scandalo prouidere velim, declarando veritatē. Precibus itaque tuis satisfacere cupiens, responsionem mitto ad receptā à te schedulam sexdecim articulorum, quorum titulus est,

¶ Articuli aliquot pro erroneis à Theologis Parisiensibus ex libris Caietani excerpti.

¶ Titulus iste in primis falsus est: quoniam multi subscripti articuli nō sunt in libris meis. Et deinde titulus iste, incertū manifestat autorem. Ex eo enim ꝙ dicitur à Thelogis Paris

Parisiēsibus, non explicatur qui sunt isti Theologi. nam innumerabiles sunt Theologi Parisienses, & ad verificādum numerum pluralem sufficiunt duo. Quocirca multi suspicantur animo fallaci scriptum hunc titulum: ita quòd ille qui titulū hunc apposuit, aliud dixerit, & aliud intenderit. dixit enim à Theologis Parisiensibus: intendit autem vt passim legentes & audientes fallantur, intelligendo ab vniuersa Theologorum schola Parisius. Nec temere suspicantur: quoniam quisquis ille fuerit, imponit mihi multa quæ non scripsi: ipsa enim impositio, signum est mali animi. propterea vos quidem estote cauti, vt non fallamini ex hoc titulo: illius verò quisquis fuerit ille, misereatur omnipotens Deus. Ego autem tanquā ad libellum famosum respondebo.

¶ Articulus itaque primus est, licitum est viro vxore fornicante, ducere aliam. Secundus est, Non est eadem libertas vxori, quæ viro. Articuli isti non sunt mei. neuter enim inuenitur assertus in libris meis: vt patet in cōmen. super Matth. ca. 19. vbi duntaxat disputaui de hac materia, & reliqui diffiniendam ab Ecclesia.

¶ Tertius articulus est Epistola Pauli ad Hebr. nō est autētica. Iste articulus non est meus. in commentarijs enim super dictam Epistolam non negaui epistolam esse autenticam: sed dixi quòd dubio, apud Hieronymum, autore eius epistolæ existente, dubia quoque redditur epistola, quam, nisi sit Pauli, non perspicuum est canonicam esse. Vbi vides quòd nego perspicuitatem autenticæ, & non nego ipsam autenticam, existēte authore Epistolæ dubio. Aliud est enim Epistolam esse canonicam, & aliud est esse perspicuum, quòd est canonica. perspicuitas enim spectat ad notitiam nostram, esse verò canonicam, spectat ad ipsam Epistolam secundum seipsam. si namque tolleretur dubiū & fieret perspicuum, non propterea epistola fieret nouiter canonica: sed quæ erat secundum se canonica, manifestaretur canonica. certum est tamen quòd durante dubio, non est tantæ autoritatis apud nos, vt sola sufficiat ad ea, quæ sunt fidei. Ego igitur locutus sum de nostra notitia: non de ipsa Epistola (vt verba mea clarè sonant) articulus verò loquitur de epistola secundū se.

¶ Quartus articulus est, Posterior pars vltimi capituli Marci, scilicet, Nouissimè aūt recūbentibus, nō est autentica. Iste articulus non est meus: vt patet in Commentarijs super Marcum. Sed ex verbis Hieronymi, dixi quòd illa scripta Marci, quæ Hieronymus habet pro dubijs, non sunt solidæ autoritatis ad firmādā fidē, sicut sunt reliqua Marci indubitata. Certum est enim quòd ea quæ vertuntur in dubium, non sunt tantæ autoritatis, quantæ sunt indubitata, dubiū enim ad nostram spectat notitiam, & non ad scripta ipsa in se.

¶ Aduertendum est autem circa hunc articulum præcedentē & similes, quòd ego nullam Bibliæ partem reieci, nisi quas reijcit beatissimus Hieronymus: & nullam partem aut particulam in dubium verti, nisi illas de quibus dubitat Hieronymus. Secutus sum Hieronymū, & ex illius verbis deduxi cōsentanea sermoni eius. Hieronymus enim vniuersæ Ecclesiæ lumen est, ad discernendas partes & particulas sacræ Scipturæ ab ijs, quæ non sunt partes nec particulæ eius, & ad discernendum partes seu particulas certas à dubijs. Cur itaq; accusor sequens beatissimum Hieronymum? accusando siquidem in istis me, accusant Hieronymum, qui est principalis autor huiusmodi dubiorum.

¶ Quintus articulus est, confessio auricularis non est instituta à Christo inquantum auricularis & secreta. Iste articulus non est meus: sed Io. 20. scripsit, quòd Christus instituit confessionem voluntariam peccati, sed modum confitendi, & similiter absoluendi, an ad aurem an publicè, Ecclesiæ vsui reliquit, iuxta tamen qualitatem peccati publici vel occulti. Quod non est dicere hāc negatiuam, Confessio auricularis non est instituta à Christo: sed est dicere, ꝙ confessio instituta à Christo, non restringitur ad hunc modum confitendi: quia extenditur etiā ad confessionem publicam. satisfacit enim præcepto Christi, qui postquam publicè peccauit, publicè confitetur, publicè absoluitur, & publicè satisfacit.

¶ Sextus articulus est, Non est necessarium, hominē, qui mortaliter peccauit, & qui habet copiam Cōfessoris, confiteri antequam Eucharistiam sumat. Hic articulus meus est: & fundatus super doctrinam apostoli Pauli, dicentis de existente in peccato mortali, ꝙ manducaret & biberet indignè Eucharistiam, nisi prius probaretur. Probet autem, inquit, seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, &c. Probare enim seipsum, ad contritionem spectat: confessio verò spectat ad probationem non solùm à seipso, sed etiam ab alio, videlicet à cōfessore. Et hoc itaq; ꝙ Paulus dicit sufficere ad euitandam indignitatem probare seipsum, dicit contritionem sufficere ad sumendam Eucharistiā. nisi enim sufficeret probare seipsum, non adiūxisset, Et sic de pane illo edat. clarè enim significat, quòd homo, qui sic est probatus à seipso, de pane illo edat, & de calice bibat. Nō est itaque articulus erroneus, quæ Paulus docuit.

¶ Septimus articulus est, Non habetur verus textus sacræ Scripturæ in lingua Latina, nisi fiat translatio de verbo ad verbum ex lingua, ex qua sumitur, & fiat omnino talis qualis in sua origine est. Iste articulus nunquam fuit à me scriptus: vt testatur prooemium super Psalterium, in quo so[illegible] materiam hanc tractaui.

¶ Octauus articulus est, Melius est, ꝙ orationes dicātur in lingua vulgari in Ecclesia, quàm in lingua Latina. Iste articulus non integrè recitatur: quoniam nō scripsi, ꝙ est melius, sed quòd est melius ad ædificationem Ecclesiæ: neq; scripsi orationes, sed orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur. hoc autem super doctrinam Pauli fundaui 1. ad Cor. 14.

¶ Nonus articulus est, Pensiones super beneficijs curatis pecunia numerata redimi possunt. Iste articulus recitat plus, quàm ego scripserim: quoniam ego non scripsi de beneficijs curatis in spem, sed de beneficijs ecclesiasticis in genere: & fundaui dicta mea super doctrinam diui Thomæ. Et ea vera esse, testatur mos Ecclesiæ passim. nā quotidie fiunt huiusmodi redemptiones, etiam à viris timoratis. Et consueuit quantitas pensionis redimi, soluendo pecuniam in proportione quincupla: reputatur enim communiter huiusmodi pretium iustum.

¶ Decimus articulus est, Nec ratione nec autoritate probari potest, quòd absolutè loquendo, sacerdos peccet contrahendo matrimonium, quia potius & ratio ducit ad oppositionem. Iste articulus non est meus, quantum ad illam particulam. Probari potest: quoniam vt textus quæstionis manifestat, scripsi nec ratione nec autoritate probatur, quòd sacerdos seclusis legibus iuris positiui & votis, peccet contrahendo matrimonium, &c. & attuli, rationē, contra quam oportet aduersantes, rationibus procedere, & non libello famoso.

¶ Vndecimus articulus est, Summus Pontifex salua conscientia potest dispensare cū sacerdote Occidentali, quòd contrahat matrimonium, etiam cessante causa publicæ vtilitatis. Iste articulus est meus: & alienus monstratur ab omni errore in illa quæstione. nulla enim iura arctant causam dispensandi ad vtilitatem publicam solam: occurrente enim alia causa rationabili, potest Papa vti sua potestate, vt clarè patet.

¶ Duodecimus articulus est, Vtrum discordia orta inter coniuges huiusmodi sine spe remedij, sit rationabilis causa dispensandi, vt vterq; cum alio contrahat, crediderim ꝙ sic, coniugum consensu accedente. Iste articulus de cōiugio non consummato meus est, & tam moderatus, vt irreprehensibilis omnino sit, tū quia nihil asserui nisi credulitatem: tum quia innititur autoritati sedis Apostolicæ, quæ huiusmodi causam habet pro rationabili: vt apostolica rescripta testantur.

¶ Tertiusdecimus articulus est, Asserit ꝙ Christus descēdens ad inferos prædicauerit dæmonijs & dānatis. Iste articulus non est meus: quoniā nunq; hoc asserui. Sed in cōmen. super primam epistolā Petri cap. 3. manifestè dixi, ꝙ Petrus non loquitur de prædicatione qua Christus manifestauit apud inferos seipsum esse Messiam, & cōuincit tā dæmones, quàm incredulos oēs: huiusmodi enim prædicatio cōis fuit omnibus apud inferos. Vbi clarè patet, ꝙ nō de prædicatione absoluta, sed de prædicatione huius (hoc est confutante & conuincente dæmones & incredulos omnes) locutus sum: isti autem imponunt mihi prædicationem sine aliqua additione.

¶ Quartusdecimus articulus est, Epistola secūda Io. non tam eget expositione, quàm correctione. Iste articulus nō integrè recitatur: nam in Com. super ipsam Epistolā scripsi, Nec tā eget expositione, quàm correctione, quoniam in multis differt à textu Gręco. Vbi clarè patet, ꝙ de correctiōe verborū dissonātiū à textu Græco locutus sum. Et si hoc est er-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tor,quare Hieronymus tanto tempore laborauit ad corrigendum libros sacræ scripturæ iuxta Hebraicam veritatem?quare Augustinus pro correctione librorum veteris Testamenti remittit le[illegible] Hebraicum [illegible]xtum, & pro correctione libr[illegible]rorum nos,i Testamēti ad textum Græcum?

¶ Quintusdecimus articulus est,Iac[illegible] Alphæi, frater Domini appellatur,quia filius fuit,[illegible]eph ex alia vxore. Iste articulus non est meus.nun[illegible]dam en[illegible]m sciui, nunquā asserui, quòd Ioseph habuerit aliam vxorem.quāuis opinio dicentium hoc non mihi displicuerit:& propterea scripserim in Commentarijs super Epistolam ad Galatas capit.1.& fortè nulla magis quadrare videtur ratio, quàm quòd fuerit filius Ioseph ex alia vxore.nihil enim vt certum scripsi.

¶ Sextusdecimus articulus est,An Paulus vxorē habuerit,disputare,superfluum est:quoniam ex eius Epistolis nihil certi habetur,licet ex aliquibus sensu valde rationabili monstretur eum habuisse vxorem.Iste articulus non est meus.nam in Commentarijs super Epistolam ad Phili.c.4.scripsi,disputare hic,an Paulus habuerit vxorem, superfluum duxi:cùm ex alijs locis Epistolarum Pauli nihil certi habeam:& hic locus cogere videatur non ratione demonstratiua, sed sensu valde rationabili,quòd Paulus habuerit vxorem. Ex hoc autem articulo & multis alijs præcitatis,facilè patere potest,quòd articuli isti indigni sunt Theologis, indigni & responsione: vtpote vel impositi,vel alieni à materia erroris.nullus siquidem error incurritur,putando Paulum habuisse vxorem, vel non habuisse vxorem:nullus error est, putare Ioseph habuisse,vel non habuisse aliam vxorem,ante beatam Virginem : nullus error est Epistolam Ioan.esse correctam vel non correctam iuxta textum Græcum : nullus error est dubitare de illis,de quibus dubitat beatus Hieronymus:& id genus multa in articulis schedulæ istius contenta. Pro consolatione itaque tua & Germanorum, honorande magister, hæc scripsi vt perpendas ridiculos fore apud eos, qui libros nostros legunt, & intelligunt, libellos hos famosos,pugnent rationibus & autoritatibus Scripturæ,non libellis famosis, non nominis supercilio,qui oppugnare nostra cupiunt. Bene vale. Romæ 30.decembris.1534.

FINIS.

Series Chartarum,

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ. Omnes sunt quaterniones, præter B B qui est duernio, & Z Z qui est ternio.

Lugduni,

Excudebat Claudius Seruanius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Biblioteca